EX BIBLIOTHECA
DOMINICANORUM
MONTIS POLITIANI
1786.

2. 3. 136 17
2L.3

Digitized by Google

THEOLOGIA
CHRISTIANA
DOGMATICO-MORALIS


AUCTORE

F. DANIELE CONCINA

ORDINIS PRAEDICATORUM.

TOMUS SEPTIMUS

DE IUSTITIA ET IURE.



ROMAE, MDCCL.
SUPERIORUM PERMISSU.

PROSTANT VENALES VENETIIS
APUD SIMONEM OCCHI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAELOQUIUM.

QUemadmodum nullus in homine appetitus impotentior, atque efferatior rerum cupiditate, quæ civitates & regna perturbat, ſeditiones excitat, turbas accendit, ſocietatis fœdera diſſolvit, ſubditos in Principes commovet, ſervos in dominos, filios in parentes, fratres in fratres provocat, armat, inſtigat; ita nulla virtus eſt quæ æque his, ceteriſque malis fugandis, exterminandiſque opem ferat, & præſidium, atque iuſtitia, quæ omnium fere virtutum conciliatrix eſt, & quaſi domina. Hæc humani generis ſocietatem moderatur, reſpublicas temperat, imperia ſuſtinet. Hæc cuique, quod aliqua debetur cauſſa, tribuit: benemeritis civibus dignitates, & præmia impertitur: vitioſis ſceleſtiſque pœnas infligit, & ſupplicia. Hæc mater æqui & boni, quæ cives civibus, urbes urbibus, regna regnis reconciliat, illata damna reſarcit, ablata reſtituit, pacta, conventa, fœdera cuſtodit, defendit, & ſuis quemquam contentum eſſe debere iubet. Ne multa: iuſtitia divinus animi ornatus eſt, qui homines, propriæ cupiditatis dominos, erga Deum pios, in proximos æquos, pro patria fortes, adverſus fraudes, dolos, iniurias, vigiles, experrectos, conſtantes efficit. Tam amplo imperio dominatur in homine, ut omnes eiuſdem affectus moderetur, appetitiones coerceat, adverſos fortunæ caſus ſuſtineat, in calamitatibus animos erigat, in bonorum partitione confirmet, & quibuſque iura ſua afferat. Arpinatibus, inquit M. Tullius *Lib. I. offic. cap.* VI. agrum Arpinatem, Tuſculanis Tuſculanum, Sabinis Sabinum, Romanis Romanum vindicat, & quæ natura communia erant, prout cuique obtigere, poſſidenda iubet. Da mihi hominem revera iuſtum; & ego illum tibi cælo proximum, Deo devinctum, ſocietati amicum, civitati carum, omnium ore exaltatum, ſuperiſque ſimilem cenſeo. Contra homines iniuſti reprobationis characterem in fronte præferunt. Civitates perturbant, inferiores opprimunt, pauperum ſanguinem emungunt, pelles excoriant, carnem populi comedunt. Fieri nequit ut ſalutis portum aſſequantur, niſi divitias, quas aliorum detrimento deglutierunt, evomant, & iniurias, damna, moleſtiaſque illatas æqua compenſatione reſarciant. Quæ omnia ab hominibus iniuſtis præſtari, vix deſiderare, nedum ſperare expe-

Digitized by Google

rientia edocti valemus. Reſpondet enim virtutis ſublimitati oppoſiti vitii pravitas; & animum, quem iuſtitia tanta bonorum copia divitem, & propemodum divinum efficit, iniuſtitia omnium fere vitiorum lue inquinat, depravat, mancipiumque inferni conſtituit.

Verum enimvero quo eminentior, atque ſplendidior eſt virtutis iuſtitiæ maieſtas, & amplitudo, eo difficilius aut ingenio aſſequi, aut orationis facultate exornare eiuſdem officia, prærogativas, & effectus valemus. Quid de oppoſiti vitii pravitate dicam? Quis fraudes, dolos, fucos, lenocinia, effugia, rimas, technas, quibus occultatur, retegere poterit? Quis verſuta commenta, ſubtiliſſima paradoxa, quæ nova opinandi ars invexit, quæ probabiliſtica benignitas exquiſita dexteritate adornavit, diſpellere, & pro dignitate profligare valet? Homines ambitioſi, petulci, vanique, ſuperbiæ faſtum, pomparum apparatum, mercatorum, artificum, mercenariorumque ſudoribus, & ſanguine fovent, alunt, oſtentant. Crudelem iniuſtitiam, immanemque ſuperbiam honeſtant proprii ſtatus ſuſtinendi obtentu. Debitorum, atque mercedum ſolutionem de die in diem, de menſe in menſem, de anno in annum differunt, quin creditorum lacrymis, & calamitatibus quidquam commoveantur.

Alii diſtribuentis iuſtitiæ præmia dividunt, non meritorum ratione ſpectata, ſed interceſſorum ſupplicationibus, & munuſculorum præſtigiis obcæcati. Illi pro tribunali lites dirimunt, ſcientia neceſſaria deſtituti. Ab iſtorum iuſtitiæ procuratione, familiarum, civiumque fortunæ pendent. Et quaſi de rebus nihili iudicium, ſententiamque rogarent, vix ſibi religioni vertunt vitium ignorantiæ, qua legitimos poſſeſſores bonis ſpoliant, iniuſtoſque poſtulatores opulentos efficiunt.

Ex his paucis quæ delibavi, nemo non videt quam ſit perdifficilis, odii, invidiæque plena ex una parte, quantæque neceſſitatis, atque utilitatis ex altera, cauſſa quam orandam aggredior. In omnium controverſiarum genere extrema ſunt perniciosa. Verum in iuſtitiæ cauſſis dirimendis, finiendiſque quæcumque a rerum medio, & recti iuſtique ſcopo declinatio, præter conſcientiæ noxam, onus reſarciendæ partis læſæ imponit. Quamobrem non modo diligentia maior, ſeverius ſtudium, maturitas cautior requiruntur; ſed ferventiore oratione, iugibuſque precibus opus eſt, ut cæleſte, divinumque lumen aſſequamur, quo mente illuſtrata viam veritatis, & iuſtitiæ ingrediamur, atque pie, iuſte, & ſobrie in Domino vivamus.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Librorum, diſſertationum, capitum, paragraphorum, & quæſtionum quæ in hoc Tomo continentur.

LIBER SECUNDUS.

DE IUSTITIA, ET IURE.

DISSERTATIO I.

CAPUT I.

Iuris notiones variæ. Quale ius ſit iuſtitiæ materia, & obiectum. pag. 1.

CAPUT II.

Iuſtitiæ generatim acceptæ finitio, eiuſque diviſio. 4.

CAPUT III.

Quid ſit iuſtitia generalis, ſeu legalis. 6.

Quæſt. I. *Iuſtitia legalis eſt ne rigoroſa iuſtitia?* 7.

Quæſt. II. *Iuſtitia legalis quæ eſt in Principe, differt ne ſpecie a iuſtitia legali quæ eſt in ſubditis?* 8.

CAPUT IV.

De iuſtitia diſtribuente, commutante, & vindicante, & de vitiis eidem oppoſitis. 9.

Quæſt. I. *An iuſtitia commutativa diſtinguatur a vindicativa?* ibid.

Quæſt. II. *Iuſtitia commutativa diſtinguitur ne ſpecie a iuſtitia diſtributiva?* 10.

Quæſt. III. *Quænam ſint vitia iuſtitiæ oppoſita?* 13.

CAPUT V.

De dominio, eius diviſione, & bonorum partitione. 14.

CAPUT VI.

Dominii utilis variæ acceptiones. Utrum in rebus uſu conſumptibilibus dominium ab uſu diſtinguatur. 16.

Quæſt. I. *Quinam ſint fructus quibus frui uſusfructuarius poteſt?* 17.

Quæſt. II. *Quid præſtare uſusfructuarius debet?* ibid.

Quæſt. III. *Poteſt ne uſusfructuarius alteri ſuum ius uſus vendere?* ibid.

Quæſt. IV. *Diſtinguitur ne dominium ab uſu rerum unico uſu conſumptibilium?* 18.

CAPUT VII.

De poſſeſſione, & modo eam comparandi, amittendique. 20.

CAPUT VIII.

Quinam ſint dominii capaces, & quænam bona ſubiaceant dominio. 22.

CA-

CAPUT IX.

De dominio quod in animalia homo habet. 24.
Quæſt. I. *Animalia natura ſua manſueta capere ne alicui licet?* ibid.
Quæſt. II. *Cuius ſunt animalia, humana induſtria facta manſueta?* ibid.
Quæſt. III. *Animalia ſilveſtria ſiunt ne primi occupantis?* 25.
Quæſt. IV. *Cuius eſt fera ab uno vulnerata, & ab alio capta?* ibid.
Quæſt. V. *Cuiuſnam eſt fera, vel avis in laqueum lapſa?* 26.

CAPUT X.

De piſcatione, aucupio, venatione: quando, & quibus hæc licita ſint. ibid.
Quæſt. unic. *Quodnam crimen committunt qui contra edictum Principis, aut communitatis in locis prohibitis venantur, piſcantur, aucupantur?* 27.

CAPUT XI.

Qua via ſilvarum, montium, & paſcuorum dominia acquirantur. 28.

CAPUT XII.

De rerum inventarum dominio. 30.
Quæſt. I. *Cuiuſnam ſint bona derelicta?* ibid.
Quæſt. II. *Bona naufragantium ſiunt ne primi occupantis?* 31.
Quæſt. III. *Quibus applicanda ſunt bona vacantia?* ibid.
Quæſt. IV. *Cuius ſint bona perdita ab uno, & ab alio inventa?* 32.
Quæſt. V. *Cuiuſnam ſunt bona inventa, quorum domini poſt adhibitam diligentiam non reperiuntur?* ibid.
Quæſt. VI. *Cuiuſnam ſunt theſauri inventi?* 34.
Quæſt. VII. *Quiſnam ſit dominus fundi, cui theſaurus vel caſu, vel induſtria inventus debeatur aut in totum, aut in partem?* 35.
Quæſt. VIII. *Theſaurus inventus in agro empto debetur ne emptori, aut venditori?* 36.

CAPUT XIII.

De dominio acquirendo vi alluvionis, acceſſionis, ſpecificationis, commixtionis, confuſionis. 37.

CAPUT XIV.

De modo acquirendi dominii per perſcriptionem, ſeu uſucapionem. 39.
Quæſt. I. *Quot ſunt conditiones ad legitimam præſcriptionem neceſſariæ?* 41.
Quæſt. II. *Præſcriptio ſuis conditionibus ornata acquirit ne præſcribenti dominium non modo in foro externo, verum etiam in conſcientia?* 44.
Quæſt. III. *Qui dubitans poſſidet, malam ne fidem habet, quæ præſcriptionem impediat?* 47.
Quæſt. IV. *Qui ignorantia iuris, vel facti laborat, amittit ne fidem bonam requiſitam ad præſcriptionem?* 49.
Quæſt. V. *Mala fides anteceſſoris nocet ne ſucceſſori bonæ fidei, ne præſcribere is valeat?* 51.

CAPUT XV.

De patria poteſtate in filios, ſeu de rerum dominio quo potiuntur filii patriæ poteſtati ſubiecti. 52.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

De reſtitutione.

PRAELOQUIUM. 54.

CAPUT I.

Propoſitiones damnatæ, & laxæ in materia iuſtitiæ. ibid

§. I.

Propoſitiones proſcriptæ ab Alexandro VII. & Ven. Innocentio XI. quæ iuſtitiæ virtuti adverſantur. 55.

§. II.

Opiniones laxæ plurium Moraliſtarum. ibid.

CAPUT II.

Variæ reſtitutionis acceptiones. Eiuſdem vera notio, & principia unde proficiſcitur explicantur. 73.

CAPUT III.

Quomodo reſtitutio neceſſaria ad ſalutem ſit, & quomodo ſtatim peragenda. Debitorum dilationes perniciosæ. Quot peccata perpetrent debitores procraſtinantes. Confeſſarii, ne iſtos abſolvant, admonentur. P. Viva, & Tamburini opiniones refelluntur. 74.

Quæſt. I. *Qui conducunt operarios, aſtringuntur ne ſtatim mercedem ſolvere?* 76.

Quæſt. II. *Quodnam peccatum perpetrant illi qui conducunt operarios ad laborandum, ſi pecunia careant qua mercedem ſolvant?* 77.

Quæſt. III. *Quodnam peccatum peccent debitores divites qui debitorum ſolutionem differunt?* ibid.

Quæſt. IV. *Admittendæ ne ſunt excuſationes quibus debitores fucare dilatam debitorum ſolutionem ſolent?* ibid.

Quæſt. V. *Quo in periculo, vel peccato verſantur illi qui ad mortem uſque reſtitutionem differunt, heredibuſque ſolvenda debita relinquunt?* 78.

Quæſt. VI. *Quot peccata committant debitores qui ſunt in mora ſolvendi?* 79.

Quæſt. VII. *Abſolvi ne poteſt qui nolit ſtatim, cum poteſt, reſtituere?* 82.

Quæſt. VIII. *Abſolvi ne a Confeſſario poſſunt debitores qui promittunt ſe ſtatim reſtituturos, & reipſa non reſtituunt?* 84.

Quæſt. IX. *Quomodo ſe gerere Confeſſarius debet, vocatus ad audiendam confeſſionem divitis, ſeu magnatis, qui diſtulit debitorum ſolutionem, proximumque oppreſſit?* 85.

Quæſt. X. *Confeſſarius qui culpabiliter obligare pœnitentem omittit ad reſtituendum, aſtringitur ne ille reſtituere?* 86.

CAPUT IV.

Qualis ſit iniuſtitia ex qua reſtitutionis debitum infertur. 88.

CAPUT V.

Sola culpa theologica, oppoſita iuſtitiæ commutanti, extra contractum, vel officium, onus infert reſtitutionis. Quæ culpa in officio, vel contractu inferat reſtitutionis debitum. Plures quæſtiunculæ reſolvuntur. 90.

Quæſt. I.

Quæſt.I. *Ex culpa theologica levi, ſeu veniali oritur ne reſtitutionis debitum?* 92.
Quæſt.II. *An culpa levis, aut leviſſima, animo nocendi perpetrata, inducat obligationem reſtitutionis?* ibid
Quæſt.III. *An qui exercent artes, aut profeſſiones, teneantur ad reſtitutionem ex culpa levi, vel leviſſima?* 94.
Quæſt.IV. *Quænam culpa iuridica requiratur in contractu, ut inducat reſtitutionis debitum?* 96.

CAPUT VI.

De reſtitutionis onere, quo obſtringitur poſſeſſor bonæ, aut malæ fidei ob rem alienam acceptam? 99.
Quæſt.I. *Ad quid tenetur poſſeſſor bonæ fidei qui rem alienam conſumpſit?* 100.
Quæſt.II. *Qui res uſu conſumptibiles bona fide a latrone emit, recepitve, tenetur ne reſtituere rem, ſi extet, aut id in quo ditior factus eſt, ſi fur reſtituere potens ſit?* ibid.
Quæſt.III. *Qui alienam rem uſu non conſumptibilem poſſidet, nempe equum, librum, picturam &c. bona, aut mala fide, tenetur ne eamdem rem, ſi extet, reddere, aut eiuſdem pretium?* 102.
Quæſt.IV. *Ad quid tenetur poſſeſſor malæ fidei?* ibid.
Quæſt.V. *Si fur rapiat rem quæ apud dominum periiſſet, tenetur ne eamdem reſtituere, ſi illam conſervet, aut pretium, ſi periit?* 103.
Quæſt.VI. *Si rem alienam ex incendio eripias, & poſt elapſum periculum illam retineas, & apud te pereat, non perdenda apud dominum; teneris ne ad reſtitutionem?* 105.
Quæſt.VII. *Ad quid tenetur ille qui rem alienam mala fide ſurripuit, quæ melior futura erat, ſi eam ante augmentum conſumat?* ibid.
Quæſt.VIII. *Cuinam creſcit res furto ſublata?* ibid.
Quæſt.IX. *Si res in viliori ſtatu furto ſublata, & melior effecta, poſtea ad deteriorem ſtatum redigatur, quid reſtituendum eſt?* ibid.
Quæſt.X. *Quomodo poſſeſſor dubiæ fidei rem alienam reſtituere aſtringatur?* 107.
Quæſt.XI. *Qui bona fide rem emit, ſi poſt emptionem dubitat rem eſſe alienam, ad quid tenetur?* ibid.
Quæſt.XII. *Qui bona fide rem accipit, evaditque dubius poſſeſſor, tenetur ne animum paratum habere reſtituendi totum pretium rei venditæ domino comparenti?* 108.
Quæſt.XIII. *Si poſt adhibitam diligentiam dubium perſeveret, ſintque validiores rationes, rem eſſe alienam, quid reſtituendum eſt?* ibid.

CAPUT VII.

Quos fructus reſtituere poſſeſſor bonæ, & malæ fidei debet? 109.
Quæſt.I. *Quos fructus reſtituere tenetur poſſeſſor bonæ fidei?* ibid.
Quæſt.II. *Qui bona fide rem alterius locavit, quæ locari non ſolet, tenetur ne locationis pretium domino, detractis expenſis, reddere?* 110.
Quæſt.III. *Quos fructus reſtituere poſſeſſor malæ fidei debet?* ibid.
Quæſt.IV. *Fur non percipiens fructus qui percipi e re poſſunt, tenetur ne ad compenſationem?* 111.
Quæſt.V. *Quas expenſas detrahere poſſeſſor ſive bonæ, ſive malæ fidei debet in alienæ rei reſtitutione?* ibid.
Quæſt.VI. *Qui rem furtivam emit fide bona, valet ne eam reddere furi pretium repetendo, an reſtituere debet domino ſine pretio?* 112.
Quæſt.VII. *Qui mala fide rem alienam emit a latrone, valet ne latroni redde-re*

Digitized by Google

re, & non domino, ut pretium ſuum repetat? 114.
Quæſt. VIII. *Qui bona fide rem emptam a latrone vendit alteri, tenetur ne domino pretium reddere, an emptori?* 115.
Quæſt. IX. *Qui monetam falſam accipit, & alteri eam expendendo in contractu tradit, ad quid tenetur?* 117.
Quæſt. X. *Qui rem alienam maiori pretio vendit, tenetur ne incrementum iſtud domino reddere?* ibid.
Quæſt. XI. *Si vendis rem tuam furi, a quo in pretium bona fide pecunias furtivas accipias, teneris ne ad reſtitutionem?* ibid.

CAPUT VIII.

Quomodo ad reſtitutionem aſtringatur is qui alium impedit ne aliquod bonum aſſequatur. 118.
Quæſt. I. *Qui efficax impedimentum adiicit, ne quis aſſequatur beneficium ad quod ius babet ſive in re, ſive ad rem, obnoxius ne reſtitutioni eſt?* ibid.
Quæſt. II. *Ad quid tenetur qui impleri promiſſionem factam impedit?* 126.
Quæſt. III. *Qui abſque fraude, dolove alicui perſuadet ne bonum indebitum Petro conferat, animo pravo nocendi, aſtringitur ne reſtitutioni?* 121.
Quæſt. IV. *Qui abſque vi, fraude, dolo, ſed ſolis precibus impedit ne bona communia deſtinata in ſingulorum ſubditorum commodum, illis applicentur, quid reſtituere debet?* 122.
Quæſt. V. *An quid tenetur qui impedit collatorem ne beneficium eccleſiaſticum digniori conferat?* ibid.
Quæſt. VI. *Cuinam facienda eſt reſtitutio ob læſionem iuſtitiæ in bonorum communium diſtributione?* 126.

CAPUT IX.

De cauſſis cooperantibus ad damnum alterius. ibid.

§. I.

Nonnullæ quæſtiunculæ reſolvuntur. 128.
Quæſt. I. *Qui non paratum ad inferendum damnum movet ut illud inferat, tenetur ne ad reſtitutionem, ſi alius reipſa induxiſſet executorem ad tale malum irrogandum?* ibid.
Quæſt. II. *Qui alium paratum ad malum committendum movet ut celerius illud exequatur, ad quid tenetur?* ibid.
Quæſt. III. *Quando dubium occurrit, num aliqua ex recenſitis cooperationibus, in duobus verſibus contentis, cauſſa efficax damni fueris, teneris ne ad reſtitutionem?* 129.
Quæſt. IV. *Qui ſuo exemplo pravo cauſſa eſt ut alii malum perpetrent, tenetur ne ad reſtitutionem?* 131.

§. II.

De iuſſione, conſilio, conſenſu, quibus iniuſtæ damnificationi quis cooperatur. 132.

§. III.

De iis qui negative cooperantur, nempe mutus, non obſtans, non manifeſtans. 140.

§. IV.

Quem ſervare ordinem debeant cooperantes actioni iniuſtæ. 142.

§. V.

Quomodo omnes recenſitæ cauſſæ reſtituere in ſolidum teneantur. 143.

CAPUT X.

De obligatione ex turpi promiſſo, vel ſtipulatione orta. 146.

CAPUT XI.

Paucis exponitur ſententia noſtra : & quid de quæſtus meretricii reſtitutione decernendum ſit, exponitur. Opiniones laxæ P. Leſſii, *& aliorum refelluntur.* 153.

Quæſt. I. *Scorta ſive publica, ſive occulta tenentur ne reſtituere pretium receptum ob turpem concubitum a Religioſo?* 157.

Quæſt. II. *Cuinam reſtituere uxor turpem quæſtum adulterio comparatum debet?* ibid.

Quæſt. III. *Si vir feminæ donet, ut extorqueat conſenſum flagitioſum, poteſt ne donum femina retinere, uſu corporis non conceſſo?* 158.

Quæſt. IV. *Implenda ne eſt prodiga promiſſio feminæ facta ob eiuſdem corporis uſum?* ibid.

CAPUT XII.

Plures quæſtiunculæ de reſtituendis rebus acceptis aut ex donatione illicita, aut pro omiſſione actionum quæ fieri iure debent. 159.

Quæſt. I. *Recipiens aliquid ex donatione illicita, reprobata per legem poſitivam, tenetur ne illud reſtituere?* ibid.

Quæſt. II. *Qui accipiunt, ut actionem bonam quam exercere tenentur, peragant, & ut abſtineant a malo quod omittere debent, tenentur ne accepta reſtituere?* 161.

Quæſt. III. *Quando iuſtitia pro utraque parte dubia, ſeu probabilis eſt, tenetur ne iudex reſtituere munus acceptum ut pro hac potius quam pro alia parte ſententiam ferat?* 162.

Quæſt. IV. *Iudices, & alii miniſtri qui pretium accipiunt non ab eo cui ex iuſtitia actus debetur, ſed ab extraneo, tenentur ne ad reſtituendum acceptum?* 163.

Quæſt. V. *Qui pretium accipiunt ut id præſtent quod ex caritate agere debent, ſunt ne reſtitutioni obnoxii?* 164.

Quæſt. VI. *Quando id quod reſtituitur, in manus creditoris non pervenit, aſtringitur ne debitor denuo reſtituere?* ibid.

Quæſt. VII. *Quo in loco, & quibus expenſis fieri reſtitutio debeat?* 165.

CAPUT XIII.

De illis quibus fieri reſtitutio debet. 167.

Quæſt. I. *Cuinam reſtitui res debet accepta a poſſeſſore bonæ fidei?* ibid.

Quæſt. II. *Si reſtitutio pernicioſa ſit domino, facienda ne eidem eſt?* 168.

Quæſt. III. *Fieri ne reſtitutio debet bonorum, quando prævidetur dominus iis ad peccandum abuſurus?* ibid.

Quæſt. IV. *Cuinam facienda eſt reſtitutio, quando dominus eſt ignotus?* ibid.

Quæſt. V. *Quibus pauperibus diſtribuenda ſint bona incerti domini?* 170.

Quæſt. VI. *Utrum ſolutio facta non creditori tuo, ſed alteri, cui tantumdem creditor tuus debet, ſit valida?* 171.

CAPUT XIV.

Quis ordo ſervandus in ſolvendis debitis creditoribus, ſeu quinam horum præferri aliis debeant. 172.

Quæſt. I. *Debita certa, in propria ſpecie non extantia, præferenda ne ſunt debitis incertis?* 173.

Quæſt. II. *An creditoribus privilegiatis præferri debeat venditor rei, dum res in ſpecie extat apud debitorem?* 174.

Quæſt. III. *Qualis ordo ſervandus eſt inter debita aut ex contractu oneroſo, & gratuito, aut ex contractu, & ex delicto?* 175.

Quæſt.

Quæſt. IV. *Quomodo creditores hypothecarii præferendi aliis ſint?* 176.
Quæſt. V. *Quænam prælatio ſit inter creditores privilegiatos ſimplices, ſeu perſonales?* 177.
Quæſt. VI. *Qualis ordo ſervandus inter creditores ſimplices non privilegiatos?* 178.
Quæſt. VII. *Inter eiuſmodi debitores perſonales præferendus ne pauper eſt?* ibid.
Quæſt. VIII. *Poteſt ne debitor uni ex creditoribus ſolvere integrum debitum, ſi impotens hinc evadat ſolvendo cetera debita?* 179.
Quæſt. IX. *Poteſt ne debitor admonere amicum creditorem, ut prior petat, eique integrum debitum ſolvere cum aliorum detrimento?* 180.

CAPUT XV.

Quænam ſint cauſſæ ob quas omitti, aut differri reſtitutio licite poſſit. 181.
Quæſt. I. *Aſtringitur ne debitor bona inferioris ordinis reſtituere cum detrimento bonorum ordinis ſuperioris?* 185.
Quæſt. II. *Quæ præſtare debet qui ære alieno gravatus ingreditur Religionem?* 186.
Quæſt. III. *Longo ne tempore, iure naturæ ſpectato, debet quis remanere in ſæculo, quando ſpes adſit ſolvendi debita?* 187.
Quæſt. IV. *Quid ordinarunt Sixtus V. & Clemens VIII. circa debita ingredientium Religionem?* 189.

CAPUT XVI.

De compenſatione occulta. Probabiliſmi peregrina inventa recenſentur. ibid.
Quæſt. I. *Petrus, cui denegatur legatum ei relictum ex teſtamento minus ſolemni, poteſt ne occulta compenſatione tantumdem ſurripere heredi ab inteſtato?* 190.
Quæſt. II. *Ad licitam compenſationem ſat ne eſt debitum eſſe tantum probabile?* 191.
Quæſt. III. *Peccat ne mortaliter qui occulte utitur compenſatione, quando abſque gravi detrimento repetere in iudicio rem ſuam poſſit?* 194.
Quæſt. IV. *Utrum quis cum opinione probabili, quod res ſibi debeatur, poſſit uti compenſatione occulta?* ibid.
Quæſt. V. *Poteſt ne quis in compenſationem accipere rem quam debitor dono mittit ad alium?* 197.
Quæſt. VI. *Potes ne accipere in compenſationem pecuniam quam Petrus mittit Paulo in ſolutionem debiti?* ibid.
Quæſt. VII. *An qui ſe obligavit ad debiti ſolutionem ſub iuramento, poſſit uti compenſatione non ſolvendo debitum?* ibid.
Quæſt. VIII. *Utrum valeas uti compenſatione præſenti pro debito futuro?* 198.
Quæſt. IX. *An qui per occultam compenſationem ſibi compenſat, poſſit iurare ſe nihil accepiſſe?* 199.
Quæſt. X. *Qua via famuli compenſatione uti poſſunt poſt damnatam propoſitionem?* ibid.
Quæſt. XI. *An famuli queant uti compenſatione, ſi plus laboris impendant quam conventum cum dominis ſit?* 200.
Quæſt. XII. *Officiales qui minoris iuſto opera ſua locant, poſſunt ne compenſatione uti?* ibid.
Quæſt. XIII. *Miniſtri, famuli, officiales, exiguo ſtipendio contenti, ut dominorum gratiam obtineant ad conſequenda beneficia, uti ne compenſatione valent, ſi domini negligant iiſdem patrocinari?* 201.
Quæſt. XIV. *An in debitis ex iuſtitia dari poſſit compenſatio cum bonis, vel obſequiis gratuitis?* ibid.
Quæſt. XV. *An compenſatio ſit valida in foro conſcientiæ, etiamſi adſint creditores anteriores?* 202.
Quæſt. XVI. *An compenſatio occulta locum habeat in celebratione Miſſarum?* 203.

Digitized by Google

Quæſt. XVII. *An famulus Principis, cui, ultra ſtipendium, dabatur hordeum pro uno equo, valeat hordeum accipere, dum equum non habet?* ibid.
Quæſt. XVIII. *An ſartores magiſtri valeant retinere fragmenta veſtium in compenſationem maioris ſtipendii ſibi debiti?* ibid.
Quæſt. XIX. *Famuli ſartores poſſunt ne furari ſuis magiſtris ſartoribus partem fragmentorum in compenſationem exiguæ mercedis?* 204.
Quæſt. XX. *An non ſolum in pecuniis, ſed etiam in famæ reſtitutione compenſatio licita ſit?* 205.
Quæſt. XXI. *Utrum compenſari infamia poſſit occulta pecuniarum retentione, vel ſurreptione?* 206.

DISSERTATIO III.

De reſtitutione in particulari.

CAPUT I.

De reſtitutione propter homicidium, vel mutilationem. 208.
Quæſt. I. *Occiſor, vel mutilator tenetur ne compenſare iniuriam perſonalem bonis fortunæ?* ibid.
Quæſt. II. *Quæ damna compenſare interfector debet?* 211.
Quæſt. III. *Quid reſtituere provocatus ad pugnam debet, ſi mors provocantis ſequatur?* 212.
Quæſt. IV. *An ex homicidio caſuali oriatur debitum reſtitutionis?* 213.
Quæſt. V. *Quibus facienda ſit compenſatio damnorum quæ homicidium conſequuntur?* ibid.
Quæſt. VI. *Homicida tenetur ne debita ſolvere creditoribus occiſi?* 214.
Quæſt. VII. *Si occiſus, antequam decedat, remittat occiſori damna, liber ne is evadit a reſtitutionis debito?* 215.

CAPUT II.

De reſtitutione ob flagitium perpetrati ſtupri, ſeu virginis defloratæ. ibid.
Quæſt. I. *Si vir ſolis precibus repetitis, munuſculis, promiſſis virginem pertrahat in conſenſum, ad quid tenetur?* 217.
Quæſt. II. *Qui ſub matrimonii promiſſione virginem violavit, ad quid tenetur?* ibid.
Quæſt. III. *Qui ligatus caſtitatis, aut ingrediendæ Religionis voto virginem violavit, data matrimonii ineundi promiſſione, ad quid tenetur?* 218.
Quæſt. IV. *Ad quid tenetur deflorator, ſi filius ex corrupta virgine naſcatur?* 219.

CAPUT III.

De reſtitutione ob adulterium. 220.
Quæſt. I. *Quando adulterium partus conſequitur, quid reſtituere adulter debet?* ibid.
Quæſt. II. *Quando adultera duos admittit eodem tempore, ſi ignoretur, cuiuſnam proles ſit, quiſnam iſtorum compenſationi obnoxius eſt?* 221.
Quæſt. III. *Adulter certo ſciens ex adulterio procreatam prolem eſſe ſuam, quid reddere tenetur filiis legitimis?* 222.
Quæſt. IV. *Quid præſtare tenetur adultera ob prolem ſuſceptam ex adulterio?* ibid.
Quæſt. V. *Debet ne adultera ſe prodere, ut filiorum damna evitet?* ibid.
Quæſt. VI. *Filius adhibere ne fidem debet matri teſtanti ipſum eſſe ſpurium?* 223.
Quæſt. VII. *An mulier cum vitæ, famæque periculo teneatur filium ſpurium manifeſtare, quando hac via certo evitaret filii legitimi damna?* ibid.

L l.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

DE CONTRACTIBUS UNIVERSE, ET PARTITE.

PRAELOQUIUM. 226.

DISSERTATIO I.

De contractibus univerſe.

CAPUT I.

Contractus finitio, eiuſque cauſſæ, atque proprietates. 228.

CAPUT II.

Contractuum partitiones variæ. 232.

CAPUT III.

Quomodo perficiantur contractus, & obligationem inducant. 238.

CAPUT IV.

De contractu ex gravi metu celebrato. 239.

CAPUT V.

Dolus, error, blanditiæ, adulatio, importunæ preces efficiunt ne contractus irritos? 241.

Quæſt. I. *An error, ſive dolus antecedens irritet contractum?* 243.

Quæſt. II. *Dolus, ſive error concomitans circa rei qualitatem efficit ne contractum inanem?* 245.

Quæſt. III. *Dolus circa qualitatem, ſi cauſſam dat contractui civili, nullum ne eumdem efficit?* ibid.

Quæſt. IV. *Dolus antecedens efficit ne nullos contractus tum bonæ fidei, tum ſtricti iuris?* 246.

Quæſt. V. *Num adulatio, blanditiæ, importunæque preces contractus irritent?* 248.

CAPUT VI.

De contractibus initis ſub cauſſa, modo, demonſtratione, conditione. 249.

Quæſt. I. *Quid ſignificat inire contractum ſub cauſſa?* ibid.

Quæſt. II. *Quid ſit modus contractui additus?* ibid.

Quæſt. III. *Quid ſit demonſtratio in contractu?* 250.

Quæſt. IV. *Quomodo circumſtantiæ iſtæ vitient contractum?* ibid.

Quæſt. V. *Quomodo interpretandus eſt contractus ad diem, & ſub disiunctione?* ibid.

Quæſt. VI. *Quomodo obliget contractus conditioni illigatus?* 251.

CAPUT VII.

De iis qui valide, & licite inire contractus valent: & de ſolemnitate iuris ad contractus neceſſaria. 252.

Quæſt. I. *An pupilli, & minores de aliquibus bonis, inconſultis tutoribus, & curatoribus, diſponere valeant?* 253.

Quæſt. II. *An pupilli, & minores, contrahentes abſque tutoris, & curatoris licen-*

centia, de iis de quibus cum eorumdem facultate contractus inire valent, maneant ſaltem naturaliter obligati? 254.
Quæſt. III. *Quæ iuris ſolemnitas ad contractuum valorem neceſſaria eſt?* 256.
Quæſt. IV. *Contractus qui abſque iuris ſolemnitate ſubſtantiali celebratus, nullus eſt, valet ne in foro conſcientiæ?* ibid.

C A P U T VIII.

Quomodo iuramentum confirmet contractus iure naturæ, vel poſitivo irritos. 259.
Quæſt. I. *An iuramentum vel dolo, vel metu extortum, quamvis contractum cui adiicitur, non confirmet, validum ſit, & ſervandum?* 260.
Quæſt. II. *Utrum iuramentum contractum nullum efficiat validum?* 261.

C A P U T IX.

De reſtitutione in integrum, & de iis quibus hoc beneficium competat. 262.
Quæſt. I. *Quibus in caſibus petere minor poſſit beneficium reſtitutionis in integrum?* ibid.
Quæſt. II. *Quibus in caſibus carent minores privilegio reſtitutionis in integrum?* 263.
Quæſt. III. *Reſtitutio in integrum comprehendit ne fructus perceptos ex merce vendita, aut donata?* ibid.
Quæſt. IV. *Minor cui ſolutio illegitime facta eſt, uti ne tuta conſcientia poteſt privilegio reſtitutionis in integrum?* 264.
Quæſt. V. *Sunt ne alii quibus præter minores conceſſum privilegium ſit reſtitutionis in integrum?* ibid.

D I S S E R T A T I O II.

De emptione, & venditione.

PRAELOQUIUM. 265.

C A P U T I.

Notiones contractus venditionis, & emptionis. Quomodo vi huius contractus rerum dominium transferatur. 266.
Quæſt. I. *In contractu venditionis, & emptionis transfertur ne ante rei traditionem dominium?* 267.
Quæſt. II. *Merx vendita duobus emptoribus, cuinam tradenda eſt?* ibid.
Quæſt. III. *Res vendita, ſed nondum tradita, cuinam perit?* ibid.
Quæſt. IV. *Ad quem pertineant fructus rei venditæ, antequam pretium ſolvatur?* 268.
Quæſt. V. *Poſſunt ne contrahentes pactum inire, ut emptor fructus rei, aut eorumdem pretium reddat venditori, donec pretium ſolverit?* 269.
Quæſt. VI. *Cuiuſnam ſunt fructus medio tempore percepti, quando venditionis contractus diſſolvi contingit?* ibid.

C A P U T II.

De iis qui emere, & vendere iure valent: & quæ ſint res venales. An PROBABILISMUS ſit materia venditionis, & emptionis. 271.
Quæſt. I. *An quis cogi ad rei ſuæ venditionem poſſit?* ibid.
Quæſt. II. *Quæ vendi, & emi licite valent?* ibid.
Quæſt. III. *Quæ pecuniis alienis emuntur, fiunt ne emptoris, aut pecuniarum domini?* 272.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. IV. *Valida ne ſit rei alienæ venditio?* ibid.
Quæſt. V. *Utrum licita ſit venditio earum rerum quæ adhibentur in pravos uſus?* ibid.
Quæſt. VI. *Quæ pœna lata eſt in eos qui conficiunt, aut evulgant libellos famoſos?* ibid.
Quæſt. VII. *Peccant ne qui venena, fucos muliebres, chartas aleatorias, idola, & cetera id genus divendunt?* 273.
Quæſt. VIII. *Utrum* PROBABILISMUS *ſit materia venditionis?* 275.

CAPUT III.

De negotiatione, & de iis quibus ea vetita, vel quibus permiſſa eſt. Plures quæſtiunculæ de Religioſo negotiatore a Caſuiſtis excitatæ. 276.
Quæſt. I. *Sit ne Clericis, & Religioſis vetita negotiatio?* 279.
Quæſt. II. *Peccant ne mortaliter Clerici, vel Monachi qui ſemel & iterum negotiantur?* 280.
Quæſt. III. *Licitum ne Clericis, aut Religioſis eſt negotiationem exercere neceſſitate urgente?* ibid.
Quæſt. IV. *An Clerici, vel Monachi negotiari, ſin per ſe, ſaltem per alios poſſint?* 281.
Quæſt. V. *Utrum omnis negotiatio, etiam non rigoroſa, vetita Clericis, & Monachis ſit?* 282.
Quæſt. VI. *Quot modis negotiatio fiat illicita etiam laicis?* 283.
Quæſt. VII. *Qui mercaturæ artem exercent, licite ne vendere carius merces valent quam ii qui negotiationem non exercent?* 284.
Quæſt. VIII. *Licita ne ſit mercatura qua frumentum emitur, dum minus valet, ut carius poſtea vendatur?* ibid.

CAPUT IV.

De monopoliis licitis, & illicitis. ibid.
Quæſt. I. *Licitum ne venditoribus eſt conſpirationem inire non vendendi merces niſi pretio ſummo?* 286.
Quæſt. II. *Conſtituto ſemel monopolio a mercatoribus vendendi merces pretio ſummo iniuſto, alii, qui monopolii iſtius participes non fuerunt, peccarent ne contra iuſtitiam, ſi præfato pretio nunc currente ſuas venderent merces?* ibid.

CAPUT V.

De venditione, & emptione cum pacto retrovendendi, & retroemendi, & de contractu mohatra. 289.
Quæſt. I. *Licitus ne eſt retractus gentilitius?* 290.
Quæſt. II. *Licitus ne eſt contractus mohatra?* ibid.
Quæſt. III. *Qui merces vendendas a domino ſuſcipiunt, aliquid ne ſibi retinere valent, ſi pluris vendant quam fuit a domino præſcriptum?* 293.

CAPUT VI.

De iuſto rerum pretio, & de peccatis, ac fraudibus quæ in eiuſdem exceſſu committi ſolent. 294.
Quæſt. I. *Qui rerum pretia augent, vel diminuunt, ſunt ne reſtitutioni aſtricti?* 295.
Quæſt. II. *An qui fraude, mendaciiſve inducit aliquem ad emendum maiori pretio quam emiſſet, licet intra latitudinem iuſti pretii, peccet, & teneatur ad reſtitutionem?* 296.
Quæſt. III. *Sunt ne cauſſæ aliquæ ob quas licitum ſit aut pluris vendere, aut minoris emere quam merx abſolute valeat?* 297.
Quæſt. IV. *An liceat pluris vendere mercem, quia emptori eſt valde utilis, grata, vel neceſſaria?* 298.

Digitized by Google

Quæſt. V. *Picturæ, & ſtatuæ ſingularis artificii, gemmæ pretioſæ, aves raræ, & aliæ ſimiles merces, quæ ad victum, commerciumque humanum haud ſunt neceſſariæ, quæque pretium definitum non habent, vendi ne, aut emi quocumque arbitrario pretio poſſunt?* ibid.

Quæſt. VI. *Quæ in ſubhaſtatione exponuntur venalia, emi ne, aut vendi poſſunt quocumque pretio, ſive vili, ſive ſummo?* 299.

Quæſt. VII. *Unde deſumatur pretium vulgare, ſeu naturale; & quænam ſint illius augendi cauſſæ?* 300.

Quæſt. VIII. *Quænam ſint circumſtantiæ, in quibus rerum pretia decreſcant?* 301.

Quæſt. IX. *Poſſunt ne mercatores pretio currente merces vendere, dum ſciunt brevi mercium copiam ſuperventuram, atque adeo earum pretium diminuendum?* 302.

Quæſt. X. *An is qui lege Principis monetam interdictum iri, aut minuendam eius æſtimationem præſcit, queat ante promulgationem ſuam diſtrahere pecuniam?* 303.

Quæſt. XI. *Quæ notanda, & ſervanda ſint circa pretium publica poteſtate definitum?* 304.

Quæſt. XII. *Qui vendit triticum pretio taxato, poteſt ne emptori onus imponere ut vendat eidem hordeum, vinum, aliamque mercem eodem pretio?* 306.

Quæſt. XIII. *Venditor cogere ne emptorem poteſt ut taxatum pretium ſolvat tali pecunia aurea, argentea &c.?* ibid.

Quæſt. XIV. *Licitum ne eſt vendere ultra pretium taxatum merces exquiſitioris bonitatis?* ibid.

Quæſt. XV. *An exquiſitioribus mercibus immiſceri viliores poſſint, & taxato pretio vendi?* 307.

CAPUT VII.

De pretii augmento ob dilatam, vel anticipatam ſolutionem rei venditæ. 308.

Quæſt. I. *Mercator poteſt ne mercem carius vendere ob dilatam pretii ſolutionem?* ibid.

Quæſt. II. *Licitus ne contractus eſt quo in Hiſpania, & alibi certæ merces communiter credito venduntur maiori pretio quam vendi pecunia numerata ſoleant?* 310.

Quæſt. III. *Licita ne emptio eſt mercium anticipata ſolutione viliori pretio quam valeant tempore traditionis?* 312.

Quæſt. IV. *Licitum ne eſt emere credita, ſeu chirographa minori pretio quam valeant, ob anticipatam ſolutionem?* 314.

CAPUT VIII.

De obligatione & venditoris patefaciendi defectus mercium, & emptoris manifeſtandi earumdem bonitatem. 318.

DISSERTATIO III.

De mutuo, & uſura.

PRAELOQUIUM. 326.

CAPUT I.

Mutui finitio, eiuſque proprietates. 327.

CAPUT II.

Vera uſuræ notio tum ex Theologis, tum ex Scriptura, & Patrum traditione adverſus vulgi, & hæreticorum commenta. Diverſa uſuræ acceptio. 330.

CA-

CAPUT III.

Omnis uſura, parva, & magna, & a quocumque accepta, ſive a paupere, ſive a divite, divino iure vetita eſt. 334.

CAPUT IV.

Traditione Sanctorum Patrum, Conciliorum, & omnium Theologorum eadem veritas confirmatur. 338.

CAPUT V.

Uſuræ iniuſtitia iure naturali demonſtratur. 344.

CAPUT VI.

Lutherani Scriptores moderni, uſuræ moderatæ defenſores, Lutheri, Buceri, Brentii, Melanchthonis, & Chemnitii auctoritate redarguuntur, tamquam hæreticæ doctrinæ propugnatores. 356.

CAPUT VII.

Detur ne materiæ parvitas in uſuræ peccato. 367.
Quæſt. unic. *Datur ne materiæ parvitas in uſuræ peccato?* 368.

CAPUT VIII.

Sit ne pecunia numerata præſens æſtimabilior abſente, & titulus accipiendi aliquid ultra ſortem. 369.

CAPUT IX.

Licitum ne eſt aliquid ſupra ſortem accipere ob moleſtiam ortam ex privatione pecuniæ mutuo traditæ? Feſtiva opinio Caramuelis. 371.

CAPUT X.

De poteſtate pecuniæ ad lucrandum. Licitum ne eſt ex mutuo aliquid exigere ob poteſtatem pecuniæ ad lucrandum? 374.

CAPUT XI.

Licitum ne eſt in mutuo aliquid ultra ſortem exigere ratione vel periculi amittendæ fortis, vel expenſarum quæ faciendæ timentur in ſorte recuperanda? Singularis doctrina Cardinalis de Lugo, & Tamburini. 375.

§. I.

Periculi notio, & diverſitas. Omni mutuo inſitum periculum illud eſt vi cuius iuniores purgare ab uſura lucrum perceptum a mutuatario contendunt. 376.

§. II.

Confirmatur noſtra ſententia ex cap. Naviganti. 382.

§. III.

Cardinalis de Lugo, & Tamburini rationes peculiares reiiciuntur. 385.

§. IV.

Ob nullum periculum facti, ſive probabile, ſive ordinarium, ſive extraordinarium, licitum eſt ex mutuo lucrari. Patrum, & Evangelii teſtimoniis id evincitur. Ethnicorum de hac controverſia doctrina. 388.

§. V.

Theologorum auctoritate noſtra ſententia confirmatur. Adverſariorum opinio pluribus abſurdis obnoxia eſt, & conſcientias torquet. 391.

§. VI.

Diluuntur obiecta. 394.

CAPUT XII.

Liceat ne aliquid exigere ſupra ſortem ratione laboris in numeranda, vel aſportanda pecunia, menſurando tritico &c. 399.

CAPUT XIII.

An pro voluntate mutuandi, vel obligandi ſe ad mutuandum, vel mutuum non repetendi infra præfinitum tempus, liceat quid exigere ſupra ſortem. 400.

CAPUT XIV.

De damno emergente, eiuſque conditionibus. 405.

§. I.

Conditiones requiſitæ ad verum damni emergentis titulum. 406.

§. II.

Licitum ne eſt pactum inire de certa quantitate ſolvenda initio contractus pro futuro damno emergente? 407.

Quæſt. I. *Licitum ne eſt paciſci de acceſſione certa, & determinata ſolvenda ſupra ſortem pro damno vero & reali, puta quinque in 100. quodcumque tandem erit damnum, ſive maius, ſive minus?* ibid.

Quæſt. II. *Periculum damni emerſuri eſt ne verus titulus vi cuius poſſit fieri conventio aliquid ſupra ſortem ſolvendi?* 408.

§. III.

De damno emergente ob moram mutuatarii, & de pœna conventionali. 411.

Quæſt. I. *An licitum ſit pactum pœnæ conventionalis, adiectum initio contractus, ut debitor aliquid ſupra ſortem ſolvat, ſi tempore præſtituto ſortem non reddat, quin interveniat damnum emergens, aut lucrum ceſſans?* 412.

Quæſt. II. *Licitum ne eſt pactum pœnæ conventionalis initio contractus initum, propterea quod mutuatoris id intereſt?* 414.

§. IV.

Enucleantur conditiones quas pro licito pacto pœnæ conventionalis Theologi aſſignant, ſecluſis titulis damni emergentis, & lucri ceſſantis. Laxa opinio Emanuelis Sa, & Thomæ Tamburini *reiicitur.* 415.

CAPUT XV.

De lucro ceſſante, eiuſque conditionibus neceſſariis, ut ſit iuſtus titulus aliquid percipiendi præter ſortem. 420.

§. I.

Quid ſentiat S. Thomas *de lucro ceſſante ratione mutui ſpontanei, exponitur.* 422.

§. II.

Mutuator qui mutuam pecuniam ſponte offert, fenerator eſt, ſi paciſcitur de lucro ceſſante. Laxa Martini Bonacinæ *opinio refellitur.* 424.

§. III.

Mutuator paratus ad mutuum tradendum cuique petenti, nequit aliquid præter ſortem recipere ratione lucri ceſſantis. 425.

Quæſt. unic. *Quid dicendum de opinione* Leſſii. Molinæ, Lugo, *& aliorum, qui mutuatori ultroneo concedunt lucri ceſſantis exactionem?* 428.

§. IV.

§. IV.

Proponuntur rationes quas adducunt Auctores propugnantes mutuatorem precibus rogatum poſſe recipere compenſationem lucri intercepti, ſeu ceſſantis. 429.

§. V.

Duæ rationes potiſſimæ, quæ titulum lucri ceſſantis honeſtare interdum valent. 431.

§. VI.

Conditiones neceſſariæ ad iuſtum lucri ceſſantis titulum. 434.

§. VII.

Primæ conditionis, quod lucrum debeat eſſe verum & reale, examen. Licet debitor ſit moroſus, exigi lucrum nequit, ſi reipſa non ceſſat. 435.

§. VIII.

Senſus ſecundæ conditionis, quæ vult pecuniam expoſitam eſſe negotiationi. Laxæ opiniones Leonardi Leſſii, Bonacinæ, Tamburini, Laymani, Sporer, *& aliorum refelluntur.* 436.

Quæſt. I. *Ad verum lucri ceſſantis titulum ſat ne eſt quod quis in locis negotiosis, ſeu in emporiis pecunias habeat ad lucrandum?* 437.

Quæſt. II. *Ad verum titulum lucri ceſſantis ſatis ne eſt quod quis pecuniam deſtinatam habeat negotiationi, ſi occaſiones emendi occurrerint?* ibid.

Quæſt. III. *Quid dicendum de opinione P. Tamburini, aſſerentis Mercatorem poſſe aliquid exigere titulo lucri ceſſantis, etiamſi is dubitet num pecuniam ſit applicaturus negotioni?* 438.

Quæſt. IV. *Quid de opinione Bonacinæ, aſſerentis ob ſolam probabilitatem, quod pecunia ſit negotio deſtinanda, poſſe aliquid exigi?* ibid.

Quæſt. V. *Probabilis ne eſt opinio PP. Leſſii, Laymani, Tamburini, aſſerentium, ad lucrum ceſſans ſat eſſe, ſi mutuator dicat: Vellem negotiari, niſi multi peterent mutuum?* 439.

§. IX.

Tertia conditio, quod mutuator non habeat aliam pecuniam otioſam, expenditur. Laxæ opiniones plurium iuniorum refutantur. 441.

Quæſt. I. *Probabilis ne eſt opinio Tamburini concedentis titulum lucri ceſſantis mutuatori habenti pecuniam ſuperfluam?* 442.

Quæſt. II. *Quid de opinione Lugo, qui diſtinguit lucrum in genere cauſſæ finalis, & efficientis?* ibid.

§. X.

Examen quartæ, & quintæ conditionis, nempe quod debitor moneatur de lucro ceſſante; & quod initio contractus exigi nequeat. Opiniones Leſſii, Azorii, Lugo, Tamburini, Caramuelis, Salas, Baunii, & aliorum laxæ. 444.

Quæſt. I. *Licita ne eſt exactio lucri ceſſantis initio traditi mutui?* 445.

Quæſt. II. *Probabilis ne eſt opinio Azorii, aſſerentis licitam eſſe initio contractus lucri ceſſantis compenſationem, dummodo non pecunia, ſed diverſa merce fiat ſolutio?* ibid.

Quæſt. III. *Iuſta ne ſunt artificia ad honeſtandum lucrum ceſſans, ſolutum initio contractus mutui, quæ invenerunt P. Leonardus Leſſius, Caramuel, & Tamburinus?* 447.

Quæſt. IV. *Quid dicendum de iudicio P. Dianæ ſuper his artificiis Azorii, Leſſii, Salas, & Tamburini?* 449.

Quæſt. V. *Quid dicendum de opinione P. Baunii, qui abſque ullo artificio vult ſtatim lucrum ſolvi occaſione mutui?* 450.

Digitized by Google

§. XI.

Ceteræ conditiones neceſſariæ ad iuſtum titulum lucri ceſſantis. ibid.
Quæſt. I. *Ut mutuator queat licite lucrum ceſſans exigere; debebit ne lucrum velle potius ex negotiatione quam ex mutuo?* ibid.
Quæſt. II. *Quid de lucro quod ex negotiatione ceſſat, detrahi debet, ut iuſtus titulus ſit in mutuo?* 451.
Quæſt. III. *Quid de duabus ultimis conditionibus dicendum?* 452.

§. Ultimus.

Pauca lectori conſideranda proponuntur. Auctoris conſilium. ibid.

CAPUT XVI.

De peccato feneratoris mentalis, ſeu quænam ſpes lucri conſtituat uſuræ peccatum. Caietani, Serræ, Pradi, Molinæ, Tamburini, & aliorum opiniones periculi plenæ. 459.
Quæſt. I. *Licet ne intendere, & ſperare aliquid ex mutuo?* 460.
Quæſt. II. *Licet ne lucrum ſperare ex mutuo tamquam ex gratitudine debitum?* ibid.

CAPUT XVII.

Falſa, & laxa eſt opinio Emanuelis Sa, Lugo, Tamburini, Tanneri, Sporer, La-Croix, Dianæ, & aliorum, qui docent, eum qui bona fide celebravit contractum uſurarium, qui poterat celebrare contractum iuſtum, poſſe, quod acquiſivit, retinere, etiam cognito poſtea uſuræ crimine. 463.

CAPUT XVIII.

Cuinam debeantur fructus pignoris traditi mutuatori in aſſecurationem ſortis. Quid de uſuris pupillaribus, & dotalibus? 466.
Quæſt. I. *Licitum ne eſt pactum legis commiſſoriæ in pignorum traditione?* ibid.
Quæſt. II. *Quid de uſuris pupillaribus, & dotalibus dicendum?* ibid.

CAPUT XIX.

Reſolvuntur plures quæſtiunculæ de pactis quæ mutuo adiici ſolent. Laxæ opiniones Tamburini, Laymani, Sporer, & aliorum refelluntur. 468.
Quæſt. I. *An in pactum deduci poſſint amicitiæ, iniuriarum condonationes, & quæ ſunt debita vel ex caritate, vel ex religione, vel ex iuſtitia?* ibid.
Quæſt. II. *Feneretor ne eſt qui mutuum dat, ut beneficium, vel officium, vel munus a lingua, ab obſequio, a manu aſſequatur?* 469.
Quæſt. III. *Qui mutuum dat cum pacto ut ad eius molendinum, officinam &c. mutuatarius accedat, fenerator ne eſt?* 470.
Quæſt. IV. *Uſura ne committitur, quando duo mutua officia inter ſe exercent?* ibid.
Quæſt. V. *Licet ne mutuum dare cum pacto ut alter impoſterum remutuet?* ibid.
Quæſt. VI. *Fenerator ne eſt mutuator qui obligat mutuatarium ad reddendum eamdem tritici, vini, olei &c. menſuram, ſi pretium auctum ſit?* 471.
Quæſt. VII. *In reſtitutione pecuniæ mutuatitiæ valor ne, an ſpecies conſideranda?* 472.
Quæſt. VIII. *Quid dicendum de mulierculis, quibus quinque in centum concedere videtur P. Tamburinus?* 473.
Quæſt. IX. *Quid de mutuo locorum piorum?* 475.
Quæſt. X. *Probabilis ne opinio eſt Tamburini, qui non committi uſuram docet, dum mutuatarius in fideiuſſorem eligit mutuatorem?* ibid.
Quæſt. XI. *Probabilis ne eſt opinio quam defendit Lugo, inquiens, fideiuſſionem fictam purgare lucrum ab uſura?* 476.
Quæſt. XII. *Probabilis ne eſt opinio Laymán, & Sporer, qui mutuatori accipienti pignus a mutuatario ſimul lucrum concedunt?* 477.

Digitized by Google

CAPUT XX.

De montibus pietatis. 480.
Quæſt. I. *An qui pauperes revera non ſunt, neque ob paupertatem levandam mutuam pecuniam a ſacro monte accipiunt, peccent, & ad reſtitutionem teneantur?* 482.
Quæſt. II. *Probabilis ne eſt opinio Paſqualigi, aſſerentis eos qui collocant pecuniam in his montibus, poſſe recipere acceſſionem, dempto titulo?* ibid.

CAPUT XXI.

De contractu trino, familiari, & frequenti uſuræ pallio. 486.

§. I.

Contractus trini deſcriptio, & conditiones, eius origo, & progreſſus. ibid.

§. II.

Auctoritate tum iuris civilis, tum Romanæ Sedis, tum Epiſcoporum, commentum triplicis contractus exploditur ut manifeſtum uſuræ pallium. 489.

§. III.

BENEDICTUS XIV. feliciter regnans declaravit, contractum trinum damnatum eſſe a Sixto V. Inaudita paradoxa Leſſii, Gibalini, & aliorum. 492.

§. IV.

Luculenta rationum momenta, quæ evincunt contractum trinum eſſe merum figmentum caſuiſticum, ſpectatis dumtaxat contractuum naturis mutuo pugnantibus. 497.

§. V.

Duo contractus aſſecurationis, & venditionis lucri incerti maioris pro minori certo; adiecti contractui ſocietatis, figmenta ſunt. 500.

§. VI.

Iniuſtitia triplicis contractus evidenter demonſtratur. 502.

§. VII.

Contractus trinus larvata uſura pollutus. Dominici Soto *argumentatio luculenta. Reſponſa* Navarri, Leſſii, Gibalini *vana. Theologorum, & Canoniſtarum auctoritate confirmatur ſententia noſtra.* 504.

§. VIII.

Diluuntur adverſariorum ſophiſmata. Argumentationes P. Leſſii, & P. Viva expenduntur. 507.

CAPUT XXII.

Contractus trinus immigravit in chimæram contractus intentionalis. Nova contractuum implicitorum intentionalium lucrandi omni meliori modo inventio de mundo omnes uſuras tollit. Docent hanc opinionem VIRI PROBI, ET PII: *ergo probabilis. Sophiſma vanum eſt.* 512.

§. I.

Chimæra contractuum implicitorum, ſeu intentio lucrandi omni meliori modo quem excogitarunt aliqui Moraliſtæ, ſenſui communi repugnat. 514.

§. II.

Intentio pia virtualis lucrandi omni meliori modo iuxta piam mentem DD. error eſt perniccioſiſſimus, omnes de mundo uſuras auferens. 519.

§. III.

Alio ex capite profligatur ſophiſma iſtud feditioſum. Docent hanc opinionem VIRI PROBI, PII, ET DOCTI : *ergo probabilis : ergo non eſt proſcribenda*. 521.

§. IV.

Nonnullæ aliæ opiniones Molinæ, Lugo, Gibalini, & La-Croix exploduntur. 524.

§. V.

De duplici ſocietatis contractu, & ſocietate animalium. 528.

Quæſt. I. *Licitus ne contractus ſocietatis duplex, in quo aut capitale, aut lucrum aſſecuratur?* ibid.

Quæſt. II. *Quid de ſocietate animalium dicendum?* 531.

CAPUT XXIII.

Sint ne feneratores domini rerum quas fenore acquiſiverunt. Quinam præter feneratores ad reſtitutionem teneantur uſurarum? 533.

Quæſt. I. *Conſulentes feneratores, aut eiſdem pecunias præbentes, tenentur ne ad reſtitutionem?* 534.

Quæſt. II. *Qui deponunt pecunias apud feneratores, quos ſciunt eiſdem ad fenora abuſuros, peccant ne contra iuſtitiam?* ibid.

Quæſt. III. *Rectores, ſupremæ poteſtatis, iudices, advocati qui aliquo ſtatuto in cauſſa ſunt ut uſuræ ſolvantur, peccant ne contra iuſtitiam?* 535.

Quæſt. IV. *Miniſtri qui dominorum nomine uſuras percipiunt, tenentur ne ad reſtitutionem?* ibid.

Quæſt. V. *Potes ne accipere a feneratore in ſolutionem tui crediti quæ eidem ab alio tertio debentur vi uſurarum?* 536.

Quæſt. VI. *Peccant ne qui mutuum petunt ſub uſuris?* ibid.

Quæſt. VII. *An qui emit mercem a venditore avaro, iniuſto, & crudeli pretium magnopere iniuſtum exigente, ſit eiuſdem iniuſtitiæ particeps?* 537.

Quæſt. VIII. *Peccant ne qui petunt mutuum ad ludos, ad pompas ſuperfluas a feneratore parato?* 538.

Quæſt. IX. *Quænam ſunt pœnæ feneratoribus inflictæ?* 539.

CAPUT XXIV.

Aliquæ obſervationes pro negotiatione exercenda, & pecunia applicanda abſque fenore? ibid.

DISSERTATIO IV.

De cambiis, cenſibus, locatione, conductione, ludo, & ſponſione, promiſſione, & donatione, ceteriſque contractibus.

PRAELOQUIUM. 542.

CAPUT I.

De cambio, eiuſque diverſione, & conditionibus. 544.

Quæſt. I. *Quo titulo licitum eſt cambium manuale?* 545.

Quæſt. II. *Licitum ne eſt cuilibet privato cambium hoc minutum exercere?* 546.

Quæſt. III. *Quo titulo licitum eſt cambium locale cum lucro?* ibid.

Quæſt. IV. *Exigere ne pignus poteſt campſor, prius tradens pecunias campſario, alibi ſibi reſtituendas?* 548.
Quæſt. V. *Campſores valent ne monetarum pretium Principis auctoritate definitum variare?* ibid.

CAPUT II.

De cambio cum recambio, vulgo con la ricorſa. *Opinio Leſſii, Lugo, & Tamburini exploditur ut laxa.* 549.

CAPUT III.

Conſtitutio S. Pii V. Conditiones in eadem contentæ. Commenta quibus Leſſius, Lugo, Tamburinus, La-Croix, & alii eludunt hanc conſtitutionem, prætextu non acceptationis, refelluntur. 552.

CAPUT IV.

De cambio ad nundinas, ſeu ad terminum: & de cambio civico; quod in eadem civitate conſummatur. De iniquitate proxenetarum. 556.

CAPUT V.

De bancariis, recipientibus pecunias mercatorum in depoſito, & de quibuſdam pactis quæ cambiis adiici ſolent. 559.

CAPUT VI.

De nova cambii inventione valde mirifica. 561.

CAPUT VII.

Pauca pro tuta Cambiorum praxi. Conſilium Ioannis Dominici PERI mercatoris Caſuiſtis pluribus magnopere perpendendum. 563.

CAPUT VIII.

Quid ſit cenſus, & quotuplex? 565.

CAPUT IX.

Iuſtitiam cenſus realis probarunt Martinus V. Calixtus III. S. Pius V. Integra exhibetur S. Pii V. conſtitutio. 566.

CAPUT X.

De cenſu perſonali. 571.

§. I.

Teſtimonia Theologorum, qui ſcripſerunt ante conſtitutionem S. Pii V. de cenſu perſonali utrinque redimibili. P. Leonardi Leſſii dignum ponderatione interpretamentum. 572.

§. II.

Auctores præcipui qui poſt S. Pii V. conſtitutionem cenſum perſonalem utrinque redimibilem propugnant. 574.

§. III.

Rationes ſententiæ defendentis cenſum perſonalem abſolute, & etiam utrinque redimibilem. 576.

§. IV.

Iuniorum doctrina de cenſu perſonali, ſive redimibili, ſive irredimibili, eadem omnino videtur ac doctrina Calvini, Molinæi, Salmaſii, aliorumque qui propugnant uſuras moderatas licitas. 578.

§. V.

§. V.

S. Pius V. damnavit cenſum perſonalem. Commenta plurimorum adverſus conſtitutionem Pianam penitus labefactantur. 584.

CAPUT XI.

Conditiones quas pro cenſibus celebrandis præſcripſerunt ſummi Pontifices Martinus V. Calixtus III. & S. Pius V. 588.

CAPUT XII.

Animadverſiones in conditiones præſcriptas a S. Pii V. conſtitutione. 589.

CAPUT XIII.

Nonnullæ quæſtiunculæ de cenſibus reſolvuntur. 593.
Quæſt. I. *Iure naturæ ſpectato, licitum ne pactum eſt quo obſtringitur cenſuarius ut redimat cenſum ad arbitrium emptoris?* ibid.
Quæſt. II. *Obligari ne venditor iuſte poteſt ut redimat cenſum eadem moneta in ſpecie qua emptus eſt?* 594.
Quæſt. III. *Licitum ne pactum eſt quo obligetur venditor ut, ſi redimere cenſum velit, totum ſimul, & non per partes redimat?* ibid.
Quæſt. IV. *Pereunte fundo ſuppoſito cenſui, perit ne cenſus iure naturæ?* ibid.
Quæſt. V. *Licitus ne cenſus eſt cui ampliores fundi, parte non deſignata, ſubiiciuntur?* 595.
Quæſt. VI. *Licitus ne eſt cenſus vitalitius?* ibid.
Quæſt. VII. *Licitus ne eſt contractus vulgo dictus* A godere? 596.
Quæſt. VIII. *Quomodo diſtinguatur cenſus a livellis?* 597.

CAPUT XIV.

De ludo, & iocis. Quomodo tum in ſermone, tum in ſcriptura adhibendi ioci, & facetiæ ſint? ibid.

CAPUT XV.

Nonnullæ quæſtiunculæ de ludo lucroſo, alearum, & ſponſione: 601.
Quæſt. I. *Ludus propter lucrum principaliter intentum vitioſus ne eſt?* ibid.
Quæſt. II. *Qui principaliter ludunt propter lucrum, peccant ne ſaltem venialiter?* ibid.
Quæſt. III. *Quæ conditiones requiruntur ut ludus lucratorius ſit licitus?* 602.
Quæſt. IV. *Licitus ne eſt ludus aleatorius, ſeu fortunæ?* 603.
Quæſt. V. *Qui exponunt publicas menſas ad ludendum, & in propriam domum volentes ludere recipiunt, peccant ne mortaliter?* 607.
Quæſt. VI. *An peccent artifices taxillorum, & chartarum?* ibid.
Quæſt. VII. *Sponſiones, vulgo* ſcommeſſe, *licitæ ne ſunt?* 608.

§. Unicus.

P. Cæſaris Calini opiniones de ludis lucratoriis qui ex induſtria & fortuna pendent; refelluntur. 610.

CAPUT XVI.

De aſſecuratione. 619.

CAPUT XVII.

De fideiuſſione, pignore, hypotheca, & tranſactione. 621.

CAPUT XVIII.

De emphiteuſi, feudo, commodato, precario, & depoſito. 623.

CA-

CAPUT XIX.

De locatione, & conductione. 626.
Quæſt. I. *Peccant ne qui locant res illis quos prævident eiſdem abuſuros ad mala officia exercenda; puta, dum locant gladium, aut alia arma ad duellum, domos ad meretricandum, ad ludos alearum, ad uſuras perpetrandas?* 628.
Quæſt. II. *Utrum opinio quam P. Sanchez Lib. I. Conſiliorum cap. VII. dub. 2. docet, pauperem nempe qui ius mendicandi in urbe obtinuit, poſſe hoc ius viro non pauperi locare, probabilis ſit?* 629.
Quæſt. III. *Conductor qui impeditur ab uſu, vel fructu rei conductæ, aſtringitur ne penſionem ſolvere?* 630.
Quæſt. IV. *Quot modis deſinat locatio?* 631.
Quæſt. V. *Nuntius conductus a Caio, ut Romam pergat, poteſt ne, re diſſimulata, ſinere ſe conduci a Titio ad eamdem civitatem, ab utroque integra mercede accepta?* ibid.

CAPUT XX.

De promiſſione, eiuſdemque acceptatione, & obligatione. 632.
Quæſt. unic. *Promiſſio acceptata inducit ne obligationem gravem ex iuſtitia?* 634.

CAPUT XXI.

De donationibus, earumque conditionibus. 638.
Quæſt. I. *Quinam donare valeant?* ibid.
Quæſt. II. *Quas ob cauſſas revocari donatio inter vivos valida, & acceptata poſſit?* 641.

DISSERTATIO V.

De teſtamentis, & ultimis voluntatibus.

PRAELOQUIUM. 643.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit teſtamentum: & quæ ſolemnitates ad eiuſdem valorem requirantur. 644.
Quæſt. I. *Quæ ſolemnitates requirantur ad teſtamentum nuncupativum?* 645.
Quæſt. II. *Quænam ſolemnitates requirantur ad valorem teſtamenti ſcripti, ſeu clauſi?* ibid.
Quæſt. III. *Teſtamentum ad pias cauſſas quas ſolemnitates poſtulat?* 646.
Quæſt. IV. *Quæ ſolemnitas requiritur ad valorem teſtamenti cæcorum, militum, & parentum inter liberos?* 647.
Quæſt. V. *Quæ ſolemnitas ad codicillorum valorem neceſſaria eſt?* ibid.

CAPUT II.

De teſtamento imperfecto, & de his qui condere teſtamentum valent. 648.

CAPUT III.

De iis, qui poſſunt vel non poſſunt heredes, aut legatarii in teſtamento inſtitui. 651.
Quæſt. I. *Quomodo parentes teneantur alimenta præbere filiis naturalibus, & ſpuriis?* 652.
Quæſt. II. *Quomodo filii naturales, & ſpurii ſuccedant patri?* 653.
Quæſt. III. *Quomodo filii naturales ſuccedant matri?* 654.
Quæſt. IV. *Fideicommiſſarius, inſtitutus heres a patre cum onere tradendi hereditatem filio ſpurio, licite ne tradere illam valet?* ibid.

CAPUT IV.

De heredibus neceſſariis, eorumque exheredatione. 657.
Quæſt. I. *Quomodo filii patribus, & patres filii ſuccedant, tamquam heredes neceſſarii?* ibid.
Quæſt. II. *Quomodo aſcendentes ſuccedant in hereditate deſcendentibus?* 658.
Quæſt. III. *Quibus de cauſſis exheredari filii a parentibus, & parentes a filiis valeant?* 660.

CAPUT V.

De heredibus ab inteſtato. 662.

CAPUT VI.

De ſubſtitutione vulgari, pupillari, exemplari, fideicommiſſaria, reciproca, compendioſa. 664.

CAPUT VII.

Quomodo teſtamenta valida revocari, & per interpoſitam perſonam condi valeant? 668.
Quæſt. I. *An, ſi teſtator iuraverit ſe non revocaturum teſtamentum, valeat aut licite, aut valide revocare.* ibid.
Quæſt. II. *Secundum teſtamentum ſolemniter conditum revocat ne reipſa primum?* 670.
Quæſt. III. *Quando duo ſimul condunt teſtamentum, in quo diſponunt de propriis bonis, poteſt ne unus, altero mortuo, revocare ſuam diſpoſitionem de propriis bonis?* ibid.
Quæſt. IV. *Valet ne dominus revocare teſtamentum ab altero ex eiuſdem domini beneplacito conditum, mortuo teſtatore?* 671.

CAPUT VIII.

Quam obligationem habeant heredes, & executores teſtamentarii? 672.
Quæſt. I. *Utrum defunctus detrimentum patiatur ex protracta debitorum ſolutione?* 675.
Quæſt. II. *Quænam ſit obligatio, qua aſtringuntur executores teſtamentarii?* ibid.

CAPUT IX.

De legatis, eorumque diverſitate, & fructibus. 676.
Quæſt. I. *Legatum, relictum ad nubendas virgines orphanas, viduaſve, valet ne tradi puellis Religionem ingredientibus?* 678.
Quæſt. II. *Legatum relictum pro nubendis puellis, conferri ne nuptiis poteſt quæ ſine*

Digitized by Google

ſine dote, aut cum exigua nupſerunt? 680.
Quæſt. III. *Legatum, relictum puellis nubendis, tradi ne viduis poteſt, ſecundas nuptias celebrantibus?* 681.
Quæſt. IV. *Legatum deſtinatum pro naturalibus alicuius loci, tradi ne extraneis poteſt?* ibid.
Quæſt. V. *Legatum relictum pro nubendis orphanis, tradi ne poteſt puellis habentibus parentes inutiles, & pauperes?* ibid.
Quæſt. VI. *Legatum relictum pro nubendis virginibus, tradi ne poteſt puellis corruptis?* ibid.
Quæſt. VII. *Qui ordo ſervandus ſit in legatis implendis?* 682.
Quæſt. VIII. *Valet ne aliquis teſtamentis, & legatis derogare?* ibid.
Quæſt. IX. *Quando ex legatis deduci Falcidia poſſit?* ibid.

FINIS.

Digitized by Google

Pag.	lin.	*Errata*	*corrige ſic.*
2.	4.	intre	inter
35.	10.	ſodendi	ſodiendi
44.	21.	ialioqun	alioquin
145	29.	ex tat	exiſtat
156.	7.	luculenta	lutulenta
197.	26.	ſuaque ingenui	qui ſua ingenii
290.	12.	*Licitum*	*Licitus*
302.	17.	Secuna	Secunda
312.	22.	Medica Dominicanus	Medina Dominicanus
318.	10.	ſere vanu	ſere vanum
345.	23.	none contra	non contra
436.	15.	ege	lege
475.	24.	ſputa ſex	ſ uta ſex
506.	25.	in præſentia. Vi triplicis contractus periculum	in præſentia vi triplicis contractus. Periculum
549.	13.	ocari	iocari
567.	31.	præſentibus textibus	præſentibus teſtibus
581.	24.	eu ius	ſeu ius.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS

DE IUSTITIA ET IURE.

DISSERTATIO PRIMA.

CAPUT I.

Iuris notiones variæ. Quale ius ſit iuſtitiæ materia, & obiectum.

I. DE variis iuris acceptionibus libro ſuperiore diſputavi. Pauca hic adiicienda ſunt. De iuris origine diſſident ICti. Ulpianus a iuſtitia ius arceſſit. Gerardus Noodt *Lib. I. tit.* 1. *de iuſt. & iur.* advertit, iuxta præcepta Grammatices iuſtitiam a iure, ius a iubendo appellari: quia improbabile non eſt veteres, nondum reperta littera R, *iuſſa* pro *iura* dixiſſe. Ulpianus autem, miſſis Grammaticis qui verborum origines ſectantur, Philoſophos qui rerum, non vocum principia conſiderant, imitatus, ius a iuſtitia appellatum eſſe exiſtimat; additque, ius eſſe artem boni, & æqui. Audiamus quid hac de re ſcripſerit S. Thomas 2. 2. quæſt. lvii. art. 1. ad 1. *Conſuetum eſt* [inquit] *quod nomina a ſui prima impoſitione detorqueantur ad alia ſignificanda; ſicut nomen medicinæ impoſitum eſt primo ad ſignificandum quod præſtatur infirmo ad ſanandum; deinde tractum eſt ad ſignificandam artem qua hoc ſit. Ita etiam hoc nomen* ius *primo impoſitum eſt ad ſignificandum ipſam rem iuſtam, poſtmodum autem derivatum eſt ad artem qua cognoſcitur quid ſit iuſtum; & ulterius ad ſignificandum locum in quo ius redditur, ſicut dicitur aliquis comparere in iure; & ulterius dicitur etiam, quod ius redditur ab eo ad cuius officium pertinet iuſtitiam facere, licet etiam id quod decernit, ſit iniquum.*

II. His, aliiſque acceptionibus miſſis, tripliciter Theologi cum S. Thoma ius uſurpant. Primum pro lege definiente quid cuique ex iuſtitia tribuendum ſit: qua de cauſſa lex ipſa ius dicitur, ſeu iuris regula; & hoc pacto acceptum tribuitur in ius naturale, divinum, gentium, humanum, canonicum, & civile,

publicum, & privatum, de quo fuſe ſuperiore libro diſputavi. Secundo modo ius ſignificat poteſtatem, ſeu facultatem ad aliquid agendum, exigendum, recipiendumque, ut cum quis rem ſuam vendit, creditum exigit, bona ſua defendit, iure ſuo fungi dicitur. Tertio tandem modo ius uſurpatur pro æqualitate intre rem & rem, ſeu inter creditum unius & debitum alterius.

III. His tribus modis ius pertinet ad iuſtitiam. Primo modo eſt norma, quæ præſcribit quid cuique ex iuſtitia competat. Secundo modo eſt conditio neceſſaria, ut dicatur quidquam alicui vi iuſtitiæ deberi. Siquidem ei qui ius non habet ad aliquid exigendum, nihil ex iuſtitia debitum eſt. Tertio modo eſt materia, ſeu obiectum, quod directe & per ſe iuſtitia ſpectat. Eo enim iuſtitia tendit ut æqualitatem conſtituat inter rem & rem, perſonam & perſonam. De iure primo modo accepto nihil in præſenti, cum ſatis enucleatum illud fuerit libro ſuperiore. Secundum iuris modum nunc, poſtea tertium explicabo.

IV. Communis iuris notio in ſecunda acceptione hæc eſt: *Poteſtas legitima ad aliquid aſſequendum, vel ad aliquam functionem, vel quaſi functionem, cuius violatio iniuriam conſtituit*. Hæc *poteſtas* aut eſt *activa* ad aliquid agendum, retinendum, petendumque; vel *paſſiva* ad aliquid recipiendum, ut alimenta, ſervitutem; vel *repugnans*, ne aliquis ædificet in tali loco, ne aperiat feneſtras, ne fabricam altius efferat. Vocatur legitima, nempe conceſſa a lege, vel naturali, ut poteſtas ad victum, & veſtitum; vel a divina, ut poteſtas ad ſuſcipienda ſacramenta; vel ab humana, ut poteſtas ad capiendam hereditatem, legatum &c.

V. Ius ſub hac conſideratione tribuitur in *ius ad rem*, & *ius in re*. Hoc actionem *realem* tribuit, nempe in perſonam, & in rem, quæ, ubicumque ſit, ad dominum pertinet. Quare *ius in re* illud proprie eſt quod habent homines in res quas poſſident, valentque vendere, alienare, permutare, locare &c. *Ius ad rem* eſt in perſonam, & non in rem, ſeu tribuit actionem *perſonalem*, non *realem*. Vendis rem tuam alteri, quæ traditione illius fit. Emptor habet ius in hanc rem: tu retines ius ad rem, ſeu habes actionem in perſonam ad exigendum pretium pro illa re pactum. Ius in re devinctam ſibi rem habet; ius ad rem, devinctam, ſeu obligatam perſonam retinet. Non ergo ſat eſt *ad ius in re* titulus transferendi dominium vendendo, donando; ſed inſuper requiritur quod res tradita ſit, & a domino accepta. Emiſti equum, agrum &c. Ante traditionem habes ius ad rem: facta traditione, & accepta re, ius habes in re quæ tibi devincta eſt. Communia hæc ſunt, & certa penes omnes.

VI. Ius iſtud poteſtativum, ſeu activum dividi rurſus ſolet in ius quod vocatur *iuriſdictionis*, & in ius quod appellatur *proprietatis*. Illud definitur: *Poteſtas, non eius cui ineſt, ſed eius qui illi ſubeſt, utilitati, ac felicitati promovendæ devincta*. Hoc iure potiuntur Principes, Prælati, ſuperiores in proprios ſubditos. Idcirco aſſe-

Digitized by Google

aſſeritur, hanc poteſtatem non ſiſtere in habente illam; ſed felicitatem, & utilitatem ſubditorum ſpectare. Ius proprietatis eſt quo quis potitur in rem ſuam.

VII. Ius ultimo modo acceptum eſt æqualitas inter rem & rem. Ius iſtud aliud *legale*, aliud *morale*. Legale nuncupatur, non præciſe quia eſt ſecundum leges: hoc enim omnibus virtutibus commune eſt quod ad leges conformentur: ſed quia leges, & iura obſtringunt ut hoc iuſtum, ſeu ius reddatur cui debetur. Morale ius eſt quod in honeſtate operationis fundatur, & ſpectat ad alias virtutes diſtinctas a iuſtitia, ut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. lxxx. art. 1. *Duplex debitum, ſcilicet morale, & legale .... Debitum quidem legale eſt ad quod reddendum aliquis lege adſtringitur; & tale debitum proprie attendit iuſtitia, quæ eſt principalis virtus. Debitum autem morale eſt quod aliquis debet ex honeſtate virtutis*. Hoc ius legale aliud eſt *ſimpliciter tale*, quod etiam *politicum* nuncupatur; & tres exigit conditiones: prima, ut ſimpliciter debeatur ſecundum leges: altera, ut ſervet æqualitatem rei ad rem: poſtrema, ut ſit ſimpliciter ad alterum. Aliud eſt ius legale *ſecundum quid*, ſeu minus proprium, quia aliqua ex enumeratis conditionibus eidem deficit; ut eſt ius illud quod reperitur in omnibus virtutibus potentialis iuſtitiæ, in religione, pietate, obſervantia, veritate &c. quæ aut non reddunt prorſus æquale, aut non ſupponunt debitum legale ſimpliciter tale.

VIII. Iuſtitiæ materia remota ſunt res quæ commercio deſerviunt, pecunia, agri, merces, domus, animalia &c. Materia proxima ſunt actiones exteriores quibus res venduntur, commutantur, alienantur. Obiectum vero iuſtitiæ formale eſt ius illud quod æqualitatem, ſeu iuſtum conſtituit in his actionibus, ſeu inter rem & rem, & perſonam cui res ipſa debetur ex debito legali. Duo itaque poſtulat ius quod eſt obiectum formale iuſtitiæ, videlicet debitum legale in uno; & ius illud exigendi in altero. Porro voluntas iuſta eo ſpectat ut expleat, & adæquet ius alterius. Exemplo illuſtratur doctrina. Tu mihi agrum vendidiſti pacto pretio. Ius tibi ineſt exigendi pretium; & mihi debitum adeſt illud ſolvendi. Hac ergo pretii ſolutione æqualitas, ſeu iuſtum, ſive ius conſtituitur inter me & te, inter rem & rem, ſeu inter meum debitum & tuum ius. Plura hac de re Scholaſtici Theologi diſputant, quæ miſſa facio, quod in mera ſiſtant ſpeculatione.

Digitized by Google

CAPUT II.

Iuſtitiæ generatim acceptæ finitio, eiuſque diviſio.

I. DE iuſtitia qua iuſti homines apud Deum fiunt, late diſputatur alibi. Sita eſt iuſtitia hæc in omnium virtutum ornatu: & hæc eſt iuſtitia quam anhelant, & ſitiunt ſancti viri Dei. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam:* Matth. v. *Clamaverunt iuſti, & Dominus exaudivit eos:* Pſal. xxxiii. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Hæc iuſtitia maior aut minor, perfectior aut imperfectior ſplendet in caritate, ut advertit S. Auguſtinus Lib. de nat. & grat. cap. xxxviii. *Caritas inchoata inchoata iuſtitia eſt: caritas magna magna iuſtitia eſt: caritas perfecta perfecta iuſtitia eſt.* Nullus mihi in præſens de hac iuſtitia, quæ non virtus peculiaris, ſed omnes comprehendit virtutes, ſermo eſt.

II. Iuſtitiæ quæ peculiaris virtus eſt, finitio quam tradit Ulpianus *ff. de iuſt. & iur. l. iuſtitia*, adoptatur communiter tum ab Ictis, tum a Theologis, tum a S. Thoma, qui eam refert 2. 2. *quæſt.* lviii. *art.* 1. eſtque ſequens. *Perpetua & conſtans voluntas ius ſuum unicuique tribuendi.* Voluntas primum locum occupat, affecta conſtantia & perpetuitate: quia iuſtitia non eſt actus tranſiens, ſed conſtantiam & perpetuitatem ſecum adfert. Ideo non eſt actus, ſed habitus, qui definiri per actum ſolet. Perpetua autem eſt iuſtitia non ex parte actus, qui dumtaxat in Deo perpetuus eſt; ſed ex parte obiecti, quatenus non ad tempus, ſed perpetuo vult ius ſuum cuique ſecundum æqualitatem tradere. *Et ideo* (concludit S. Thomas loc. cit.) *prædicta definitio eſt completa definitio iuſtitiæ, niſi quod actus ponitur pro habitu, qui per actum ſpecificatur. Habitus enim ad actum dicitur. Et ſi quis vellet eam ad debitam formam definitionis reducere, poſſet ſic dicere, quod iuſtitia eſt habitus ſecundum quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate ius ſuum unicuique tribuit.*

III. Paucis perſtringam quæ S. Thomas pluribus articulis *loc. cit.* tradit. Et primum *art.* 2. conſtituit iuſtitiam ad alterum eſſe, & quidem hominem, ut excludat partem eiuſdem hominis. *Non enim*, inquit, *proprie dicitur quod manus percutiat, ſed homo per manum: neque proprie dicitur, quod calor calefaciat, ſed ignis per calorem .... Iuſtitia ergo proprie dicta requirit diverſitatem ſuppoſitorum; & ideo non eſt niſi unius hominis ad alium.* In eodem igitur homine iuſtitia eſſe nequit, licet in eo diverſæ partes ſint, & potentiæ, ut ratio, concupiſcibilis, iraſcibilis &c. in quarum ordine & ſubiectione iuſtitia proprie accepta non reperitur. Sed addit S. Thomas ibi: *Metaphorice in uno & eodem homine dici poteſt*

Digitized by Google

eſt eſſe iuſtitia, ſecundum quod ratio imperat iraſcibili, & concupiſcibili; & ſecundum quod hæc obediunt rationi; & univerſaliter ſecundum quod unicuique parti hominis attribuitur quod ei convenit.

IV. Conſtituit S. Doctor *art.* 3. iuſtitiam eſſe virtutem, & quidem inter morales, quæ in appetitu reſidet, adducta auctoritate M. Tullii, inquientis huic virtuti maximum ineſſe ſplendorem. Subdit *art.* 4. non in intellectu, ſed in voluntate exiſtere: quia non illum ad cognoſcendum illuminat, ſed hanc dirigit, ut reddat unicuique quod ſuum eſt. Aliæ virtutes morales quæ hominem perficiunt, ſunt in appetitu ſenſitivo qui dividitur in iraſcibilem, & concupiſcibilem. In illo fortitudo, in hoc temperantia ſedem habet.

V. Diſtinguitur autem virtus iuſtitiæ a ceteris virtutibus moralibus, quod hæ *rationis*, illa *rei medium* reſpiciat. Quod ut clarius explicetur, advertendum eſt, omnes quidem virtutes morales medium rationis ſpectare, atque adeo etiam iuſtitiam; ſed reſpectu iuſtitiæ ratio præſcribit tamquam medium æqualitatem inter rem & rem; in aliis autem virtutibus ratio non curat hanc æqualitatem inter rem & rem; ſed coercet paſſiones, ſubtrahitque materiam, vel auget, quatenus homini plus & minus convenit. Medium enim rationis variabile eſt: nam reſpectu temperantiæ aliud medium ratio præſcribit in homine ſano, aliud in homine valetudinario. Medium autem rei invariabile eſt. Exemplis doctrina illuſtrabitur. Temperantia conſiſtit in medio rationis, videlicet ne plus comedas quam ratio præſcribit. At ratio non præſcribit ut omnes homines eamdem cibi menſuram ſumant, ſed ut quiſque tantum edat, quantum exigit proprii temperamenti conditio. Ratio ergo etiam in aliis virtutibus ſpectat rem, & medium ponit; ſed medium modo maius, modo minus iuxta diverſam hominum conditionem. Communi enim fertur proverbio, virtutem abſolute acceptam medium inter exceſſum & defectum conſtituere, ut liberalitas medium ſervat inter avaritiam & prodigalitatem. In ceteris itaque virtutibus ratio medium rerum temperat, diminuit, auget, ſpectata hominum, & circumſtantiarum diverſitate: idcirco dicitur, ceteras virtutes medium non *rei*, quia hoc ſemper idem eſt, ut dixi, ſed medium *rationis*, quod modo augetur, & modo diminuitur, reſpicere. Contra vero iuſtitia medium rei ſpectat: quia ratio præſcribit ſemper æqualitatem vel arithmeticam, ut in iuſtitia commutante, vel geometricam, ut in iuſtitia diſtribuente, ſervandam eſſe.

VI. Ex quibus colliges id quod docet S. Thomas *loc. cit. art.* 9. *ad* 2. eamdem actionem ad duas ſpectare poſſe virtutes, videlicet ad liberalitatem, & iuſtitiam. *Unde* (inquit Angelicus) *ſurreptionem alienæ rei iuſtitia impedit, inquantum eſt contra æqualitatem in exterioribus conſtituendam; liberalitas vero, inquantum procedit ab immoderata concupiſcentia divitiarum.* Adulterium parit concupiſcentia;

Digitized by Google

& ſecundum hanc rationem virtus temperantiæ illud corrigit. Sed quatenus adulterium ius alterius violat, ab iniuſtitia oritur, & ad iuſtitiam pertinet ius læſum reparare. Igitur ceteræ virtutes paſſiones interiores coercent, dirigunt, ſubduntque rationi; iuſtitia contra actiones exteriores moderatur, & inter eaſdem medium rei conſtituit.

VII. Iuſtitia hæc preſſe accepta tribuitur in *commutantem*, *diſtribuentem*, & *legalem* ex diverſo reſpectu quem unaquæque habet. Nam prima eſt partis ad partem, altera eſt totius ad partem, tertia eſt partis ad totum. Commutativa itaque iuſtitia eſt inter duos homines æquales in ratione emendi, & vendendi; quamvis ſecundum perſonales prærogativas alter Princeps, alter ſubditus eſſet. Inter has duas partes, ementes, vendentes, commutantes, locantes, & quoſcumque contractus ineuntes, æqualitatem conſtituit. Diſtributiva eſt totius ad partes, nempe Principis ad ſubditos, quæ præmia, dignitates, & bona communia diſpenſat unicuique ſecundum merita, & conditiones ſingulorum. Legalis eſt partis ad totum, nempe ſubditorum ad Principem, quatenus omnes & ſinguli tribuant quod communitati convenit, eique ſe ſubdant, media legum obſervatione. Tres hæ iuſtitiæ partes diſpiciendæ ſunt.

CAPUT III.

Quid ſit iuſtitia generalis, ſeu legalis.

I. IUſtitia generalis a fine ſuam ſortitur denominationem, cuius eſt bonum commune promovere, & conſervare, ac ceteras alias virtutes ordinare, & dirigere in hoc commune bonum; ut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. LVIII. art. 5. *Prædicto modo generalis dicitur iuſtitia legalis, quia ſcilicet per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune.* Iuſtitia legalis eſt *qua partes communitatis perfectæ ordinantur ad conſervationem boni communis.* Partes iſtæ reſpiciunt bonum commune, ſicut partes ſingulæ corporis non modo invicem uniuntur, ſed potiſſimum ad totius conſervationem ordinantur. Aliæ virtutes etiam bonum commune ſpectant, ſed peculiari & propria ratione. Pietas bonum commune patriæ ſpectat ratione originis, quemadmodum pietas erga parentes ob beneficium acceptæ vitæ movet ad cultum iiſdem præſtandum. Iuſtitia autem legalis reſpicit homines ut ſunt membra & partes componentes communitatem; eaſque dirigit ad bonum promovendum, avertendumque communitatis malum. Hæc iuſtitia legalis nuncupatur, non quia ſit ſecundum leges, id enim cuique iuſtitiæ commune eſt; ſed quod eiuſdem officium ſit in omnium legum obſervationem incumbere, curare ut ab omnibus ſerventur, cavere ne in de-

Digitized by Google

deſuetudinem declinent, neque enerventur. Quin non modo media legum obſervantia iuſtitia hæc promovere bonum commune debet, verum etiam aliis mediis quæ huic fini ſervando conducunt, etiamſi opus fuerit vitam ipſam exponere, quando id boni communis ſervandi neceſſitas poſtularet. An non videmus brachium naturali impetu ferri ad avertendum ictum capiti imminentem? Et quamquam hæc iuſtitia *generalis* dicatur, nihilominus virtus ſimul peculiaris eſt; quemadmodum caritas virtus generalis dicitur, quatenus omnes alias virtutes dirigit in bonum divinum. Ita S. Thomas 2.2. quæſt. lviii. art. 6. *Iuſtitia legalis dicitur eſſe virtus generalis, inquantum ſcilicet ordinat actus aliarum virtutum ad ſuum finem, quod eſt movere per imperium omnes alias virtutes. Sicut enim caritas poteſt dici virtus generalis, inquantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum divinum; ita etiam iuſtitia legalis, inquantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum commune.* Virtus autem particularis iuſtitia legalis eſt, quia ſpectat ius ſpeciale, ſeu æqualitatem in bono communi ſervandam, & defendendam.

II. Illud etiam animadvertendum quod initio indicavi, ſæpe homines ſecundum unam rationem, partis, ſecundum alteram, totius rationem ſuſtinere. Civitas poteſt habere rationem totius reſpectu civium; & poteſt etiam habere rationem partis; ut quando cum cive aliquem contractum celebrat, tunc conſideratur civitas velut unus civis cum altero cive. Similiter Princeps, Rex, Magiſtratus, Gubernator, electi a populo, a Republica, ut eam adminiſtrent, defendant, dirigant, non modo ex iuſtitia legali, verum etiam ex iuſtitia commutativa hæc præſtare officia obſtringuntur: quia tum ſe habent ut partes ad partes, contractumque locationis, & conductionis ineunt. Conducit enim Reſpublica miniſtros, Principeſque pacto ſtipendio; & Principes locant opera induſtriamque ſuam Reipublicæ.

III. Quæſt. I. *Iuſtitia legalis eſt ne rigoroſa iuſtitia?* Reſp. Negant Salmanticenſes *tractat.* xii. *cap.* i. *punct.* 3. *num.* 2. cum Caſtropalao, Leſſio, Bonacina, & aliis: quia non eſt abſolute, & in toto rigore ad alterum, cum ſit inter partem & totum. Pars autem eſt aliquid totius. Ergo non eſt omnino ad alterum.

IV. Oppoſita ſententia quæ ex principiis S. Thomæ eruitur, nobis probabilior eſt. Tres quippe ad veram & rigoroſam iuſtitiam conditiones requiruntur. Prima eſt debitum verum, & legale. Altera æqualitas inter debitum unius & ius alterius. Heinc obſervantia, religio, pietas a ratione iuſtitiæ declinant: quia Deo, parentibus, & magiſtris numquam ad æqualitatem reddere valemus. Tertia, quod ſit omnino ad alterum. Iuſtitia legalis has tres conditiones ſibi vendicat. Ergo vera iuſtitia eſt. Et ad primam quod attinet, debitum cuiuſque civis erga com-

Digitized by Google

munitatem gravius fortiuſque eſt debito quod habere poteſt cum quocumque particulari cive; cum vitam ipſam exponere pro bono communi ſervando aſtringatur, & iure ſummo id exigere communitas poteſt. AEqualitas autem quam vera iuſtitia exigit, eſt quod quiſque reddat quantum debet. At quiſque vi iuſtitiæ legalis reddere quantum debet tenetur. Quando autem ſubditus ſolvit quantum Princeps, vel communitas exigit, reddit quantum debet. Tertia tandem conditio, quod ſit omnino ad alterum, etiam patet: quia aliud eſt ius communitatis, aliud ſingulorum civium. Quando autem iura ſunt diverſa, tum eſt rigoroſa, ut dicitur, *alteritas* inter hæc duo iura.

V. Ratio quam opponunt *Salmanticenſes*, nulla eſt. Quia tum inter partem & totum non eſt vera *alteritas*, quando iura non ſunt diverſa, ut inter patrem & filium; at quando iura diverſa ſunt, ut illa communitatis, & ſingulorum civium, tum iuſtitia quæ ponit inter hæc iura æqualitatem, eſt omnino ad alterum. Quid quod ipſe filius, licet pars patris ſit, & hac ratione non ſit inter eoſdem vera iuſtitia, tamen quoties filius peculiare ius habet in aliqua bona, tum rigoroſa iuſtitia exerceri inter patrem & filium valet? Nec obeſt aliud quod opponi ſolet, nempe violationem iuſtitiæ legalis non inferre reſtitutionis debitum: quoniam reſtitutio eſt effectus dumtaxat violationis iuſtitiæ commutantis; neque inter conditiones ad veram iuſtitiam neceſſarias computatur reſtitutio. Quare quod tranſgreſſio iuſtitiæ legalis non inducat reſtitutionis debitum, id tantum efficit quod hæc iuſtitia non ſit commutativa; minime vero tollit quin vera iuſtitia legalis ſit.

VI. Quæſt. II. *Iuſtitia legalis quæ eſt in Principe, differt ne ſpecie a iuſtitia legali quæ eſt in ſubditis?* Reſp. Negat probabilior opinio. Nam tam Principis, quam ſubditorum iuſtitia idem bonum commune, ſeu obiectum per actus debitos exæquandum ſpectat. Tota vero diſtinctio iuſtitiæ quæ eſt in Principe, a iuſtitia quæ eſt in ſubdito, diverſitatem tantum materialem perſonarum reſpicit; cum utraque revera in idem formale obiectum, nempe bonum commune ſocietatis, tendat. Diſcrimen ſolum eſt quod Princeps bonum commune ſpectat leges condendo, & ſubditi leges iſtas exequendo. Utique Princeps per regulas, rationeſque univerſaliores reſpicit commune bonum; at hoc non infert diſtinctionem ſpecificam formalem: quemadmodum quod Doctores Theologi per principia univerſaliora, altioreſque rationes, e divinis Scripturis, & traditionibus arceſſitas de fidei arcanis iudicent, non efficit quod iſtorum fides diverſa ſit ab idiotarum fide. Non negamus tamen diverſitatem materialem inter utramque iuſtitiam; cum in Principe hæc iuſtitia ſit quaſi *architectonice*, & in ſubditis veluti *miniſterialiter*, ut inquit S. Thomas. Nec tanti momenti quæſtio hæc eſt, ut ſeverius poſtulet examen.

C A-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De iuſtitia diſtribuente, commutante, vindicante, & de vitiis eidem oppoſitis.

I. IUſtitia diſtribuens eſt *quæ bona communia diſtribuit inter partes communitatis iuxta meritorum proportionem*. Definitio vix declaratione eget. Voluntas recta requiritur quæ in diſtributione bonorum communium, perſonarum merita expendat. Hæc iuſtitia reſidet potiſſimum in ſuperiore, ad quem eiuſmodi diſtributio pertinet; in ſubditis vero reperitur, quia huic diſtributioni acquieſcere debent. Ita S. Thomas 2. 2. quæſt. lxi. art. 1. ad 3. *Actus diſtributionis, qui eſt communium bonorum, pertinet ſolum ad præſidentem communibus bonis. Sed tamen iuſtitia diſtributiva eſt etiam in ſubditis quibus diſtribuitur, inquantum ſcilicet ſunt contenti iuſta diſtributione.*

II. Medium rei, quod iuſtitia diſtributiva reſpicit, non eſt æqualitatis arithmeticæ, ſed geometricæ, ſeu proportionis: quæ proportio verſatur inter merita & bona diſtribuenda. Præmium diſtribuendum eſt ut ſex. Candidatorum alter habet merita ut ſexdecim, alter ut octo. Illi dandum eſt præmium ut quatuor, huic ut duo: quia quæ proportio eſt quatuor ad duo reſpectu ſex, eadem eſt ſexdecim ad octo. Quare iuſtitia diſtributiva plures reſpicit perſonas, quarum merita comparet cum præmio diſtribuendo. Quando vero præmium impertiendum individuum eſt, tum digniori conferri debet, ſi plures ſint candidati. Si vero caſu plures non ſint, ſat eſt ut hic ſit dignus; quemadmodum contingit in diſtributione cathedræ, beneficii, alteriuſve gradus.

III. Quæſt. I. *An iuſtitia commutativa diſtinguatur a vindicativa?* Reſp. Iuſtitia commutativa eſt, ut iam ex S. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxi. *artic.* 3. illa *quæ reddit unicuique rem ſuam ſecundum ius quod habet illam exigendi*. Ponit ſiquidem æqualitatem inter debitum & creditum, quæ oritur ex emptionibus, venditionibus, mutuis, ceteriſque contractibus; item in furtis, in homicidiis, aliiſque iniuriis, quorum damnum compenſandum eſt. Præcipuus iſtius iuſtitiæ actus eſt reſtitutio.

IV. Iuſtitia vindicativa ſpectari poteſt in iudice, vel Principe, aut in privatis perſonis læſis quæ poſtulant vindictam. Secundum priorem conſiderationem eſt actus veræ iuſtitiæ commutantis; in perſonis autem læſis non eſt vera iuſtitia, ſed pars potentialis eiuſdem, ut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. lxxx. art. unic. ad 1. *Vindicta quæ fit auctoritate publicæ poteſtatis, ſecundum ſententiam iudicis pertinet ad iuſtitiam commutativam; ſed vindicta quam quis facit proprio motu,*

non

Digitized by Google

non tamen contra legem, vel quam quis a iudice requirit, pertinet ad iuſtitiam adiunctam.

V. Ratio prioris partis evidens eſt. Quoniam iudex vi iuſtitiæ commutantis aſtringitur non modo communi bono proſpicere, ſed etiam ſubditos ab iniuriis, & oppreſſionibus defendere; atque in eos animadvertere qui turbant ſocietatem, ordinemque partium infringunt. Adeſt inſuper medium rei: quia iudex tenetur infligere pœnam æquantem ius læſum perſonæ offenſæ. Iuſtitia denique hæc ad alterum eſt: quia iudex alius eſt a perſona læſa. Igitur officium quo iudex ulciſcitur iniurias illatas ſubditis, eſt actus iuſtitiæ commutantis, imperatus a iuſtitia generali, ſeu legali propter bonum commune.

VI. Altera vero pars etiam patet ex ſequenti S. Thomæ doctrina, qui 2. 2. *quæſt.* CVIII. *art.* 2. *ad* 1. ait: *Sicut recompenſatio debiti legalis pertinet ad iuſtitiam commutativam; recompenſatio autem debiti moralis, quod naſcitur ex particulari beneficio exhibito, pertinet ad virtutem gratiæ: ita etiam punitio peccatorum, ſecundum quod pertinet ad publicam iuſtitiam, eſt actus iuſtitiæ commutativæ; ſecundum autem quod pertinet ad immunitatem alicuius perſonæ ſingularis, a qua iniuria propulſatur, pertinet ad virtutem vindicationis.* Si tamen iniuria eiuſmodi ſit quæ remitti ſine aliorum detrimento nequeat, ut ſi homo læſus ſit perſona publica, vel aliæ perſonæ, quarum fama eſt aliis obligata; tunc petitio vindictæ, & executio eiuſdem in iudice eſt actus veræ iuſtitiæ commutantis. Et hoc in caſu perſonæ læſæ compelli ab illis poſſunt quorum intereſt, ut iniuriam illatam reſarciri petant.

VII. Oppones, punire iniurias ad diſtributivam potius quam ad vindicativam iuſtitiam pertinere. Nam eiuſdem virtutis eſt largiri præmia benemeritis, & delicta pravorum civium caſtigare. Ad diſtribuentem autem iuſtitiam ſpectat præmia pro meritis rependere. Ergo ad eamdem etiam ſpectabit pœnas pro ſceleribus infligere. Reſp. Argumentatio laborat falſo ſuppoſito. Nam iuſtitia diſtribuens tribuit præmia quæ reſpondent meritis non laborum miniſterii præſtiti in Reipublicæ bonum, ſed meritis qualitatum perſonalium. Iuſtitia hæc ſpectat doctrinam, habilitatem, talenta, paupertatem, nobilitatem candidatorum; & iuxta menſuram maiorem aut minorem harum qualitatum perſonalium præmia, ſeu munera, officia, & dignitates diſtribuit. Meritis vero laborum quos pro communi bono perferunt ſubditi, iuſtitia commutativa vicem rependit, quæ æqualitatem arithmeticam tum in præmiis, tum in pœnis ſervare debet. Iuſtitia commutativa reſpicit quid boni, aut mali ſubditi egerint; contra iuſtitia diſtributiva ſpectat quid boni, quid habilitatis, quid capacitatis candidati ſubditi habeant ad ſuſtinendam dignitatem, gradum &c.

VIII. Quæſt. II. *Iuſtitia commutativa diſtinguitur ne ſpecie a iuſtitia diſtributiva?*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Adfirmat communis, & vera ſententia. Quandoquidem virtutum diverſitas ab obiectorum diverſitate formali ſuam ſpecificam capit diſtinctionem. Atqui utraque hæc iuſtitia diverſum obiectum formale ſpectat. Ergo inter utramque diverſitas ſpecifica intercedit. Secunda propoſitio evincenda eſt. Obiectum iuſtitiæ eſt ratio iuris, ſeu æqualitatis conſtituendæ inter ius unius & debitum alterius. Porro diverſa eſt iuris ratio quam commutativa, ab ea quam diſtributiva iuſtitia reſpicit. Illa quippe æqualitatem arithmeticam, hæc geometricam, ſeu proportionalem ſpectat. Ius commutantis iuſtitiæ eſt ius rigoroſum, ſeu proprietatis, quod alio nomine dicitur ius in re, vel ad rem, fundatum in venditione, emptione, locatione, aliove contractu inter partem & partem, inter unum & alterum. Contra, ius iuſtitiæ diſtributivæ imperfectum eſt, fundatum in debito dignitatis, convenientiæ, & habilitatis perſonalis. Ne multa: commutativa conſtituit ordinem inter hominem & hominem; diſtributiva inter hominem & Principem. Illa venditiones, emptiones, commutationes, & commercia; hæc diſtributiones graduum, & dignitatum ordinat. Prima rei pretium, altera perſonæ prærogativas ſpectat. Hanc doctrinam tradit S. Thomas 2. 2. quæſt. lxi. art. 2. *In diſtributiva iuſtitia datur aliquid alicui privatæ perſonæ, inquantum id quod eſt totius, eſt debitum parti. Quod quidem tanto maius eſt, quanto ipſa pars maiorem principalitatem habet in toto. Et ideo in diſtributiva iuſtitia tanto plus alicui de bonis communibus datur, quanto illa perſona maiorem habet principalitatem in communitate. Quæ quidem principalitas in ariſtocratica communitate attenditur ſecundum virtutem, in oligarchica ſecundum divitias, in democratica ſecundum libertatem, & in aliis aliter. Et ideo in iuſtitia diſtributiva non accipitur medium ſecundum æqualitatem rei ad rem, ſed ſecundum proportionem rerum ad perſonas; ut ſcilicet ſicut una perſona excedit aliam, ita etiam res quæ datur uni perſonæ, excedat rem quæ datur alii. Et ideo dicit Philoſophus, quod tale medium eſt ſecundum geometricam proportionalitatem, in qua attenditur æquale non ſecundum quantitatem, ſed ſecundum proportionem; ſicut ſi dicamus, quod ſicut ſe habent ſex ad quatuor, ita ſe habent tria ad duo, quia utrobique eſt ſeſquialtera proportio, in qua maius habet totum minus, & mediam partem eius; non autem eſt æqualitas exceſſus ſecundum quantitatem, quia ſex excedunt quatuor in duobus, tria vero excedunt duo in uno. Sed in commutationibus redditur aliquid alicui ſingulari perſonæ propter rem eius quæ accepta eſt; ut maxime patet in emptione, & venditione, in quibus primo invenitur ratio commutationis. Et ideo oportet adæquare rem rei, ut quanto iſte plus habet quam ſuum ſit de eo quod eſt alterius, tantumdem reſtituat ei cuius eſt. Et ſic ſit æqualitas ſecundum arithmeticam medietatem, quæ attenditur ſecundum parem quantitatis exceſſum; ſicut quinque eſt medium inter ſex & quatuor, in unitate enim excedit, & exceditur. Si ergo*

a prin-

Digitized by Google

a principio uterque habebat quinque, & unus eorum accepit unum de eo quod eſt alterius, unus (ſcilicet accipiens) habebit ſex, & alii relinquentur quatuor. Erit ergo iuſtitia, ſi uterque reducatur ad medium; ut accipiatur unum ab eo qui habet ſex, & detur ei qui habet quatuor: ſic enim uterque habebit quinque, quod eſt medium.

IX. Obiicies. Sæpe iuſtitia commutativa non ſervat æqualitatem rei ad rem, ſed rei ad perſonam; quod eſt proprium iuſtitiæ diſtribuentis. Nam ſi debitor pluribus creditoribus obnoxius ſit, & nequeat omnium credita æquare ſolutione, pro ordine perſonarum ſolvere aſtringitur, & quidem vi iuſtitiæ commutativæ. Ergo hæ duæ iuſtitiæ ſpecie formali non diſtinguuntur. Idque confirmatur ex eo quod Princeps a Republica conſtitutus diſtributor bonorum communium, violator iuſtitiæ commutantis eſt, ſi præfata bona iuxta partium prærogativas non partiatur; puta, ſi nobiliori, aut doctiori minus, ſi indocto aut ignobiliori plus tribuat: quin reſtitutioni aſtrictus eſt, ſi quid in hac diſtributione peccaverit. Caſus frequens eſt in teſtamento in quo bona diſtribuenda legentur inter pauperes, viduas, doctoſque. Diſpenſator bonorum ex iuſtitia commutativa aſtringitur eadem diſtribuere iuxta proportionem qualitatum eiuſmodi perſonarum.

X. Reſp. Iuſtitia diſtributiva indivulſam habet fere ſemper iuſtitiam commutativam. Quandoquidem in omni iuſtitia proprie dicta requiritur debitum legale fundatum in iure quod quis vel in re, vel ad rem habet. Hoc autem debitum ſolvendum eſt ex iuſtitia commutativa, cuius violatio onus reſtitutionis inducit. Porro in recenſitis caſibus iuſtitia diſtributiva coniunctam habet iuſtitiam commutativam. Munia tamen utriuſque iuſtitiæ diſtinguenda ſunt. Officium diſtribuentis iuſtitiæ eſt perſonarum qualitates expendere, & iuxta qualitatum menſuram maiorem aut minorem præmia, ſeu legata, ſive beneficia diſtribuere. Exemplum ſubiiciam. Teneris vi teſtamenti legatum inter pauperes, orphanos, viduaſque dividere. Iſtorum omnium egeſtatem, conditionem, morumque integritatem metitur iuſtitia diſtribuens. Deprehendit in hac vidua, filiarum numero onuſta, centum gradus egeſtatis, in orphano quinquaginta, in paupere triginta: deſignat viduæ centum, orphano quinquaginta, pauperi triginta argenteos, proportione geometrica ſervata inter gradus egeſtatis & bona diſtribuenda. Hactenus iuſtitia diſtributiva munus ſuum explevit. Succedit iuſtitia commutativa, quæ reipſa deſtinata bona impertitur. Si diſpenſator partitionem factam diminueret ex arbitrio, ſi vel unum argenteum retineret poſt deſignationem factam; læderet iuſtitiam commutantem, & reſtitutioni eſſet obnoxius. En æqualitatem arithmeticam quam ponit iuſtitia commutans. Comparat ergo iuſtitia diſtributiva paupertatem unius cum paupertate alterius, proportione geometrica ſervata. Qua proportione facta, diſtributio bonorum ſecundum proportionem geometricam conſurgit. Et poſtea

ea iuſtitia commutativa tribuit, æqualitate arithmetica ſervata, bona quæ huic viduæ, aut orphano, aut nobili conveniunt.

XI. Ex quibus colliges, iuſtitiam diſtributivam eſſe veram iuſtitiæ ſpeciem ut conceptis verbis definit S. Thomas 2. 2. quæſt. lxi. art. 1. *Et ideo duæ ſunt iuſtitiæ ſpecies, ſcilicet commutativa, & diſtributiva*. Negant Salmanticenſes *tract.* xii. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 32. & citant Dicaſtillum, & alios: quia, inquiunt, non eſt hæc iuſtitia omnino ad alterum, cum ſit totius ad partes: idque confirmant teſtimonio S. Thomæ loc. cit. ad 2. *Sicut pars, & totum quodammodo ſunt idem; ita id quod eſt totius, quodammodo eſt partis. Et ita cum ex bonis communibus aliquid in ſingulos diſtribuitur, quilibet aliquo modo recipit quod ſuum eſt*. Mirum eſt, hoc opponi teſtimonium potuiſſe ex ſolutione ad ſecundum argumentum data, poſtquam S. Doctor in corpore articuli definivit, duas eſſe ſpecies iuſtitiæ, commutativam nempe, & diſtributivam. In laudata quippe reſponſione loquitur de debito, & *alteritate* comparative ad iuſtitiam commutativam. Nam ius iuſtitiæ commutantis eſt ius proprietatis, & dominii; ius vero iuſtitiæ diſtributivæ eſt fundatum in perſonarum prærogativis per modum congruitatis, modo ſupra explicato. Utique partes ſunt quodammodo totum; at hoc non impedit quominus partes habeant ſua iura particularia diſtincta. Iuſtitia ergo diſtributiva omnes conditiones poſſidet neceſſarias ad veram iuſtitiam. In Principe enim communitatis reperitur debitum legale diſtribuendi bona communia. Unaquæque communitatis pars ius habet ut pro ſui conditione præfata bona ſibi tribuantur; atque adeo & hæc iuſtitia eſt abſolute ad alterum. AEqualitas etiam reperitur, non arithmetica, ſed geometrica. Quæ ibidem opponunt Salmanticenſes, id dumtaxat evincunt quod iuſtitia diſtributiva non ſit æque perfecta atque commutativa, minime vero quod non habeat conditiones veræ iuſtitiæ. Utique iuſtitia diſtributiva non ſervat æqualitatem arithmeticam, non infert ſe ſola debitum reſtitutionis. Quæ, & cetera omnia inferunt iuſtitiam diſtributivam non eſſe commutativam, ſecus vero non eſſe veram iuſtitiam. Quod ſubiunt Salmanticenſes, S. Thomam aſſerere, diſtributivam, & commutativam eſſe duas iuſtitiæ ſpecies coniunctas, ſecus ſeparatas; arbitrarium prorſus effugium eſt. Nam rerum ſpecies non ex coniunctione unius cum altera, ſed ex obiectorum diverſitate diſtinguuntur. Coniunctio unius ſpeciei cum altera non infert, ſed ſupponit obiectorum diverſitatem. Ergo ſi duæ ſunt iuſtitiæ ſpecies coniunctæ, duæ ſunt iuſtitiæ ſpecies abſolute conſideratæ.

XII. Quæſt. III. *Quænam ſint vitia iuſtitiæ oppoſita?* Reſp. Ceteræ virtutes duo vitia habere contraria ſolent, alterum per exceſſum, alterum per defectum. Iuſtitiæ opponitur tantum defectus, quatenus quis non reddit quod debet. Exceſſus

red-

Digitized by Google

reddendi pluſquam debetur, cum aliis virtutibus, ſecus cum iuſtitia pugnat; niſi nocumentum alteri inferatur. Vitium autem oppoſitum iuſtitiæ eſt iniuſtitia: quæ duplex eſt, inquit S. Thomas 2. 2. quæſt. lix. art. 1. *Una quidem illegalis, quæ opponitur legali iuſtitiæ: & hæc quidem ſecundum eſſentiam eſt ſpeciale vitium, inquantum reſpicit ſpeciale obiectum, ſcilicet bonum commune quod contemnit; ſed quantum ad intentionem eſt vitium generale .... Alio modo iniuſtitia dicitur ſecundum inæqualitatem quamdam ad alterum, prout ſcilicet homo vult habere plus de bonis, puta divitiis, & honoribus; & minus de malis, puta laboribus, & damnis: & ſic iniuſtitia habet materiam ſpecialem, & eſt particulare vitium iuſtitiæ particulari oppoſitum.*

XIII. Quemadmodum ergo iuſtitia in varias tribuitur ſpecies; ita iniuſtitia alia vocatur legalis quæ leges relaxat; alia quæ opponitur iuſtitiæ diſtribuenti, & eſt acceptio perſonarum in diſtributione bonorum communium. Iuſtitiæ commutanti opponuntur ea vitia quæ proximum lædunt ſive in honore, ſive in bonis externis, ſive in vita; ut ſunt furtum, rapina, calumnia, homicidium, iudicia iniuſta iudicum in iudicando, falſæ actorum accuſationes, advocatorum impoſturæ in defendendo, aut confutando, fraudes in emptionibus, & venditionibus, aliiſque contractibus, uſuræ &c. Iniuſtitia eſt ſecundum ſe peccatum mortale, & ex parvitate materiæ, vel ex indeliberata intentione tantum veniale.

CAPUT V.

De dominio, eius diviſione, & bonorum partitione.

I. Dominii vocabulum plures excipit ſignificationes. Primum exprimit quamcumque rem in quam ius habemus. In hac acceptione Principes dominium habent in res publicas, cives in flumina, pontes, vias publicas, parentes in filios. In hoc amplo ſignificatu exprimit quamcumque facultatem ſive proprietatis, ſive iuriſdictionis. Dominio iuriſdictionis potiuntur ſuperiores ad gubernandos ſubditos, ad iudicandos, puniendos, & ab eiſdem tributa exigenda: quod dominium aliud ſacrum, aliud civile eſt.

II. Dominium proprietatis, quod proprie dominium eſt, definitur *facultas utendi re tamquam propria in omnes uſus a lege permiſſos in ſuum commodum*. Facultas exprimit ius, ſeu poteſtatem utendi. Particulæ *propria*, & *ſuum commodum*, excludunt ius *uſuarii*, *hypothecarii*, *tutorum*, qui non diſponunt de re tamquam propria, neque in ſuum commodum. Quare hæc particula *in ſuum commodum* eſt differentia quæ diſtinguit dominium proprietatis a dominio iuriſdictionis: quia hoc

Digitized by Google

hoc in ſubditorum, illud in proprium commodum, & utilitatem ordinatur. Dicitur *in omnes uſus a lege permiſſos*, quia nulla datur poteſtas, nullum ius in uſus lege vetitos. Heinc licet primogeniti ſint domini primogenituræ, & pupilli hereditatis; non tamen hæc bona diſtribuere valent in uſus lege prohibitos. Similiter debitor dominus eſt pignoris, quod tamen diſtrahere nequit, lege conventionis cum creditore prohibente. Particula *lege prohibente* intelligenda eſt de lege quæ reddit actum invalidum, ſecus de lege quæ reddit actum illicitum. Nam reipſa plures domini diſtrahunt bona ſua in uſus turpes.

III. Proprietatis dominium, de quo nobis in præſentia ſermo eſt, aliud *perfectum* ſeu *plenum*, aliud *imperfectum* ſeu *ſemiplenum*. Illud olim dicebatur *mancipium*, quod manu caperetur; eſtque dominium in ſubſtantiam rei, eiuſque commoda: & propterea dicitur etiam dominium in ſolidum, quia non ſolum habet proprietatem, vi cuius dicitur dominium *directum*; ſed etiam commoda, & uſus rei, iuxta quam rationem dicitur dominium *utile*. Dominium vero *imperfectum* recenſita duo ſeparat, nempe proprietatem rei ab uſu eiuſdem rei. Nam ſæpe Titius habet proprietatem rei ſine rei uſu; & vocatur dominus directus, ſeu *Proprietarius*. Sempronius ſæpe habet rei uſum, ſeu uſumfructum ſine proprietate; & vocatur *Uſufructuarius*, *Emphyteuta*, *Vaſſallus*, *Feudatarius*. Primum itaque dominium appellatur *directum*, ſecundum *utile*. Hæc diviſio dominii in *directum*, & *utile* vocari ſolet *obiectiva*, ſeu ex parte obiecti, ſeu materiæ quæ cadit ſub dominio. Datur dominium directum *ſemiplenum* etiam ex parte *ſubiecti*. Sempronius habet dominium ex parte *obiecti* plenum, nempe proprietatem, & uſum; ſed ex parte *ſubiecti* eſt ſemiplenum, quia habet ſocios; ut quando plures emunt eamdem mercem inter ſe dividendam.

IV. Advertendum tamen, dominium *directum* non carere omni utilitate. Diſtinguitur nihilominus ab utili, quia caret fructibus qui produci a re propria ſolent. Ceterum dominium directum plures parit utilitates. Prima eſt, quod dominus proprietarius valet rei proprietatem alienare. Altera, quod dominus proprietarius accipit canonem, ſeu penſionem ab uſufructuario, vel emphyteuta. Tertia, quod ſæpe dominium utile redit ad proprietarium. Quarta, quod abſque licentia domini directi dominium utile alienari nequit. Quinta, quando cum licentia proprietarii fit alienatio medio novo contractu, iſti *laudemium*, ſeu penſio ſolvenda eſt. Tandem aliud eſt dominium *altum* quo Principes de bonis ſubditorum ob bonum commune diſponunt; aliud dominium *humile* quo privati potiuntur in propria bona.

V. Dominium transfertur vel titulo, vel traditione rei. Qui enim præbet rei titulum, ſeu ius alteri, in hunc transferre dominium intendit. Hæc autem translatio dominii deſcribi ſolet, quod *ſit tranſmiſſio rei ab eo qui legitime poſſidet, in al-*

Digitized by Google

alterum qui incipit eſſe dominus. Triplex iſtius translationis principium. Primum Dei voluntas, quæ aut revelatione ipſius Dei fit, in ſacris Scipturis manifeſtata, aut iure naturali nobis conſtat. Alterum eſt voluntas hominis, qui rem ſuam transferre in alium valet. Tertium eſt voluntas Principis, qui de bonis civium propter bonum commune diſponere valet.

VI. Prima autem radix dominii transferendi a rerum diviſione proficiſcitur: Hæc rerum partitio primum facta eſt occupatione, ſeu acceptione bonorum quæ erant omnino communia. Hæc autem diviſio nec iure divino, nec iure naturali invecta eſt. Et ad ius divinum quod attinet, nullum occurrit Scripturarum teſtimonium quod eiuſmodi partitionem præcipiat. Iure porro naturali communia omnia erant; & ad hanc rerum communionem natura ipſa inclinat, ſi ſpectetur præciſa a ſuis paſſionibus, cupiditate nempe, ſuperbia, negligentia &c. Ceterum conſiderata natura eiuſmodi turbatis appetitionibus ſubiecta, neceſſaria erat præfata diviſio.

VII. Communi itaque ſententia iure gentium introducta eſt. Non omnia tamen iure gentium partita ſunt. Nam plura adhuc remanent communia, ut viæ, plateæ, aer, civitates, mare, flumina, feræ &c. Quin, extrema urgente neceſſitate, ipſa partita bona communia ſunt quantum ad uſum. Sola vero generalis rerum diviſio iure gentium invecta eſt; ceteræ particulares diviſiones regnorum, provinciarum, agrorum, particularibus peractæ ſunt iuribus.

C A P U T VI.

Dominii utilis variæ acceptiones. Utrum in rebus uſu conſumptibilibus dominium ab uſu diſtinguatur?

I. Dominium utile, ut iam diximus, eſt *ius utendi, & fruendi aliena re, ſalva eiuſdem ſubſtantia*. Ius aliud dicitur uſus iuris, aliud uſus facti. Uſus facti non eſt ius, ſed iuris executio. Ius proprium, eſt ius utendi, quod diſtinguitur ab aliis iuribus quæ nullum præbent uſum; quale eſt ius depoſitarii in rem depoſitam, creditoris in pignus. Additur *& fruendi*; quæ particula diſtinguit uſumfructum ab uſu nudo. Nam uſuarius licet valeat in proprium commodum re uti, minime tamen poteſt in alterum talem uſum transferre. Contra uſusfructuarius utrumque poteſt, & re uti, & eiuſdem fructus vendere, locare, alienare in alterius utilitatem, *ſalva rei ſubſtantia*. Porro uſusfructuarius diſtinguitur a domino directo, qui poteſt & fructus, & vivum, ſeu capitale, alteri vendere, locare, oppignorare. Uſusfructus alius legalis, alius conventionalis. Ille lege, hic conventione, donatione, aliove privato contractu præſcriptus eſt.

II.

II. Quæſt. I. *Quinam ſint fructus quibus frui uſusfructuarius poteſt?* Reſp. Quidquid fundus parit, & ex eo percipi poteſt, nomine fructus comprehenditur. Fenum, ſegetes, uvæ, arbores cæduæ, fructus omnium arborum. Fructiferæ tamen arbores domini proprietarii ſunt, eaſque cædere, ſecare, eradicare nequit uſusfructuarius; ſed earumdem dumtaxat fructus colligere. Pecorum fructus ſunt fetus, lac, lana, pili. Servorum fructus ſunt induſtriæ opera, & operum mercedes. Proles tamen non venit nomine eiuſmodi fructuum. Advertendum tamen, uſumfructuarium dominium fructuum non acquirere, etiamſi iſti maturi ſint, donec fuerint collecti. Quare ſi uſusfructuarius moriatur ante fructuum collectionem, tum ad dominum proprietarium fructus pertinent. Quandoquidem uſquedum fructus fundo, aut plantis hærent, ſunt fundorum partes. Ergo illius ſunt cuius eſt fundus. Qui tamen fructus furto eriperet, antequam colligerentur, uſusfructuario, non domino directo, reſtituere deberet: quia uſusfructuarius actionem adverſus furem habet.

III. Quæſt. II. *Quid præſtare uſusfructuarius debeat?* Reſp. Aſtringitur rei ſubſtantiam conſervare; cum procurator, non deſtructor ſit rei alienæ. Uſusfructuarius gregis, ſi aliqua moriantur capita, aut inutilia reddantur, alia fructifera ſubſtituere; ſimiliter, areſcentibus vinearum vitibus, agrorum plantis, alias plantare; reparare quoque ædes mediocribus, ſecus magnis expenſis debet. Sublata vero eiuſdem negligentia, ſi res, aut rerum partes fortuito pereant, ut gelu, grandine, aut furto eripiantur, ad nihil tenetur.

IV. Quæſt. III. *Poteſt ne uſusfructuarius alteri ſuum ius uſus vendere?* Reſp. Poteſt, conſentiente, ſecus repugnante domino proprietario. Quin ſi abſque domini directi licentia hoc attentet, ſpoliatur iure ſuo, quod continuo tranſit in dominum proprietarium. Valet tamen ſine eiuſdem conſenſu vendere, aut locare utilitatem nomine ſuo percipiendam: quia tum non amittit ius uſusfructuarii.

V. Emphyteuſis contractus eſt quo in perpetuum, vel ad tempus non brevius decennio, fundus alicui traditur fruendus cum onere penſionis ſolvendæ domino directo in dominii recognitionem. Convenit Emphyteuſis cum uſu, quia re utitur aliena; & cum uſufructu, quatenus utitur, & fruitur re aliena, ſalva ſubſtantia. Differt vero, quia dominium utile ceſſat morte uſuarii, & uſusfructuarii; & præterea uſus, & uſusfructus in rebus mobilibus, emphyteuſis autem in ſolis immobilibus conſtituitur; nec morte emphyteutæ extinguitur, ſed tranſit ad heredes. Poteſt emphyteuta, domino directo inſcio, emphyteuſim per decennium alteri locare; immo valet abſolute in alium transferre, prius tamen domino directo admonito; ut ſi emere eumdem ille velit, ceteris præferatur.

VI. Feudum definitur quod ſit *conceſſio rei immobilis, translato dominio utili, & retento directo apud proprietarium, cum onere fidelitatis, & obſequii perſonalis exhibendi*,

bendi. Differt ab emphyteuſi feudum, quod emphyteuta ſolvat penſionem realem domino directo; feudatarius vero, ſive vaſſallus teneatur ad obſequium perſonale certo tempore præſtandum infeudatori ſeu in aula, ſeu in bello. Confunditur interdum feudum cum emphyteuſi, quando nempe loco obſequii perſonalis conſtituitur penſio realis. Modus conferendi feudi duplex. Primus realis & perſonalis, cum nempe feudatarius inducitur in corporalem feudi poſſeſſionem. Secundus appellatur inveſtitura abuſiva, quando ſcilicet traditur annulus, enſis, pileus in ſignum traditi feudi, & poteſtatis, qua ipſe feudatarius capit rei feudo ſubiectæ poſſeſſionem. Feudatarii ſunt Principes, Duces, Marchiones, ſupremo Principi ſubditi.

VII. Quæſt. IV. *Diſtinguitur ne dominium ab uſu rerum unico uſu conſumptibilium?* Reſp. Quæſtiuncula hæc, nullius alioquin momenti, aut utilitatis, innumeras excitavit turbas, & non modo Theologorum ingenia exercuit, ſed ipſam etiam Cathedram pontificiam fatigavit. Plures quippe pontificiæ conſtitutiones ſuper eadem emanarunt. Ego paucis rem expediam. Duplex, ut iam dictum eſt, iuris uſus: alius facti, alius iuris. Uſus iuris, ſeu utendi iuxta omnes a dominio utili inſeparabilis eſt: hic quippe uſus includit activam facultatem utendi re: quæ facultas revocari abſque utentis iniuria nequit. Uſus facti ſitus eſt in ſimplici rei alienæ uſurpatione, ab alieno nutu pendente; quæque abſque utentis iniuria revocari poteſt. Uſum hunc in rebus non unico actu conſumptibilibus ſeparabilem a dominio eſſe, convenit penes omnes. Diſputatur ergo de rebus unico actu conſumptibilibus, ut ſunt omnes res comeſtibiles: utrum nempe ſi quis mihi in cibum panem porrigat, uſus tantum ſit penes me, dominium vero apud datorem. Sola quæſtionis expoſitio eiuſdem inutilitatem prodit.

VIII. Diſputandi occaſionem dedit ſumma illa Franciſcanæ Religionis paupertas, quæ quodlibet tum in particulari, tum in communi dominium excludit: quam paupertatem revera mirabilem, & heroicam probarunt ſuis conſtitutionibus Gregorius IX. Alexander IV. Innocentius IV. Clemens V. & potiſſimum Nicolaus IV. Ioannes vero XXII. conſtitutionem Nicolai IV. interpretatus eſt de rebus non unico actu conſumptibilibus in ſua Extrav. *Ad Conditorem*, in qua hæc habentur. *Dicere ſiquidem, quod in talibus rebus uſus iuris, vel facti ſeparatus a proprietate rei, ſeu dominio poſſit conſtitui, repugnat iuri, & obviat rationi: nec Prædeceſſoris noſtri prædicta fuiſſe videtur intentio, Romanæ Eccleſiæ talium bonorum dominium reſervare*. Ratio autem adeo luculenta videtur, ut nullam ſolidam reſponſionem excipiat. Nam uſus a dominio diſtinctus neceſſario includit quod rei utilitas ſpectet ad utentem, *ſalva rei ſubſtantia* pertinente ad dominum directum. Porro dominus directus mihi comedendum panem porrigit. Peracta panis comeſtura, ſeu panis utilitate percepta, quid rei ſubſtantiæ remanet penes da-

datorem? Nihil profecto; niſi dicere velimus, quod caro, 'panis cibo producta, ad dominum directum attineat.

IX. Ut tamen controverſia magis fiat perſpicua, diſtingui poteſt, immo debet; uſus habitualis ab actuali; ſeu diſtinguendæ ſunt res comeſtibiles, ut aptæ ad conſumptionem, & ut actu conſumuntur. In priori ſtatu Religioſi habent habitualem capacitatem ad eiuſmodi res conſumendas. Et quod eiuſmodi habitualis uſus ſit a dominio ſeparabilis, extra controverſiam videtur in Religioſis evangelico-monaſticam paupertatem profitentibus. Quis namque inficias iverit, poſſe Prælatum res cibarias, Religioſis conceſſas ad uſum, pro arbitrio revocare, quin Religioſi aliquam patiantur iniuriam, aut reclamare valeant? Porro inclyta Franciſcanorum Religio hoc in ſenſu res etiam comeſtibiles ad purum putumque uſum, omni dominio reiecto, acceptant. Aliæ vero Religiones dominium in communi earumdem rerum aſſequuntur. Et hac etiam ratione Franciſcanorum paupertas excellentior eſt. Quæ omnia adeo vera ſunt, ut dominium non conſiſtat in actuali uſu, qui effectus potius dominii eſt, ſed in habituali facultate, & iure utendi rebus: quo iure carent Religioſi omnes in res illis ad uſum conceſſas.

X. In poſteriori autem ſenſu, quod nempe actualis panis, carnis, piſcis &c. cibus non ſit a dominio ſeparabilis, adeo certum mihi videtur, ut ſuperfluum exiſtimem probationibus id demonſtrare; *cum*, ut inquit Ioannes XXII. *per talem uſum, ideſt utendi actum, & ipſo actu, & cum tali actu res conſumatur huiuſmodi, ac in ipſius rei exerceatur ſubſtantia, nec ſine rei ipſius conſumptione eſſe valeat uſus talis. Ex quò patet quod uſus talis nec ſimplex, nec ſeparatus a dominio poteſt dici.*

XI. Nec reſponderi poteſt, verum hoc eſſe, quando uſus eſt independens, ſecus cum dependens fuerit. Quoniam hoc dumtaxat evincit uſum habitualem, ſeu capacitatem ad conſumptionem ſeparabilem a dominio eſſe; quod ultro fatemur. Ceterum quod actualis conſumptio ſubſtantiæ rei ſeparabilis ab eiuſdem rei dominio ſit, para doxon apparet, quod ius tum civile, tum theologicum improbat. Nam *l. Si vini ff. de uſufructu* hæc ſtatuuntur. *Si vini, olei, frumenti uſusfructus legatus erit, proprietas ad legatarium debet transferri: idem quoque de rebus quæ uſu conſumuntur, intelligimus.* In rebus uſu conſumptibilibus idem eſt uſus, & uſusfructus; adeo ut ſicut legari ad uſumfructum nequeunt, ita neque ad uſum nudum facti res conſumptibiles, reſpectu actualis conſumptionis, poſſunt.

XII. Hanc doctrinam confirmat S. Thomas, cui Theologi ceteri ſubſcribunt; 2. 2. quæſt. lxxviii. art. 1. *Sciendum eſt, quod quædam res ſunt quarum uſus eſt ipſarum rerum conſumptio; ſicut vinum conſumimus eo utendo ad potum, & triticum conſumimus eo utendo ad cibum. Unde in talibus non debet ſeorſim computari uſus a re ipſa; ſed cuicumque conceditur uſus, ex hoc ipſo conceditur res. Et pro-*

Digitized by Google

pter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo ſeorſim vellet vendere vinum, & vellet ſeorſim vendere uſum vini, venderet eam rem bis, vel venderet id quod non eſt: unde manifeſte per iniuſtitiam peccaret. Et ſimili ratione iniuſtitiam committit qui mutuat vinum, aut triticum, petens ſibi duas recompenſationes, unam quidem reſtitutionem æqualis rei, aliam vero pretium uſus, quod uſura dicitur. Tam luculenta doctrina eſt, ut interpretatione non egeat.

CAPUT VII.

De poſſeſſione, & modo eam comparandi, amittendique.

I. POſſeſſio dominium in re comitatur. Eiuſmodi originem aliqui repetunt a *pedum ſeſſione: l. 1. ff. de acquirenda poſſeſſione*: quia qui fundos acquirunt, pedes intra ipſos immittunt. Alii eam arceſſunt a *pos*, quod idem eſt ac *potens*; & *ſedeo*, videlicet *cum poteſtate ſeſſio*. Sed, miſſa nominis etymologia, poſſeſſio definitur quod ſit *detentio rei, corporis, & animi, iuriſque adminiculo*. Poſſeſſio appellatur *detentio*, ſive iuſta, ſive iniuſta. *Rei*, ſive corporalis, ſive ſpiritualis. ICti addunt *corporalis*, quia putant res ſpirituales non poſſideri; ſed falluntur: nam beneficia, dignitates, quin ipſa gratia, & beatitudo æterna poſſidetur. Ceteræ particulæ, *corporis, & animi adminiculo*, duo iuncta produnt, quia nec ſolo animo, nec ſolo corpore poſſeſſio acquiritur. Sola corporalis detentio ab ICtis *aſinina* appellatur. Nec ſola animi intentio ſufficit. Requiritur ergo ad veram poſſeſſionem aſſequendam ut quis animo, & corpore, modo a iure præſcripto, nempe manibus, pedibus, oculis, aliave formula in lege definita, rei poſſeſſionem capiat. Quamobrem tutor, depoſitarius, commodatarius proprie non poſſident bona pupillaria, depoſita, commodata: quia animo eadem ſibi non appropriant, ſed alieno nomine detinent. Hæc animi, corporiſque apprehenſio ad inchoandam, ſecus ad continuandam poſſeſſionem requiritur. Tandem ad poſſeſſionem aſſequendam ſat eſt partem aliquam rei poſſeſſæ attingere aut præſentia perſonali, aut per procuratorem, ſervum, aliumve; ut ex *leg. General. ff. de acquirenda poſſeſſione* conſtat. *Quiſquis noſtro nomine, nobis volentibus, ſit in poſſeſſione, veluti procurator, amicus, hoſpes, nos poſſidere videmur*. Ultima particula *iuris adminiculo* indicat ut ius poſitive non repugnet, ſeu non reddat talem poſſeſſionem nullam: neque enim neceſſe eſt ut faveat. Heinc poſſeſſiones iniuſtas, & malæ fidei hæc definitio non excludit.

II. Poſſeſſio duplex. Altera iuſta, ſeu iuris ſimul, & facti; altera iniuſta, & facti tantum. Illam hoc pacto definiunt: *Inſiſtentia, ſeu detentio rei tamquam ſuæ,*

Digitized by Google

ſuæ, cum iure detinendi. Hanc e contrario : *Detentio rei tamquam ſuæ, ſine iure detinendi*. Poſſeſſio iuſta oritur ex iuſto titulo, qui parit ius, & poteſtatem detinendi rem contra quemcumque invaſorem. Iniuſta poſſeſſio, nullo legitimo titulo parta, nullum ius tribuit detentionis, ideoque vocatur poſſeſſio *facti* tantum . Iura ergo reſiſtunt iniuſtæ poſſeſſioni; non tamen invalidam eam reddunt : quia poſſeſſio agri abſolute licita eſt, & valida. Si adſit iniuſtitia, hæc a iure improbatur, & non eſt poſſeſſio iuris; eſt tamen poſſeſſio facti.

III. Rurſus dividitur poſſeſſio in naturalem tantum, quæ in corporali detentione rei quam alius civiliter poſſidet, ſita eſt; & in civilem tantum , quæ ſolo animo rem detinet; & in civilem & naturalem ſimul, quæ corpore, & animo ſimul rei detentionem importat.

IV. Quatuor ſunt poſſeſſionis prærogativæ, ſeu privilegia . *Prima* eſt bona fides, quæ parit præſcriptionem. *Secunda*, ſi dubitatio inſurgat ſuper rei iure ſeu dominio, poſſeſſoris conditio melior eſt : in pari enim caſu poſſeſſor alteri præfertur. *Tertia*, quod in iudicio actori, non poſſeſſori, probatio incumbat : quia poſſeſſio ſecum dominii præſumptionem affert. *Quarta*, quod poſſeſſori conceſſum ſit ſuam defendere poſſeſſionem iuſtam, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. Caſuiſtæ amplificarunt hanc defenſionem etiam ad ea bona quæ actu non poſſidemus, immo etiam ad ea quæ poſſidere ſperamus, reſpectu quorum ius inchoatum habemus : quam doctrinam damnavit Innocentius XI. duabus propoſitionibus proſcriptis. 32. *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus*. Altera eſt 33. *Licitum eſt tam heredi, quam legatario contra iniuſte impedientem ut vel hereditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere; ſicut & ius habenti ad Cathedram, vel Præbendam contra earum poſſeſſionem iniuſte impedientem*.

V. Poſſeſſio tribus modis obtinetur, nempe apprehenſione *vera*, *ficta*, *civiliſſima*. Apprehenſio *vera* tum eſt, quando manibus, ut rem mobilem, pecuniam , merces &c. pedibus, ut rem immobilem , domum , agrum aſſequeris. Apprehenſio *ficta* eſt, dum quis accipit claves domus , ſcripturam , inſtrumentum in quo ius continetur ad fundum, agrum &c. Apprehenſio *civiliſſima* executioni demandatur ſola diſpoſitione legis, nullo ſive corporis, ſive animi adminiculo; ut quando maioratus , primogenitura &c. tranſeunt ad legitimum heredem ipſo etiam neſciente.

VI. Res poſſeſſæ mobiles amittuntur 1. voluntate poſſeſſoris , ſui compotis, & abſoluti domini. Heinc pupilli, & furioſi abſque tutoris conſenſu nihil alienare valent. 2. per furtum & rapinam. 3. fortuita perditione, puta crumenæ, annuli, gemmæ &c. Animalia perduntur fuga, niſi ex illorum genere ſint quæ redi-

re ſolent. Servus autem fuga non perditur; ut *leg. Pomponius 13. ff. de acquir. & amitt. poſſeſſ.* Res immobiles amittuntur 1. longa abſentia poſſeſſoris, qui nec per ſe, nec per alium proteſtetur ſe nolle rem dimittere. Quam abſentiam alii limitant ad decennium, alii ultra extendunt, alii prudentum arbitrio relinquunt. 2. cum dominus rem ſuam ab alio poſſideri ſcit, & recuperare eamdem negligit. 3. quando res ita occupatur ab alio, ut non ſit probabilis ſpes eamdem recuperandi. 4. per oblivionem longam, ut colligitur ex *l. Furtum ff. de uſucapionibus*; aut ſi dominus ignoret rem eſſe ſuam, vel eam inter ſua bona non computet: deeſt enim tum animus poſſidendi.

VII. Advertas tamen velim, remanere dominium poſſe, etiam perdita poſſeſſione. Dominium tamen non acquiritur communiter niſi apprehenſione rei vera, vel ficta, ut clare colligitur ex *l. Traditionibus cod. de pactis*, ubi hæc habentur: *Traditionibus rerum dominia, non nudis pactis transferuntur.* Quare dum res tibi venditur, etiam ſoluto pretio, dominus non evadis ante traditionem; immo ſi eadem res alteri vendatur, ſimulque tradatur, hic tibi præfertur in utroque foro. Si tamen emptor mala fide proceſſit, ſciens nempe tibi rem venditam fuiſſe; tum actionem haberes ad rem vindicandam. Excipiuntur tamen caſus aliqui in quibus dominium abſque apprehenſione acquiritur; ut quando bona venduntur, aut donantur Eccleſiis, hoſpitalibus, monaſteriis, captivis redimendis, aut piis operibus impendenda. Qui enim hæc bona vendita, aut donata locis piis præfatis emeret ante traditionem, ſive bona, ſive mala fide, dominium non acquireret. Similiter beneficiorum dominium acquiritur ſola collatione, & acceptatione ſine apprehenſione. Tandem in hereditate, in legatis, aliiſque caſibus ſola acceptatione dominium acquiritur.

CAPUT VIII.

Quinam ſint dominii capaces, & quænam bona ſubiaceant dominio.

I. SOla natura intellectualis, Deo, Angelis, & hominibus communis, dominii capax eſt. Deus ſolus ſupremum abſolutumque in omnia creata dominium habet. Quare Deus vocatur *ſolus Dominus*. Hoc vel ipſi Ethnici agnovere. Narrat quippe Svetonius, quemdam larvatum hominem Octavianum Auguſtum Dominum appellaſſe. Quem titulum ægre ferens Imperator iuſſit ne impoſterum *Dominus*, ſed diminutione adiecta *Domnus* appellaretur; ut indicaret, ſolum Deum Dominum appellandum eſſe. Angeli dominio præditi ſunt in proprias operationes, ſecus in res huius univerſi corporales, quibus tantum præſident.

II.

Digitized by Google

II. Homines vero dominio potiuntur in has res corporales inferiores. Univerſa quippe propter hominem Deus condidit; ut inquit Rex David Pſal. VIII. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oves, & boves univerſas, inſuper & pecora campi.* Item Gen. I. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, univerſæque terræ .... Replete terram, & ſubiicite eam, dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli.*

III. Omnes itaque homines, peccatores, infideles, hæretici, vero pollent dominio, ut Scriptura divina teſtatur: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Et in Concilio Conſtantienſi definitum eſt adverſus *VVicleffum*, & *Ioannem Hus*, Prælatos peccatores, Reges, & Principes infideles veros dominos eſſe. Neque enim peccatum ius aufert ad propria bona, & famam.

IV. Pueri ante uſum rationis dominii capaces ſunt. Quoniam ad dominium ſat eſt voluntas capax utendi re tamquam propria. Pueri autem hac voluntate præditi ſunt; licet per accidens nequeant pueritiæ tempore exercere. Nec ſemper requiritur conſenſus ad dominium aſſequendum; ſed legis diſpoſitio ſupplere hunc actualem conſenſum, & acceptationem valet. Supplere quoque hunc conſenſum poſſunt curatores, & tutores a Republica deſtinati.

V. Bona dominio humano ſubiecta, ſunt omnes res ſublunares. Homines itaque quicumque ſunt capaces dominii in hæc terreſtria bona. Licet autem cæli & aſtra ſint in commodum hominis condita, tamen iiſdem ad libitum uti nequit: idcirco dominus illorum non eſt. Neque alterius hominis homo dominium habet: iure quippe naturæ omnes homines ſunt ſui iuris, cum omnes ab eodem parente proficiſcantur, eademque natura donati ſint.

VI. Dominium tamen homo in alterum hominem acquirere poteſt iure gentium, & civili, & quidem pluribus titulis. Primo iure belli iuſti. Secundo nativitate: quippe qui ex ſerva naſcitur, ſervus eſt. Tertio iuſta condemnatione: iudices enim ad ſervitutem damnare reos valent. Quarto venditione: homo enim ſuæ libertatis dominus eſt, & vendere ſeipſum valet, emptorque dominus evadit. Quamobrem licitum ſervis haud eſt fugam arripere, ut ſtatuitur *l. 1. cod. de ſervis fugit.* ubi hæc habentur. *Servum fugitivum ſui furtum facere, & ideo non habere locum nec uſucapionem, nec longi temporis præſcriptionem, manifeſtum eſt.* Nec obeſt quod ſint ſervi infidelium. Quoniam & his ſervanda fides eſt naturæ iure. Si tamen ad fidem & religionem deſerendam tentarentur; tum licita fuga eſſet. Servi porro eiuſmodi non ita ſubditi domino ſunt, ut hic poſſit eos aut occidere, aut lædere, aut mutilare; immo nec homo ſuæ vitæ dominus eſt, uti fuſius oſtenſum fuit in ſextum Decalogi mandatum. Qua vero ratione ſuæ famæ dominus ſit homo, ſimiliter dixi in octavum Decalogi mandatum *differt. de Detract.*

Digitized by Google

VII. Non ſolum bonorum temporalium, ſed etiam ſpiritualium dominus homo eſt. Poſſidet enim bona interiora gratiæ, virtutes, & dona cæleſtia ipſi a Deo infuſa, ſicut & bona exteriora quæ ſunt ſpiritualibus coniuncta, ut beneficia, & dignitates eccleſiaſticas. Priorum bonorum dominium inde homo habet, quod auxilio divino præventus ad eadem ſe diſponat, ſintque effectus cooperationis gratiæ. Porro eorum homo dominus eſt quæ ſua induſtria, gratia divina adiutus, comparat. Si merus cuſtos chariſmatum cæleſtium homo eſſet, quoties a gratia decideret, duo peccata patraret, alterum iniuſtitiæ, alterum contra præceptum quod tranſgreditur. Qui fornicaretur, præter flagitium fornicationis, iniuſtitiæ quoque reus eſſet: quod falſum eſt, ut communiter Theologi docent. Non minus certum eſt hominem dominium habere in bona ſpiritualibus annexa. Pontifex ſui Pontificatus, Epiſcopus ſui Epiſcopatus, & ceteri Paſtores ſuorum Beneficiorum dominium habent: quia facultate potiuntur iiſdem utendi in commune beneficium gregis. Redituum vero temporalium qui his beneficiis ſunt annexi, diſpenſatores, non domini ſunt, ut alibi demonſtravi. Illud etiam advertendum, Pontificem ſui Pontificatus, Epiſcopum ſui Epiſcopatus dominos eſſe; ſecus aliorum Beneficiorum, quorum omnium ſunt tantum diſpenſatores.

C A P U T IX.

De dominio quod in animalia homo habet.

I. HActenus de dominio rerum in communi. In præſentia de dominio rerum particularium, & de modis, ſeu titulis quibus res acquiruntur, inſtituendus ſermo eſt. Plura enim ſunt adhuc indiviſa; aut dominum, quem habebant, amiſerunt. Eiuſmodi bona occupatione, inventione, alluvione, acceſſione, commixtione, præſcriptione comparantur.

II. Quæſt. I. *Animalia natura ſua manſueta capere ne alicui licet?* Reſp. Animalia natura ſua manſueta ſunt boves, canes, oves, gallinæ, ſues &c. Hæc ſi egrediantur e domini cuſtodia, longiuſque diſcedant, domini ſemper remanent; & nemini licet eadem ſibi uſurpare: & qui eadem caperet, præter peccatum grave, reſtitutioni eſſet obnoxius. Quare ſi contingat hæc animalia domeſtica vel fulmine percuti, vel a feris diſcerpi, vel alio modo perire, quidquid reliquum manet, domini eſt; ut habetur *l.* Pomponius *ff. de acquir. rer. domin. §.* Gallinarum, *Inſtit. de rerum diviſione.*

III. Quæſt. II. *Cuius ſunt animalia humana induſtria facta manſueta?* Reſp. Aliqua animalia natura ſua fera ſunt, ſed hominum induſtria manſueſcunt, ut accipitres, cervi, apes in alveariis reconditæ, piſces in ſtagnis dominorum incluſi,

ſub

ſub dominio poſſeſſoris manent, nec poſſunt ab aliis uſurpari. Cum vero e cuſtodia egrediuntur, nullaque ſit regreſſus ſpes; tum recuperant nativam libertatem, fiunt communia, illorumque dominus evadit qui primus eadem ceperit. Quid vero requiratur ut nulla adſit revertendi ſpes, non una eſt omnium ſententia. Nam alii dicunt ſat eſſe ut bis aut ter conſueto tempore non revertantur. Alii ſubdunt id prudentum iudicio relinquendum eſſe. Si perdices, aves phaſianæ ad montes avolent; ſi ruptis repagulis piſces e ſtagno in mare, aut flumina irruant; ſi fracto muro cervi, damæ ad ſilvam redeant; dubio procul priſtinam recuperant libertatem, & fiunt communia. Excipi aves venaticæ ſolent, ut falcones, milvi, & ſimiles, quas vi conſuetudinis reſtituendas eſſe communiter Auctores docent: idemque ſtatuunt de avibus muſicis magni pretii, reddito tamen pro captura præmio debito. Qui columbas, cuniculos eſca, illecebris, aliave fraude divertere, & in propria columbaria pertrahere ſtudet, peccat, & reſtitutionis onere gravatur. Poſſunt utique omnes e propriis campis hæc animalia expellere, ne damnum inferant. At cum damnum illud publica conſuetudine toleretur ob bonum publicum, nemo in eiuſmodi damni compenſationem præfata animalia impedire iure valet ne ad ſua columbaria, aut garenas redeant. Si tamen columbæ alienæ tuis ſe ſe immiſcerent, & ſponte in tua ingrederentur columbaria, ſublata omni fraude, tuæ fierent. Apes ex alveario tuo egreſſæ tamdiu ſub tua manent poteſtate, quamdiu facile eaſdem capere vales; at a tuo conſpectu avulſæ, fiunt primi capientis.

IV. Quæſt. III. *Animalia ſilveſtria fiunt ne primi occupantis?* Reſp. Adfirmant omnes. Sunt enim hæc natura ſua communia, & tamdiu ſunt capientis, quamdiu eiuſdem cuſtodiæ ſubiacent; ut colligitur ex *l.5.ff.de acquir.rer.dom.& §.Feræ.* Quando feras has in alieno fundo quis capit, ſunt capientis, non domini fundi. Poſſunt utique fundorum domini prohibere ne quis in proprios fundos ingrediatur; & ingredientes contra hæc dominorum mandata damnum quod fundis inferunt, compenſare aſtringuntur: at captarum ferarum etiam in his fundis alienis domini evadunt, quia domini fundorum nullo in feras potiuntur dominio.

V. Quæſt. IV. *Cuius eſt fera ab uno vulnerata, & ab alio capta?* Reſp. Si vulnus ita letale fuerit, ut abſolute fugere fera nequiverit, eſt vulnerantis. Si fera vulnerata fugere pergat, & vulnerator eam inſequatur, moraliter certus quod ſit eam capturus; tunc quoque eſt vulnerantis. At ſi vulnus non ſit letale, nec vulnerator ſpem valde probabilem habeat eam capiendi; tum fera vulnerata eſt capientis. Et hoc docent omnes; & eruitur ex *§. Illud quæſitum eſt, Inſtit. de rer, diviſ.* Si tamen vulnus cauſſa peculiaris ſit cur ab alio capiatur; ratio naturalis præſcribit ut utilitas inter vulnerantem & capientem dividatur.

VI.

Digitized by Google

VI. Quæſt. V. *Cuiuſnam eſt fera, vel avis in laqueum lapſa?* Reſp. Aliqui contendunt eſſe capientis; idque eruunt ex *l. In laqueum ff. de acquir. rer. domin.* Verum ex præfata lege tantum eruitur, feram eſſe capientis, quando hæc ita in laqueum incidat, ut ſe expedire, fugamque facile arripere queat. Ceterum ſi fera ita laqueo irretita fuerit, ut ad fugam difficile aditus pateat, tum ad eum pertinet qui laqueum paravit.

CAPUT X.

De piſcatione, aucupio, venatione: quando, & quibus hæc licita ſint.

I. Piſcatio, aucupium, venatio, iure naturæ ſpectato, ſemper, & omnibus communia ſunt. Tamen iure poſitivo aliquibus temporibus, locis, & perſonis hæc vetantur ob bonum commune, aut decorem perſonarum. Feras venari tempore quo gravidæ ſunt, vetitum eſt. Alicubi nivis tempore permiſſum haud eſt venari lepores, cuniculos, perdices, columbas: quia, cum nimis tum temporis facilis ſit illorum captura, cito talia deficerent animalia. Retes quoque nimium ſpiſſæ quibus parvuli piſces capiantur; & eſcæ quibus inficiantur, & illarum eſu moriantur, iure vetitæ ſunt. Qui habent prædia, fundoſque in quibus ſunt lacus, ſilvæ &c. iure vetare poſſunt ne quiſquam in his locis piſcationem, aut venationem exerceat. Quamvis enim animalium dominium non habeant, iure tamen potiuntur ne quiſquam ingrediatur proprios fundos. Princeps autem vetare iure valet ne in prædiis quæ ad communitatem ſpectant, venationem, piſcationem, aucupium quiſquam peragat, quando Princeps cum onere prædia communitati, aut privatis perſonis impertiit.

II. Diſputant Doctores, valeat ne Princeps in fundis, prædiiſque quæ omnino ſunt alicuius civitatis, venationem, aucupium, piſcationem prohibere, & hæc ſibi ſoli reſervare aut ad honeſtam recreationem, aut ad congruam ſuſtentationem? Et communiter adfirmant: quia congruit, inquiunt, Principum ſplendori & maieſtati ut loca eorum ſolamini, & recreationi deſtinata, ſint aliis occluſa. Quin addunt, hoc privilegium poſſe Principem alicui Magnati de Principatu optime merito impertiri. Tres tamen adiiciunt limitationes. Prima eſt, ut Princeps præfatorum locorum habitatores compenſet aut tributorum diminutione, aut conceſſione privilegiorum. Quoniam licet ius Princeps habeat ea a ſubditis exigendi quæ ad ſui ſuſtentationem, ſplendorem, & honeſtam oblectationem neceſſaria & congrua ſunt; ea tamen ab omnibus ſubditis exigere æquali, proportione ſervata, diſtributione tenetur; nec hos præ illis gravare licite poteſt. Secun-

Digitized by Google

cunda limitatio eſt, ne Princeps damna inferat habitatoribus, aut nimia multiplicatione ferarum quæ vicina loca devaſtent; aut venationis pernicioſæ exercitio. Quare omnia damna quæ heinc ſubditorum fundis, agris, vineis eveniunt reſarcire & compenſare ad æqualitatem Princeps aſtringitur. Officium quippe Principis eſt ſubditos a damnis, iniuriis, & oppreſſionibus tueri, eorumque bona ſarta tecta cuſtodire. Quare duplex peccatum Princeps committit, dum ſubditos plus iuſto gravat, eorumque fundos, ſegetes, oliveta, vineaſque devaſtat: alterum contra proprium officium & munus; alterum contra proximum, tametſi ſubditum, quem gravandi plus æquo ius non habet. Tertia tandem eſt, ne Princeps pœnam nimium ſeveram, puta capitis, mutilationis, flagellationis, imponat contra piſcantes, venantes, & aucupantes in eiuſmodi locis. Quia tales actiones non ſunt tantorum ſuppliciorum ſeveritate dignæ.

III. Quæſt. unic. *Quodnam crimen committunt qui contra edictum Principis, aut communitatis in locis prohibitis venantur, piſcantur, aucupantur?* Reſp. Qui piſcantur, aut venantur tempore vetito, aut contra edictum Principis, hos non peccare mortaliter communiter Auctores docent: tum quia edictum Principis eſt mere pœnale: tum quia etiamſi præceptivum eſſet, deſuetudine ceſſavit: tum tandem quia materia levis eſt. Piſcatio enim, & venatio communiter, etiam temporibus vetitis, magnum afferre nocumentum non ſolent. Si autem magna animalium ſtrages fieret, aut ſi eſcæ in flumen miſſæ inquinarent aquas, ex quibus hauſtis homines morerentur; tum & peccatum grave contingeret, & piſcatores damnorum reſtitutioni eſſent obnoxii. Qui vero in privatorum locis circumſeptis piſcantur, venantur, peccant mortaliter, & capta animalia reſtituere, ac damna reſarcire locorum dominis tenentur. Si tamen loca ita ampla eſſent ut piſcium piſcatio, & ferarum captura difficilis foret, quo in caſu dominus locorum dominium in feras, & piſces non haberet; tum non capta animalia, ſed damna tantum illata reſarcire piſcatores, & venatores deberent. Similiter graviter peccant, & reſtitutionis onere aſtricti ſunt qui ſatos agros, qui vineas, ſegetes, plantas venatione devaſtant, quando heinc gravia locorum dominis damna ſequuntur.

IV. Perſonæ quibus venatio prohibita eſt, ſunt Clerici, & Monachi. Non tamen omnis venatio vetita iſtis eſt, ſed clamoris plena, quæ ſcilicet canum, equorum, armorumve ſtrepitu peragitur: tum quod ſimilis venatio perſonas Deo ſacratas dedeceat; tum quod occaſio ſit in canes, accipitres, equoſque dilapidandi bona quæ in pauperes diſtribuenda eſſent. Venatio abſque ſtrepitu, & clamore, niſi ſit frequens, & immoderata, non videtur iiſdem vetita iure communi. Epiſcopi tamen abſolute Clericis ſuis prohibere eamdem valent. Monachis quorum Monaſteria vivaria, & ſaltus habent, in quibus feræ exiſtunt, non eſt prohibitum

tum eaſdem feras occidere; ut indicare videtur Clemens V. cap. *Ne in agro* de Stat. Monach. §. *Porro a venationibus* : dummodo tamen, ſubdit Pontifex, *infra Monaſteria, ſeu domos quas inhabitant, aut eorum clauſuras venaticos canes non teneant, nec venationi præſentiam exhibeant*. Abſolute tamen dedecet hunc ſtatum tam ſancta profeſſione Deo ſacratum, ferarum ſanguinem fundere; nec honeſtari recreationis prætextu valet, cum oblectationis qualitas congruere ſtatui monaſtico debeat. Excipe caſus fortuitos, & raros.

V. Quando autem Clerici operam dantes venationi clamoroſæ peccent mortaliter, definiri abſolute non valet; ſed prudentum arbitrio remittendum eſt. Spectandæ ſunt circumſtantiæ, frequentia, tempora &c. Epiſcopi venantes modo dicto, ſuſpendi tribus menſibus a communione, Presbyteri duobus, Diaconi ab omni officio iubentur; ut conſtat *cap.*Quorumdam *diſt.*XXXIII. & *cap. de Cleric. venat.* Tempora quibus venatio interdicta eſt, ſunt dies feſti, & eſuriales. Præciſo tamen ſcandalo, ſi ſacrum audiatur, & ieiunia ſerventur, docent communiter, non eſſe peccatum mortale venationem a Clericis his diebus peractam. Sed circumſtantiæ, & frequentia potiſſimum ſpectari debent. Piſcatio tamen moderata nec Clericis, nec Religioſis abſolute interdicta eſt, cum Apoſtoli, etiam poſt nomen Chriſto datum, eamdem exercuerint. Piſcationem diebus feſtivis exercere neceſſitatis cauſſa, conſuetudine invectum eſt; licet abſolute, ut colligitur ex cap. *Licet de feriis*, inter opera ſervilia piſcatio ex officio frequentata computetur. Quoniam Pontifex in *cit. cap.* cum aliquibus diſpenſavit ut feſtis diebus piſcarentur, addita obligatione eleemoſynæ in pauperes erogandæ.

CAPUT XI.

Qua via ſilvarum, montium, & paſcuorum dominia acquirantur.

I. Silvarum, paſcuorum, & montium domini ſunt populi quibus hæc viciniora ſunt, iure gentium ſpectato. Nec qui dominantur in hos populos, ſibi prælata adiudicare valent, niſi peculiari aliquo titulo eadem acquiſierint. Quare ſi damna his locis gravia intulerint, non ſecus ac oppidani, reſarcire eadem debent. Poſſunt vero, quemadmodum cives, & privati omnes, immo potiori iure, in his locis ligna cædere, animalia ad paſcua mittere. Sunt etiam montes, ſilvæ, paſcua inter conterminos vicinoſque populos communia: & tum quiſque populorum cædere arbores, armenta ad paſcua ducere iure poteſt; cum eiuſmodi fructus ſint primi occupantis ex illis populis.

II. Principes tamen populorum, aut communitates ipſæ prohibere valent, pœnis

nis adiectis, ne certis temporibus ligna cædantur, animalia ad paſcua immittantur, ob bonum commune; ne maior lignorum quantitas e ſilva transferatur; ne talis ſpeciei arbores ſcindantur, aut nonniſi poſtquam adoleverint, & ad tantam groſſitiem, & magnitudinem pervenerint. Quia hæc omnia tendunt ad conſervationem ſilvarum, nemorum, & paſcuorum. Præciſo hoc fine, fieri prohibitio nequit: quia ſinguli ius habent ad eiuſmodi communium locorum fructus capiendos; & hoc iure ſpoliari nequeunt, ipſis non conſentientibus. Heinc eſt quod, ut advertunt communiter Theologi, pœnæ quæ prohibitioni addi a communitate, aut Principe contra tranſgreſſores ſolent, debeant eſſe moderatæ, & leves, ac culpæ reſpondentes. Quare ſicut gravis, abſolute loquendo, & præciſo aliquo ingenti damno, non eſt violatio ſimilium edictorum; ita adiectæ pœnæ graves eſſe non poſſunt ad proportionem cum delicto ſervandam.

III. Communiter Theologi docent, ut mox indicavi, non peccare mortaliter oppidanos, civeſque qui contra præfata edicta armenta in paſcua immittunt, & ligna cædunt; niſi ligna magni valoris eſſent, & publicis ædificiis neceſſaria; graveque damnum inferretur publico bono: tum enim & peccatum grave foret, & reſarciri pro viribus damnum deberet. Similiter plurium oppidorum populi, qui contigua paſcua, ſilvaſque habent, non peccant, dum ligna cædua quandoque promiſcue ſcindunt, aut armenta reciproce in paſcua immittunt; niſi adſit fraus, aut ingens damnum, quod raro accidit. Spectanda tamen ſunt pacta, conventiones, & conſuetudines populorum.

IV. Peccant tamen illi qui armenta mittunt ad paſcua diſtantium oppidorum, quorum incolæ nequeunt, aut non ſolent viciſſim propria animalia in eorumdem paſcua conducere, aut ligna cædere: quia tum nulla eſt mutua compenſatio, nec tacitus conſenſus. Idem potiori iure dicendum de iis qui in privati alicuius domini paſcuis, & ſilvis animalia paſcunt, aut ligna cædunt. Iſti pro materiæ gravitate peccant mortaliter, & ad reſtitutionem obſtricti ſunt. Ad reſtitutionem tamen quod attinet, attendendæ ſunt circumſtantiæ. Nam damnum illatum paſcuis, aut ſilvis amplis, & communibus, non erit obnoxium reſtitutioni; quod eſſet, ſi illatum paſcuis, vel ſilvis alicuius privati fuiſſet.

Digitized by Google

CAPUT XII.

De rerum inventarum dominio.

I. PLura diſcutienda propoſitus titulus exhibet, quæ ego diſtinctis quæſtiunculis explicabo. Et primum omnium doctrinam S. Thomæ, quæ paucis omnia fere enucleanda comprehendit, præmitto. Hæc autem ille 2. 2. *quæſt.* LXVI. *art.* 5. *ad* 2. conſtituit. *Quædam ſunt quæ numquam fuerunt in bonis alicuius, ſicut lapilli, & gemmæ, quæ inveniuntur in littore maris: & talia occupanti conceduntur. Et eadem ratio eſt de theſauris antiquo tempore ſub terra occultatis, quorum non extat aliquis poſſeſſor; niſi quod ſecundum leges civiles tenetur inventor dare medietatem domino agri, ſi in alieno agro invenerit. Propter quod in parabola Evangelii dicitur Matth.* XIII. *de inventore theſauri abſconditi in agro, quod emit agrum, quaſi ut haberet ius poſſidendi totum theſaurum. Quædam vero res inventæ fuerunt de propinquo in alicuius bonis: & tunc ſi quis eas accipiat non animo retinendi, ſed animo reſtituendi domino qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum. Et ſimiliter ſi pro derelictis habeantur, & hoc credat inventor, licet ſibi eas retineat, non committit furtum: alias autem committitur peccatum furti. Unde Auguſtinus dicit in quadam homil. & habetur* XIV. *quæſt.* V. *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Tria diſtinguit S. Thomas bonorum genera. Alia quæ nemo umquam poſſedit, ut gemmæ, aut margaritæ in mari extantes; aut ſi aliquando dominum habuerunt, amiſſa fuere, & pro derelictis reputantur, fiuntque primi occupantis. Alia ſunt theſauri, qui licet iure naturæ ſint inventoris, iure tamen poſitivo eorum dimidia pars domino agri debetur. Tertii generis ſunt bona perdita, quæ de propinquo dominum habent; & inventor, qui ſibi eadem retinet, furtum committit, ſi domini notitiam habeat, aut habere poſſit. Si tamen de propinquo dominum non habeant, ſed longo tempore eo caruerint, ut ſunt illa quæ pluribus annis fuerunt ſubmerſa in fundo maris, aut fluvii, & fortuito inde extracta, aut ea quæ dominus nolit amplius in ſuo habere dominio; pro derelictis reputantur. His præmiſſis, ſequentibus quæſtionibus tota materia explanabitur.

II. Quæſt. I. *Cuiuſnam ſint bona derelicta?* Reſp. Antequam de bonis derelictis verba facio, in memoriam revoco doctrinam S. Thomæ, inquientis, bona quæ numquam dominum habuerunt, fieri primi occupantis, iure naturæ ſpectato. Poſſunt tamen Principes circa piſcationem margaritarum, & lapillorum leges condere, quibus conditiones præſcribant, & tributa imponant præfata capientibus.

III.

III. Ad interrogationem itaque reſpondeo, bona derelicta eſſe primi occupantis, ut idem S. Doctor adfirmat. Tunc autem vocantur derelicta, quando ex certis ſignis eruitur, nullum ea habere dominum. Signa vero ſunt, ſi eadem dominus, cum poſſit, recuperare negligat, ita ut ratione longioris temporis, & diſtantiæ nullo modo poſſit illa iterum aſſequi.

IV. Quæſt. II. *Bona naufragantium ſunt ne primi occupantis?* Reſp. Negant omnes. Quoniam eiuſmodi bona pro derelictis a nemine habentur. Nec enim illorum domini voluntarie eadem in mare proiiciunt, ſed neceſſitate aut vitæ ſervandæ, aut vitandi maioris mali. Quare qui eadem inventa ſibi uſurpant, peccant mortaliter, & ad reſtitutionem tenentur. Et in *Bulla Cœnæ* excommunicationi ſubiiciuntur illi qui Chriſtianorum naufragantium bona in littore inventa ſibi uſurpant, animo eadem non reſtituendi. Et ſi quæ ſunt leges quæ præſcribant præfata bona applicanda eſſe locorum dominis, iniuſtæ reputantur ab omnibus, & iniquæ. Si quis tamen eadem bona capiat, animo illa reſtituendi domino, & is, cum poſſit, eadem non repetat, & bonorum repertor dominum ignoret, nequeatque illum debita adhibita diligentia reperire; tum ea pro derelictis habentur. Idem dicendum de bonis quæ incendio, aut alio periculo pereunt. Neque hæc inter derelicta computantur; ſed domino reſervanda ſunt, etiamſi in totum peritura eſſent. Quare ſi flammis bona ſurripis, etiamſi abſumenda fuiſſent, non propterea tua, ſed domini ſunt, pretio tibi pro labore, & periculo ſoluto. Nec eſt quod cavilleris: Niſi mea induſtria ſalva facta fuiſſent, omnino bona illa periiſſent. Verum habet. Quid vero inde? Bona aliena, non tua, ſervaſti. Neque hæc conſervatio efficit ut aliena tua ſint. Induſtria, periculum quod ſuffers, iuſta ſtipendia merentur. Ceterum quidquid adverſæ fortunæ ſuperſit, domini eſt; ut ſi e faucibus feræ eripias ovem, aliudve animal, ad dominum attinet, etiamſi abſumendum ſine tua induſtria fuiſſet. Communia hæc omnia ſunt penes Auctores. Quæ vero ex fluminum inundatione colliguntur, utrum inter derelicta collocanda ſint, ex circumſtantiis iudicandum eſt; ut ſi pretium exiguum foret, ſi induſtria capientis parum diſtaret a rei captæ valore, ſi dominus nimis diſtans eſſet, aliiſque accidentibus. In dubio tamen ſemper eſt in domini favorem præſumendum.

V. Quæſt. III. *Quibus applicanda ſunt bona vacantia?* Reſp. Quæ quis moriens ſine teſtamento relinquit, niſi habeat heredes neceſſarios, bona vacantia nuncupantur. Hæc bona applicari fiſco ſolent, niſi leges peculiares eadem deſtinent in pia opera diſtribuenda. Quemadmodum bona peregrinorum, decedentium ſine teſtamento, Epiſcopus erogare in opera pia debet; ut declaravit Authentica *Omnes peregrini*, cod. comman. de ſucceſſ. *Si peregrinus inteſtatus deceſſerit, ad hoſpitem nihil perveniet; ſed bona ipſius per manus Epiſcopi loci, ſi fieri poteſt, heredibus tradan-*

dantur, vel in cauſas pias erogentur. Si tamen in hoſpitali peregrinus deceſſerit, habeatque xenodochium privilegium quo eidem adiudicentur bona peregrinorum ſine teſtamento decedentium; tum hoſpitale heres eſſet.

VI. Quæſt. IV. *Cuius ſint bona perdita ab uno, & ab alio inventa*? Reſp. Qui invenit rem alienam, puta annulum, crumenam, veſtem, & cuiuſque generis ſint, dominis reſtituere tenetur: alioquin furti crimen perpetrat. Si dominos ignoret, adhibere diligentiam debet maiorem aut minorem iuxta maiorem minoremve rei inventæ valorem, ut eorumdem aſſequatur notitiam. Curandum illi eſt ut e ſuggeſtis res inventa denuntietur, aut publicis locis affigenda folia ſunt, in quibus inventa bona, cautionibus adhibitis, manifeſtentur. Qui moralem diligentiam omittunt, qua domini rerum inventarum admoneantur, furtum committunt præfata bona retinentes. Si plures compareant domini rerum inventarum, & colligi ex ſignis nequeat quiſnam ſit verus dominus; tum tribuenda bona illis ſunt, ut iacta alea eadem inter ſe dividant. Neque inventor petere quidquam a domino pro inventione iure valet; niſi in cuſtodia rei inventæ aliquid expendiſſet, aut laborem, & incommodum paſſus eſſet. Accipere tamen poteſt munus, quod dominus ob lætitiam repertæ rei, & in grati animi argumentum rependit. Verum ſi ingratus dominus eſſet, nihilque donare vellet; teneretur adhuc inventor bona reddere. Ut & inventores rerum facile reſtituant, & domini liberales evadant in remunerando inventore, lubet tranſcribere quod S. Auguſtinus narrat ſer. XIX. de verb. Apoſtol. *Pauper* (inquit) *invenit ſacculum* (*niſi forte me numerus fallit*) *cum ſolidis ferme ducentis. Memor legis propoſuit pitacium publice: Qui ſolidos perdidit, veniat ad locum illum, & quærat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, invento, & lecto pitacio, venit ad hominem: & ne forte quæreret alienum, quæſivit ſigna, interrogavit ſacculi qualitatem, ſigillum, ſolidorum etiam & numerum. Et cum omnia illi fideliter reſpondiſſet, reddidit quod invenerat. Ille autem repletus gaudio, & quærens vicem rependere, tamquam decimas, obtulit ſolidos viginti; qui noluit accipere. Obtulit vel decem: noluit accipere. Saltem rogavit vel quinque accipere: noluit ille. Stomachabundus homo proiecit ſacculum. Nihil perdidi, ait: ſi non vis aliquid a me accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei! Qualis pugna! Qualis conflictus! Theatrum mundus, ſpectator Deus*. Ubinam hac tempeſtate eiuſmodi Chriſtianorum genus? Quam ſint iniqui inventores qui abſque mercede reddere inventa nolunt, quam ingrati domini qui inventoribus munera donare recuſant, ex hoc collige exemplo.

VII. Quæſt. V. *Cuiuſnam ſunt bona inventa quorum domini poſt adhibitam diligentiam non reperiuntur*? Reſp. Inventores ſibi retinere poſſe præfata bona, aſſerunt non pauci Theologi: quia nec iure naturæ, nec iure poſitivo eiuſmodi bona diſtribuenda pauperibus ſunt, nec in pia opera eroganda. Cum ergo vero domino

mino reſtitui nequeant, eo quod is ignoretur, communia evadunt. Si communia, ergo primi occupantis. Hanc opinionem defendunt Soto, Medina, Bannez, Cardinalis Gotti, & alii. Oppoſita ſententia mihi probabilior eſt, videlicet eiuſmodi bona inter pauperes diſtribuenda, aut piis operibus applicanda. Nam licet eorum dominus ignoretur, reipſa tamen eſt aut vivus, aut mortuus, ad quem illa attinent, & ad eum clamant. Eo igitur quo fieri poteſt modo eidem reſtituenda ſunt. Porro tametſi eidem in perſona reſtitui nequeant, poſſunt tamen in eiuſdem beneficium, & commodum expendi ac diſtribui. Quis ire inficias poteſt quemquam dominorum velle ſuis bonis frui aut corpore, aut anima? Nequit corpore frui: ergo anima. Ergo ſi reddi corpori nequeunt, animæ reddenda ſunt. Animæ reſtituuntur, dum in pauperes, aut in pia opera erogantur. Ergo hoc pacto diſtribui præfata bona debent. Accedit hominum piorum conſuetudo & praxis, qua eiuſmodi bona in pios uſus diſtribuunt. Moratorum quippe hominum conſuetudo vera legis interpres eſt. Quæ in huius ſententiæ probationem diximus, confirmat S. Thomas 2. 2. quæſt. lxii. art. 5. ad 3. *Si ille cui fieri debet reſtitutio, ſit omnino ignotus, debet homo reſtituere ſecundum quod poteſt, ſcilicet dando in eleemoſynas pro ſalute ipſius (ſive ſit mortuus, ſive ſit vivus) præmiſſa tamen diligenti inquiſitione de perſona eius cui eſt reſtitutio facienda*. Neque obſtat quod opponit Cardinalis Gott quæſt. vi. dub. 3. ſ. 3. ex S. Thoma *loc. cit. quæſt.* lxvi. *art.* 5. *ad* 2. quod bona inventa *ſi pro derelictis habeantur, & hoc credat inventor, licet ſibi ea retineat, non committit furtum: alias autem committitur peccatum furti. Unde Auguſtinus dicit: Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Vera hæc ſunt. At confundi non debent bona inventa cum bonis derelictis. Hæc præſumuntur reipſa derelicta eſſe a domino, ut capitis initio dixi; ſecus inventa bona, quæ licet perdita a domino ſint, ad dominum tamen ſemper clamant, niſi ſigna occurrant unde colligatur, eadem dominum abieciſſe. Non peccat ergo ille qui bona inventa prudenter credens eſſe derelicta ſibi applicat. Peccat vero inventor, ſi bona inventa quæ pertinent ad dominum, ſibi retineat. Et tum cenſenda ſunt pertinere ad dominum, quando gravia ſigna non adſint illa dominum abieciſſe; quod raro accidit. Sententiæ noſtræ accedunt Salmanticenſes *tract.* xii. *cap.* ii. *punct.* 8. ſ. 2. *num.* 85. ubi pro eadem laudant *Caietanum*, *Rebellum*, *Caſtropalaum*, *Tapiam*, *Leſſium*, *Lugo*. Nec oppoſitæ ſententiæ ratio conſiſtit; immo ex iis quæ dicta ſunt, corruit. Nam iure naturæ reſtituere vero domino bona ſua tenentur inventores eo modo quo poſſunt, ut declaravi.

VIII. Auctores laudati advertunt, res inventas tamdiu ſervandas eſſe, quamdiu ſpes adſit veri domini reperiendi. Si res diuturnam conſervationem non patiantur, vendi debent, ut pretium ſervetur. Contendunt etiam, poſſe inventores a ſummo Pontifice bullam impetrare compoſitionis, & domino non comparente, bona com-

poſita ſibi retinere. Verum ego, niſi peculiaris urgeat cauſſa vera, eiuſmodi *componenda* non admitterem : quia nempe frequenter veræ cauſſæ non ſunt quæ ſummo Pontifici exponnntur. Quandoquidem ſi inventores veri pauperes ſint, domino non reperto, applicare ſibi bonorum partem, immo omnia iuxta gradum egeſtatis, & bonorum quantitatem poſſunt. Qua in re prudentis viri iudicium adhibendum eſt, conferendo paupertatis ſtatum cum bonorum valore. Si enim pars bonorum ſat eſt ad levandam paupertatem inventoris, in alios pauperes alteram partem erogare inventor aſtringitur. Ultimo loco concludunt, facta diſtributione in pauperes, domino comparenti nihil reſtituendum eſſe, poſita bonorum conſumptione. Quid, ſi pauperes bona in ſpecie conſervent? Negant reſtituenda eſſe domino comparenti Salmanticenſes *loc. cit. num.* 87. cum *Soto*, *Ledeſma*, & aliis : quia eleemoſynam acceptam reſtituere pauperes non tenentur. Adfirmant vero *Caſtropalaus*, & *Laymannus*. Sed circumſtantiæ pauperum, dominorum, rerum valoris, & qualitatis ſpectandæ ſunt. Si enim pauperes facti ditiores eſſent, & bona illius generis forent quæ valde cara dominis eſſent; tum pro bono & æquo componi negotium deberet. Si inventor ipſe bona fide rem conſumpſit, tenetur ne domino apparenti tantumdem reſtituere? Si factus ditior ſit, eum reſtitutionis oneri ſubiectum eſse, adfirmant communiter Theologi; ſi vero ditior factus non ſit, & revera bona fide totum conſumpſerit, ad nihil teneri ſubdunt. Sed etiam hic ſpectandæ circumſtantiæ ſunt quas mox indicavi.

IX. Quæſt. VI. *Cuiuſnam ſunt theſauri inventi?* Reſp. Duplex theſauri genus communiter diſtinguitur. Theſauri minus proprie accepti nomine intelliguntur magnæ divitiæ, & rerum pretioſarum cumulus. Quæ divitiæ, reſque pretioſæ, ſi metus cauſsa, puta tempore belli, vel ad maiorem ſecuritatem, & cuſtodiam ſub terra, in ſepulcris, aliiſve locis abſcondantur, vocantur theſaurus improprie dictus. Qui hunc theſaurum invenit, furti reus eſt, niſi totum domino, aut heredibus reſtituat. Theſaurus proprie dictus, de quo loquitur S. Thomas, initio capitis ſuperioris citatus, definitur *ff. de acquir. rer. dom. l.* Numquam *§.* 1. hoc pacto. *Theſaurus eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria, ut iam dominum non habeat : ſic enim ſit eius qui invenerit, quod non alterius ſit. Alioquin ſi quis aliquid vel lucri cauſſa, vel metus, vel cuſtodiæ condiderit ſub terra, non eſt theſaurus, cuius etiam furtum ſit.* His ultimis verbis indicatur id quod dictum modo eſt, nempe theſaurum non eſse pecuniam, aut quamcumque aliam rem, metus, aut cuſtodiæ cauſsa abſconditam. Ad veram itaque theſauri rationem requiritur quod ſit *vetus depoſitio*, cuius non extet memoria; atque adeo nullus dominus reperiatur, nec domini heredes.

X. Deſcriptus theſaurus naturæ iure eſt inventoris, ut lege citata definitum eſt, doce tque S. Thomas *loc. laud.* quia inter bona derelicta, & communia theſau-

Digitized by Google

ſaurus reputatur, quæ ſunt primi occupantis. Plures tamen leges poſitivæ prodiere quæ ſtatuunt, quibus applicandus, & quomodo diſtribuendus theſaurus ſit. Si arte magica theſaurus inventus fuerit, totus fiſco eſt applicandus ex *l. unica C. de theſaur. l.* Nemo *C. de maleficis*. Theſaurus in proprio fundo, aut domo caſu, aut induſtria repertus, iure communi eſt inventoris. Si caſu in domo, aut fundo alieno inventus theſaurus fuerit; media pars inventoris, & media pars loci domino adiudicatur. Si ex induſtria in poſſeſſione aliena theſaurus quæſitus fuerit; totus domino debetur, ut communiter docent omnes. Addunt tamen, inventorem theſauri ex induſtria in fundo alieno non teneri reddere domino loci theſaurum repertum ante iudicis ſententiam: quia lex vetans fodere in alieno fundo pœnalis dumtaxat eſt. In pœnam quippe delicti fodiendi in ſolo alieno decretum eſt, theſaurum ex induſtria quæſitum tribuendum fundi poſſeſſori. Theſauri tamen caſu reperti in alieno fundo dimidiam partem tribuendam eſſe domino ante iudicis ſententiam docent: quia lex iſta partitionem præſcribens, non pœnalis, ſed in æquitate fundata eſt; atque adeo in conſcientia ſervanda, nulla expectata iudicis ſententia. Ita docent Bannez 2. 2. *quæſt.* lxii. *dub. circa* 3. *concluſ. concluſ.* 4. Leſſius *Lib. II. cap.* v. *num.* 59. Caſtropalaus *diſp. unic. punct.* 17. *num.* 2. Laymannus *cap.* v. *num.* 23. Lugo *diſp.* vi. *ſec.* 11. Salmanticenſes *tract.* xii. *cap.* 11. *punct.* 8. *ſ.* 3. *num.* 93. Non video cur pœnalis tantum dicenda lex ſit quæ in alieno ſolo fodere vetat. Nemo ius habet ſoli alieni invadendi, ſodendi, vertendique. Iure ergo eiuſmodi actiones vetantur; immo quia æquitati, & iuſtitiæ repugnant, ſub pœna reſtituendi theſauri fundi domino prohibitæ ſunt. In conſcientia igitur obligant: & pœna adiecta eſt, ut ſeverius obſerventur. Quare in utroque caſu ante iudicis ſententiam ſervandæ leges ſunt, ut ego quidem arbitror. Verum hæc raro accidunt. Et ſi interdum contingant, ſpectandæ circumſtantiæ ſunt. Vix autem contingere caſus poteſt in quo theſauri repertor, ſive caſu, ſive induſtria illum quæſierit, excludi a partitione prorſus debeat.

XI. Qui ex domini conſenſu in eius fundo theſaurum quærit, invenitqqe, domino reddere debet; ſi certo ſciens eſſe ibidem theſaurum, nihil domino manifeſtavit. Si autem coniecturis dumtaxat innixus, conſenſum fodiendi obtinuit; tum nihil reddere præter damni illati compenſationem domino tenetur. Verum in hac materia bona incedendum fide eſt, & pacta cum fundi domino ſtatuenda, ut iuſtitiæ integritas conſiſtat, & conſcientiæ tranquillitati conſulatur.

XII. Quæſt. VII. *Quiſnam ſit dominus fundi, cui theſaurus vel caſu, vel induſtria inventus debeatur aut in totum, aut in partem?* Reſp. Non iuriſdictionis, ſed proprietatis dominus eſt cui theſauri inventi pars debetur. Quare theſaurus ſive in via, ſive in platea, ſive in quocumque loco publico, quocumque modo, caſu, induſtriave repertus, totus eſt inventoris; nihilque reddere Rectori, Guberna-

Digitized by Google

torive loci debet. Si tamen theſaurus in locis quorum dominium Reſpublica habet, ut in ſilvis, pratis, nemoribus, quorum dominus proprietatis Princeps eſt, repertus ſit; tum ſervandæ ſunt leges de tali inventione latæ. Quid, ſi dominium diviſum ſit, & alter directum, alter dominium utile habeat? Tum pars theſauri caſu inventi debita domino dividenda inter dominos proprietatis, & uſusfructus eſt; ut in feudo, & emphyteuſi. Si induſtria quæſitus theſaurus ſit, totuſque debeatur domino, altera pars danda eſt domino directo, altera domino uſusfructus. Si vero inventor theſauri ſive caſu, ſive induſtria fuerit dominus directus, tum tres partes inventori domino directo, & quarta uſusfructuario adiudicanda eſt. Excipiunt citati Auctores maritum uſumfructuarium dotis, theſaurique inventorem, de quo l. *Divortio* §. *Si fundus* ff. *Soluto matrimonio* ſtatutum eſt, *theſaurum inventum in fundo dotali in quo vir habet uſumfructum, non deberi viro, ſed uxori cuius eſt fundus: quia theſaurus non eſt fructus fundi*. Hunc ego textum reperire haud potui. Quin ff. 24. tit. 3. *Soluto matrimonio*, l. *Fructus* 7. §. 12. ſtatuitur: *Si fundum viro uxor in dotem dederit* &c. ſub finem §. additur. *Si theſaurus fuerit inventus, in fructum eius non computabitur; ſed pars eius dimidia reſtituetur, quaſi in alieno inventi*. Ex quo colligitur, dimidiam theſauri inventi partem uxori, alteram marito inventori deberi.

XIII. Quæſt. VIII. *Theſaurus inventus in agro empto debetur ne emptori, aut venditori?* Reſp. S. Thomas, ut patet ex allata eius doctrina, & communiter Theologi, ac ICti adiudicant emptori, ſive is ignoraverit, ſive ſciverit ante emptionem reperiri in agro theſaurum. Quoniam poſt emptionem emptor abſolutus agri dominus eſt. Theſaurum itaque invenit non in alieno, ſed in ſuo fundo. Ergo totus eſt inventoris. Et hoc confirmat parabola evangelica *Matth.* xv. quam adducit S. Thomas, cuius textum ſub capitis initium exhibui. Similiter qui in ſacco empto, avena, aliave re pleno, nummos aureos invenit, non tenetur reſtituere venditori: quia venditor, inquit Gotti *quæſt.* VI. *dub.* 2. *num.* 11. cum ignoraret in ſacco latere aurum, propter ignorantiam non eſt effectus auri dominus. Sed diſtinguendum eſt. Si nummi aurei ſint venditoris, aut alterius domini, & nummi fortuito incluſi, mixtique fuerint in merce vendita; tum dubio procul domino reſtituendi ſunt. Si nummi inter bona derelicta computari queunt, tum ſunt inventoris, ut de theſauro reperto in agro empto dictum eſt. Hæc vi legum, & communis doctrinæ dicta ſunt: ceterum quiſque propriæ patriæ, & principatus leges circa theſauri inventionem latas conſulere debet, eiſque parere.

XIV. Similiter dicendum eſt de mineralibus, veniſque metallicis, quæ iure naturæ ſunt primi occupantis. Ceterum iure poſitivo humano hæc omnia ad Principes, & Reſpublicas pertinent, quæ iure ſibi eadem reſervare potuerunt.

CAPUT XIII.

De dominio acquirendo vi alluvionis, acceſſionis, ſpecificationis, commixtionis, confuſionis.

I. ALluvionem flumina inducunt, dum uni prædio partem terræ decerpunt; & alteri adiiciunt. Quod duplici contingit modo. Primo ſenſim ſine ſenſu, dum flumina paullatim quid terræ corrodunt ex una ripa, & in alteram fere occulte important. Secundo, dum ſenſibilem prædii portionem avellunt, eamque alio transferunt. Alluvionis inſenſibilis ille dominus eſt cui prædium augetur. Alluvionis vero ſenſibilis, ſeu patentis dominium manet penes prædii a quo dempta terra eſt, dominum; niſi hic avulſam terram pro derelicta habeat; aut niſi tam longo tempore alieno ſolo terra avulſa hæreat, ut arbores cum terra translatæ ibidem radices egerint, ut declaratum eſt in Inſtit. §. *Præterea* de rerum diviſione, hoc pacto. *Præterea quod per alluvionem agro tuo flumen adiicit, iure gentium tibi acquiritur. Eſt autem alluvio incrementum latens. Per alluvionem autem id videtur adiici quod ita paullatim adiicitur, ut intelligi non poſſit quoquo momento temporis adiiciatur. Quod ſi vis fluminis de tuo prædio aliquam partem detraxerit, & vicini prædio attulerit; palam eſt eam tuam permanere. Plane ſi longiori tempore fundo vicini tui hæſerit, arboreſque quas ſecum traxit, in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videntur vicino fundo acquiſita eſſe.*

II. De inſula vero aut in mari, aut in flumine comparente, hoc ſtatuitur ff. de acquir. rer. dom. l. *Adeo quidem §. 3. Inſula quæ in mari naſcitur (quod raro accidit) occupantis fit, nullius enim eſſe creditur. In flumine nata (quod frequenter accidit) ſi quidem mediam partem fluminis tenet, communis eſt eorum qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia poſſident, pro modo latitudinis cuiuſque prædii, quæ latitudo prope ripam ſit. Quod ſi alteri parti proximior ſit, eorum eſt tantum qui ab ea parte prope ripam prædia poſſident.*

III. Acceſſio eſt quæ rei tuæ quidquam aggerit. Duplex eſt. Altera naturalis, ut in partu ancillæ, in fetibus pecorum, & plantis, quæ in tuo fundo naſcuntur. Altera induſtrialis, ſeu artificioſa, qualis eſt quæ fit per picturam, per inædificationem, ſcriptionem, intexturam, plantarum inſitionem &c. Dominus acceſſionis per nativitatem eſt dominus rei. Dominus ancillæ eſt dominus partus ex eadem nati, tametſi pater liber ſit, eo quod partus ſequatur ventrem. Dominus pecoris dominium habet fetuum. Dominus fundi eſt dominus arborum ibi naſcentium. Acceſſionis induſtrialis hæc ſtatuta ſunt in *Inſtit. de rer. diviſ.*

Quidquid plantatur, ſeritur, vel inædificatur,
Omne ſolo cedit, radices ſi tamen egit.

IV. Si tuam gemmam alieno auro ornaveris, tuoque vaſi lapides pretioſos inſerueris, ſive bona, ſive mala fide, dominus evadis. Dominus tamen rei adiectæ tuæ actionem condictionis ad repetendum pretium habet, quando bona fide id peregeris. Si enim fides mala fuit, tum dominus furti actionem contra te habet. Heinc ſi in tuo ſolo ex aliena materia ædificium conſtruxeris, dominus es ædificii: quia quod ſolo inædificatur, ſolo cedit, ut ſtatutum eſt in *Inſtit. de rer. diviſ. §. Cum in ſuo*. Duplum tamen ſolvere pretium ædificator debet. Contra ſi quis ex propria materia in alieno fundo ædificet, ille eius eſt dominus cuius eſt ſolum. Immo ipſius materiæ dominium acquirit dominus ſoli: quia qui ſciens, & volens in alieno ſolo ædificat, voluntarie alienat materiam ſuam. Qui vero in alieno fundo ædificat, quem fide bona putat eſſe ſuum, ſi verus dominus fundum repetit, ſolvere materiæ pretium, & operariorum labores debet: quia nemo ditari cum poſſeſſoris bonæ fidei detrimento licite poteſt. Plantæ alieno ſolo inſertæ, ſi radices nondum egerint, ſunt illius qui plantat. Si vero radices egerint, ad fundi dominum attinent, ut definitur Lib. II. Inſtit. §. 31. *Si Titius*, ubi hæc habentur. *Si vicini arbor ita terram Titii preſſerit, ut in eius fundum radices egerit, Titii effici arborem dicamus. Ratio enim non permittit ut alterius arbor eſſe intelligatur quam cuius in fundum radices egerit. Et ideo prope confinium arbor poſita, ſi etiam vicini radices egerit, communis ſit.*

V. Litteræ in aliena charta, vel membrana exaratæ, non ſcribentis, ſed domini chartæ ſunt. Contra vero tabula picturæ cedit, maxime ſi excellens pictura fuerit, ut habetur ff. 41. tit. 1. l. *Qua ratione §. 1. Litteræ quoque, licet aureæ ſint, chartis, membraniſque cedunt, ac ſolo cedere ſolent ea quæ ædificantur, aut ſeruntur*. Item *§. 2. Sed non uti litteræ chartis, membraniſve cedunt, ita ſolent picturæ tabulis cedere; ſed ex diverſo placuit tabulas picturæ cedere. Utique tamen conveniens eſt domino tabularum adverſus eum qui pinxerit, ſi is tabulas poſſidebat, utilem actionem dari, qua ita efficaciter experiri poterit, ſi picturæ impenſam exſolvat; alioquin nocebit ei mali doli exceptio*. Vide plura ibi. Pictor tenetur pretium tabulæ ſolvere domino.

VI. Alter modus acquirendi dominii eſt *ſpecificatio*, quæ tunc eſt, quando ex alterius domini materia nova rei ſpecies coaleſcit, ut ex uvis vinum, ex olivis oleum, ex argento vas. De his *Lib. II. Inſtitut. tit. 1. §. 25.* fuſus habetur ſermo, & hæc regula ſtatuitur. *Si ea ſpecies ad priorem, & rudem materiam reduci poſſit, eum videri dominum eſſe qui materiæ dominus fuerit. Si non poſſit reduci, eum potius intelligi dominum qui fecerit: ut ecce vas conflatum poteſt ad rudem materiam æris, vel argenti, vel auri reduci. Vinum autem, vel oleum, aut frumentum*

ad

ad uvas, vel olivas, vel ſpicas reverti non poteſt: at ne mulſum quidem ad vinum, vel mel reſolvi poteſt. Quando ex duobus fit unum tertium, vocatur *confuſio*; ut in adducto exemplo mellis, & vini: & tum dominium evadit commune. *Commixtio* autem eſt, cum res ita miſcentur, ut partes eædem permanentes conſtent unum tertium; ut cum pecunia, frumenta &c. permiſcentur. Quando corpora mixta diſcerni, & ſeparari valent; tum attinent ad ſuos reſpective dominos. Quando e contrario præfata corpora ita miſcentur, ut nec diſcerni, nec ſeparari valeant, dominus eorumdem evadis: pretium tamen alienæ rei tuæ permixtæ ſolvere aſtringeris.

CAPUT XIV.

De modo acquirendi dominii per præſcriptionem, ſeu uſucapionem.

I. Implicatam quæſtionem diſcutiendam aggredimur. De præſcriptione, vi cuius dominia transferuntur, lato calamo utriuſque iuris Doctores diſputant. In *Inſtitut. Lib. II. tit.* VI. totus eſt de uſucapionibus. *Cod.* VII. *tit.* XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. *& ſeqq.* de præſcriptionibus ſermo eſt. Pauci tamen, potiſſimum ex Caſuiſtis, accurate argumentum iſtud illuſtrarunt. Communiter Theologi, & ICti a iure civili præſcriptionis initia repetunt; ſed altius illa ſuam arceſſit originem.

II. Diſtinguenda itaque primum omnium eſt præſcriptio quæ a iure naturali, divino, & gentium proficiſcitur, a præſcriptione, quæ iure poſitivo tum canonico, tum civili circumſcripta eſt. De illa primum, mox de altera mihi ſermo erit.

III. Præſcriptionem ut iniquam deteſtantur hæreticorum ſeptentrionalium non pauci. Cuiacius ipſe, alioquin celeberrimus ICtus, eam reiicit. Doctiores tamen inter ipſos Proteſtantes præſcriptionem defendunt, tamquam iuri naturali, divino, & gentium conſentaneam. Hugo Grotius de *I. B. & P. Lib. II. cap.* IV. Samuel Puſendorfius *de iur. nat. & gent. Lib. IV. cap.* XII. Vitriarius *Inſtit. iur. nat. & gent. Lib. II. cap.* IV. ut mittam innumeros alios.

IV. Ab eodem fonte unde rerum dominia manarunt, profecta uſucapio eſt. Recta ratio bonorum partitionem invexit ad pacem, & tranquillitatem populorum ſervandam. Porro rerum dominia, & partitiones occupatione, & poſſeſſione cœperunt. At non minus tranquillitati, & paci expedit præſcriptio rei occupatæ quam ipſa rerum diviſio. Si enim rerum poſſeſſor bonæ fidei ſecurus non eſſet poſt longioris temporis occupationem, omnia iurgiis, diſſidiis, & litibus pate-

Digitized by Google

terent, niſi præſcriptionis beneficio iuvaretur. Ergo illud ipſum ius naturale quod congruam populorum tranquillitati iudicavit bonorum partitionem, præſcriptionem quoque inſinuavit, vi cuius rerum occupatores, & poſſeſſores contra invaſores ſecuri forent.

V. Quid quod ipſi Ethnici hanc doctrinam tradunt? Plato *Lib. II. de leg.* inquit: *Rem mobilem, palam, & publice poſſeſſam, anno uſucapi: ſi clam poſſideatur ea res triennio quidem, ſed in urbe; at in agro palam quinquennio, occulte vero decennio uſucapi.* In fragmentis XII. Tabularum *tit.* XXIII. hæc habentur. *Lex iubet uſum, & auctoritatem fundi eſſe biennium; ceterarum rerum annuus eſt uſus.* Marcus Tullius *Lib. II. offic. cap.* XVI. fuſe hac de re ſcribit. *Quam autem* (inquit) *habet æquitatem ut agrum multis annis, aut etiam ſeculis ante poſſeſſum, qui nullum habuit, habeat; qui autem habuit, amittat?* Ibidem narrat Aratum Sicyonium, recuperata ſua urbe, non æquum arbitratum eſſe, poſſeſſores quinquaginta annorum bonis ſpoliare. Quare, ſoluta pecunia, poſſeſſiones antiquis dominis reſtituit.

VI. Præſcriptio itaque ab ipſo naturæ iure, ut fatentur Grotius, Pufendorfius *loc. cit.* & innumeri alii tum ex hæreticis, tum ex Catholicis, ſuam arceſſit originem; & iure gentium evidentius cum ipſa rerum partitione confirmata fuit, tamquam baſis, & præſidium tranquillitatis, & pacis mutuæ inter homines ſervandæ. Neque enim deſervire diviſa rerum dominia concordiæ reciprocæ potuiſſent, niſi diuturna poſſeſſio bonorum ſecuros faceret poſſeſſores, occupatoreſque. Sublata quippe hac ſecuritate ex uſucapione acquiſita, incerta ſemper hærerent dominia, & ſuſpenſa. Bonorum domini ſemper anxii, ſemper incerti, ſemper litibus, aggreſſionibus, & deturbationibus obnoxii forent.

VII. Tandem divino iure confirmatam præſcriptionem eſſe clare colligitur ex ipſa divina Scriptura. Hæc quippe habentur Iudic. cap. 11. *Quare TANTO TEMPORE nihil ſuper hac repetitione tentaſtis?* Iſraelitæ iuſto belli titulo Amorrhæorum terram poſſidebant. Porro Iephte præter hunc titulum, alium præſcriptionis allegavit, nempe trecentorum annorum poſſeſſionem. Hæc autem præſcriptio non potuit tantum iuris civilis eſſe: quia, ut infra dicturi ſumus, talis præſcriptio ſolam gentem obligat illius principatus a quo invecta eſt, ſecus populos alterius Reipublicæ. Præſcriptio itaque quam Iephte oppoſuit, univerſalis fuit, atque adeo iure gentium invecta. Si enim civilis iuris fuiſſet, illam ut inanem reieciſſent Ammonitæ.

VIII. Præſcriptio hæc de qua hactenus locuti ſumus, nullas conditiones determinatas habet præter longævam poſſeſſionem, & fidem bonam. Temporis longitudo iure tum gentium, tum naturali indeterminata eſt, & ſolo prudentum arbitratu definiri poteſt. In qua temporis definitione & antiqui domini, & recentis poſ-

poſſeſſoris ratio habenda eſt; ut advertit vel ipſe Puſendorſius *cit. Lib. IV. cap.* XII. *§. 9.* ne ſcilicet ille nimis propere a ſua inveſtiganda, & recuperanda re excludatur, & ne iſte poſt diuturnam poſſeſſionem fortunis ſuis ſpolietur. Ipſa æquitatis ratio poſtulat longius inter abſentes quam inter præſentes, & reſpectu rei immobilis quam mobilis intervallum requiri.

IX. Hactenus de præſcriptione univerſali, a iure naturali, gentium, & divino proficiſcente: nunc præſcriptio a iure civili introducta explananda eſt. Hæc autem ſic communiter finitur. *Eſt acquiſitio dominii, & iuris alieni peremptio, cum continuatione poſſeſſionis bona fide tempore a lege præſcripto*; ut habetur ex *l. 3. ff. de uſucapione*. Dicitur præſcriptio, quia res per longævam poſſeſſionem quaſi inſcribitur poſſidenti; ſic uſucapio ab *uſu*, & *capio* nuncupatur, quia longo uſu res capitur ab occupante. Diſtinguunt aliqui uſucapionem a præſcriptione, quod hæc res mobiles, illa immobiles de uno ad alterum transferat; ſed communiter eaſdem confundunt, & unam pro altera accipiunt Auctores. Ut autem quid allata definitio ſignificet percipias, ſcias velim, quod præſcriptio, ut tibi dominium adiudicet, perimatque ius alienum, debet ſecum adferre continuatam poſſeſſionem, bona fide inceptam cum titulo aut reali, aut præſumpto, & tempore a lege præfinito. Decem aut viginti annorum ſpatio agrum poſſediſti, fide bona credens eſſe tuum: vi talis poſſeſſionis inceptæ, & continuatæ cum bona fide, dominus effectus es; & prior dominus ius in agrum illum amiſit. Poſſeſſio, ut ſupra diximus, animum includit poſſidendi. Qua ratione neque furioſi, neque depoſitarii, neque is cui res traditur in pignus, neque commodatarii, neque uſuſfructuarii, neque tutores, neque coloni, neque emphyteutæ, neque feudatarii, neque conductores, neque Religioſi privati, præſcribere valent: quia his animus deficit poſſidendi rem ut ſuam.

X. Quæſt. I. *Quot ſunt conditiones ad legitimam præſcriptionem neceſſariæ?* Reſp. Quatuor enumerari communiter ſolent. Prima eſt poſſeſſio, de qua nunc dixi. Triplicem poſſeſſionem ſupra diſtinxi, naturalem, civilem, & mixtam ex naturali & civili. Prima non ſufficit, ut ex dictis patet. Requiritur ergo civilis, aut mixta. Quare nemo ex his quos modo enumeravi, præſcribere iure valet; cum non poſſideant nomine proprio, ſed alieno. Similiter res quæ poſſidetur, talis conditionis ſit oportet, ut præſcriptioni ſubiaceat. Res enim ſacræ, decimæ, iuriſdictio ſpiritualis præſcribi a laicis nequeunt.

XI. Secunda conditio eſt titulus probabiliter præſumptus. Si enim verus & certus titulus adſit, præſcriptione opus non eſt. Sufficit ergo titulus coloratus, ſeu probabiliter reputatus. Exemplum perhibetur Inſtitut. Lib. II. tit. VI. *§. 4. Si heres rem defuncto commodatam, aut locatam, vel apud eum depoſitam, exiſtimans hereditariam eſſe, bona fide accipienti vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine de-*

dederit; quin is qui acceperit, uſucapere poſſit, dubium non eſt: quippe cum ea res in furti vitium non ceciderit, quum utique heres, qui bona fide tamquam ſuam alienaverit, furtum non committat. Qui tamen commodato rem accipit, tametſi per errorem ſe emiſſe putet, eam non præſcribit: quia, ut dicitur in Inſtit. loc. cit. *error falſæ cauſæ uſucapionem non capit, velut ſi quis, cum non emerit, emiſſe ſe exiſtimans, poſſideat*. Quemadmodum nec ignorantia iuris, & facti prodeſt. Sola vero ignorantia facti non obeſt præſcriptioni. Plura diſputant Auctores de hoc titulo. Paucis nos rem expediemus. In omni præſcriptione aliquis titulus ſemper requiritur, aut coloratus qui probari queat, aut præſumptus qui probari non poſſit. Coloratus nuncupatur, ut modo dixi, qui putatur verus, licet ſit falſus reipſa; ut in allato ex *Inſtitut.* exemplo patet. Heres rem commodatam defuncto, putans bona fide eſſe hereditariam, vendit. Emptor habet titulum pro ſe emptionis, qui titulus, licet vitium in re empta habeat, ſufficiens tamen eſt ad præſcribendum eas res quæ tribus, ut res mobiles, aut decem vel viginti annis, ut res immobiles, præſcriptioni ſubiectæ ſunt. Infra itaque hoc ſpatium viginti aut triginta annorum titulus coloratus probandus eſt; &, niſi probetur, præſcriptio non admittitur. Poſt vero quadraginta, ſexaginta, vel centum annos, titulus non probatur, ſed præſumitur. Et hic titulus præſumptus ſat eſt in ſola præſcriptione longiſſimi temporis, puta ſexagenarii, aut centenarii: tanta enim temporis longitudo fundamentum præbet præſumendi titulum præceſſiſſe, qui memoria exciderit. Quare etiamſi antiquus dominus poſt longiſſimum tempus titulum antiqui dominii allegaret contra poſſeſſorem, non propterea is re poſſeſſa privaretur. Quoniam tanta temporis longitudo ſat eſt ad præſumendum, poſſeſſorem titulum habuiſſe, & oblivione periiſſe adverſus titulum quem opponit antiquus dominus. Titulus ergo coloratus ſemper adeſſe debet, vel qui probari poſſit, ut in præſcriptione temporis ordinarii infra decem, viginti, aut triginta annos; vel qui præſumi debeat, ut in poſſeſſione longiſſimi temporis, quin probetur, ob facilitatem, quod talis titulus oblivione deleatur tempore adeo longo. Ita ratiocinantur Icti. Verum dum antiquus dominus verum titulum demonſtrat poſſeſſionis fundi, adiudicatur antiquo domino titulum producenti. Plura nobis exempla porrigunt huius invictæ Reipublicæ Venetæ tribunalia.

XII. Tertia conditio eſt temporis quantitas, de qua iam dixi, & circa quam Doctores in varias partes abeunt. Communior ſententia hæc docet. Ad uſucapionem rerum mobilium tres anni inter præſentes, & quatuor inter abſentes requiruntur, excepta Romana Eccleſia ſola, contra quam, ſive in rebus mobilibus, ſive in immobilibus, nulla admittitur præſcriptio, niſi poſt longiſſimum tempus centum annorum; ut habetur in *Authentica*, Quasactiones *cod. de ſacroſanctis Eccleſiis &c. & cap.* Cum a nobis *cauſ.* XIV. *de præſcriptionibus*, *& cap. ult. cauſ.*

XVI.

XVI. *quæſt.* III. ubi hæc leguntur. *Uſucapione triennii, vel quadriennii præſcriptione in ſuo robore durantibus, ſola Romana Eccleſia gaudente centum annorum ſpatio vel privilegio*. Præſcriptio ordinaria rerum immobilium decem annos inter præſentes, & viginti inter abſentes requirit. Extraordinaria vero præſcriptio rerum immobilium pertinentium ad alias Eccleſias, præter Romanam, ad hoſpitalia, ad pias cauſſas, triginta inter præſentes, & quadraginta inter abſentes exigit annos; ut communiter Auctores docent.

XIII. Adverſus pupillos, quamdiu pupilli manent, nulla currit præſcriptio, ſive mobilium, ſive immobilium rerum; ut *l. Sicut in rem, cod. de præſcriptione triginta annorum* in favorem illius ætatis ſtatutum eſt. Si minor ſit, qui non habeat 25. annos expletos, præſcriptio extraordinaria, nempe triginta inter præſentes, & quadraginta inter abſentes annorum, neceſſaria eſt; ut colligitur ex *l. ultim. cod. In quibus cauſis*. Præſentes vocantur qui domicilium in eadem provincia habent. Bona quæ civitates, provinciæ, regna titulo aut legati, aut donationis, aut emptionis, aut fideicommiſſi, aut hereditatis poſſident, non ſubiacent præſcriptioni, niſi poſt tempus immemorabile, quod excedat hominum memoriam, quale eſt centum annorum; ut habetur *in cod. de ſacroſanct. Eccl. l. Ut inter divinum*. Quæ vero bona aliis titulis poſſident, quadraginta annis præſcribi valent.

XIV. Tempus iſtud ad præſcriptionem requiſitum, continuum ſit neceſſum eſt. Porro iſtius temporis continuatio dupliciter deficere valet. Primo, dum iuxta ICtos præſcriptio dormit. Secundo, dum per actus oppoſitos interrumpitur. Dormire præſcriptionem aſſerunt, dum propter impedimenta aliqua currere illa nequit, quibus impedimentis ſublatis, veluti expergefacta ſuum reſumit curſum, eumque cum priore coniungit. Tempore belli, peſtiſque, quo ſilere tribunalia ſolent, dormit præſcriptio. Similiter tempore quo Eccleſia caret Epiſcopo, Rectore, aut ſi hi inutiles ſint ad defendenda propria iura, præſcriptio dormit; ſicuti dormit, quando hi contra quos præſcriptio currit, agere nequeunt; ut filii reſpectu bonorum adventitiorum, uxores reſpectu bonorum dotalium. Quoties ergo bona ſubiecta præſcriptioni legitimo defenſore carent, præſcriptio dormit.

XV. Interrumpitur autem præſcriptio naturaliter, cum poſt præſcriptionem recte inceptam deficit una ex conditionibus neceſſariis, ut poſſeſſio, titulus, bona fides. Civiliter interrumpitur iuriſdictione, ſeu actu iuridico, nempe per litis conteſtationem, citationem &c. Diſcrimen inter primam & ſecundam interruptionem eſt, quod illa effectum ſuum habet reſpectu omnium adverſariorum; ita ut ſi interrumpatur reſpectu unius, interrupta ſit reſpectu omnium qui ad bona præſcripta habere iura poterant: hæc e contrario interrumpitur dumtaxat reſpectu illius qui litem movet. Si ceteri qui ius habent ad bona præſcriptioni ſubiecta, ſileant; reſpectu iſtorum præſcriptio currit: & ſi ipſis ſilentibus tempus definitum elapſum

fuerit

fuerit, præſcriptio completa cenſetur, ſolumque qui litem movit, eam interrumpit. Si qui litem intentat poſſeſſori, cauſſa cadit, præſcriptio non interrumpitur; ſed tempus a die litis intentatæ currit in favorem præſcribentis. Si tamen actor litem moveat, eamque proſequi deſiſtat quin iudicium proferatur, præſcriptio interrumpitur. Illud demum advertendum, ad temporis continuationem neceſſe haud eſſe ut poſſeſſio maneat penes unam eamdemque perſonam; ſed per plures de una in aliam continuari valet.

XVI. Ultima & potiſſima conditio eſt bona fides, ita ut quis prudenter perſuaſus ſit rem quam poſſidet, iure ad ſe pertinere; aut ſaltem ignoret eſſe alienam. Si tamen ignorantia craſſa eſſet, vel iuris, non faveret præſcriptioni. Hæc bona fides continua ſit oportet toto præſcriptionis tempore. Poſſeſſor enim malæ fidei nullo umquam tempore præſcribit. Ius civile ſolum initio poſſeſſionis bonam fidem requirebat, ſecus continuationis tempore: quem errorem correxit ius canonicum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. xli. *Quoniam omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ſynodali iudicio definimus ut nulla valeat abſque fide præſcriptio tam canonica, quam civilis, cum ſit generaliter ei conſtitutioni, ſeu conſuetudini derogandum quæ abſque mortali non poteſt obſervari peccato. Unde oportet ut qui præſcribit, in nulla temporis parte rei conſcientiam habeat alienæ.* Diſputant aliqui, num ſolum peccatum veniale tollat hanc bonam fidem. Verum diſputatio hæc nullius momenti eſt. Peccata quippe venialia infringere bonam fidem nequeunt: alioqun vix daretur præſcriptio. Quis enim ex poſſeſſoribus liber eſt ab omni negligentia & inconſideratione in examinanda ſuarum rerum poſſeſſione? Quis expers cuiuſquam indeliberationis? Solum ergo peccatum mortale bonam fidem præſcriptioni neceſſariam aufert. Conditionibus iuſtæ præſcriptionis expoſitis, ſequentes difficultates reſolvuntur.

XVII. Quæſt. II. *Præſcriptio ſuis conditionibus ornata acquirit ne præſcribenti dominium non modo in foro externo, verum etiam in conſcientia?* Reſp. Antiqui quidam Theologi, inter quos S. Raymundus, docuere, legitimam præſcriptionem in foro tantum externo; ſecus in interno conſcientiæ, dominium parere. Heinc neceſſario inferebant, comparente antiquo domino, reſtituendam eidem fore rem legitime præſcriptam. Adrianus VI. & quidam alii defendunt, tum præſcriptionem legitimam in foro etiam interiori conſcientiæ dominium acquirere præſcribenti, cum culpa præceſſit in illo contra quem præſcriptum eſt, quia videlicet graviter negligens fuit in rei ſuæ inveſtigatione: quandoquidem ob iſtam gravem culpam iure Principes animadvertere in eumdem valent, reque ſua privare, & eamdem in alium transferre. Secus vero, ſi nulla in iſto culpa præceſſit: tum enim Principes ius minime habent ſpoliandi legitimos dominos bonis ſuis. Tandem Alanus de Inſulis, & P. Franciſcus Farvacques docent, præſcribentem titulo oneroſo, qui vide-

Digitized by Google

videlicet pro re præſcripta aliquid dederit, ut ſi pretium ſolverit, tum non eſſe aſtrictum reſtitutioni, domino comparente poſt elapſum tempus requiſitum. Illum contra ad reſtituenda bona præſcripta obligant, cum titulo ſolo lucratorio eadem præſcripſit, potiſſimum ſi nulla præceſſit culpa in antiquo domino. Tres iſtæ opiniones falſæ ſunt, & communiter tam a Theologis, quam ab ICtis improbatæ.

XVIII. Communis ergo ſententia docet, in utroque foro tum externo, tum interno legitimam præſcriptionem ius & dominium præſcribenti aſſerere adverſus dominum poſt completam præſcriptionem comparentem. Sententia hæc ex iis quæ ſupra diximus, manifeſta eſt. Præſcriptio ab ipſo iure naturæ ortum ducit, iureque gentium, & divino confirmata eſt, tamquam bono publico, paci, & tranquillitati populorum conſentanea. Coæva eſt ipſi rerum diviſioni, veluti eiuſdem præſidium, & ſupplementum. Hanc præſcriptionem leges tum civiles, tnm canonicæ confirmarunt, adiectis conditionibus, ſeu clarius explicatis. Quæ leges, cum ſint veluti confirmationes, & declarationes illius præſcriptionis quæ originem ſuam a iure naturæ, gentium, & divino repetit, obligant omnes homines. Rationum momenta quæ iura ipſa civilia in favorem præſcriptionis allegant, exceptionem non admittunt. Ablata quippe præſcriptione, incerta, & ſuſpenſa hærerent dominia: reſonarent ſine fine litibus fora: anxii, meticuloſi, & undique anguſtiis preſſi poſſeſſores viverent, ſi antiqui domini quocumque tempore repetere a poſſeſſoribus bona ſua poſſent. Et tandem negligentes in bonis ſuis cuſtodiendis fierent homines, ſi ius retinerent eadem repetendi a poſſeſſoribus tempore quolibet. Hanc doctrinam conceptis verbis tradit S. Thomas quodlib. XII. art. 24. *Si quis præſcribat bona fide poſſidendo, non tenetur ad reſtitutionem, etiamſi ſciat alienum fuiſſe poſt præſcriptionem: quia lex poteſt aliquem pro peccato privare, & negligentia punire in re ſua, & illam alteri dare, & concedere.*

XIX. Obiicies 1. Iura & canonica, & civilia præſcriptioni obſunt. Nam *reg.* 48. *in* 6. hæc ſtatuit: *Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura*, Altera regula 207. iuris civilis eſt: *Iure naturæ æquum eſt neminem cum alterius detrimento & iniuria fieri locupletiorem*. Præſcriptio autem locupletiores homines efficit cum alterius detrimento. Ergo illicita. Reſp. Hac ratione dicendum foret rerum diviſionem effeciſſe occupatores & poſſeſſores opulentos cum detrimento aliorum. Lex præſcriptionis bonum commune ſpectat, non ſecus ac rerum diviſio: idcirco omnes eidem ſubiecti ſunt. Et ſicut ex diviſione rerum alii ſunt opulenti, alii pauperes; nec propterea iniuſtitiæ argui diviſio poteſt: ita ex præſcriptione alii commodum, alii detrimentum patiuntur; neque heinc iniuſta lex præſcriptionis eſt: quoniam ratio boni communis hanc expoſcit diverſitatem.

XX. Obiicies 2. Præſcriptionis lex pœnalis eſt, videlicet ad puniendam ſegnitiem, & torporem dominorum in rerum ſuarum cuſtodia. Ergo ceſſante negligen-

tia

tia in priore domino, ceſſare lex præſcriptionis debet : & hoc declaravit Alexander III. *cap.* Vigilanti, *de præſcriptione*. Reſp. Oppoſitio hæc ex ignorantia legis præſcribentis proficiſcitur. Nam, ut demonſtravi, præſcriptio bonum commune ſpectat; tranquillitatem ſocietatis, ſecuritatem dominiorum. Heinc poſtea conſequitur punitio negligentium hominum in cuſtodiendis rebus ſuis; ſicut quælibet lex pœnam aliquam infligit torpidis, & tranſgreſſoribus. Quare tam Alexander III. quam Auctores communiter aſſignare ſolent inter præſcriptionis inſtituendæ rationes etiam pœnam inflictam negligentibus rerum ſuarum dominis. Et præfatus Pontifex improbat duntaxat præſcriptionem illegitimam poſſeſſorum malæ fidei, quam leges civiles probabant.

XXI. Oppones 3. Mala fides ante tempus præſcriptionis elapſum obligat ad reſtitutionem. Ergo etiam mala fides poſt completam præſcriptionem, eamdem inducit obligationem. Reſp. Argumentatio hæc cavillatoria eſt. Qui ſcit rem eſſe alienam ante tempus ad præſcribendum conſtitutum, eam titulo præſcriptionis retinere nequit. At præſcriptione completa, tum eiuſdem beneficio fruitur, ſcitque eiuſmodi legem iuſtam eſſe, iuſteque illa uti poſſe.

XXII. Oppones 4. Qui emit infra medietatem iuſti pretii, non habet actionem contra deceptorem iuxta civiles leges; & tamen in conſcientia reſtituere id quod eſt ultra iuſtum pretium, debet; nec temporis longitudine excuſatur. Ergo quamvis leges civiles denegent actionem antiquo domino contra præſcribentem, non propterea præſcribens liber a reſtitutione eſt. Similiter ſi iudex adiudicat per errorem Titio rem Sempronii, cognito errore, aſtringitur bona reddere vero domino. Ergo etiam bona fide præſcribens, cognito errore, tenetur antiquo domino rem ſuam reſtituere. Reſp. Quando emptor mala fide emit infra, aut venditor vendit ſupra iuſtum pretium, ambo tenentur ponere æqualitatem in contractu; ſicut & qui mala fide præſcribit, reſtitutioni obnoxius eſt. Quando autem contrahentes bona fide vilius emunt, aut carius vendunt, errore deprehenſo, reſarcire partem læſam debent; licet leges civiles actionem decepto emptori non concedant contra deceptorem, quando deceptio eſt tantum citra iuſti pretii medietatem, quia leges iſtæ permiſſivæ ſunt. Lex autem præſcriptionis poſitiva eſt. Ratio diſcriminis inter has leges ex ſe patet. Iniuſtitia pretii ſua natura mala eſt, nullaque honeſtari lege valet. Idcirco leges civiles numquam approbare tantum vitium poſſunt; ideoque permiſſivæ nuncupantur, dum ad evitandas lites, & diſſidia actionem præfato decepto denegant. Contra, quod bona maneant penes bonæ fidei poſſeſſorem, ne ſuſpenſa & incerta dominia hæreant, res eſt ſuapte natura non mala, ſed potius bona: idcirco lex præſcriptionis præceptiva nuncupatur. Iudex ſecundum allegata & probata ferre iudicium debet: idcirco cogere Titium tenetur, ut aliena quæ per errorem iudicii poſſi-

poſſidet, reſtituat. Lex autem præſcriptionis ſupra iudicem extat, & gentium conſenſu approbata eſt: atque adeo paritas nulla eſt.

XXIII. Quæſt. III. ***Qui dubitans poſſidet, malam ne fidem habet, quæ præſcriptionem impediat?*** Reſp. Dubitatio aut initio poſſeſſionis, aut poſt inceptam poſſeſſionem, & præſcriptionem ſuboriri valet. Sermo eſt de dubio prudenti, probabilibus parto rationibus: dubitatio quippe levis, vanis nixa coniecturis, quæ ſcrupulus dici ſolet, contemnenda eſt, quia hæc impedire bonam fidem nequit: ideoque eiuſmodi dubitationes deponendæ ſunt prudentis viri conſilio, & directione.

XXIV. Certum penes omnes eſt eum qui dubio prudenti & gravi incipit poſſidere, non fieri bonæ fidei poſſeſſorem. Poſſeſſio tali dubitatione affecta parere præſcriptionis legem nequit: bona enim fides dubitationem prudentem non admittit, ſed reiicit. Qui bona fide poſſidet, tranquilla, & recta conſcientia fruitur; at qui anceps dubiuſque prudenter eſt, ſitne res ſua, an aliena, conſcientiam anxiam, perplexam, vulneratamque habet. Is ergo præſcribere nullo modo poteſt.

XXV. Difficultas eſt de dubio prudenti ſuperveniente poſseſsioni, quam fide bona inchoaverat ille qui præſcribit. Recentiores Theologi defendunt, dubitationem ſupervenientem poſseſsioni bona fide inceptæ, præſcriptionis motum non abrumpere, dummodo diligentia debita præcedat dubii repellendi. Quoniam, inquiunt, ad continuandam poſseſsionem ſat eſt quod abſit mala fides, nempe ſcientia rei alienæ. Porro qui dubitat, non ſcit evidenter rem eſse alienam. Confirmant hanc ſententiam legum auctoritate. Regula quippe 65. hæc decernit: *In pari delicto, vel cauſſa melior eſt conditio poſſidentis*. Nemo ergo abdicare rem ſuam debet ob ſolum dubium, cum in dubio melior ſit conditio poſsidentis. Adferunt aliam auctoritatem S. Auguſtini ex *Lib. de fide, & bonis operibus* relatam *cap. Si virgo* 34. *quæſt.* 1. ubi hæc habentur. *In iure prædiorum tamdiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſime dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum; cum vero ſciverit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit; tunc malæ fidei poſſeſſor perhibetur, tunc iuſte iniuſtus poſſeſſor vocabitur*. Ille igitur malæ fidei poſſeſſor habendus eſt qui in poſseſsione perſeverat cum ſcientia rei alienæ. Sed qui in inchoata cum bona fide poſseſsione perſeverat, alienæ rei ſcientiam non habet, ſed tantum dubium. In caſu autem dubio nemo ſe re ſua ſpoliare aſtringitur: quia dubium iſtud non interrumpit præſcriptionem. Hanc ſententiam defendunt Bannez 2. 2. *præamb. ad quæſt.* LXII. Sanchez *Lib. II. de matr. diſp.* 41. Caſtropalaus *diſp. unic. punct.* 22. Tapia *Lib. V. quæſt.* XXIII. *art.* 6. Leſsius *Lib. II. cap.* VI. *dub.* 3. Lugo *diſp.* VII. *ſect.* 3. Laymannus *Lib. III. ſec.* 5. *tract.* I. *cap.* VIII. Salmanticenſes *tract.* XII. *cap.* II. *punct.* 9. *§.* 2. *num.* 114. Cardinalis Gotti *quæſt.* VI. *dub.* 6. *§.* 3. & alii communiter.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. Non leve mihi faceſſit negotium opinio hæc, quæ germen videtur probabiliſticæ plantæ. Quæ mihi veriſimiliora videntur, ſapientum iudicio ſubmitto. Extrema ſemper, ſed potiſſimum in hac graviſſima iuſtitiæ materia, declinanda ſunt. Igitur qui poſt bona fide inchoatam poſseſſionem dubitare gravibus, non levibus nixus rationibus incipit, non continuo aſtringitur rem poſseſsam abdicare; ſed eam retinere valet uſquedum poſt adhibitam diligentiam deprehenderit rem eſse alienam. Paratum tamen habere ſemper animum debet ad eamdem reſtituendam. Porro ſi omni morali adhibita diligentia, dubium grave & prudens perſeveret ante completam præſcriptionem; tum, ut nobis videtur, præſcriptio abrumpitur, & rem totam retinere poſseſsor nequit, ſed pro rata dubitationis parte dividenda res eſt; ut colligi videtur ex *cap.* Inquiſitioni, *de ſentent. excommunic.* ubi Pontifex ſummus ad alterum coniugum, qui, inito bona fide matrimonio, de eiuſdem valore dubitare incipit, reſpondet. *Utrum alter coniugum pro certo ſciat impedimentum coniugii, per quod ſine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Eccleſiam probare non poſſit? An non ſciat pro certo, ſed credat? In primo caſu debet potius ſententiam excommunicationis humiliter ſuſtinere quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In ſecundo diſtinguimus, utrum habeat conſcientiam huiuſmodi ex credulitate levi & temeraria, an probabili & diſcreta? Et quidem ad Paſtoris ſui conſilium conſcientia levis & temerariæ credulitatis exploſa, licite poteſt non ſolum reddere, ſed etiam exigere debitum coniugale. Verum cum conſcientia pulſat animnm ex credulitate probabili & diſcreta, quamvis non evidente, & manifeſta, debitum quidem reddere, ſed poſtulare non debet, ne in alterutro contra legem coniugii, vel contra iudicium conſcientiæ committat offenſam.* Ut vides, quando dubium diſcretum & probabile eſt, ſeu grave & prudens, nequit coniux dubitans debitum petere, ſed tantum reddere. Idem ergo dicendum de poſseſsore dubitante.

XXVII. At reſpondent adverſæ ſententiæ patroni, deponendum tum practico dictamine dubium, quod melior ſit conditio poſsidentis. Sed hac regula, ut ego quidem arbitror, abutuntur adverſarii. Melior eſt conditio poſsidentis. Non repugno, ſed approbo. Et in controverſia ſuper rei dominio, probatio dominii adverſario incumbit, non poſseſsori. Quare leges vetant ne poſseſsione deturbentur poſseſsores, donec adverſarii evidenter oſtenderint rem ad ſe pertinere. Hinc iudices fori externi adiudicare poſseſsoribus bona ſolent, etiamſi poſseſsores certo, & evidenter ſciant rem eſse alienam, quando actores probationibus deſtituti ſunt quibus evincant rem ad illos pertinere. Et tamen poſseſsores tum nequeunt illam rem ſibi a iudice adiudicatam retinere, cum certo ſciant eſse alienam. Iudex enim ignorat occultam poſseſsoris malam fidem; & ideo ſecundum ea quæ extrinſecus apparent, iudicat. At poſſeſſor iudicium ſuum formare debet, non ex iudi-

cis

Digitized by Google

cis ſententia, ſed ex privata ſua cognitione. Porro ſi hæc dubitationibus circumfuſa eſt, nequit poſſeſſor certo definire rem eſſe ſuam. Poſſeſſio titulus eſt qui favet poſſeſſori. Verum ſi omnibus expenſis, & ſpectato poſſeſſionis titulo, adhuc dubius poſſeſſor manet & anceps, ut mea præfert opinio, totam retinere ſibi rem nequit. Si rationum momenta æqualia forent, & inſuper poſſeſſor pro ſe poſſeſſionem haberet, ita ut ex gravioribus fundamentis elicere poſſet iudicium quo probabilius definiret rem ad ſe attinere; tum deponendum dubium eſſet, & tranquilla conſcientia res poſſidenda foret. Ceterum ſi non obſtante poſſeſſionis titulo, adhuc mens anceps & dubia ex gravibus fundamentis eſt, non video qua ratione deponere dubitationem valeat. Quid ergo tum? Componendum inter partes negotium videtur, & pro rata dubii dividi res debet prudentum iudicio. Melior utique eſt poſſidentis conditio. Quid heinc? Ergo totam ſibi reſervare rem poteſt? Nequaquam. Sed in rei partitione melior ſeu maior rei portio tribuenda poſſeſſori eſt. Titulo poſſeſſionis præferendus eſt adverſario poſſeſſor. Ceterum ex præfata regula inferri nequaquam poteſt totam rem eſſe poſſeſſori adiudicandam; ſed ſolum maiorem illi poſſeſſionis titulo portionem tribuendam, quando omnibus expenſis dubium perſeveret.

XXVIII. Neque negotium ingerit auctoritas ex Auguſtino ſupra adducta. Utique poſſeſſor bonæ fidei habendus ille eſt qui ignorat rem eſſe alienam; ſed negamus illum ignorare rem eſſe alienam qui probabiliter dubitat eſſe alienam. Neque enim verbum illud *ignorare* ad ſolam notitiam evidentem reſtringitur; ſed comprehendit notitiam tum certam, tum dubiam. Qui enim probabiliter dubitat, dici nequit quod ignoret. Alioquin virgo non eſſet adultera quæ nuberet viro de quo dubitat, ſit ne alteri coniugi copulatus.

XXIX. Quæſt. IV. *Qui ignorantia iuris, vel facti laborat, amittit ne fidem bonam requiſitam ad præſcriptionem?* Reſp. Sermo eſt de inculpata & invincibili ignorantia. Criminoſam enim & vincibilem ignorantiam cum bona fide pugnare compertum eſt. Porro ignorantia invincibilis alia eſt iuris, alia facti. Illa legem, hæc facti circumſtantiam neſcit. Tibi Sempronius mercem vendidit non ſuam. Si tibi perſuaſum foret, Sempronium iure vendere mercem tibi quam iniuſte poſſidet; iuris ignorantia laborares. Si contra bona fide crederes, iuſte mercem illum poſsidere; facti ignorantiam haberes. Qui credit pupillum bona ſua alienare poſſe, ius ignorat; ſi neſcit eſse pupillum, facti ignorantia tenetur. Animadvertendum quoque eſt, ius aliud certum, aliud dubium interdum eſse. Si dubium ius fuerit, & probabiliores præſcribenti rationes faveant, tum præſcriptio non interrumpitur. At ſi æquali rationum pondere preſſus intellectus hæreat, tum præſcriptionem interrumpi exiſtimo. Facti vero ignorantiam non impedire præſcriptionem, convenit penes omnes; & ſtatutum id eſt *ff. de iuris, & facti ignorantia*,

tia, ubi hæc habentur : *Iuris ignorantiam in uſucapione negatur prodeſſe ; facti vero ignorantiam prodeſſe conſtat* . Quid quod omnis præſcriptio in facti ignorantia fundatur? Quilibet enim præſcribens bona fide credit eſse ſua quæ poſsidet, quæ tamen aliena ſunt. Quandoquidem ſi ſua reapſe eſsent, præſcriptione non indigeret. Huc ergo difficultas recidit, num ignorantia invincibilis iuris clari præſcriptioni obſit.

XXX. Duplex ſuper præfata difficultate reperitur ſententia. Prima negat, eamque defendit Lugo *diſp.* VII. *ſect. 3. num. 32.* Medina *cod. de reſtitut. quæſt.* XVII. Caſtropalaus *diſp. unic. punct. 22. §. 7. num. 7.* & alii : quoniam, inquiunt, idcirco leges ſtatuerunt, ignorantiam iuris non favere præſcriptioni, quia præſumunt bonam fidem non habere eum qui hac ignorantia laborat : & ne cavillis ac litibus locus pateat, ideo in foro exteriori ignorantiam iuris clari obeſse præſcriptioni definiunt. Verum in foro interiori hæc ignorantia præſcriptionem non interrumpit.

XXXI. Altera ſententia adfirmat, ignorantiam invincibilem iuris clari præſcriptionem impedire in utroque foro, interno, & externo. Quoniam ſic definitum eſt ff. XXII. tit. 6. l. 4. *Iuris ignorantiam in uſucapione negatur prodeſſe ; facti vero ignorantiam prodeſſe conſtat*. Item l. *Numquam* 31. ff. *de uſucapionibus* hæc leguntur. *Numquam in uſucapionibus iuris error poſſeſſoribus prodeſt* . Leges iſtæ non modo in foro externo, ſed etiam in interno locum habent. Arbitraria prorſus eſt adverſariorum diſtinctio, qua aſſerunt, leges iſtas in primo, ſecus in ſecundo foro aſtringere. An leges civiles iuſtæ, & æquæ non obligant in conſcientia? An præſcriptio ipſa, a civili iure invecta, iuſta non eſt in conſcientia? Vana ergo eſt diſtinctio præfata. Nonne adverſarii probant, ignorantiam facti præſcriptioni non officere, quia id leges definiunt? At quemadmodum leges ſtatuunt facti ignorantiam non obeſse, ita definiunt iuris ignorantiam præſcriptioni non prodeſse. Ergo iuris ignorantia præſcriptionem impedit. Hæc ſententia mihi probabilior eſt, eamque defendunt Leſsius *Lib. II. cap.* VI. *dub.* 5. Dicaſtillus *Lib. II. tract.* 1. *diſp.* 1. Salmanticenſes *tract.* XII. *cap.* 11. *punct.* 9. *§.* 2. *num.* 116. Excipiunt citati Auctores ruſticos, mulieres, & milites, in quibus errorem non obeſse præſcriptioni aiunt, ſi debitam in inveſtiganda veritate adhibuerint diligentiam : quoniam in his non præſumitur mala fides, tametſi iuris clari ignorantia laborent. Excipiunt quoque præſcriptionem extraordinariam quadraginta annorum, & ſupra . Tertio loco tandem contendunt, hanc clari iuris ignorantiam officere quidem præſcriptioni fundi, puta vineæ, ſecus fructibus inde collectis. Quæ ſane limitatio arbitraria eſt, nullo nixa fundamento . Qui enim fieri poteſt ut quis malam fidem habeat circa vineam, & bonam fidem circa fructus? Ignorantia iuris impedit ne præſcribatur vinea : & hæc eadem ignorantia efficit ut præſcribantur vineæ fructus?

Digitized by Google

ctus? Credis pupillum tibi vendere vineam poſse, inconſulto tutore? Ignorantia iſtius iuris impedit ne vinea præſcriptioni ſubiiciatur: hæc vero ignorantia efficiet ut præſcribantur fructus eiuſdem vineæ? Paradoxa hæc mihi videntur. Quin nec duæ præcedentes limitationes mihi probantur: quia leges abſolute loquuntur; & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

XXXII. Quæſt. V. *Mala fides anteceſſoris nocet ne ſucceſſori bonæ fidei, ne præſcribere valeat*? Reſp. Emis a fure bona fide vineam quam mala fide poſsidebat: recipis hereditatem, legatum a poſseſsore malæ fidei. Numquid iſtorum mala fides obſtat ne tu præſcribere hæc bona valeas, dum bona fide eadem accipis? Si ſermo ſit de herede, is dum bona fide aliquid accipit ab auctore malæ fidei, præſcribere numquam poteſt, ut communis ſententia docet ex *Lib. II. Inſt. de uſucap. §. de diverſ. temp. præſ.* ubi hæc leguntur. *Cum heres in ius omne defuncti ſuccedit, ignoratione ſua defuncti vitia non excludit.* Heres enim perſonam defuncti refert, unamque perſonam cum eodem conſtituit: & ſicuti iura, & commoda, ita onera & obligationes ſuſcipit. Porro cum hereditatis auctor ob iniuſtitiam, malamque fidem reſtituere rem mala fide poſſeſſam deberet, hanc contrahit obligationem heres: idque confirmatur cod. de acquir. & retinen. poſs. *Vitia poſſeſſionum a maioribus contracta perdurant, & ſucceſſorem auctoris ſui culpa comitatur.* Contra qui bona fide ab auctore malæ fidei alio titulo præter hereditatem; puta emptionis, legati, donationis, &c. rem accipit, præſcribere eam valet, ut communiter Auctores docent, etiam tempore ordinario. Si tamen res furtiva aut immobilis fuerit, aut vi poſſeſſa; tum ad præſcribendum tempus extraordinarium, ſeu immemorabile requiritur. Similiter ſi is contra quem præſcribitur, ignorat rem ſuam ab alio poſſideri, triginta anni requiruntur. Quæ de herede dixi, intelligenda ſunt de herede proximo, & immediato; ſecus de mediato, ſeu de herede huius heredis. Si enim heres mediatus bona fide procedit, poteſt tempore ordinario uſucapere: quia mala fides primi heredis non extenditur ad ſecundum heredem fide bona procedentem.

Digitized by Google

CAPUT XV.

De patria poteſtate in filios, ſeu de rerum dominio quo potiuntur filii patriæ poteſtati ſubiecti.

I. DE filiorum obedientia parentibus præſtanda, & de iſtorum in filios poteſtate fuſius ſcripſi *in* IV. *Decalogi mandatum*. In præſentia dominium quo filii potiri in bona valent, non conſentientibus parentibus, ſub examen adduco. Quatuor ſunt bonorum genera quæ ad filiosfamilias pertinere interdum poſſunt, nempe *caſtrenſia*, *quaſi caſtrenſia*, *adventitia*, & *profectitia*. Bona caſtrenſia a bello ſeu caſtris nomen capiunt. Stipendia quæ filiifamilias titulo militiæ ſive maritimæ, ſive terreſtris acquirunt, prædæ de hoſtibus, munera illis a Ducibus impertita, teſtamenta, aut legata militiæ cauſſa obtenta, bona a parentibus ad bellum, ſeu militiam proficiſcentibus data, bona caſtrenſia nuncupantur. Similiter quæ filii in Principis aula, in arcis cuſtodia, etiam pacis tempore, comparant, & fructus qui ex his bonis propria induſtria colliguntur, inter bona caſtrenſia recenſentur. Quæ tamen in bello iniuſto comparantur, bona caſtrenſia non ſunt.

II. Bona quaſi caſtrenſia ſunt quæ filiifamilias officium publicum exercentes aſſequuntur; quæque vi privilegii, veluti in politica militia acquiſita, quaſi caſtrenſia bona dicuntur. Officia autem publica ſunt profeſsiones Advocati, Tabellionis, Medici, Procuratoris, & quarumcumque artium, non mechanicarum, ſed liberalium. Stipendia quæ ex his artibus comparantur, licet a privatis viris accipias, veluti publica habentur. Immo inter bona quaſi caſtrenſia collocantur quæ filii dono accipiunt ab Imperatore, Principe, Regina, Rege; quæ titulo Beneficii eccleſiaſtici, aut clericali privilegio acquirunt; & patrimonium, non a parentibus, ſed ab aliis pro ſacris Ordinibus ſuſcipiendis conſtitutum.

III. Quæ filiifamilias hereditatis, aut legati, non intuitu patris relicti, negotiationis, ſucceſsionis avorum maternorum titulo indipiſcuntur, bona adventitia ſunt; ſicuti ea quæ caſu inveniunt, uti theſauri, & munera donata vel ab ipſis parentibus, tamquam præmia meritorum. Quæ vero filiis parentum intuitu primario & immediate obveniunt, profectitia ſunt; dummodo filii ſub patria poteſtate ſint: ſi enim fuerint emancipati, bonis profectitiis non accenſentur.

IV. Filii ſub patria poteſtate conſtituti pleno potiuntur dominio in bona ſive caſtrenſia, ſive quaſi caſtrenſia, non ſolum directo, ſed etiam utili; eaque admi-

miniſtrare, diſtrahere, donare, alienare poſſunt, inconſultis parentibus, poſt aſſecutam pubertatem; ante pubertatem vero habent utique eorumdem bonorum dominium, & uſumfructum; ſed adminiſtratio eſt apud tutores, vel parentes, quibus inſciis, vel invitis eadem alienare nequeunt. Dominio directo, ſecus utili fruuntur filii in bona adventitia, quorum uſusfructus eſt apud parentes qui eadem adminiſtrant, niſi parentes ipſi uſumfructum, & adminiſtrationem filiis cedant; aut niſi aliqua filiis donata fuerint, adiecta conditione, ut filii ipſi, non parentes eadem adminiſtrent; aut niſi filiis aliqua donentur, renuente patre. In bona profectitia parentes tum directum, tum utile dominium habent. Neque aliam afferunt filiis ſimilia bona utilitatem, niſi quod ob patris delictum publicari nequeant.

DISSERTATIO II.

DE RESTITUTIONE IN COMMUNI.

PRAELOQUIUM.

SI qua eſt in univerſa Theologia chriſtiana diſputatio quæ ſevero examine; maturo iudicio, & exquiſita prudentia egeat, ea ſane eſt quam diſpiciendam in præſentia aggredimur. Hactenus contra iniuſtitiæ crimen longius certavimus: nunc ipſam iniuſtitiæ arcem invadimus, & hoſtem qui uſquequaque graſſatur, & ubique pauperum ſanguinem fundit, propius adorimur. Aliena retinere, debitorum & mercedum ſolutionem in dies, & ad calendas græcas protrahere in more fere homines habent, quin id ſibi vel vitio vertant. Reſtitutio rei alienæ ea virtus eſt quæ iuris æqualitatem inter partes conſtituit. De hac ergo reſtitutione cum in communi, tum in particulari ſermo nobis erit. Capita plura unde reſtitutionis onera dimanant, patefaciam, & omnia pleno in lumine pro viribus collocabo.

CAPUT I.

Propoſitiones damnatæ, & laxæ in materia iuſtitiæ.

METhodo noſtræ inhærentes, primum omnium propoſitiones a ſummis Pontificibus proſcriptas, deinde plures alias ex Moraliſtarum libris qui communiores & magis ad manus ſunt, decerptas exhibemus. Monitum alibi ſæpius datum in memoriam revoco, me ſcilicet non cenſoris, ſed Theologi perſonam in hoc negotio ſuſtinere. Si opiniones quas ego laxas, & falſas reputo, aliis veræ, & evangelicæ morali conſentaneæ apparent, ſuo illi utantur ſenſu, ſuaque aliter iudicandi ac ego ſentio, libertate fruantur. Sed idem ius mihi quoque concedant. Varia quippe ſunt hominum ingenia, & anticipationes, quæ diverſa, & oppoſita iudicia pariunt.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Propoſitiones proſcriptæ ab Alexandro VII. & Vener. Innocentio XI. quæ iuſtitiæ virtuti adverſantur.

1. QUando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio. Eſt 26. Alexandri VII.

2. *Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.* Eſt 42. Alexandri VII.

3. *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Eſt 36. Innocentii XI.

4. *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario quod recipiunt.* Eſt 37. Innocentii.

5. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.* Eſt 38. Innocentii.

6. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.* Eſt 39. Innocentii.

7. *Contractus Mohatra licitus eſt etiam reſpectu eiuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.* Eſt 40. Innocentii.

8. *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit qui non maioris faciat pecuniam præſentem quam futuram; poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.* Eſt 41. Innocentii.

9. *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tamquam ex iuſtitia debitum.* Eſt 42. Innocentii.

§. II.

Opiniones laxæ plurium Moraliſtarum.

I. P. Thomas Tamburinus *Lib. III. Method. Confeſſ. cap.* IV. *num.* 5. „ Si prævideat Confeſſor pœnitentem non reſtituturum, ſi illi detegatur nullitas „ tituli quem pro ſe adeſſe pœnitens putat, non erit ex *Sanchez* talis nullitas „ illi a Confeſſario patefacienda, *quamvis ſit in præiudicium tertii, qui ſuo ca-*

Digitized by Google

„ *rebit*. " Quam ſit principium iſtud iuſtitiæ, negotiationi, & ſocietati pernicioſum, quiſque iudicet.

II. P. Dominicus Viva *quæſt.* 1. *art.* 5. *num.* 2. „ Quod ſi ex opinione probabili „ pœnitens putet hic & nunc ſe non teneri, debet Confeſſarius accommodare ſe „ opinioni pœnitentis, ſi vere talis opinio ſit probabilis, quamvis ipſe contrariam „ ſententiam ſequatur. Ratio eſt; quia quando pœnitens eſt rite diſpoſitus, debet „ abſolvi. Eſt autem rite diſpoſitus, ſi opinionem probabilem ſequatur, quod non „ debeat reſtituere. Ergo tunc abſolvi debet. "

III. Tamburinus *Lib. III. Method. Confeſſ. cap.* IV. *num.* 5. „ Si prævides pœnitentem non reſtiturum, quamvis item advertas id eſſe in damnum publicum, „ cur tu ſis obligandus ad admonendum, quandoquidem prævides adhuc tua ac- „ cedente monitione illum non fore reſtituturum, atque adeo non fore amoven- „ dum damnum publicum? Certe fruſtra erit talis monitio, immo nocens ipſi „ admonito, bono autem publico nequaquam favens . . . Atque hæc omnia ex „ *de Lugo* etiam procedunt, quando Confeſſarius ſperaret pœnitentem ſuſceptu- „ rum quidem monitionem; ſed tamen advertit remedium eſſe difficillimum . . . „ Unde etiam infertur idem eſſe dicendum, quando pœnitens ſub peccato mor- „ tali tenetur ad aliquid adeo difficile, ut non credatur tunc æquo animo rece- „ pturus, & alia vice melius ſuſcepturus eſſe iudicetur: poterit enim tunc pru- „ dens Confeſſor relinquere illum in ſua bona fide, quæ a peccato excuſat, & „ monitionem in tempus opportunius differre, ne ſcilicet territus pœnitens a con- „ feſſione ſe abſtineat, maiuſque detrimentum patiatur. *Et hoc notetur permaximo* „ *pro Confeſſariis mercatorum, & Principum*. "

IV. P. Leonardus Leſſius *Lib. II. de iuſtit. cap.* XIV. *dub.* 8. *num.* 52. „ Etſi opus „ malum, pro quo dedit, non ſit æſtimabile pretio, qua malum; tamen qua de- „ lectabile, vel utile uni, & alteri detrimentoſum, periculoſum, laborioſum, in- „ ter homines pretio æſtimatur: ergo quod hac ratione pro eo eſt acceptum, „ non eſt reſtituendum, niſi forte quis exiſtimationem exceſſerit; ut ſi meretrix „ quæ uſuram ſui concedere ſolet uno aureo, ab aliquo iuvene extorſerit 50, „ tamquam pretium. *Hoc* tamen *locum non habet in ea quæ putatur honeſta; ut* „ *ſi matrona aliqua, vel filia* 100. aureos pro uſura corporis accipiat ab eo qui „ dare poterat, RETINERE POTEST. NAM TANTI ET PLURIS POTEST „ SUAM PUDICITIAM AESTIMARE. Res enim quæ certum pretium non „ habent, nec ad vitam ſunt neceſſariæ, ſed voluptatis cauſſa quæruntur, ar- „ bitrio venditoris poſſunt æſtimari; ut *probabiliter* docet Petrus Navarra, & „ alii. "

V. P. Leonardus Leſſius *Lib. II. de iuſtit. cap.* XIV. *dub.* 8. *num.* 55. „ Dices. Di- „ vus Auguſtinus epiſtola quinquageſima quarta ad Macedonium ait, *ſceleratius*

„ *ac-*

Digitized by Google

„ *accipi pecuniam pro ſententia iniuſta quam pro iuſta, pro teſtimonio falſo quam* „ *teſtimonio vero.* Atqui pecunia accepta pro ſententia iuſta eſt reſtituenda : ergo „ & pro ſententia iniuſta. Ita Sotus.

„ Reſp. negando conſequentiam. Non enim quia aliquid eſt ſceleratius, ideo „ magis, vel æquè obligat ad reſtitutionem. Hæc enim obligatio non ſequitur „ magnitudinem ſceleris, ſed damnum per iniuriam datum. *At qui accipit pro* „ *ſententia iniuſta, nullam infert iniuriam danti*, ſicut is qui pro iuſta. Porro il- „ lud eſt ſceleratius quam hoc : tum quia peius eſt ferre ſententiam iniuſtam „ (ad quam ferendam iam habet animum qui pecuniam accipit) propter iniu- „ riam quæ fit alteri parti, quam accipere pecuniam pro ſententia iuſta feren- „ da : tum quia (ut ibidem Auguſtinus ait) ſceleratius datur pro iniuſta quam „ pro iuſta; quamvis detur voluntarie, & libenter. Loquitur enim de ſententia „ ferenda. Adde, ibidem Auguſtinum ſignificare, pecuniam iſtam, etſi ſceleratius „ acceptam, non eſſe opere impleto reſtituendam, dum dicit *datam a volentibus*. „ Volenti enim non fit iniuria. Secus ſi data ſit pro ſententia iuſta, quæ cenſe- „ tur data *coacte* metu ſententiæ iniuſtæ."

VI. P. Leſſius *Lib. II. cap.* XIX. *dub.* 3. *num.* 22. „ Tertio, ſi heres ab inteſtato „ retineat hereditatem, & legata, poſſunt illi quibus aliquid per tale teſtamen- „ tum erat relictum, uti occulta compenſatione: nam revera res erat ipſorum. „ Silveſter v. *Hereditas.*"

VII. P. Dominicus Viva *Curſ. Theolog. Tom. I. part.* III. *quæſt.* VI. *art.* 5. *num.* 12. „ Tertio docent multi cum *Leſſio cap.* XIX. *dub.* 3. *Molina*, *Granados*, & „ aliis, quod qui ex teſtamento minus ſolemni habere debet legatum, poſſit il- „ lud ſibi retinere, vel compenſationem facere, eo quod *probabilis ſit ſententia* „ quod iure naturæ huiuſmodi teſtamentum ſit validum, atque adeo in foro „ conſcientiæ debeantur legata in eo facta; quamvis contraria opinio ſit ſatis „ communis, & probabilis.

„ Quarto docet *Leſſius ibidem*, poſſe heredem ab inteſtato uti compenſatione „ occulta contra eum qui bona defuncti poſſidet ex teſtamento minus ſolemni : „ quia *probabilis eſt ſententia*, quod ea bona debeantur heredi ab inteſtato, cui „ opinioni poteſt ſe conformare."

VIII. P. Leſſius *loc. cit. num.* 30. „ Tertio heres ab inteſtato poteſt illud retine- „ re : & ſi alter poſſidet, repetere in iudicio. Quarto, quod ſi non poſſit ob po- „ tentiam adverſarii, uti poteſt occulta compenſatione."

IX. P. Antoninus Diana *Tom. VI. tract.* III. *reſ.* 149. „ Qui ex teſtamento mi- „ nus ſolemni legatum debet habere, cum *ſit opinio probabilis* deberi in foro „ conſcientiæ ea legata, licet contraria ſit ſatis communis, & *probabilis*; poteſt tamen „ legatum detinere, vel de novo accipere, aut occulte compenſare, ut fatetur

„ Gra-

Digitized by Google

„ Granado, Molina. Leſſius addit, heredem ab inteſtato poſſe etiam uti *compenſatione occulta* contra eum qui bona defuncti poſſidet ex teſtamento minus „ ſolemni: *quia contraria etiam ſententia probabilis eſt, cui ſe poteſt conformare.* “

X. P. Diana *loc. cit.* „ An in compenſatione occulta facienda debitum debeat „ eſſe liquidum & certum? Ex his Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo propoſitam quæſtionem late pertractat *Tom. I. de iuſtit. diſput.* XVI. *ſect.* 5. *a num.* 94. „ uſque ad *num.* 107. & negativam ſententiam cum diſtinctionibus ab ipſo adductis valide & docte, ut ſemper ſolet, firmare conatur. Aſſerit itaque, quod „ quando opinio *probabilis æque*, vel *probabilior* favet creditori volenti facere „ compenſationem quæ verſatur non circa factum, ſed circa ius, *videtur probabile* quod poſſit creditor, antequam res ad iudicium deducatur, poſitis aliis „ conditionibus ad licitam compenſationem ſupra requiſitis, ſibi compenſare occulte ſuum debitum. Hanc concluſionem probare videntur *argumenta ſupra facta*, & exempla ſupra adducta, in quibus exemplis Auctores ipſi compenſationem admittunt; cum tamen in iis *procedat ſolum opinio probabilis, ut in compenſatione pecuniæ pro fama ablata*, & in legatario, vel herede ex teſtamento minus ſolemni, & ſimilibus. Ratio enim ſupra adducta id videtur probare, quia in prædicto caſu, non obſtante poſſeſſione debitoris, iudex proferret ſententiam, vel certe proferre poſſet pro creditore, amplectendo *ſententiam probabilem, vel probabiliorem, quæ ipſi favet* .... Item quando affert „ pro ſe *bonos Doctores certificantes*, quod in his circumſtantiis iura ei favent, „ & reus debet condemnari, iam oſtendit iuxta illorum Doctorum ſententiam, „ cauſam ſuam non eſſe parem, ſed meliorem quam ſit cauſa rei. Cur ergo „ ipſemet creditor, quando ſine incommodo gravi non poteſt ad iudicem recurrere, non poterit amplecti eamdem ſententiam quam iudex amplecti debuiſſet, vel potuiſſet, & compenſare ſibi debitum? “

XI. P. Diana *loc. cit.* „ Nec obſtat quod iniquum videtur, debitum certum „ cum debito incerto compenſare: qui autem ſolum habet probabilitatem quod „ ipſi aliquid Petrus debeat, cui ipſe tantum certo debet, ſi compenſatione utatur, videtur iam debitum certum cum incerto compenſare, atque ideo ſolutione certa debitum incertum extinguere. *Reſpondetur*, hoc idem argumentum, ſi aliquid probat, probare non ſolum contra compenſationem, ſed etiam contra ſolutionem, quod ſcilicet habens ius ſolum probabile ad petendam „ rem tibi debitam, non poſſes petere, nec accipere illam a debitore: quia „ tunc etiam iniquum eſſet ſolutionem certam, & integram, ac rem certam „ pro debito incerto petere. *Unde neque in iudicio liceret umquam agere, niſi cum evidenti iure. Sicut ergo licitum eſt petere debitum probabile, & a debito-*

„ *re*

„ *re ſolvente accipere; ſic licitum erit cum probabilitate proxima de qua locuti ſu-*
„ *mus, facere compenſationem, & accipere rem certam*. Ratio autem in utro-
„ que caſu eadem eſt, quod ſcilicet rationes *illæ probabiles*, auctoritas Docto-
„ rum, & opinio illa, licet in ſe ſit probabilis, non tamen habet pro obiecto
„ *probabilitatem*, ſed ſolutionem, vel compenſationem certam: non enim dicit
„ debere, vel poſſe fieri ſolutionem, vel *compenſationem probabilem*; *ſed proba-*
„ *biliter dicit* debere, vel poſſe fieri ſolutionem, vel compenſationem certam,
„ quod ſufficit ad illam petendam, vel *faciendam*, ſicut in aliis materiis. Sic
„ enim *opinio probabilis* circa ieiunium, vel circa officii recitationem facit *quod*
„ *poſſis ſumere cibum non probabilem*, *ſed certum*, & ponere omiſſionem certam
„ officii divini. Ratio vero oritur ex principio ſupra poſito, quod ad operatio-
„ nem licitam ſufficit *probabilitas proxima*, *qua probabiliter* iudicas licitum eſſe
„ taliter operari. Cum ergo habeas *probabilitatem proximam*, *qua probabiliter in-*
„ *dicas* te habere hic & nunc ius ad tantam pecuniæ ſummam, totam illam
„ poteris accipere: quia non poteſt eſſe ius ad illam accipiendam, niſi ſit ius
„ ad illam certo accipiendam.

„ Et hæc omnia, & plura alia pro hac firmanda ſententia adducit ubi ſupra
„ Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo; licet poſtea in fine *num.* 106. ab ultimo
„ iudicio circa illam abſtineat."

XII. PP. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *dub.* 19. *num.* 318. „ Utrum quis cum
„ opinione probabili, quod ſibi debetur, poſſit uti compenſatione occulta? . . .
„ Reſp. *num.* 319. „ Dicendum itaque eſt, quod in generali, & in genere, ut ſic
„ loquamur, ideſt pro omnibus caſibus licitum non eſt uti compenſatione occul-
„ ta, cum ſolum datur opinio æque probabilis pro utraque parte, debitoris ſcili-
„ cet, & creditoris; *ſed in caſibus particularibus id licet*. Et etiam licet in o-
„ mnibus, quando datur maior probabilitas ex parte creditoris, quod tale debi-
„ tum ſibi debetur."

XIII. PP. Salmanticenſes *loc. cit. num.* 322. „ Sed ecce difficilis obiectio: quia ſi
„ in hoc caſu particulari, & in illo licet talis compenſatio, ergo in omnibus erit
„ licita: quia a ſingularibus ad univerſale valet inductione argumentatio . . . .
„ Hac obiectione (me iudice) probatur recte quod loquendo per principia intrin-
„ ſeca, vel eſt dicendum, quod in omnibus caſibus in quibus datur probabilitas
„ facti quod res debetur, eſt licita compenſatio, & ſic dari probabilitatem iuris,
„ & proximam; vel eſt negandum in caſibus particularibus, & ſic merito Emi-
„ nentiſſimus Cardinalis Lugo dixit Auctores inconſtanter, & inconſequenter pro-
„ cedere . . . Fateor me non capere diſparitatem. Sed non inficior apud viros
„ ſic doctiſſimos eſſe aliquas ſpeciales rationes ob quas moverentur ad id aſſeren-
„ dum in uno caſu, & non in alio; & quæ apud me latet, apud illos pateſce-
„ re:

Digitized by Google

„ re : & ideo aſſero, quod *probabilitate extrinſeca, deſumpta ex Doctorum auctoritate*, licitum eſt in caſibus illis in quibus dantur Auctores claſſici ſufficientes „ ad efficiendam opinionem probabilem, compenſatione uti cum probabilitate de„ biti. “

XIV. *An qui ſe obligavit ad debiti ſolutionem ſub iuramento, poſſit uti compenſatione non ſolvendo debitum?*

XV. P. Diana *Tom. VI. tract.* 111. *reſol.* 151. inquit. „ Caſus eſt quotidianus, & „ tres circa illum invenio ſententias. Prima negat .... ſecunda ſententia affir„ mat; & ideo aſſerit iurantem ſolvere pecuniam poſſe compenſare ſine metu „ periurii .... Tertia opinio diſtinguit .... Quid ego ſentiam, dicam brevi„ ter. Omnes iſtas tres opiniones exiſtimo probabiles. Secundæ vero tamquam „ *probabiliori* adhæreo. “

XVI. Cardinalis de Lugo *Tom. I. de iuſtit. & iur. diſput.* IV. *num.* 117. tertiam amplectitur ſententiam hac diſtinctione. Si promiſiſti non uti compenſatione, addito iuramento ſolvendi debitum, non potes compenſatione uti; ſi vero abſolute iuraſti te ſoluturum debitum, uti poteris compenſatione. Quoniam, inquit, licet iuramentum additum promiſſioni novum obligationis vinculum inducat, „ non „ tamen obligat ad aliud obiectum novum. Solum enim confirmat promiſſio„ nem: ergo ad id ſolum obligat quod erat obiectum promiſſionis. Promiſſio „ autem ſolvendi non excludit compenſationem. Nam qui compenſat, vere ſol„ vit. “

XVII. *Utrum valeas uti compenſatione præſenti pro debito futuro?*

XVIII. Cardinalis de Lugo *loc. cit. ſect.* V. *num.* 93. reſpondet. „ Aliquando ta„ men licere creditori prævenire, & compenſare ſibi nunc pro eo quod Petrus „ nondum debet, *ſed debebit poſt menſem* v. g. & prudenter creditor timet non „ ſibi ſolvendum; affirmat Tannerus 2. 2. *diſput.* IV. *quæſt.* VI. *dub.* 14. *num.* 406. „ Diana *reſol.* 48. . . . *Ceterum, quidquid ſit de foro externo, in quo lex illa pro„ cedere videtur, in foro interno probabilis videtur ſententia illorum Doctorum ut „ poſſit creditor compenſare ſibi ante tempus pro debito FUTURO, duplici conditione „ poſita.* “

XIX. P. Diana *Tom. VI. tractat.* 111. *reſolut.* 150. *num.* 5. recenſitam opinionem quam prius docuerat, confirmat his verbis: *Ita ego olim docui, & noviſſime, me citato, docet Eminentiſſimus de Lugo, & etiam, me citato, Machadus.*

XX. *An qui per occultam compenſationem ſurripit quod ſibi debetur, poſſit iurare ſe nihil accepiſſe?*

XXI. P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. tract.* 11. *cap.* V. *§.* 1. *num.* 1. reſpondet. „ Non eſſe in conſcientia furem, nec peccare, nec in excommunicationem inci„ dere quæ forte ſit contra furantes impoſita, & *poſſe iurare etiam coram iudice*

„ *nihi.*

Digitized by Google

„ *nihil accepiſſe*, intelligendo quod ſibi non deberetur; certum iam *hodie* eſt apud „ omnes; etiamſi res quam uſurpat, fuerit ipſi in depoſitum a debitore conſigna„ ta. Vide *Molinam*, *Leſſium*, *de Lugo*, alioſque mox citandos, quibus adde *Dicaſtillum*. "

XXII. P. Didacus de la Fuente Hurtado *diſſ.* XXIII. *cap.* I. *num.* 5. „ Hæc o„ mnia demonſtrant quam confuſe & indigeſte illa propoſitio (*ſcil.* 37. *damn. ab* „ *Innoc. XI.*) fuerit tradita, tot diverſos caſus comprehendens pari regula, cum „ ſint valde diſpares; & quantis additamentis, limitationibus, fulcriſque indigeat, „ ut ad praxim ſecure revocetur. "

XXIII. P. Dominicus Viva in *Trut. theolog.* in hanc *prop.* 37. *num.* 7. „ Quod „ in hac theſi proſcribitur, eſt, poſſe famulos occulte compenſare id quod *ipſi* iu„ dicant ex iuſtitia ſibi deberi in ſalarium .... Idcirco ad occultam hanc com„ penſationem faciendam requiritur iudicium viri docti ſimul & periti. "

XXIV. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 19. *§.* 2. *num.* 316. „ Similiter ſi „ dominus occupat famulum vel aliis horis, vel in aliis miniſteriis quam conven„ tum eſt, poteſt famulus uti compenſatione, ſi a domino id non compenſatur: „ quia illud obſequium eſt pretio æſtimabile, ad quod famulus ex vi conventionis „ non obligatur. "

XXV. P. Patritius Sporer *Tom. II. tract.* V. *in* 7. *præcept. Decal. cap.* V. *ſect.* 3. *§.* 4. *num.* 83. „ Famulus, vel officialis qui ob errorem, neceſſitatem, *vel aliam ſi*„ *milem cauſam* operam ſuam minoris iuſto locavit, quia ſaltem *ſecundum quid* „ involuntarius fuit, adeoque animum donandi non habuit, poterit defectum ſti„ pendii iure exigere, & ſi aliter habere nequeat, *occulte compenſare*. Et dominus „ ſibi imputet. "

XXVI. Gar. Leſſius apud Matthæum Moya *Tom. II. ſelect. qq. tract.* VI. *Miſc. diſp.* IV. *quæſt.* III. „ Quando famulus nihil petit ſtipendii, immo expreſſe reſpuit „ in ſuo corde omnem intentionem petendi, & ſervit ſperans a domino aliquod „ officium, vel beneficium ſibi procurandum, quando dominus id procuraverit, „ etſi nihil obtinuerit, non poteſt quidquam petere, vel compenſare. Si vero do„ minus nihil procuraverit, quia vitandæ labis ſimoniacæ cauſa procurare no„ luit, aut ob alias cauſas, poteſt petere ſtipendium more patriæ conſuetum; „ *& ſi non det, licite ſibi conſulet honeſta compenſatione*. Ita Leſſius *cap. illo* XXIV. „ *dub.* 4. *num.* 26. *prope finem* ... Secundâ pars probatur: quia etſi habuerit in„ tentionem non petendi quidquam; tamen cum ea intentio *non ſit votum*, per „ eam non ademit ſibi poteſtatem acquirendi id ad quod ius habet. "

XXVII. *An in debitis ex iuſtitia dari poſſit compenſatio cum bonis, vel obſequiis gratuitis?* P. Diana *Tom. VI. tract.* III. *reſ.* 152. reſpondet affirmative. „ Quan„ do volui cum dono gratuito ſatisfacere obligationibus ex iuſtitia quas debere

„ ſcie-

Digitized by Google

„ ſciebam; ſed difficultas eſt, an quando præbui donum, vel obſequium, ignorabam debitum ex iuſtitia, an poſſim tunc facere compenſationem? Et affirmativam ſententiam *probabilem* eſſe putat ex *Rodriguez*, *AEgid. Trullench. in Decal. Tom. II. Lib. VII. cap.* IV. *dub.* 5. ubi ſic aſſerit. Ego debeo tibi ex iuſtitia centum aureos, & poſtea gratis præſto obſequium eiuſdem valoris, aut æquivalens tibi confero titulo donationis: manebo ne exemptus ab obligatione iuſtitiæ? Reſpondeo, ſi quando contuli illud donum, eram memor obligationis ex iuſtitia, & nolui per illam rem, ſeu donum obligationi ex iuſtitia ſatisfacere, ſed gratis rem illam præſtare; certum eſt me non ſatisfeciſſe obligationi ex iuſtitia, nec poſſe poſtea uti compenſatione, quia res illa ſcienter fuit gratis donata & liberaliter . . . Quid, ſi quando contulit obſequium, ignoraverit debitum ex iuſtitia? Rodriguez in *Summa* Part. II. cap. XLIX. concl. 2. *non improbabiliter* aſſerit, poſtea, quando debiti ex iuſtitia recordatur, poſſe facere compenſationem per rem illam donatam cum tali ignorantia: quia præſumitur quod non fuiſſet tam liberalis, ſi debiti fuiſſet memor. At Sanchez *Lib. I. oper. mor. cap.* XIII. *num.* 11. & cum aliis Bonacina *probabilius* cenſent contrarium . . . Nihilominus tamen, ut dixi, ſententia *Rodriguez* non eſt *improbabilis*, cui favet *Layman* citatus a nobis. Hucuſque *Trullench.* "

XXVIII. *An compenſatio ſit valida in foro conſcientiæ, etiamſi adſint creditores anteriores?* Reſpondet P. Diana *loc. cit. reſ.* 153. „ Hic caſus multum practicabilis eſt, & his diebus præteritis accidit in morte cuiuſdam argentarii: & tunc multi viri docti negative reſponderunt, quia debitor in tali caſu accipit rem alteri obligatam; & ita docent *communiter Doctores. Sed EGO contrariam ſententiam PROBABILEM exiſtimo.* Quid, ſi creditor poſſideret rem debitoris iure depoſiti? Ego puto *probabiliter* cum Tannero . . . qui citat Navarrum, & Leſſium, illam legem (depoſiti) & alias ſpectare ſolum ad forum externum, vel certe intelligendas, ſi aliter obtineri poſſit compenſatio. Unde in noſtro caſu non ſolum creditor iuſte faceret compenſationem, exiſtentibus creditoribus anterioribus, ut dictum eſt; ſed etiam contra Comitolum *licite poſſideret rem iure depoſiti.* "

XXIX. P. Dominicus Viva *Tom. I. part.* III. *quæſt.* VI. *num.* 9. „ Sequitur quarto poſſe Sacerdotem qui pecunia credita decem Miſſas celebravit, ſi non poſſit pecuniam hanc recuperare, oblatis deinde decem carolenis pro aliis decem Miſſis, pecuniam hanc retinere, & alias Miſſas NON celebrare, ut notat Peierinus apud Tamburinum *Lib. III. de ſacrific. Miſſæ cap.* 1. *§.* 3. dummodo tamen vitet damnum tertii, videlicet aut animæ purgantis, aut infirmi &c. "

XXX. P. Didacus Hurtado de la Fuente *Theolog. reformat. diſſ.* XXIII. *cap.* V. *num.* 41.

num. 41. „ Quæ autem de famulis diximus, & ad quoſvis alios ſtipendiarios ex-
„ tendimus, ſervata proportione locum habent in Sacerdotibus qui Miſſas cele-
„ brant: in vinea namque Domini operantur, & ſicut alii operarii digni ſunt
„ ſua mercede. Quapropter ſi merces iuſta, & recepta lege, conſuetudine, aut
„ conventione taxata, eis non perſolvatur, optimo iure ſe ſe compenſare pot-
„ erunt, & quod iuſto deeſt, ſibi occulte accipere ex aliis pecuniis eius qui ipſis
„ Miſſas commendavit, ſervatis his quæ in iſtis compenſationibus ab aliis ſerva-
„ ri debent. "

XXXI. Idem P. Didacus Hurtado *ibidem num.* 43. „ Gravis tamen inſurgit dif-
„ ficultas, num ſcilicet is Sacerdos cui recompenſatio ex iuſtitia debebatur, ſup-
„ plementumque exigui ſtipendii, poſſit ſe indemnem ſervare non offerendo tot
„ Miſſas, quot promiſit iniquo contrahenti, ſed pauciores, & eas ſolum quæ di-
„ minutis ſtipendiis ſimul ſumptis reſpondent iuſto ſtipendio? . . . (Poſt multa
„ quæ brevitatis ſtudio omittuntur, reſpondet.) Sicut alii operarii iniuſte læſi in
„ contractu locationis circa ſtipendii iuſtitiam, bifariam ſibi conſulere poſſunt,
„ cum alia media deficiunt: nempe vel exhibendo totam operam promiſſam,
„ dignam maiori ſtipendio, & ſibi accipiendo occulte quod iuſto ſtipendio deeſt,
„ ſaltem uſque ad gradum infimum; vel potius minuendo operas, nec præſtan-
„ do, niſi illas quibus ad æqualitatem correſpondet ſtipendium quod tribuitur:
„ ita pariter huic Sacerdoti ſimiliter iniuſte læſo circa ſtipendium Miſſarum lice-
„ bit ſibi conſulere, quocumque ex prædictis mediis: neutrum enim eſt iniuſtum
„ &c.

„ *Num.* 45. Negotium tamen faceſſunt decreta S. Congregationis auctoritate ſpe-
„ ciali Urbani VIII. &c.

„ . . . *Reſponderi tamen poteſt, decretum non loqui in caſu.* " Vide ibi plura la-
xiſſima.

XXXII. P. Leonardus Leſſius *Lib. II. cap.* 11. *dub.* 25. *num.* 133. „ Si tu alium
„ iniuſte infamaſti qui te antea infamaverat, non teneris ei ad reſtitutionem, ſi
„ ipſe tibi reſtituere nolit; ſed potes uti compenſatione, ſervata tamen æqualita-
„ te, *quantum fieri poteſt.* "

XXXIII. Idem P. Leonardus Leſſius *loc. cit. num.* 136. huic quæſito, *utrum com-
penſari infamia poſſit occulta pecuniarum retentione, vel ſurreptione?* reſpondet.
„ Probabile eſt hanc compenſationem fieri poſſe: *quia probabilis eſt* ea ſententia
„ quæ aſſerit, infamiam pecunia eſſe compenſandam, quando in ſuo genere non
„ reſtituitur. "

XXXIV. P. Ludovicus Molina *de iuſtit. & iur. Tom. IV. diſput.* xlix. *num.* 5.
„ Quando unus alterum iniuſte infamavit, neque, ut tenebatur, vellet eam fa-
„ mam illi reſtituere, tunc iniuſte infamatus, qui damnum in fama alteri non

„ de-

Digitized by Google

„ dediſſet, poſſet in *pecunia* compenſare damnum famæ, in quo eſt, idque *non* „ *ſolum non ſolvendo* debitum antiquum occultum, quantum ad æqualitatem ſuf- „ ficere iudicaretur ad competentem compenſationem famæ, in qua eſt; *ſed et-* „ *iam occulte accipiendo de novo quantum ſatis eſſet ad eamdem compenſationem*, „ dummodo non interveniret ſcandalum, & aliter *commode* obtinere non poſ- „ ſet reſtitutionem ſuæ famæ, & denique dummodo intervenirent conditiones „ omnes requiſitæ, ut licite in conſcientiæ foro fiat occulta compenſatio de- „ biti. "

XXXV. P. Dominicus Viva *Tom. I. part.* III. *quæſt.* VII. *artic.* I. *num.* 2. „ Qui „ invaſus ab altero ſive armis, ſive contumeliis, ſi *poteſt* fugere, & malum de- „ clinare, non tamen fugit, ſed cum debita moderatione ſe defendit, non tene- „ tur ad reſtitutionem. Ratio eſt: quia quamvis aliquando non fugiendo peccet „ contra caritatem, ſi ſcilicet ſine diſpendio honoris fugere poterat; at non pec- „ cat contra iuſtitiam. Ergo non tenetur ad reſtitutionem. "

XXXVI. PP. Salmanticenſes *tractat.* XIV. *cap.* I. *punct.* 6. *num.* 52. „ Cum ergo „ utraque dicta ſententia *probabilis* ſit, qui *primam ſequi vellet*, poterit, ſi he- „ res, aut legatarius inſtituatur teſtamenti minus ſolemnis, hereditatem, vel le- „ gatum procurare, & ſi adipiſcatur, retinere; & idem eſt *de aliis contractibus*. „ Et ſecundum noſtram ſententiam poterit heres ab inteſtato non dare heredita- „ tem, aut legatum teſtamenti minus ſolemnis: quia ſecundum illam invalidum „ manet teſtamentum etiam in foro conſcientiæ; ideoque ſuccedit heres ab inte- „ ſtato, ac ſi confectum non eſſet. Sed quia probabiliorem diximus hanc ſenten- „ tiam, poterit dictus heres uti occulta compenſatione, ſi legatarius, aut heres „ inſtitutus aliqua via legatum, aut hereditatem adierit: quia, ut diximus (*tra-* „ *ctat.* XIII. *cap.* I. *punct.* 19. *ſ.* 3.) datur locus compenſationi, quando eſt proba- „ bilior ſententia quod ſibi talia bona debentur. Sed hoc non poterit heres aut, „ legatarius facere, ſi heres ab inteſtato nolit reddere quod in teſtamento minus „ ſolemni redditum eſt, etiamſi conformare ſe velit alienæ opinioni, niſi eam „ iudicet probabiliorem: quia, eo quod ſit probabile aliquid deberi, locus com- „ penſationi non datur, ut ibidem *ſ.* 3. *num.* 319. probavimus. *Sed adhuc poſſe*, „ *utramque ſequendo opinionem ſolum ut probabilem, tenent Villalobos*, *&* *Leſ-* „ *ſius*. "

XXXVII. P. Dominicus Viva *Tom. I. part.* IV. *quæſt.* II. *art.* 2. „ Quare licitum „ eſt vendere aleas, & taxillos, *quamvis advertam* emptores iis male uſuros: „ poſſum etiam vendere Iudæis agnum, & flores, poſſum vendere fucos, & or- „ namenta meretricibus, cibos iis quos *ſcio* violaturos ieiunium. "

XXXVIII. *PROBABILISMUS materia ne venditionis eſt?* P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. in Decal. cap.* VII. *ſ.* 3. *num.* 13. proponit hanc quæſtionem ſub hoc ti-

titulo: *Venditio ſententiæ probabilis*: & eam his verbis exponit. „ Occurrit hic „ non abſimilis difficultas ac in iudice. Supponamus probabilem eſſe eam opi„ nionem de qua late dixi *Lib. I. cap.* III. quam præter ibi citatos ſequitur Di„ caſtillus *Lib. II. de iuſtit. tract.* 1. *d.* 5. *dub.* 7. licere iudici ex duabus *opinioni„ bus æque probabilibus* unam eligere, & iuxta illam proferre ſententiam. Iam „ inquiro, licite ne, & iuſte accipiet iudex pecuniam, ut potius illam eligat quæ „ mihi favet, quam illam quæ meo adverſario? (Reſpondet ſe improbaſſe hanc „ opinionem; at ſubdit:) *Eam tamen legat qui velit apud Leſſium Lib. II. cap.* XIV. „ *dubit.* 9. *num.* 64. *Valentiam* 2. 2. *quæſt.* LXIII. *artic.* 4. *d.* 5. *quæſt.* VII. *part.* IV. „ *Salon.* 2. 2. *quæſt.* LXII. *art.* 4. *contr.* 2.

XXXIX. P. Leonardus Leſſius *Lib. II. cap.* XIV. *dub.* 9. *num.* 64. „ Si aliquid ac„ cipiat (iudex) ut hanc potius quam illam in iudicando ſequatur, videtur non „ peccare . . . Quia non tenetur ad alteram determinate; ſed liberum ei eſt ſe„ qui quam maluerit. Ergo ſi aliquid accipiat, ut hanc ſequatur potius quam il„ lam, non facit ulli iniuriam. Conſequentia patet. Quia cum res non eſt debi„ ta, non eſt contra iuſtitiam (ſi ſolum ius naturæ ſpectemus) exigere pro ea „ pretium, ſi alioquin pretio ſit æſtimabilis. Tertio. Quia non accipit pretium „ pro iuſtitia ſententiæ; ſed quia in hac cauſa hanc opinionem præfert iſti, ad „ quod nullo modo tenebatur. Hoc autem eſt pretio æſtimabile: tum quia uti„ liſſimum eſt parti; tum quia ſequendo hanc opinionem amittit favorem alterius „ partis, cui potuiſſet gratificari. “

XL. Cardinalis de Lugo *Tom. II. de iuſtit. diſp.* XXVI. *ſect.* 13. *num.* 208. „ Infere„ tur tertio, neque reddi iniuſtum hunc contractum (*mohatræ*) ex natura rei per „ hoc quod venditor ſuam intentionem manifeſtet emptori dicendo: Ego liber „ tibi credito vendo has merces; ſi tamen volueris eas poſtea viliori pretio ven„ dere ad habendam pecuniam præſentem, ego paratus ſum ad eas emen„ das. “

XLI. P. Leonardus Leſſius *Lib. II. cap.* XXI. *dub.* 16. *num.* 131. „ Adverte tamen, „ hunc modum contrahendi ſæpe non carere culpa in mercatore, qui ex COM„ POSITO ita vendit, ut pretio infimo redimat. Nam primo peccare poteſt con„ tra caritatem; ut ſi cogat miſerum aliquem hominem emere merces quibus non „ eget, magno illius diſpendio, cum poſſit illi facile, & abſque ſuo incommodo „ mutuum dare. Secundo peccare poteſt præbendo malum exemplum. Nam con„ tractus ille habet ſpeciem mali, & ſuſpicionem uſuræ. Tertio ſeipſum, & ſuos „ infamando. *Non tamen tenetur ad reſtitutionem, ut inquit Navarrus: quod in„ tellige non teneri ex iuſtitia.* “

XLII. Salmanticenſes *tractat.* XIV. *cap.* II. *punct.* 9. *§.* 1. *num.* 84. quærunt, peccent ne venditores, & emptores contra iuſtitiam, dum mendaciis, & periuriis ſe

decipiunt, ut augeatur, aut diminuatur pretium intra gradus præfinitos? Negant: quia hæc, inquiunt, *ſunt communia mendacia vendentium, & ementium, & homines communiter norunt, hæc eſſe ſtratagemata negotiatorum, quibus fidem non præſtant; & ſi fidem incaute præſtent, ſibi imputent, quia faciles ſunt ad credendum.*

XLIII. Caramuel *Lib. II. Theol. mor. diſp.* XIV. *num.* 778. „ Diſtinguo moleſtiam „ a periculo, vel a damno emergente, & a lucro ceſſante. Eſt vere aliqua re„ creatio in videndis rebus pretioſis, cur non & poſſidendis? Pro audienda co„ mœdia, vel videnda beſtia datur pretium; & nemo contradicit: cur non pro „ videndis, vel poſſidendis optimis auri partibus? Ratione ergo huius moleſtiæ, „ a carentia pecuniæ ſubortæ, præciſo omni alio periculo, poſſe quid ſupra ſor„ tem accipi, affirmat Medina: & D. Thomæ interpretes *quæſt.* LXXVIII. *artic.* I. „ iudicant ſpeculative probabile. Sed Dicaſtillus contradicit, & inquit: Mihi hæc „ ſententia & ſpeculative improbabilis, & moraliter in praxi videtur perniciosa. „ *Videte CENSORIUM CATONEM ſevero ſupercilio doctrinam condemnantem.* „ *Audite tamen num.* 154. *ſibi contradicentem.* Unum ſolum ſupereſt, inquit, ſa„ ne difficile, nempe triſtitia ex carentia rei quam amabat, & de qua habita „ apud ſe delectabatur. *Non hæc reſtat; ſed de hac unica diſputatur: & reſpon„ det.* Recentiores aliqui docent, eam triſtitiam ſufficienter recompenſari per re„ compenſationem rei ſimilis conditionis . . . Verum enimvero carentia illa non „ videtur recompenſari per redditionem rei ſimilis, ſed ex ſolutione rei mutua„ tæ iterum redit delectatio; quam delectationem, ſi non mutuaſſet, mutuans & „ eouſque habuiſſet quo caruit, & modo etiam haberet. Ergo non ſatisfit præ„ teritæ triſtitiæ per præſentem lætitiam: quia hanc etiam haberet, ſi non mu„ tuaſſet. Ideo probo poſſe in hoc caſu aliquid ultra ſortem recipere, ſi id a „ principio deduxit in pactum, & declaravit mutuatario iuxta dicta in ſuperio„ ribus: atque in eo eventu vera eſt ſententia Medinæ. " (Hactenus Dicaſtillus: & Caramuel hoc pacto reſumit ſermonem.) *Parturiunt montes, & naſce„ tur parviculus mus. Cur illa dicta prius? Sententia quæ a paucis lineis erat „ ſpeculative improbabilis, practice pernicioſa, iam tandem aſſeritur vera. Veri„ tas enim eſt veritas, & tametſi aliis ideis præventus eam condemnes, tandem „ affulget, & te ipſum condemnans eius ſinceritatem propugnabis.*

XLIV. P. Leonardus Leſſius Lib. II. cap. XX. dub. 14. *Utrum ratione carentiæ pecuniæ, ſeu obligationis non repetendi ante certum tempus aliquid exigi poſſit?* . . . . Num. 123. „ Tertio probatur hæc ſententia. Quia ſicut aliis rebus, & oneribus „ poteſt aliquod pretium imponi, ita etiam oneri CARENDI ſua pecunia tanto „ vel tanto tempore. Cum enim pecunia ſit inſtrumentum negotiandi; & priva„ re ſe inſtrumento ſuæ artis ſit pecunia æſtimabile: cur non etiam mercatores

„ pote-

Digitized by Google

„ poterunt carentiæ pecuniæ pretium aliquod communi conſenſu imponere, præ-
„ ſertim ſi ratio boni communis id poſtulet? "

XLV. P. Claudius La-Croix *Lib. III. part.* II. *de uſura num.* 854. „ Sylvius, Ser-
„ ra, aliique apud Mendo in ſtatera *diſp.* VI. *art.* 2. *num.* 58. docuerunt, SEM-
„ PER eſſe periculum ſortis, quando datur mutuum; ideoque ratione periculi
„ SEMPER poſſe aliquid exigi. "

XLVI. P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. tractat.* III. *cap.* VIII. *§.* 4. *num.* I.
„ Quando rationabiliter timetur periculum, vel difficultas, vel expenſæ in re-
„ cuperando mutuo, atque hæc oriuntur ratione perſonæ mutuatarii, poteſt ali-
„ quid exigi proportionatum ſupra ſortem . . . ſi pericula timeantur ex ſola pu-
„ ſillanimitate, negant plerique . . . Verum de Lugo innuit poſſe, licet deni-
„ que aliorum iudicio relinquat. Ratio eſt . . . angor & moleſtia quæ mutuans
„ paſſurus eſt, toto v. g. anno propter timorem amittendi ſortem, quæque ſub-
„ ire ipſe non obligatur ſine pretio. Atque hæc iam in eo puſillo adſunt: er-
„ go &c. "

XLVII. Cardinalis de Lugo *Tom. II. de iuſtit. diſp.* XXV. *ſect.* 6. *num.* 81. „ Cete-
„ rum cum hoc ſtat quod ipſum periculum ſit damnum diverſum a ſorte, & pro
„ quo poſſit aliquid ex pacto præcedenti exigi. Negari enim non poteſt quod li-
„ cet debitum poſtea recuperetur, moleſtiam tamen mutuanti non attulerit per-
„ iculum illud, & timor amittendi ſortem. Sicut ergo mutuum quod dari non
„ poteſt ſine corporis, vel mentis labore, vel moleſtia, affert titulum ad exigen-
„ dum ultra ſortem pro illo labore, vel moleſtia, & timore amittendi ſortem;
„ poteris pro hac moleſtia ſubeunda aliquid exigere.

„ *Ratio autem a priori* eſt: quia labor & dolor mentis licet non ſit in genere
„ bonorum fortunæ, & ideo iniuriæ circa illos illatæ non obligent ex ſe ad com-
„ penſandum pecuniis, ſunt tamen *aliquid* quod in pactum deduci poteſt, ut pe-
„ cuniis compenſetur. Sicut enim pro labore corporis potes pretium exigere, ita.
„ & pro labore mentis: & ſicut potes exigere pretium, ut aliquis ſit tibi dolor
„ capitis, quanti doloris illius moleſtia æſtimari poſſit; ita pro moleſtia, &
„ angore mentis ſubeundo poteris pretium exigere, cum non minus, ſed magis
„ aliquando cruciet quam dolor corporis. *Si ergo poſſes ultra ſortem exigere,*
„ *quando mutuum futurum tibi eſſet cauſa doloris capitis, poteris etiam exigere,*
„ *quando mutuum futurum tibi eſſet cauſa doloris, & timoris interni propter per-*
„ *iculum ſortis amittendæ: quia dolor ille, & timor, prout contradiſtinctus a forte*
„ *ipſa, eſt aliquid quod in pactum poſſit pro pretio afferri.* "

XLVIII. Idem Cardinalis de Lugo *loc. cit. num.* 85. „ Cum enim ratio licite exigen-
„ di aliquid propter periculum, ſit, quia mutuans non poteſt hic & nunc mu-
„ tuare quin ſubeat moleſtiam illam, & timorem; *parum* videtur referre quod

E ij „ res

„ res ipſa , vel indoles mutuantis , & eius diſpoſitio talem moleſtiam afferat :
„ *Quia ſi ego, quia claudus v. g. ſum, debeo ſubire peculiarem moleſtiam , ut pecu-*
„ *niam ex domo afferam ad tibi mutuandum , quam moleſtiam alii non ſubirent ;*
„ *poſſum bene* (N. B.) *peculiare pretium exigere pro illa moleſtia a me ſubeunda .*
„ *Si ergo ſimiliter, quia meticuloſus ſum, & pavidus, non poſſum tibi mutuare ſi-*
„ *ne magno angore, & timore amittendæ ſortis, videtur quod poſſum aliquid exige-*
„ *re pro hac moleſtia, & onere, ſine quo ego tibi mutuare non poſſum . Hoc tamen*
„ *aliorum iudicio relinquo .* "

XLIX. P. Thomas Tamburinus Lib. VIII. in Decal. cap. VIII. §. 5. num. 18. *Dixi iam poſſe pro hoc titulo promiſſionis non repetendi pecuniam mutuam pro quolibet anno licite in noſtra hac ætate* PECUNIOSA *exigi quinque pro centenario. Ita Caramuel.*

L. P. Leonardus Leſſius *Lib. II. cap.* XX. *dub.* 10. *num.* 74. „ Adverte tamen , ſi
„ revera ex mutuo 100. aureorum certo ſis accepturus detrimentum aureorum
„ decem, non erit uſuræ peccatum , etiamſi *non monito* mutuatario de hoc da-
„ mno, paciſcaris tibi reddendi 100. "

LI. Idem Leſſius *loc. cit. dub.* 11. *num.* 90. „ Tertius modus eſt . Si pecuniam
„ deſtinarim negotiationi , non abſolute , ſed dumtaxat ſub conditione ; ut ſi di-
„ cam, Vellem negotiari , niſi multi mutuum peterent : de quo modo eſt diffi-
„ cultas . Quidam enim doctiſſimi viri putant etiam tunc poſſe aliquid exigi ra-
„ tione lucri ceſſantis. " (Poſt quinque rationes in præſidium huius opinionis al-
latas ſic concludit *num.* 95.) „ Ob has rationes hæc ſententia mihi olim viſa eſt
„ probabilis, & etiam nunc videtur, præſertim ſpeculative conſiderata, modo il-
„ le non exigat amplius quam ſpes illa lucri, detracta laborum, & expenſarum
„ æſtimatione, valebat; & ſemper retineat animum negotiandi, ſi mutuum non
„ peteretur. In praxi tamen ob periculum palliandi uſuras *non eſt facile admit-*
„ *tenda*. " Eamdem opinionem docent P. Tamburinus *Lib. IX. cap.* III. §. 4. *num.*
8. Laymannus *Lib. III. tract.* IV. *cap.* XVI. *num.* 8. Sporer *tract.* VI. *in* 7. *præcept.*
cap. IV. *ſect.* 2. *num.* 44.

LII. P. Thomas Tamburinus *Lib. IX. tractat.* 1. *cap.* III. §. 4. *num.* 2. „ Si habes
„ domi aliam pecuniam otioſam, hanc tamen quam mutuas, negotiationi deſti-
„ naveras , adhuc potes, ſi hanc deſtinatam mutues , exigere lucrum ceſſans :
„ quia revera ratione mutui ceſſat tibi eiuſmodi lucrum ex hac deſtinata pecu-
„ nia. " Eamdem defendit *Lib. VIII. cap.* VIII. §. 3. *num.* 11. ubi pro ſe citat Ara-
gonium, & Valentiam Tom. III. diſp. V. quæſt. XX. part. II. *Quia*, inquit, *hæc ti-*
bi fructificatura erat, & non alia . Hæc eadem verba Tamburini de more tran-
ſcribit Patritius Sporer *tract.* VI. *in* 7. *præcep. cap.* IV. *ſect.* 2. §. 3. *num.* 44. ubi ci-
tat *Molinam, Leſſium, Laymannum, Lugo*.

LIII.

Digitized by Google

LIII. P. Claudius La-Croix *Lib. III. part.* II. *num.* 861. „ Si quis aliam pecuniam „ quam habet, exponere non audeat, ſed *ex nimia etiam ſollicitudine* reſervet fa- „ miliæ, poterit petere lucrum ceſſans pecuniæ mutuatæ: quia mutuator reipſa „ fuit cauſa lucri ceſſantis. Molin. Pirh. Lugo *diſp.* xxv. *num.* 90. Si autem ideo præ- „ ciſe pecuniam aliam reſervavit, nolens ad negotiationem exponere, ut ſemper „ haberet ad manum pro caſu quo quis mutuum peteret, docent Mol. Laym. „ Lugo, Tambur. Haunold. Illſung. *num.* 438. etiam poſſe petere lucrum ceſſans: „ *quia mutuatio partim præterita, partim futura videtur fuiſſe cauſa*; & voluntas „ præſumpta etiam eorum qui mutuum ſunt petituri, movet ad non exponen- „ dum pecunias negotiationi, ex quo ceſſat lucrum. “

LIV. De Lugo *diſput.* xxv. *ſect.* 6. *§.* 1. *num.* 91. „ Circa eamdem conditionem „ quæritur ſecundo, an dicatur lucrum ceſſare cauſa mutui, ita ut pro eo poſ- „ ſit aliquid a mutuatario exigi, quando aliquis ſervat aliquam pecuniam apud „ ſe, quam ideo noluit ad negotiationem applicare, ut haberet ad manus pecu- „ niam pro iis qui mutuo peterent . . .

„ Leſſius *num.* 88. & ſequentibus hunc caſum dividit in alios duos.

„ Primus eſt, quando ſcio te poſtea petiturum mutuum, & in gratiam tui „ ſubtraho negotiationi pecuniam aliquam, ut poſſim tibi poſtea mutuare: in „ quo caſu dicit, poſſe ultra ſortem exigi . . .

„ Secundus caſus eſt, quando non ſcis de aliquo in particulari mutuum peti- „ turo; ſed quia multi poſtea multo indigebunt, ſubtrahis pecuniam negotiatio- „ ni, ut poſſis iis, quicumque ſint, mutuare: quo caſu dicit probabile videri „ quod poſſit poſtea exigi lucrum ceſſans, præſertim ſpeculative loquendo, ſi ani- „ mus retineatur negotiandi, ſi pecunia illa non mutuo daretur &c.

„ Claritatis gratia poſſumus primum caſum in alios duos ſubdividere. (Poſt „ multa reſpondet *num.* 93.) Unde ad rationem dubitandi dicere poſſumus, et- „ iam tunc mutuum eſſe cauſam lucri ceſſantis, quod dupliciter explicari pot- „ eſt.

„ Primo in genere cauſæ finalis: ideo enim a negotiatione & lucro præſenti „ ceſſas, ut poſtea poſſis mihi mutuare. Nec videtur requiri quod mutuum ſit „ cauſa efficiens, & antecedens PRIORITATE REALI ceſſationem lucri; ſed „ videtur ſufficere quod in genere cauſæ finalis ſit cauſa ceſſandi a lucro: ſic- „ ut etiam NOSTRA SALUS ET IUSTIFICATIO dicitur cauſa PASSIONIS „ CHRISTI, quia fuit finis propter quem Chriſtus mortuus eſt. Nec minus gra- „ tus eſſe debeo ei qui damnum patitur, ut me liberet, quam ſi me petente ut „ patiatur; licet in primo caſu mea liberatio ſit cauſa finalis, & in ſecundo meæ „ preces ſint cauſa moralis efficiens.

„ Secundo addere poſſumus, voluntatem mutuatarii futuram prævisam eſſe cau-

Digitized by Google

„ ſam moralem efficientem deſiſtendi a lucro negotiationis. Nam licet non mo- „ vearis a mutuo præviſo futuro *abſolute* ad ſubtrahendam pecuniam : non enim „ ideo deſiſtis a negotiatione , quia mutuaturus es ; ſed ideo mutuaturus es, quia „ deſiſtis a negotiatione : ſed tamen moveris a præviſa voluntate mea futura pe- „ tendi mutuum . Quare vere mea voluntas , & petitio mutui eſt cauſſa moralis „ ceſſantis lucri; quod ſufficit ad exigendum intereſſe &c. “

LV. Idem de Lugo *loc. cit. num.* 94. „ His ſuppoſitis circa utramque partem „ prioris caſus dicendum videtur conſequenter , in poſteriori etiam poſſe exigi lu- „ crum ceſſans , quando nullus in particulari prævidetur petiturus , ſed aliqui in „ communi, in quorum gratiam pecuniam a negotiatione ſubtraxiſti ; prout abſolu- „ te, & ſine ſcrupulo concedit Malderus .... Ratio ex dictis colligi poteſt: quia „ inter hunc ſecundum caſum & primum ea ſola differentia eſſe videtur, quod in „ primo ego in particulari præviſus fuerim mutuum petiturus ; in ſecundo autem „ non ſum ego præviſus in particulari, ſed aliqui in confuſo, & indeterminate . „ Hoc autem ad propoſitum parum referre videtur ... Quod explicari poteſt ex- „ emplo ſupra adducto PASSIONIS CHRISTI . Licet enim Chriſtus ante volun- „ tatem patiendi non præviderit determinate peccatum futurum huius hominis ; „ ſed aliquos homines mortaliter peccaturos , ad quorum iuſtificationem voluit „ ſanguinis pretium ſolvere: adhuc vere dicitur , peccatum huius hominis fuiſſe cauſ- „ ſa ut pateretur . Ratio autem eſt , quia ſub illa diſtinctione cognoſcuntur o- „ mnia futura disiunctim ; & ita volendo mori pro his liberandis qui peccaturi e- „ rant, voluit mori pro hoc, ſi hic de facto peccaſſet. Si ergo vis reſervare pecu- „ niam pro illo qui petiturus eſt , quicumque ille ſit , prævidens aliquem petitu- „ rum , pro illo de facto voluiſti reſervare, quamvis indeterminate cognito. “

LVI. P. Ioannes Azorius III. *Par. Lib. V. cap.* v. *quæſt.* 111. „ An lucrum ceſ- „ ſans poſſit ſolvi anticipata ſolutione ? Reſpondetur ex communi conſenſu non „ poſſe. Sed notandum eſt, hoc intelligi *ſic*. V.g. mutuat Titius Caio centum, & „ quia convenit inter eos ut ratione lucri ceſſantis Caius ſolvat Titio quinque , „ dicitur anticipata ſolutio, ſi Titius det Caio nonaginta quinque , & ratione lu- „ cri ceſſantis retineat quinque. Hoc omnino eſt illicitum: quia eſt uſura manife- „ ſta. Nam perinde eſt ac ſi mutuet nonaginta quinque , ut poſtea ſibi reddantur „ centum. “

At vero non eſt illicitum , ſi anticipata ſolutio intelligatur ſic . Mutuat Titius centum Caio , & convenit inter eos ut ratione lucri ceſſantis Caius ſolvat Titio quinque , v. g. certam portionem olei , vini , frumenti , vel paria gallinarum , quæ dat Caius ratione illorum quinque de quibus ſolvendis convenit inter eos ratione lucri ceſſantis.

LVII. P. Thomas Tamburinus *Lib. IX. cap.* 111. *§.* 3. „ Nos aliqua remedia ,

„ ſeu

„ ſeu *iuſta artificia, tradidimus Lib. VIII. in Decal. tract.* III. *cap.* VIII. *§.* 3. *num.* 16. „ *quorum auxilio aliquid anticipato ſumi poſſit.* (Artificia iuſta tradita *loc. cit.* hæc „ ſunt.) Caramuel *Lib. II. Theolog. Moral. num.* 755. tollit ſic difficultatem. *Fiant* „ *duo contractus, alter mutuationis, alter venditionis; & ſic poterit mutuans ſume-* „ *re nunc decem, ſeu ſaltem octo, vel ſex.* Explico (inquit Tamburinus.) Mu- „ tuans nunc mutuat centum aureos cum ſpe ut recipiat hinc ad annum ex lu- „ cro licito præter ſortem alia decem. Vendat nunc anticipato hanc ſpem denarii „ lucri ipſi mutuatario, quæ ſpes valebit v. g. omnibus ab experto viro expenſis, „ ſex vel octo aureis, nam ſtatim nunc poterit ſine labe uſuræ hos ſex, vel octo „ aureos ſumere, non quidem ex vi mutui, ſed ex vi venditionis ſperati a ſe lu- „ cri, & venditi mutuatario. “

LVIII. Idem Tamburinus *ibidem num.* 18. „ Leſſius *Lib. II. cap.* XX. *dub.* II. *num.* „ 100. ab eadem difficultate ſic ſe liberat. *Mutuet quis tibi centum, ita ut mutuet* „ *cum intereſſe ſolum* 91. & 9. *ſine intereſſe. Nam mox hæc* 9. *reddere mutuanti* „ *potes ſine ulla ipſius iniuſtitia pro intereſſe debito illis* 91. *Tunc enim tu mutuata-* „ *rius non ſolves lucrum ex ipſa ſumma mutuata cum intereſſe, ſed ex alia; quo* „ *pacto plus æquo non gravaberis.* Dices: Gravabor ex eo quod anticipato ſolvo „ quod nondum debeo. Reſpondeo ſic pro Leſſio. At certo debebis: & ex alia „ parte moleſtia dandi nunc quod debebis poſtea, compenſari ſufficienter videtur „ ex eo quod mutuans gratis mutuat tibi, & ſine intereſſe illa novem. “

LIX. P. Antoninus Diana *Tom. VI. tract.* III. *reſol.* 47. *num.* 3. „ Oſtendam Con- „ feſſariis duos modos in quibus pœnitentes mutuando poſſunt paciſci ut ſtatim „ ſibi lucrum reddatur ex illo mutuo. Primus eſt Leonardi Leſſii &c. . . . . Se- „ cundus modus eſt Ioannis de Salas, & Ioannis Azorii, ſcilicet non accipien- „ do illud lucrum ceſſans ex ipſa ſumma pecuniæ, vel ex aliqua re frugifera, ſed „ v. g. in tanta quantitate olei, frumenti, vini &c. *Notabunt hæc Confeſſarii, &* „ *in praxi ſe expedierint. Ad tollendas occaſiones peccatorum his MONITIS U-* „ *TANTUR.*

LX. *An ſit uſura, ut mutuatarius initio mutui ſolvat lucrum occaſione mutui?* „ Secluſo ſcandalo negative reſpondet Baunius in Theologia Mor. *Tom. V. Lib. II.* „ *quæſt.* XXII. (*apud Dianam loc. cit. reg.* 48.) Primo quia eſt tempus quidpiam uſu- „ ræ extrinſecum: ergo ab eo lucri ceſſantis ſolutio non trahit uſuræ maculam, „ ac vitium. Secundo ſimul ac aliquid eſt debitum, illud ſolvere non eſt malum; „ at eſt mutuanti lucrum ceſſans illico debitum ac ſit mutuum: ſolvere ergo tum „ poterit. “

LXI. P. Paulus Layman *Lib. III. tract.* IV. *cap.* XVI. *num.* II. „ Civis maiore an- „ ni parte pecunias paratas habet, ex quibus indigentibus opificibus, præſertim „ textoribus, mutuum dare poſſit, *relicto ipſi in ſecuritatem ſolutionis pignore, v.g.*

„ *tela*. Cum autem, recepto pignore, ſolutio facienda eſt, poſt annum medium „ in ſingulos florenos mutuo datos auctarium adiiciendum eſt, v. g. unus *pazius*. „ Conſiderandum enim eſt auctarium iſtud non accipi ratione mutui, ſed ratione „ obligationis, oneris, ac curæ quam civis ille ob gratiam textorum in ſe ſuſci- „ pit, ut toto ferme anno pecunias pro illis in promptu habeat, quocumque tem- „ pore in domum ſuam adventantes intromittat, *pecunias numeret* &c. quæ obli- „ gatio pretio æſtimabilis eſt. “

LXII. P. Leonardus Leſſius *Lib. II. cap.* XXI. *dub.* 16. *num.* 130. „ Quidam DD. „ exiſtimant id eſſe iniuſtum, & palliatam uſuram, quando idem redimit qui „ vendidit. *Sed verius eſt non eſſe iniuſtum*, etiamſi revendat ipſe venditor, modo „ infra limites iuſti pretii conſiſtat.... Ratio eſt: quia & venditio *prima* iuſta „ eſt, cum fiat iuſto pretio quamvis ſummo: & *ſecunda* etiam iuſta eſt, quia eæ- „ dem merces revenduntur. Nec refert quod hæc revenditio fiat pretio infimo: „ tum quia pretium infimum eſt etiam iuſtum, præſertim in numerata pecunia: „ tum quia merces quæ a venditore ingeruntur, vileſcunt. Nec etiam refert quod „ idem ſit emptor qui ante erat venditor. QUIA SI ALIUS QUIVIS POTE- „ RAT ILLO PRETIO EMERE, CUR NON ET ILLE QUI VENDIDIT? “

LXIII. P. Thomas Tamburinus *Lib. IX. tract.* [illegible] *cap.* v. § 1. *num.* 6. „ Primus „ titulus eſt, quia emptor carebit pecunia quam t[illegible]adit, poſt tres vel „ plures menſes, unde privabitur, etiamſi non ſit mercator, opportunitate, & li- „ bertate aliquid lucrandi cum illa pecunia a te reddenda per alias *forte* nego- „ tiationes ſe ſe offerentes. “

LXIV. P. Leonardus Leſſius *Lib. II. cap.* XXIII. *dub.* 9. *num.* 85. „ Petes, utrum „ id quod campſoribus debetur ratione proviſionum & intereſſe, poſſit ab ipſis „ continenter adiici ſorti, ut cambium augeant?

„ Reſp. id fieri non poſſe, niſi moraliter certi ſint ſe illud potuiſſe aliis ſtatim „ ad recambium dare, & per illud lucrari. Tunc enim ratione lucri ceſſantis poſ- „ ſunt illud ſorti unire ad cambii augmentum. “

LXV. PP. Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* IV. *punct.* II. §. 4. „ Res non ſuppo- „ nuntur, ut ex ipſis neceſſario cenſus ſolvantur; ſed ut ipſa ſolutio ſecurior „ ſit: & ideo ſupponuntur ut *pignus*, *& hypotheca*, non ut fundamentum cenſus; „ ſed ſic eſt quod, etiamſi pignora pereant, vel hypotheca, non ceſſat obligatio, „ *leg. Adverſ. Cod. de act. & oblig.* Ergo nec pereuntibus rebus cenſui ſuppoſitis „ cenſus evaneſcit. “

LXVI. P. Thomas Sanchez *Lib. I. Conſil. moral. cap.* VII. *dub.* 2. „ An qui habet li- „ centiam Papæ, vel Epiſcopi ad petendam eleemoſynam uno anno per ſe, vel „ per alium, ut ſuæ neceſſitati conſulat, poſſit hoc ius locare alteri pretio ali- „ quo.... Secunda ſententia probabilior dicit poſſe, nec cauſari obligationem

„ re-

Digitized by Google

„ reſtituendi : quia expreſſo aliquo iure non prohibetur locare ; nec fit inhabilis „ ad pretium locationis recipiendum ; & locat illud ius quod habet , eſtque con„ tractus fortunæ; quo uterque lucri, & iacturæ periculo exponitur. Sic Heriquez „ *Lib. VII. de indulg. cap.* Iv. *num.* 5. "

CAPUT II.

Variæ reſtitutionis acceptiones . Eiuſdem vera notio , & principia unde proficiſcitur , explicantur .

I. RESTITUTIONIS nomen varios prodit ſignificatus. Primum *reſtitutio* idem valet ac reddere quidquam alteri ſive ex liberalitate, ſive ex iuſtitia, ſive alio titulo. Secundum hanc acceptionem dicere ſolent homines, ſe in patriam, in priſtinam ſanitatem, in amiſſam dignitatem reſtituere. Theologi in præſentia *reſtitutionem* accipiunt pro iuſtitiæ officio , ſeu actu quo damnum alteri irrogatum auſertur, & inter partes iuſtitia, ſive æqualitas conſtituitur. Differt a ſatisfactione , quod hæc damni honoris , vel famæ læſæ , illa damnorum quæ fortunæ bonis inferri ſolent, reparationem ſpectet. Satisfactio reddit pro illatis offenſis compenſationem ſecundum quamdam proportionem, habito reſpectu ad perſonam offenſam; reſtitutio bona reddit ſecundum æqualitatem rei ad rem, omni reſpectu præciſo. Quod deſcrimen aſſignat S. Thomas in IV. diſt. xv. quæſt. 1. art. 5. quæſtiunc. 1. *Reſtitutio eſt reparatio inæqualitatis exiſtentis in rebus : Reparatio autem inæqualitatis exiſtentis in actionibus , & paſſionibus ſatisfactio nominatur .* A ſolutione quoque diſtingui reſtitutio ſolet. Etenim illa non ſupponit damnum illatum creditori, ſed ſolvit quod iure debet ; ut cum quis Deo vota reddit ; hæc vero damnum quod illatum creditori ſupponit , reparat . Verum hæc duo frequenter pro eodem uſurpantur.

II. Reſtitutionis notionem perhibet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxii. *art.* 1. his verbis. *In reſtitutione attenditur æqualitas iuſtitiæ ſecundum recompenſationem rei ad rem ; quod pertinet ad iuſtitiam commutativam . Et ideo reſtitutio eſt actus commutativæ iuſtitiæ, quando ſcilicet res unius ab alio habetur vel per voluntatem eius, ſicut in mutuo, vel depoſito; vel contra voluntatem eius, ut in rapina, vel furto.*

III. Principia unde reſtitutionis onus proficiſcitur , duo ſunt , *iniuſta acceptio*, & *res accepta* ; ut docet idem S. Thomas *loc. cit. art. 6.* Iniuſtæ acceptionis nomine res quæcumque intelligitur, non modo furto, aut rapina ablata , ſed etiam quælibet iniuria irrogata famæ , vel honori per adulterium, calumniam, diffamationem. Et quodcumque damnum oppoſitum iuſtitiæ commutanti cuius, ius violatur, reparari reſtitutione debet ad æqualitatem. *Ex re accepta* reſtitutio dicitur, quando

do res aliena apud te eſt, ſive iuſte, ſive iniuſte. Hæc duo principia rei acceptæ, & iniuſtæ acceptionis interdum coniuncta reperiuntur, ut in fure, qui & ex re accepta quam poſſidet, & ex iniuſta acceptione qua rem alienam abſtulit reſtitutioni obnoxius eſt. Interdum ſeparata occurrunt, ut quando quis bona fide rem alienam retinet, putans eſſe ſuam. Hic, ſi rem bona fide conſumpſit, vel res abſque illius culpa periit, non tenetur reſtituere, niſi id in quo factus eſt ditior. Combuſſiſti ſilvam alienam, putans eſſe tuam, ad nihil teneris. Conſumpſiſti bona fide fructus alieni agri, ſi tantumdem conſumpſiſſes ex tuis, id reddere in quo factus ditior es, debes; ſeu omne emolumentum quod percepiſti ex re aliena, reſtituere aſtringeris. Contra ſi ex iniuſta acceptione rem alienam poſſediſti, etiamſi abſque tua culpa perierit, nihilque emolumenti inde perceperis, ad eiuſdem reſtitutionem urgeris. Tandem hoc aliud diſcrimen eſt inter hæc duo, quod ex iniuſta acceptione reſtitutio illico cum primum fieri poteſt, peragi debet. Ex re accepta ſolum tempore præfinito inter partes reddenda eſt; ut patet in mutuo, depoſito, pretio pacto &c. Si tamen ultra tempus præfinitum, invito domino, differas reddere rem acceptam, ſeu rei acceptæ valorem; reparare damnum inde ortum aſtringeris.

CAPUT III.

Quomodo reſtitutio neceſſaria ad ſalutem ſit; & quomodo ſtatim peragenda. Debitorum dilationes pernicioſæ. Quot peccata perpetrent debitores procraſtinantes. Confeſſarii, ne iſtos abſolvant, admonentur. P. Viva, & Tamburini opiniones refelluntur.

I. SUB initium diſſertationis argumentum gravis momenti verſandum ſuſcipio. Eo quippe pertinet ut divitum in ſolvendis debitis crudelem iniuſtitiam, variis technis, & fucis tectam, improbet. Quod antequam præſto, pauca præmitto. Reſtitutionem ad ſalutem neceſſariam eſſe docent omnes, nemine excepto. S. Auguſtinus epiſt. LIV. cuius verba referuntur XIV. *quæſt.* VI. *can.* I. hæc ſcribit. *Si res aliena, cum reddi poteſt, non redditur, pœnitentia non agitur, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Sed, ut dixi, cum reſtitui poteſt. Si enim non habet unde reſtituat, huic certe non poſſumus dicere: Redde quod abſtuliſti.* S. Gregorius Papa ſimilia docet, cuius verba referuntur can. *Falſas* de pœnitent. diſt. VI. *Qui bona alterius iniuſte detinet, agnoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vi-*

tam

tam pervenire valeat, niſi bona quæ iniuſte abſtulit, reſtituat. Hoc idem confirmat S. Thomas 2. 2. quæſt. lxii. art. 2. *Cum ergo conſervare iuſtitiam ſit de neceſſitate ſalutis, conſequens eſt quod reſtituere id quod iniuſte ablatum eſt alicui, ſit de neceſſitate ſalutis.*

II. Communiter Theologi docent reſtitutionem neceſſariam eſſe, non neceſſitate medii, ſed præcepti. Præceptum porro iſtud naturale, divinum, & humanum eſt. Eadem quippe naturalis lex quæ vetat rem alienam auferre, præcipit ablatam reſtituere. Lex autem divina pluribus Scripturarum textibus patet. Exodi cap. xxii. *Si læſerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit iumentum ſuum ut depaſcatur aliena . . . pro damni æſtimatione reſtituet.* Idem habetur Ezechielis *cap.* xxxiii. ubi non conceditur venia, niſi rapina reddatur. Item Tobiæ cap. ii. *Videte ne furtivus ſit, reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis edere ex furto.* Iterum Lucæ cap. xxii. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* Et S. Paulus ad Rom. viii. *Reddite omnibus debitum.* Iura humana obvia ſunt.

III. Diſputant Theologi, ſit ne affirmativum, an negativum præceptum iſtud. Bonacina *diſput.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 2. Leſſius *Lib. II. cap.* xix. *num.* 49. Bannez 2. 2. *quæſt.* lxii. *art.* 2. *dub.* 1. & alii contendunt eſſe poſitivum, privativo oppoſitum, eo quod illud actum exercere, iſtud ab actu abſtinere iubeat. Porro mandatum reſtitutionis iubet ut debitum reddatur, atque adeo actum exercere imperat. Ergo poſitivum eſt. Accedit quod præceptum poſitivum omiſſione, privativum actu frangitur. Præceptum autem reſtitutionis omiſſione ſolutionis violatur. Ergo poſitivum eſt. Tandem præceptum negativum obligat ſemper, & pro ſemper. Præceptum reſtitutionis obligat dumtaxat opportunitate data. Ergo non eſt privativum.

IV. Oppoſita ſententia probabilior, &, ut ego quidem arbitror, certa, defendit, præceptum reſtitutionis reipſa eſſe negativum; licet, attento verborum cortice, adfirmans videatur. Quoniam retinere rem alienam, invito domino, furtum eſt. Furtum autem præcepto negativo vetatur: *Non furaberis.* Et tamen definitur a S. Thoma, cui Theologi communiter ſubſcribunt, quod ſit *acceptio rei alienæ invito domino.* Per actum ergo poſitivum præceptum iſtud frangitur. Primum enim quod mandatum iubet, eſt quod non retineas aliena: ex quo conſequitur ut actu poſitivo aliena reddere debeas. Quare præceptum iſtud ſemper, & pro ſemper obligat, ut animum paratum habeas ad reſtituendum aliena, opportunitate data.

V. Ex iis quæ breviter delibavi, neceſſario conſequitur reſtitutionem ſtatim faciendam eſſe cuiuſcumque rei quæ invito domino poſſidetur. Quandoquidem non minus eſt contra iuſtitiam rem alienam invito domino poſſidere quam ſurripere; ut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. lxii. art. 8. *Sicut accipere rem alienam eſt pec-*

peccatum contra iuſtitiam, ita etiam detinere eam: quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum ab uſu rei ſuæ; & ſic ei facit iniuriam. Manifeſtum eſt autem quod nec modicum tempus licet in peccato morari; ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere ſecundum illud Eccleſ. XXI. Quaſi a facie colubri fuge peccatum. *Et ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt, vel petere dilationem ab eo qui poteſt uſum rei concedere.* Quibus conſtitutis, ſequentes quæſtiunculæ reſolvuntur.

VI. Quæſt. I. *Qui conducunt operarios, aſtringuntur ne ſtatim mercedem ſolvere?* Reſp. Ex doctrina allata S. Thomæ reſponſio affirmativa neceſſario conſequitur. Et quoniam inter omnia debita ſolvenda operariorum mercedes promptam, & celerem ſolutionem poſtulant; idcirco primo loco de eiſdem quæſtiunculam propoſui. Contra divites in mercedum ſolutione negligentes clamant Scripturæ ipſæ divinæ. Levit. XIX. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane.* Item Tobiæ IV. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue: & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.* Vehementius adverſus mercedum defraudatores invehitur Deus Iacobi V. *Ecce merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt a vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Audiſtin'? Vindictam in divitum caput merces operariorum defraudata ante formidandum divinæ maieſtatis tribunal implorat. Tum autem defraudatur, cum aut retinetur, aut imminuitur, aut eiuſdem ſolutio differtur. Audi Auctorem commentarii vulgo D. Thomæ adſcripti in *epiſt. Iacobi* cap. V. *Fraudata eſt a vobis, ſcilicet non reddendo, ſed diminuendo, vel differendo reddere.* Fraus ergo tribus modis contingit in operariorum mercede. Primo quia non redditur; ſecundo quia diminuitur; tertio quia non ſtatim redditur, ſed differtur. Porro delictum iſtud adeo enorme eſt, ut Salomon comparet illud homicidio. Eccli. XXXIV. *Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* Sed cur dicitur, mercedem quæ voce caret, & non pauperem mercenarium clamare ad Dominum? Quia, reſpondet citatus Auctor, aliquando pauperes, divitum, nobiliumque minis perterrefacti, vix hiſcere, nedum clamare audent; merces autem nil timet. Idcirco ſi pauper non audet divitem obiurgare tamquam crudelem, trucem, atque inhumanum, tum merces ipſa vindictam vociferatur. Hæc ſunt præfati Auctoris verba loc. cit. *Et dicit,* Merces clamat, *non pauper: quia quandoque contingit quod pauper non audet præ timore divitis. Nec talis clamor caret effectu: unde ſequitur:* Et clamor eorum, *operariorum defraudatorum,* in aures Domini Sabaoth, *ideſt exercituum hominum, & Angelorum, qui poteſt vindicare, & vult,* introivit. *Hoc dicit ad terrorem divitum, ut ſciant, Deum eſſe tutorem, & defenſorem pauperum . . . Notandum vero, quod quatuor ſunt peccata quæ præ ſui enormitate dicuntur clamare ad Dominum:*

num : ſcilicet homicidium. Gen. IV. Ecce vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. *Secundo peccatum contra naturam. Gen.* XVIII. Clamor Sodomorum venit ad me . . . *Tertio oppreſſio iuſtorum. Exod.* III. Clamor filiorum Iſrael venit ad me . . . *Quarto pauperum defraudatio, ut hic.*

VII. Quæſt. II. *Quodnam peccatum perpetrant illi qui conducunt operarios ad laborandum, ſi pecunia careant qua mercedem ſolvant?* Reſp. Fures iſti ſunt, latrones, & graſſatores, qui mercenariorum fundunt ſanguinem, ut dicitur in Eccleſiaſtico. Sciunt ſe non eſſe ſolvendo; & tamen operariorum pellem excoriant. Iſtorum ſcelus furti iniquitatem ſuperat: quoniam fures periculo vitam exponunt; hi vero impune, & omni ſublato periculo, pauperum labores furantur. *Ille* (inquit S. Ioannes Chryſoſtomus) *noctu facinus ſuum tentando multum facinoris præcidit; hic vero qui, abiecto omni pudore, quæ aliorum ſunt rapit, ſimul fur exiſtit atque tyrannus.* Quid ergo iſti impotentiam ſolvendi allegant, ut Confeſſario abſolutionem eripiant? Impotentia hæc voluntaria eſt. Experrecti itaque ſint Confeſſarii in iſtorum examine.

VIII. Quæſt. III. *Quodnam peccatum peccent debitores divites qui debitorum ſolutionem differunt?* Reſp. Reſtitutionis, ſeu ſolutionis debitum, ut iam indicatum eſt, ex iniuſta acceptione, & ex re accepta, ſeu ex contractu oritur. Iniuſti acceptores, ſeu qui ex contractu debita contrahunt, tempore inter partes præfinito rem ſolvere debent. Si hi ultra præfinitum tempus ſolutionem protrahant, iniuſti retentores efficiuntur. AEque autem furtum eſt, ut ex doctrina S. Thomæ vidimus, ſurripere, ac retinere alienam rem. Quoties itaque debitores, elapſo præſtituto tempore, ſolutionem differunt, continuo iniuſti retentores efficiuntur, atque in continuo verſantur furti peccato; niſi aut vera & realis impotentia excuſet, aut creditores aſſentiantur dilationi.

IX. Quæſt. IV. *Admittendæ ne ſunt excuſationes quibus debitores fucare dilatam debitorum ſolutionem ſolent?* Reſp. Conſueti debitorum prætextus ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſunt ſequentes. Solvemus, inquiunt, quamprimum opportunitas occurrerit. In præſens proſpiciamus oportet rebus noſtris. Nobiles proprii ſtatus ſplendorem ſervandum, filiorum, uxoris, famulorumque ſuſtentationem obtrudunt. Debitorum ſolutio, inquiunt, ad mendicitatem nos detruderet. Mendicare autem erubeſcimus. Mendicare erubeſcis? clamat S. Ioannes Chryſoſtomus. Propterea igitur efficis ut alii mendicent? Eſuriem ferre neſcis; & ideo alios in famem coniicis? Eſurire neque turpitudinem habet, neque culpam; alios vero in hæc coniicere, non ſolum culpam, ſed infamiam adfert extremam. Porro ſi qui filios habent, excuſationem non habent, quid illi dicent qui circa divitiarum accumulationem tumultuantur? Hæc totidem fere verbis Chryſoſtomus, quantum memoria ſuppetit. Locum enim operis oblitus ſum, nec inquirendi otium adeſt.

X.

Digitized by Google

X. Preſſius has debitorum hallucinationes diſcutiamus. Debita ſolvere differunt, invitis creditoribus, ut ſtatus ſui gradum vel augeant, vel ſuſtineant, nihil innocentum creditorum decoctiones, iacturamque curantes. Individuus ne iſtorum ſtatus? An ſtatus formam mutarent, ſi uxorum pompas, luxum, & faſtum, ſi famulorum, equorum, mulorumque numerum imminuerent, ſi menſarum expenſas, ſi domorum apparatus reformarent, & coercerent? Quid præfata cum ſtatu honeſto; ſi tam pugnant cum homine chriſtiano quam cum religione pagana pugnat chriſtiana religio?

XI. Divites, ſeu qui bonis abundant, communiter debitores ſunt. Pauperibus nemo res ſuas fidit. Sed mercatores, opificeſque illis qui ſolvendo ſunt, merces, & opificia divendunt. Promittunt hi promptam ſolutionem; ſed poſtea aut avaritia, aut prodigalitate acti, impotentiam ſolvendi iactant. Quod mendacium deteſtatur Deus Eccli. xxv. *Tres ſpecies odivit anima mea . . . Pauperem ſuperbum, divitem mendacem, ſenem fatuum*. Quis, quæſo, dives mendax? Reſpondet Auguſtinus, præfatum textum interpretans. *Dives mendax eſt qui in iis quæ ad Deum, & proximum ſpectant, toties dicit, Non poſſum. Poteſt enim in his quæ vult, & in iis quæ non vult, non poteſt. Ideo mendax eſt, & Deo inviſus*. Poteſt in iis quæ vult, nempe opipara convivia inſtruere, ludos tum theatrales, tum pecuniarios frequentare, omnia inſanientis mundi oblectamenta conſectari, itinera arbitraria arripere, omneſque appetitiones explere. Non poteſt autem operariis mercedem, mercatoribus pretium, opificibus, & famulis ſtipendia reddere. Mendaces itaque divites iſti ſunt, & Deo inviſi: quia habent pecunias quibus aut avaritiæ, aut prodigalitati faciant ſatis; eiſdem carent, ut debita ſolvant. Et hos divites mendaciſſimos Deus odio habet. Vanæ enim futileſque ſunt iſtorum excuſationes, doloſæ technæ, verſuta effugia. Propoſita, & ſponſiones impoſterum ſolvendi deceptiones ſunt, & præſtigia, quibus fucum facere interdum Confeſſariis minus peritis ſolent. Nulla itaque promiſſis eiuſmodi, tametſi repetitis, adhibenda fides eſt.

XII. Quæſt. V. *Quo in periculo, vel peccato verſantur illi qui ad mortem uſque reſtitutionem differunt, heredibuſque ſolvenda debita relinquunt?* Reſp. Iſti non modo in periculo, ſed in continuo ſtatu peccati verſantur, dum debita ſolvere, etiam cum gravi incommodo valentes, & de die in diem procraſtinantes, ad mortem uſque ſolutionem protrahunt. Quin nec in ipſo mortis articulo reſtitutionem executioni mandant ipſi, ſed heredibus id præſtandum imponunt. Quo incredibilior, eo frequentior eſt cæcitas hæc qua divitum plures obducuntur. Lubet iſthuc tranſcribere doctiſſimi P. Dominici SOTO verba, quibus *Lib. IV. de iuſt. & iur. quæſt.* VII. *art.* 4. hanc debitorum dementiam dixerim, an malitiam, deſcribit. „ Ex his facile colligas, in quam aperto verſentur periculo, immo in

„ quam

Digitized by Google

„ quam manifeſto iaceant peccato, qui reſtitutionem uſque ad mortis articulum „ procraſtinant. Imprimis enim certum eſt quod quicumque pro comperto ha- „ bet ſe ære gravari alieno, & non habet propoſitum reſtituendi ante mortem, „ licet firmiſſimum habeat tunc reſtituendi, aut reſtitutionem in teſtamento præ- „ cipiendi, perdurat in peccato mortali, neque eſt abſolutionis beneficio donan- „ dus. Et ratio eſt, quia habita opportunitate, per nullum tempus licet retine- „ re alienum, invito domino. Quare ſi ſubita morte fuerit correptus (qualiter „ ut plurimum ſimilibus hominibus accidere ſolet) in ſtatu decedit damnationis. „ Et idem eſt cenſendum de illis qui ambigentes, an id quod habent, alteri de- „ beant, nolunt, ſuperſtite illis vita, in iudicio decernere; ſed ſatis dicunt in „ teſtamento id heredi ſuo demandare. Atque idem omnino de illis iudicandum „ qui ſub mortis articulum, cum ipſi per ſe poſſint reſtitutionem facere, id re- „ nuunt, arbitrantes ſatis eſſe id heredibus iubere: quoniam illi revera non ha- „ bent ſincerum & candidum animum reſtituendi. Nam qui tunc non reſti- „ tuunt, iudicium apertum perhibent quod neque ſi vixerint, reſtituent: atque „ adeo reſtituendi intentio illis non eſt, niſi conditionalis, ſi moriantur; quæ „ profecto ad pœnitentiam non ſufficit. Atque periculum iſtud potiſſimum in „ magnatibus imminet, quorum teſtamenta numquam, aut fere numquam he- „ redes complent; ſed ſatis ſe feciſſe arbitrantur, ut quam reſtitutionem avus „ patri, & pater ſibi teſtamento præcipit, eamdem ipſe, aliis recentibus debitis „ onuſtam, filio iubeat, quam ipſe poſtea committit nepoti. Neſcio ergo, an „ hic ſit legitimus illius verbi evangelici ſenſus: *Impoſſibile eſt divitem intrare in* „ *regnum cælorum.* " Dives regno cælorum ineptus ille dicitur qui divitiarum mancipium eſt, qui plus iuſto divitias amat, qui ſpiritus paupertate caret. Spiritu quippe pauperes ſint oportet omnes illi qui cælorum regnum aſſequi volunt. Et quia pauci inter divites reperiuntur qui hac ſpiritus paupertate præditi ſint, qui poſſideant divitias tamquam non poſſidentes, qui utantur mundi bonis tamquam non utentes, qui gaudeant tamquam non gaudentes; idcirco impoſſibilis, ideſt difficillima, divitum ſalus a Chriſto Domino declaratur.

XIII. Quæſt. VI. *Quot peccata committant debitores qui ſunt in mora ſolvendi?* Reſp. Omnes communiter docent, in ſtatu damnationis eum verſari qui, cum reſtituere commode poſſit, libere omittit. Is enim eſt in continuo ſtatu peccati, quod rem alienam retinere invito domino pergat. Idque compertum ex doctrina S. Thomæ, ſupra relata, eſt. Illud diſputari a Theologis ſolet, quot peccata numero diſtincta hic moroſus debitor perpetret. Et communis ſententia docet, tot hunc debitorem peccata committere numero diverſa, quot ipſi occaſiones opportunæ reſtituendi occurrunt, idque præſtare libere negligit. Subdunt tamen, diverſitatem hanc peccatorum phyſicam eſſe poſſe, quæ unum in morali æſtimatione conflet gravius

pec-

Digitized by Google

peccatum ; quemadmodum ille qui interimere hoſtem decrevit, tot peccata phyſice multiplicat, quot vicibus arma ſumit, propoſitum renovat, iter aggreditur. Tamen hæc peccata phyſice interrupta, cum eodem pertineant, unum morale gravius crimen efficiunt.

XIV. Illud in diſputationem vocant, quomodo hæc peccata moraliter interrumpantur. Prima ſententia docet, hæc peccata moraliter non interrumpi, etiamſi debitor per annum & amplius in voluntate non reſtituendi perſiſtat; quamvis eo tempore plures occaſiones occurrant reſtitutionis, vel plura repetantur propoſita non reſtituendi, vel externe bona conſumantur, & alienentur: quia phyſica ſolum iudicanda eſt talis interruptio, & unum moraliter peccatum non interruptum, quoties prima voluntas prava non retractatur: ſi enim voluntas iniqua retractetur, & rurſus eadem admittatur, tum peccata moraliter interrumpi, & multiplicari aſſeritur. Hanc opinionem defendunt Salmanticenſes ſcholaſtici *Tom. III. tract.* 11. *de bonit.*, *& malit. diſp.* IV. *dub.* 5. *num.* 4. & Salmanticenſes Morales *tract.* XIII. *de reſt. cap.* 1. *punct.* 14. *num.* 264. Aragon 2. 2. *quæſt.* VI. *art.* 2. Lugo *de pœnit. diſput.* XVI. *ſec.* 14. *num.* 548. Petrus Navarra *de reſt. Lib. IV. cap.* IV. Diana *I. Part. tract.* VII. *reſolut.* 58. & alii. „ Unde (concludunt Salmanticenſes Morales ibi) „ quia diuturnitas temporis non eſt niſi circumſtantia notabiliter aggravans, & ta„ les circumſtantias non eſſe neceſſario in confeſſione detegendas diximus *tract.* VI. „ *de pœnit. cap.* VII. *punct.* 11. conſequenter dicendum eſt, non eſſe neceſſarium de„ tegere in confeſſione tempus quo in mora culpabili fuit; ſed ſatisfacere dicendo, „ ſe culpabiliter non reſtituiſſe rem alienam, & quoties propoſitum pravum retra„ ctavit, & ad illud iterum redivit. “

XV. Multis opus non eſt, ut quiſque deprehendat quam a veritate aberret recenſita opinio. Non ſunt pateſacienda Confeſſario repetita propoſita iniuſtæ detentionis alienæ rei? non ſpretæ opportunæ occaſiones reſtituendi? non ingentia mala quæ tam diuturnam dilationem conſequi poſſunt, & calamitates quibus creditores iniuſte vexati ſunt? Quis, dum talia ſerio perpendit, ſe commoveri non experitur? Quare oppoſita ſententia mihi unice probatur. Defendit hæc toties peccata moraliter interrumpi, quoties actus interni non reſtituendi deliberate repetuntur, aut exterius renovantur actus, aliena diſtrahendo, aut conſumendo; aut creditor debitum petit, & poſtulatio iuſta reiicitur. Hanc ſententiam defendunt Suarez *Tom. IV. in III. Part. diſp.* XXII. *ſec.* 5. Vaſquez 1. 2. *quæſt.* lxv. *cap.* III. Tapia *Lib. V. quæſt.* XXXI. *art.* III. *num.* 5. Bannez 2. 2. *quæſt.* lxII. *art.* 8. *dub.* 1. *ad* 3. Bonacina *diſp.* 1. *quæſt.* VI. Prado *cap.* XVII. *quæſt.* VII. *num.* 3. & alii plures. Non eſt terendum tempus, ut evincam, præfata peccata moraliter multiplicari; ſed quod praxim ſpectat, admonendum. Eiuſmodi debitores ſtatus pravitatem manifeſtare Dei miniſtris obſtringuntur, tempus dilationis, propoſita repetita, occaſiones contem-

tem-

Digitized by Google

temptas reſtituendi, mala, damna, calamitates quas paſſi ſunt creditores ob diuturnam dilationem. Confeſſarius ſtatum debitoris pœnitentis colligere debet. Non ſit ſcrupuloſus, neque importunus in ſupputando peccatorum numero; ſed gravitatem morbi in ægroto ſanando conſideret, ut congrua remedia applicare valeat. Extrema declinanda ſunt. Prior opinio quæ propugnat, nihil horum patefaciendum eſſe, nimis laxa nobis apparet; altera vero, prout explicata eſt, ipſi communi ſenſui, & confeſſionis ſinceritati conſonat.

XVI. Obiicies 1. adverſus ſententiam qua probatum eſt, debitorem reſtituere ſtatim debere. Nemo aſtringitur ſtatim pœnitentiam agere de commiſſo peccato. Ergo neque ſtatim reſtituere. Reſp. Quidquid ſit de antecedenti, de quo ſuo loco, negatur conſequentia. Quoniam præceptum reſtitutionis, quamquam ſecundum verborum formam appareat affirmativum, reapſe tamen negativum eſt. Quod luculentius declarat S. Thomas in *ſupplem. quæſt.* VI. *art.* 5. *ad* 3. inquiens: *Retentio rei alienæ, invito domino, contrariatur præcepto negativo, quod obligat ſemper, & ad ſemper: ideo tenetur ſemper ad ſtatim reddendum. Secus autem eſt de impletione præcepti affirmativi, quod obligat ſemper, ſed non ad ſemper. Unde non tenetur aliquis ad ſtatim implendum.*

XVII. Obiicies 2. Homo peccator non tenetur ſtatim Deo reſtituere per confeſſionem. Ergo neque homini ſtatim reſtituere aſtringitur per reſtitutionem. Reſp. Negatur conſequentia. Diſcrimen eſt quod reſtitutio homini facienda in bonum eiuſdem creditoris cedit. Quare ſi ſtatim non peragatur, iniuria eidem irrogatur, cum invitus re ſua privetur. Reſtitutio quæ Deo ſit per confeſſionem ſacramentalem, non in Dei, ſed in ipſius peccatoris commodum dirigitur; ut perſpicue habetur Iob cap. XXII. *Quid prodeſt ei, ſi iuſtus fueris?* & cap. XXXV. *Si peccaveris, quid ei nocebis? Et ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porro ſi iuſte egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Homini, qui ſimilis tui eſt, nocebit iniquitas tua, & filium hominis adiuvabit iuſtitia tua.*

XVIII. Obiicies 3. contra ultimam ſententiam. Abſurdum videtur quod differens reſtitutionem multiplicet ſingulis momentis peccata. Reſp. Abſurdum iſtud ex ingenio fingitur. Si debitor in eodem propoſito perſiſtat non reſtituendi, unum peccatum peccat, gravius quidem, prout fuerit diuturnius. Si contra propoſita interna retinendi rem alienam renovet, & repetat, aut actus exteriores multiplicet re aliena utendo, conſumendo, aut creditori eam petenti denegando; tum multiplicari peccata dicimus: & hoc adeo manifeſtum apparet, ut vix poſſit in diſputationem vocari. Addo, cum *ſtatim* reſtituendum eſſe docuerimus, intelligendum eſt morali in ſenſu, nempe cum in mentem tibi venit rem alienam te poſſidere, continuo proponere, opportunitate data, reſtitutionem faciendam debes. Reſtitutio enim, cum actio exterior ſit, temporis opportunitatem poſtulat, ut executioni

Digitized by Google

demandetur. Præcepta negativa duplicis generis ſunt. Alia quæ a temporis circumſtantiis minime pendent; ut non mentiendum, non odio habendum &c. & hæc ſingulis momentis obligant. Alia ſunt quæ temporis circumſtantias pro executione poſtulant: eiuſmodi eſt præceptum non retinendi rem alienam.

XIX. Quæſt. VII. *Abſolvi ne poteſt qui nolit ſtatim cum poteſt, reſtituere?* Reſp. Negant omnes. Quoniam ex reg. iur. in 6. *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Qui enim deliberate rem alienam retinet, in peccati ſtatu verſatur. Eiuſmodi autem abſolutionis capaces non ſunt. Similiter qni partem, & non totum, cum poteſt, reſtituere vult, non eſt abſolvendus. Frequenter contingit ære alieno gravatos debita ſua ſolvere per partes. Grave ſe pati incommodum dicunt, ſi totum debitum ſimul ſolvant. Quare, ut conſulant rebus ſuis, modo unam, modo alteram partem reſtituere ſtudent. Ex hac autem truncata, & dimidiata ſolutione grave ſubeunt detrimentum creditores, qui nequeunt re ſua uti, eamque negotiationi exponere. Quare minime abſolvendi illi ſunt qui præfinito tempore totum debitum ſolvere recuſant. Spectari tamen circumſtantiæ debent, nempe conditiones tum debitoris, tum creditoris. Ceterum communiter creditores inviti ſunt; & damnum ex tali reſtitntione per partes, præſertim ſi ſint opifices, mercatoreſque, patiuntur. Quoties ergo Confeſſarius deprehendit debitores reipſa poſſe, ſi velint, licet cum incommodo, totum debitum reſtituere, ad integram ſimul ſolutionem eoſdem cogant; & ſi recuſent, abſolutionem eiſdem ſuſpendant. Comparent creditoris, & debitoris incommoda, ac ex utriuſque conſideratione colligant quam ſint iniuſti debitores qui aliena re ſuis conſulere commodis audent, dum creditores ob rei propriæ privationem gravia perferunt detrimenta. Creditoribus ſemper ſavendum, niſi evidens ratio oppoſitum ſuadeat. Communiter divites creditores nimis ſeveri, & ſæpe inhumani ſunt in exigendis a debitore paupere creditis ſuis. Creditorem illum evangelicum imitantur, de quo hæc ſcribit S. Matthæus cap. XVIII. *Egreſſus ſervus ille invenit unum de conſervis ſuis qui debebat ei decem talenta, & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conſervus eius rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit; ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum.* Quot ſunt hodie ſimiles creditores, divites, potentes, qui pauperum debitorum iugulum petunt, ut ea reddant quæ vix ad vitam alendam habent? Interim ipſi debita ſua, ad luxum, & pompas fovendas contracta, ad mortem, & poſt mortem ſolvenda protrahunt. Hi ſimiles ſunt creditori alteri evangelico, de quo idem Evangeliſta *loc. cit.* hæc ſcribit: *Cum non haberet unde redderet, iuſſit eum dominus eius venumdari, & uxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.* Quænam iuſtitia hæc? Uxor ne ob mariti debita, quin & filii vendi, ut debitum ſolvatur, debent? Quid ad uxorem, ſi maritus debita contrahit? Au-

di;

Digitized by Google

di inſignem interpretem P. Hieronymum Oleaſtrum, inter Dominicanos qui Concilio Tridentino interfuere, ſatis celebrem, in hunc locum. *Magna*, inquit, *debita uxoris, & filiorum gratia contraxerat: ideo iuſſit eum dominus venumdari. Non enim timuit aliena rapere, ut uxorem, & filios pompoſe indueret*. Quot divites obiurgare cum S. Ioanne Chryſoſtomo non poſſumus? Mulorum quibus uxor vehitur, auro plurimo ſplendent frontes. Currus, & lecticæ tuæ undique ſunt obornatæ; & creditores tui, pauperesque neceſſario alimento potiri nequeunt. Truces iſti ſunt, & efferati tum in debitoribus ſuis ſuffocandis, tum in creditoribus opprimendis. Ex illis ſanguinem exprimunt; iſtis proprium reddere ſanguinem nolunt. Cautus itaque prudenſque ſit Confeſſarius oportet in debitorum divitum regimine. Debitores pauperes facillime, quocumque volueris, ut plurimum vertes. Contra, divites aut avari, aut prodigi, ambitione, ſuperbia, faſtuque tumentes, difficillime aliorum conſiliis & ſuaſionibus parent: quia, ut inquit Scriptura divina, *ſapiens ſibi videtur vir dives*.

XX. Heinc minime mihi probatur doctrina quam tradit P. Dominicus Viva *quæſt.* 1. *art.* 5. *num.* 2. his verbis. „ Quod ſi ex opinione probabili pœnitens putet hic & nunc ſe non teneri, debet Confeſſarius accommodare ſe opinioni pœnitentis, ſi vere talis opinio ſit probabilis; quamvis ipſe contrariam ſententiam ſequatur. Ratio eſt, quia quando pœnitens eſt rite diſpoſitus, debet abſolvi. Eſt autem rite diſpoſitus, ſi opinionem probabilem ſequatur quod non debeat reſtituere. Ergo tunc abſolvi debet. " P. Claudius La-Croix de *Offic. Confeſſ. quæſt.* XXXVI. fuſo calamo quæſtionem verſat, num Confeſſarius poſſit, & debeat contra propriam ſententiam abſolvere pœnitentem? Illius paradoxa probabiliſtica alibi refellam.

XXI. En unum ex potiſſimis probabiliſticæ plantæ ſurculis. Confeſſarius iudicis perſonam ſuſtinet, magiſtri, & medici. Pœnitens ut reus ſiſtitur tribunali a criminibus ſolvendus, ſententiamque iudicis auditurus. Si naturæ lumen, ſi communem ſenſum ſpectemus, cuinam in mentem veniet, iudicem debere, propria ſpreta doctrina, in ſententiam rei deſcendere, eiuſdemque opinioni ſe ſe accommodare? In quonam tribunali ſimilis iudicandi ratio & methodus? Vix unus debitorum eſt qui probabilitatis prætextu fucare ſolutionis dilationem non ſtudeat; quinimmo non contendat, opinionem vere probabilem ſe habere protrahendæ reſtitutionis. Ex hac P. Viva doctrina anſam arripiunt debitores differendæ reſtitutionis; & Confeſſarii, minus periti Theologi auctoritate nixi, faciles ſunt in abſolvendis debitoribus moroſis, ut experientia compertum eſt. Loquitur P. Viva de opinione probabili pœnitentis in conſpectu probabilioris. Porro quod Confeſſarius probabilius perſuaſus debeat ſe ſe accommodare pœnitentis opinioni minus probabili, paradoxon mihi eſt. Particula adiecta a P. Viva, quod opinio ſit *vere*

Digitized by Google

probabilis, fucus eſt probabiliſticus; ut evidenter probant omnes Antiprobabiliſtæ. Numquam enim fieri poteſt ut in conſpectu probabilioris opinio minus probabilis ſit *vere probabilis*. Accedit, communiter debitores iudicare, ſe opiniones vere probabiles habere pro honeſtanda ſolutionis dilatione: & has opiniones probabiles expiſcantur in Diana, Tamburino, & La-Croix.

XXII. Longe magis a veritate aberrare exiſtimamus doctrinam P. Thomæ Tamburini, docentis *Lib. III. Method. Confeſ. cap.* IV. *num.* 5. „ Hinc item ſi prævideat „ Confeſſor pœnitentem non reſtituturum, ſi illi detegatur nullitas tituli quem pro „ ſe adeſſe pœnitens putat, non erit ex Sanchez talis nullitas illi a Confeſſario „ non interrogato patefacienda; quamvis ſit in præiudicium tertii, qui ſuo carebit. " Confeſſarius ex officio ſuo aſtringitur non iudicare modo, verum etiam docere, & inſtruere pœnitentem, ut fuſius ſuo loco demonſtrabitur. Sed pergit ultra P. Tamburinus, additque, paucis interpoſitis. „ Si prævides pœnitentem non „ reſtituturum, quamvis item advertas id eſſe in damnum publicum; cur tu ſis „ obligandus ad admonendum, quandoquidem prævides, adhuc tua accedente mo„ nitione, illum non fore reſtituturum; atque adeo non fore amovendum damnum „ publicum? Certe fruſtra erit talis monitio, immo nocens ipſi admonito; bono „ autem publico nequaquam favens .... Atque hæc omnia ex de Lugo etiam „ procedunt, quando Confeſſarius ſperaret pœnitentem ſuſcepturum quidem mo„ nitionem; ſed tamen advertit remedium eſſe difficillimum ... Unde etiam in„ fertur, idem eſſe dicendum, quando pœnitens ſub peccato mortali tenetur ad „ aliquid adeo difficile, ut non credatur tunc æquo animo recepturus, & alia vi„ ce melius ſuſcepturus eſſe iudicetur: poterit enim tunc prudens Confeſſor re„ linquere illum in ſua bona fide, quæ a peccato excuſat, & monitionem in „ tempus opportunius differre, ne ſcilicet territus pœnitens a confeſſione ſe ab„ ſtineat, maiuſque detrimentum patiatur. *Et hoc notetur permaxime pro Confeſ„ ſariis mercatorum, & Principum.* " Eadem docet P. Sanchez. Conſule *Hiſtor. Probabiliſmi, & Rigoriſmi diſſert.* 1. *cap.* V. *§.* 2. Non eſt opus ut hæc refellamus quæ ſeipſis corruunt: nam quiſque prudens lector deprehendit quam ſint a veritate aliena, & cum Chriſti Evangelio pugnantia.

XXIII. Quæſt. VIII. *Abſolvi ne a Confeſſario poſſunt debitores qui promittunt ſe ſtatim reſtituturos, & reipſa non reſtituunt?* Reſp. Quando debitores ſunt revera impotentes, abſolvi proculdubio debent; ſi diſpoſiti aliunde ſint, proponantque ſe ſtatim ac valebunt, reſtitutionem peracturos. Qui contra reſtituere, licet cum incommodo, poſſunt, abſolvi minime debent, niſi prius reſtituant. Dum pœnitentes ad Confeſſarium accedunt ante debitorum reſtitutionem, argumentum eſt illos minime diſpoſitos eſſe. Si enim vere pœniterent, prius iuſtitiæ debita ſolviſſent. Siquidem omnis dilatio reſtitutionis invito domino actualis [illegible] eſt. Cum

de-

debitor differt ſolutionem, dum poteſt, licet cum incommodo, ſolvere, actu peccat. Ergo abſolutionis capax non eſt.

XXIV. P. Dominicus Viva *loc. cit.* cum aliis docet, abſolvendum pro prima vice eſſe debitorem, quando tamen ſincere promittat ſtatim ſe reſtituturum; & reſtitutio alioquin cito fieri nequeat ob aliquam circumſtantiam: ſi enim fieri ſtatim reſtitutio poſſit, hæc præire debet abſolutioni. Huic doctrinæ nec ipſe repugno, dummodo reipſa Confeſſarius prudens, & doctus deprehendat debitorem ſincere paratum eſſe ad ſolutionem, cum primum fieri poterit. Addit P. Viva, poſſe etiam ſecunda vice abſolvi, etiamſi debitor non reſtituerit; dummodo appareant doloris ſigna, & firmum propoſitum ſtatim reſtituendi. Quin ſubdit ex Valentia, Ledeſma, Sayro, Navarra, & aliis, quod poſſit eiuſmodi debitor abſolvi tertia, & quarta vice: quia memores ſimus oportet, inquit ille, fragilitatis humanæ. Fatetur tamen in praxi rariſſime hac doctrina utendum eſſe. Addo ego, numquam: & utinam eam P. Viva natalitiis tenebris ſepultam reliquiſſet.

XXV. Regula ergo generalis eſto. Quoties moraliter poſſibilis eſt reſtitutio, priuſquam debitores abſolvantur, peragenda eſt. Quemadmodum non eſt concubinarius, niſi prius concubinam eiiciat, abſolvendus; ita neque debitores, niſi prius reſtituant aliena. *Prius pauperum debita, & mercenariorum labores ſolvant; & tunc ad Confeſſarium redeant, & abſolvantur*: inquit S. Thomas de Villanova *fer.* VI. *Dom.* III. *Quadrag.* Similia docent S. Carolus Borromæus in *Synodo I. Mediolanenſi*, & plurima alia Concilia; immo Patres, & graviores Theologi omnes.

XXVI. Quæſt. IX. *Quomodo ſe gerere Confeſſarius debet vocatus ad audiendam confeſſionem divitis, ſeu magnatis, qui diſtulit debitorum ſolutionem, proximumque oppreſſit?* Reſp. Frequens, an rarus ſit propoſitus caſus, ceteri iudicent. Finge divitem magnatem, a pluribus annis ære ingenti alieno gravatum, qui mercenarios vexavit, operarios oppreſſit, qui hunc verberari iuſſit, illum exulare coegit. Is gravi correptus morbo, te ad excipiendam ſacramentalem confeſſionem vocat. Quid ages? Quo te vertes? Unde initium ſpiritualis curationis arceſſes? Anguſtiæ ſane undique. En curationis formam quam ego ſervarem. Antequam tribunal aperirem pœnitentiæ, extra confeſſionem, quæ contra iuſtitiam peccavit, ſcire vellem. Tum iuberem ut virum prudentem, gravem, probum, amicum coram ſe venire curaret pœnitens, eumque conſtitueret veluti procuratorem, vulgo *commiſſarium*, rei ſuæ, cum plena facultate vocandi omnes creditores, omneſque oppreſſos, læſos, vexatos, damnoque ab ſe affectos, eoſque ad iuſtitiæ leges, & prudentiæ amuſſim compenſaret, debita ſolveret, & illata damna reſarciret. His breviter peractis, tum illius audirem confeſſionem. Methodum difficil-

Digitized by Google

ſicillimam me præſcribere reſpondes. Ultro fateor. At Chriſtus clamat: *Impoſſibile*, ideſt difficillimum, *eſt divitem intrare in regnum cælorum*. Publicanus Zachæus inquiebat: *Si aliquem defraudavi, reddo quadruplum*. Difficilis ne præſcripta curationis forma? Facilis ne ſimilium debitorum, defraudatorum, oppreſſorumque æterna ſalus? Si divites ob ſola divitiarum præſtigia in maximo verſantur damnationis periculo; quid, ſi divitiarum ſcopulis accedant fraudes, oppreſſiones, rapinæ? Non ergo medicinæ amaritudinem, neque curationis ſeveritatem, ſed morbi accuſare gravitatem debes. Præſtitutam methodum temperare, moderari pro circumſtantiarum diverſitate poteris. Verum, quoad fieri poteſt, nullum non movere lapidem debes, ut antequam ſimiles debitores confiteantur, ea expleant quæ iuſtitiam commutantem ſpectant. Quod ſi circumſtantiæ id non permittant; ſaltem curare debes ut peculiari ſcripto bona pœnitens deſignet ſolvendis debitis, & compenſandis proximo illatis damnis congrua. Numquam permittas ut hoc onus heredibus in teſtamento demandetur: quia experientia compertum habemus, heredes id raro implere. Ut procuratorem peculiarem conſtituat tanto oneri exequendo idoneum, efficere debes. Quod ſi hoc præſtare pœnitens recuſaverit, tu eidem tamquam obſtinato abſolutionem ſuſpendito. Audi iterum ſanctum Archiepiſcopum Thomam de Villanova fer. VI. poſt IV. Dom. Quadrag. *Prius ergo vadat, & concubinam a domo pellat, pecuniam alienam reſtituat, contractus uſurarios rumpat, famam proximi læſam, prout poteſt, reſarciat, mercenariorum labores, & pauperum debita ſolvat, offenſo fratri reconcilietur, & veniam petat; & tunc ad Confeſſarium redeat, ut abſolvatur*. Subdit continuo. *Hic rectus eſt ordo. Hic in Lazari ſuſcitatione a Domino ſervatus eſt. Hunc ordinem ne tranſgrediaris. O medice, cur fœtentem ſolvis? Cur indigne veniam promittis? Cur cui abſolutionis beneficium exhibeas, non diſcernis?* Abſolveres ne concubinarium, ſi heredibus in teſtamento imperaret ut poſt ſuam mortem concubinam eiicerent? Minime, inquis. Eccur ergo eum abſolvis qui nonniſi poſt mortem ſceleſtiorem concubinam, avaritiam, iniuſtitiamque, eiiciendam heredibus præcipit? Conſidera utramque concubinam. Prior quæ ſexto præcepto adverſatur, mala utique eſt, pernicioſa eſt fornicatori, & quibuſdam humanæ infirmitatis, ac propenſionis in propagandum humanum genus præſtigiis obducitur. At altera concubina contra ſeptimum præceptum truculenta eſt, pauperum, viduarum, mercenariorum, mercatorumque cruore, & lacrymis madens, furtis, rapinis, oppreſſionibus, ſpoliiſque onuſta. Ergo hæc potiori iure ante mortem eiicienda eſt, ut pœnitentiæ argumentum habeatur.

XXVII. Quæſt. X. *Confeſſarius qui culpabiliter obligare pœnitentem omittit ad reſtituendum, aſtringitur ne ille reſtituere?* Reſp. Adfirmant omnes, Confeſſarium teneri ad reſtituendum, ſi ipſe mala fide poſitive pœnitentem ab onere reſtituendi

Digitized by Google

di liberet. Si vero ſolum omittat monere pœnitentem ſive ex malitia, intendens ne pœnitens reſtituat, ſive ex ignorantia craſſa, ſive ex negligentia, & lata culpa, tum eum non aſtringi docent Bonacina *diſp.* 1. *quæſt.* 11. *punct.* 2. Valentia, & alii. Idque probabile eſſe concedit P. Viva *loc. cit. num.* 7. etiamſi Confeſſarius Parochus ſit, qui ex officio, & iuſtitia teneatur inſtruere pœnitentem. Quoniam, inquiunt, non tenetur ex iuſtitia bonum temporale creditoris curare, ſed ſolum bonum ſpirituale pœnitentis.

XXVIII. Communior & vera ſententia docet, aſtrictum eſſe Confeſſarium Parochum reſtitutioni, quoties mala fide omittit monere pœnitentem ut reſtituat. Siquidem hic Confeſſarius ex iuſtitia tenetur morbos curare ſui pœnitentis, bona fide ad ipſum accedentis, ut animæ ſanitatem aſſequatur. Ergo effectus malos ex ſua omiſſione ſecutos compenſare aſtringitur. Nec obeſt quod damnum temporale non in pœnitentem, ſed in creditorem recidat. Quoniam in primis hoc damnum temporale cedit indirecte ſaltem in ipſum pœnitentem, qui ſalutem ſpiritualem animæ conſequi nequit, niſi ab hoc temporali damno liberet creditorem ſuum. Præterea Confeſſarii conſtituti Reipublicæ chriſtianæ iudices ſunt, ſedentque in tribunali, ut æqualitatem, & iuſtitiam inter partes conſervent, læſamque reſarciant. Parochi itaque, & Curati, qui delecti ſunt ad gregis chriſtiani regimen, ſtrictiori vinculo aſtringuntur ad animarum ſalutem curandam, atque adeo ad efficiendum ut pœnitentes damna illata compenſent, debita ſolvant, aliena reſtituant. Ceteri omnes Confeſſarii, tametſi caritatis titulo officium exerceant, tamen aperto ſemel tribunali pœnitentiæ, & admiſſo ad iudicium pœnitente, tum iuſtitiæ debito devincti ſunt ea omnia præſtare quæ ad munus ſuum implendum requiruntur. Peccant itaque adverſus iuſtitiam, ſi culpabiliter omittant monere pœnitentem debitorem, ut aliena reſtituat. Si contra iuſtitiam delinquunt; ergo iuſtitiæ vi obligati ſunt ſolvere quæ illorum culpa ſui pœnitentes reſtituere neglexerunt. Nullum itaque diſcrimen eſt Curatos inter & ceteros Confeſſarios, niſi quod illi gravius peccent: ceterum omnes ex iuſtitia aſtringuntur operam dare ut pœnitentes ea præſtent quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem. Ergo omnes tenentur ex iuſtitia compenſare ea quæ ob illorum gravem culpam non ſunt pœnitentes executi. Antequam tamen Confeſſarii reſtitutionis oneri ſubiiciantur, plura ſpectanda ſunt, & caute iudicium ſuſpendendum, donec clare conſtet malitia, & reatus gravitas. Severius rem hanc expendam, dum de officio Confeſſarii ſermo erit. Nunc dumtaxat colligere Confeſſarii debent, quanta vigilantia, ſollicitudine, & zelo peragere munus ſuum debeant, & in ſacram doctrinam incumbere, ut poſſint ea ſcire quæ ad recte fungendum officio ſuo neceſſaria ſunt.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Qualis ſit iniuſtitia ex qua reſtitutionis debitum infertur.

I. EX ſola iniuſtitia oppoſita iuſtitiæ commutanti, debitum oritur reſtitutionis. Pro eodem accipi ſolent iniuſtitia, & iniuria. Porro iniuria, ſeu iniuſtitia violatio alieni iuris dicitur, cui opponitur iuſtitia, quæ ius ſuum cuique tribuit. Quare actiones contra virtutes caritatis, miſericordiæ, pietatis, aliaſve nullam pariunt reſtitutionis obligationem.

II. Iniuſtitiæ culpa quæ debitum parit reſtitutionis, alia eſt *theologica*, alia *iuridica*. Culpa *theologica* peccatum eſt mortale, aut veniale. Culpa *iuridica*, ſeu civilis, eſt omiſſio debitæ diligentiæ, qua quis aſtringitur ad cognoſcendum, cavendum, providendum, vel agendum aliquid, unde damnum ſequitur. Quod autem hæc omiſſio contineat nec ne malitiam, non attenditur. Culpa hæc triplex eſt. Lata, levis, leviſſima. Lata eſt omiſſio illius diligentiæ quam adhibere communiter prudentes ſolent homines eiuſdem profeſſionis, ſeu ſtatus. Hæc culpa vocatur etiam *latiſſima*, ut eſt dolus manifeſtus, puta dum cuſtos rei alienæ dormit, aut fingit ſe dormire: & *latior*, eſtque dolus præſumptus, ut dum quis ſciens, & potens impedire, non impedit tamen quominus fur rem apud ſe depoſitam auferat. Culpa *levis* eſt omiſſio vigilantiæ, & diligentiæ quam prudentiores, & diligentiores adhibere conſueſcunt; ut ſi quis rem depoſitam relinquat in cubiculo ſeris non clauſo. Culpa *leviſſima* eſt omiſſio diligentiæ quam adhibent ſolertiſſimi, & prudentiſſimi in rebus eiuſdem naturæ. Quis cubiculum claudit, at manu non pulſat ianuam, ut experiatur num clauſum ſit; hic reus eſt culpæ leviſſimæ. Hæc culpa iuridica interdum coniungitur cum culpa theologica, interdum ſeparatur.

III. Quando nulla ex his culpis patratur, nullum occurrit reſtitutionis debitum. Si relinquis puteum apertum, in quo cadere homines non ſolent; ſi laqueum paras ad feram capiendam in loco remotiſſimo, in quo nec homines, nec animalia tranſeunt; aut ſi ſagittam ſimiliter emittis in eiuſmodi locis: ad nihil teneris, etiamſi caſu homo, aut animal in puteum, aut laqueum incideret, aut ſagitta læſus periret. Contra, ſi culpæ latæ iuridicæ, & theologicæ reus, damnum inferres; puta, ſi ignem accenderes prope domum, ſegetes, aut aliam rem alterius, neglecta diligentia neceſſaria ad evitandam combuſtionem, totum damnum inde ſecutum reſarcire deberes.

IV. Excipiuntur tres caſus in quibus abſque culpa lata, levi, leviſſima teneris ad

ad reſtitutionem. Primus eſt: ſi animal tuum alterius animal occidat, aut lædat, aut ſegetes conculcet, proſternatque, aliudve damnum inferat; teneris aut animal tradere, aut damnum compenſare. Tit. *Si quadrupedes* in Inſtit. Si tamen animal tuum eſſet invaſum, liber ab onere reſtitutionis eſſes; ſicuti ſi ad feram quam ligatam tenes, accederet animal, & occideretur, vel ſi latro domum tuam invadens, a canibus laceraretur, ad nihil aſtrictus eſſes. Secundus caſus eſt: ſi mancipium tuum abſque tua culpa alterum lædat, aut damnum culpabiliter inferat; aut mancipium tradere, aut damnum compenſare debes, ut ſtatuitur in Inſtit. *§. Domino*. Si tamen ſervus tuus inculpabiliter damnum inferat; nec ille, nec tu ad quidquam teneris. Tertius caſus eſt: ſi e domo tua aliquid in viam proiiciatur, & non fuerit proclamatum, ut tranſeuntes periculum evitarent; etſi damnum abſque tua culpa ſecutum fuerit, ſi caput domus es, ad duplum teneris; ſi damnum accidit capiti hominis, expenſas ſolvere curationis debes, & omne aliud damnum compenſare. Si aliquid in domo tua appenſum ſit quod nocere queat, & reipſa nocuit; ad reſtitutionem, ſeu compenſationem damni aſtringeris: ſi vero non nocuit, is qui illud appoſuit, ſolvere decem aureos debet propter periculum: ſi caput domus vidit, aut ſcivit, & non removit quod appenſum eſt, alios decem ſolvere tenetur. *l. 1. ff. de his qui deiiciunt, vel offendunt*. Hæc autem non obligant in conſcientia, niſi poſt iudicis ſententiam: quia ſic uſu receptæ ſunt leges iſtæ. Exceptis autem his tribus caſibus, ſi res aliena fortuito in domo tua periit, ad nihil teneris: quia caſus fortuiti extra humanam diligentiam ſunt; ut ſi equus mutuo acceptus moriatur, aut domus locata igne comburatur, abſque tua culpa. *l. Si in rebus. ff. Commodati*; niſi tu caſus fortuitos libere ſuſcepiſſes reſarciendos. Iniri enim contractus poteſt, ſervatis iuſtis conditionibus, vi cuius obligeris pro damno ex caſibus fortuitis proficiſcente.

V. Qui rei illicitæ dat operam, ſi ſit cauſſa damni nec prævisi, nec intenti, nec ex illa cauſſa derivati, ad nihil tenetur: quia damnum per accidens ſecutum nequit culpæ verti, atque adeo nec ad pœnam imputari: actio quippe eiuſmodi damni illativa nullo modo voluntaria eſt; quemadmodum ad reſarciendum damnum illatum ex ignorantia antecedenti, ſeu omnino invincibili non aſtringeris in conſcientia: quia talis actio eſt prorſus involuntaria. Quid, ſi ignorantia ſit dumtaxat concomitans? Iacularis ſagittam, omni adhibita diligentia, ut damnum quodlibet evites; ita tamen affectus, ut ſi homo tranſiret, eum occideres. Sagittam proiicis, homo tranſit, eumque occidis. Quid tum? Ad nihil te teneri docent Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 2. *§.* 2. *num.* 15. & citant Dicaſtillum, Leſſium, Bonacinam, & alios. Quoniam, inquiunt, actio hæc non eſt cauſſa iniuſta mali alieni; ut ſi gauderes de malo alieno, non influens in illud. Et licet homicidium hoc non ſit contra voluntatem, tamen non eſt ex volunta-

te

te cum cognitione finis. Hæc opinio mihi non probatur. Utique actio, licet mala, quæ non ſit damni cauſſa, non inducit reſtitutionis debitum, ut eſt internum gaudium de alterius detrimento. At negatur, præfatam actionem non eſſe damni cauſſam. Tu ita paratus es, ut hominem occideres, ſi tranſiret. Reipſa illum tranſeuntem occidis. Ergo actio tua occiſiva eſt. At, inquiunt, omnem adhibet diligentiam qua evitet homicidium: voluntas autem illa interna eſt, quæ non influit in homicidium. Hæc omnia in praxi commentitia ſunt. Qui enim fieri poteſt ut omnem adhibeat diligentiam ad evitandum homicidium qui paratus eſt hominem occidere, ſi tranſiret? At ponamus hypotheſim, quod reapſe hanc præmittat diligentiam. Quid heinc? Non aliud niſi quod, homine non tranſeunte, reus non eſſet damni illati. At quoties cum voluntate parata ad occidendum homicidium ſequitur, tum habetur & damnum illatum, & voluntas quæ illud intulit. Ergo concurrunt ea quæ reſtitutionis debitum inducunt. Et licet non ſit expreſſa cognitio, eſt tamen implicita.

CAPUT V.

Sola culpa theologica, oppoſita iuſtitiæ commutanti, extra contractum, vel officium onus infert reſtitutionis. Quæ culpa in officio; vel contractu inferat reſtitutionis debitum. Plures quæſtiunculæ reſolvuntur.

I. CUlpa theologica alia interna, externa alia. Illa numquam obligationem ſe ſola inducit reſtituendi, quia numquam lædit ius alienum. Sermo itaque eſt in præſentia & de culpa theologica exteriori contraria iuſtitiæ commutanti, & de reſtitutione ex iniuſta acceptione orta, præciſis titulis rei acceptæ, vel contractus, & officii. Porro nemo ex iniuſta acceptione reſtituere tenetur, niſi iniuſtitiam committat. Iniuſtitiam autem non committit, niſi ſciat, aut ſcire debeat, velitque proximum lædere, ut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. lix. art. 2. ***Si aliquis faciat aliquid quod eſt iniuſtum, non intendens iniuſtum facere (puta cum hoc facit per ignorantiam, non exiſtimans ſe iniuſtum facere) tunc non facit iniuſtum per ſe & formaliter loquendo, ſed ſolum per accidens, & quaſi materialiter faciens id quod eſt iniuſtum. Unde & talis operatio non denominatur iniuſtificatio.***

II. Cum actio coram Deo omni culpa caret, caret quoque reſpectu proximi. Ergo tametſi damnum inferatur, ad nihil tenetur qui iſtius damni cauſſa moralis non fuit. Damnum enim, conſequens actionem phyſicam, eſt præter intentionem & voluntatem agentis. Nemo itaque reſtitutioni ex iniuſta acceptione orta ſu-

Digitized by Google

tæ ſubiectus eſt, ſi ab omni culpa theologica contraria iuſtitiæ commutativæ immunis ſit. Sicut pro actione inculpabili nemo Deo ſatisfacere aſtringitur, ita neque proximo ſatisfactionem exhibere tenetur.

III. Obiicies 1. Culpa iuridica *lata* infert debitum reſtitutionis. Sed culpa iuridica lata abſque culpa theologica reperiri valet. Ergo falſum eſt ex ſola culpa theologica debitum oriri reſtitutionis. Reſp. Culpa iuridica lata infert debitum reſtitutionis, ſi fuerit iuncta culpæ theologicæ, ſecus ſeparata ab illa; niſi interveniat peculiaris contractus iuxta leges quæ ad id obligent, ut dicetur *num.* VII. *& ſeqq.*

IV. Obiicies 2. Dominus *Exod.* XXI. hæc præſcribit. *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & operuerit eam, cecideritque bos, vel aſinus in eam, dominus ciſternæ reddet pretium iumentorum.* Similia repetit *cap.* XXII. *Si egreſſus ignis comprehenderit acervum frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum qui ignem ſuccenderit.* Reſp. Leges iſtæ præſupponunt negligentiam, ſeu culpam theologicam. Quod ſi quis hoc neget, ſubdo eiuſmodi leges iudiciales eſſe, ſicut ſunt aliæ ibidem recenſitæ, ut lex talionis, reddendi *oculum pro oculo, dentem pro dente*, quarum obſervationi nemo aſtringitur.

V. Obiicies 3. Gregorius IX. cap. *Finali* de iniuriis, hæc ſtatuit. *Si culpa tua datum eſt damnum, vel iniuria irrogata . . . aut hæc imperitia tua, aut negligentia evenerunt; iure ſemper his ſatisfacere oportet. Neque ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel iacturam. Quod ſi animalia tua nocuiſſe proponas, nihilominus ad ſatisfactionem teneris, niſi ea dando paſſis damnum, te ipſum liberare velis; quod tamen ad liberationem non ſufficit, ſi fera animalia, vel quæ conſueverunt nocere, fuiſſent, & quam debueras, non curaſti diligentiam adhibere. Sane licet qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videatur; ſecus tamen eſt in illo dicendum qui, ut non occideret, de contingentibus nihil omiſit.* Reſp. Pontifex ſummus confirmat ſententiam noſtram, cum aperte culpam theologicam ad reſtitutionem requirat. Diſtinguit primo loco culpam latiſſimam, latiorem, & iniuriam eadem irrogatam, a negligentia quæ ex culpa lata provenit; ut colligitur ex his verbis: *Nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere.* His verbis aperte declarat Pontifex ſummus ſe loqui de culpa lata, in omiſſione illius diligentiæ quam homines communiter adhibent, ſita. De animantibus quæ conſueverant nocere, ad æqualitatem reſarciendum damnum illatum docet, quando negligentiæ culpa in iis cuſtodiendis præceſſit. Si vero id non conſueverant, tum non ad æqualitatem, ſed aliquid ſatisfactionis vi humani iuris, ad pœnam, non ad culpam obligantis, præbendum eſt, poſt, non ante iudicis ſententiam. Ultimo loco concludit compenſandum damnum quod iis eventibus illatum eſt quos præcavere viri prudentes ſolent, & ex culpa lata non præcaventur.

VI. Ob-

VI. Obiicies 4. Si culpa theologica reſtitutionem præcedere ſemper deberet, neque advocati, neque medici, neque iudices reſtituere damna tenerentur, ſola omiſſione exactioris diligentiæ illata. Reſp. Concedunt hoc Leſſius, Vaſquez, Lugo, & alii. Sed oppoſitum nos defendimus. Culpam theologicam requiri ad reſtitutionem dicimus, præciſis titulis officii, vel contractus; ut infra explicabimus.

VII. Quæſt. I. *Ex culpa theologica levi, ſeu veniali oritur ne reſtitutionis debitum?* Reſp. Culpa venialis alia eſt talis ex materiæ parvitate, alia ex imperfecta deliberatione. Culpa venialis contra iuſtitiam ex materiæ parvitate inducit reſtitutionis obligationem. Quoniam res aliena, licet parva, cum invito domino retinetur, ejuſdem lædit ius. Ergo vi iuſtitiæ reſarciendum eſt. Quia tamen materia levis eſt, levis quoque extat obligatio reſtitutionis. Si ſit venialis ratione inadvertentiæ, ſeu imperfectæ deliberationis; tum reſtitutionis obligationem non inducere communior docet opinio, neque ſub veniali, ſi leve fuerit damnum inde ſecutum. Quid, ſi damnum fuerit graviſſimum? Alii ſuſtinent cum Dicaſtillo *Lib. II. tract. 11. diſp. 111.* Henrico a S. Ignatio *Lib. IX. cap. cxvi.* hoc in caſu debitum eſſe reſtitutionis, & quidem ſub gravi culpa. Alii negant. Quoniam actio moralis indeliberata nequit eſſe cauſſa moralis perfectæ obligationis. Obligatio enim ſequitur culpam. Si culpa ſit levis, non poteſt obligationem gravem parere; immo nequit inferre obligationem levem culpa venialis indeliberata: quia quando materia gravis eſt apta natura ſua parere obligationem gravem, nequit inferre obligationem levem; ſed aut gravem, aut nullam parit: gravem inducere nequit: ergo neque levem. Et hoc patet in votis Deo, & promiſſionibus homini factis, quæ dum ex imperfecta deliberatione procedunt, nullam, ne levem quidem, inducunt obligationem. Quænam ex his duabus opinionibus veriſimilior ſit, fateor me ignorare. Nam reſtitutio non ſolum ex gravitate culpæ, ſed etiam ex gravitate damni metienda eſt. Aqua ergo mihi inter utramque hæret: & cum ſim dubius, ſecuriorem partem eligerem: quoniam, inquit S. Thomas 2. 2. quæſt. lx. art. 4. ad 3. *cum debemus aliquibus malis adhibere remedium, ſive noſtris, ſive alienis, expedit ad hoc, ut ſecurius remedium apponatur.* Addo, vix in praxi accidere ut ſola culpa veniali ingens malum inferatur proximo: ſiquidem inconſideratio, quæ in levi negotio levis eſt, in graviſſimo negotio in quo de tertii ſorte, fortuniſque agitur, evadit gravis. Deinde quis definiet deliberationem eſſe imperfectam, & venialem, cum nec ipſe damnificator id certo ſcire valeat? In dubio autem, utrum deliberatio fuerit nec ne imperfecta, tutior eligenda pars eſt.

VIII. Quæſt. II. *An culpa levis, aut leviſſima, animo nocendi perpetrata, inducat obligationem reſtitutionis?* Reſp. Ut propoſita quæſtiuncula clarior fiat, exemplo eam explico. Advocatus adhibet omnem diligentiam ad quam tenetur, & quam adhibere communiter ſolent ſimiles profeſſores; noluit tamen maiorem adhibere ex

Digitized by Google

ex odio, & invidia contra clientem, ut inde iactura litis ſequatur. Secuto damno, tenetur ne ad reſtitutionem? Negant Sanchez *Lib. I. Conſil. cap.* IV. *dub.* 5. Navarra *de reſt. Lib. II. cap.* 1. *difficul.* 9. Leſſius *Lib. II. cap.* VII. *dub.* 6. & alii. Quia quando actio externa iniuſta non eſt, nulla reſtitutionis obligatio oritur. Porro illa negligentia levis, aut leviſſima non eſt iniuſta. Ergo non parit reſtitutionis debitum. Idque patet tum in iudice ex odio occidente reum, tum in interfectore iniuſti invaſoris, ſimili odio percito, tum in quocumque alio qui adhibeat omnem diligentiam ne malum occurrat, optat tamen ut aliunde malum accidat.

IX. Oppoſita ſententia probabilior, &, ut ego quidem arbitror, vera eſt. Quam defendunt Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* 1. *punct.* 2. *§.* 2. *num.* 18. & apud ipſos Molina, Lugo, & alii plures. Illam aperte docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXII. *art.* 2. *ad* 4. ubi hæc habet. *Aliquis poteſt impedire aliquem ne habeat præbendam multipliciter. Uno modo iuſte, puta ſi intendens honorem Dei, vel utilitatem Eccleſiæ, procuret quod detur alicui perſonæ digniori; & tunc nullo modo tenetur ad reſtitutionem, vel ad aliquam recompenſationem faciendam. Alio modo iniuſte, puta ſi intendat eius nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid huiuſmodi. Et tunc ſi impedit ne præbenda detur digno, conſulens quod non detur, antequam ſit firmatum quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompenſationem, penſatis conditionibus perſonarum, & negotii, ſecundum arbitrium ſapientis.*

X. Ex hac angelica doctrina eruitur, eamdem actionem exteriorem ex ſola affectuum, animorumque diverſitate in uno, ſecus in altero, debitum parere reſtitutionis. Quæ doctrina confirmatur *ff.* 39. *tit.* 3. *l.* 2. *§.* 9. *Idem Labeo ait, ſi vicinus flumen, torrentem averterit, ne aqua ad eum perveniat, & hoc modo ſit effectum ut vicino noceatur, agi cum eo aquæ pluviæ arcendæ non poſſe: aquam enim arcere, hoc eſſe curare ne influat: quæ ſententia verior eſt; ſi modo non hoc animo fecit ut tibi noceat, ſed ne ſibi noceat.* Ratio itaque luculenta ſententiæ noſtræ hæc eſt. Dantur effectus qui abſolute non ita cum cauſſa connexi ſunt, ut qui cauſſam velit, eo ipſo velit effectum. Non vult quis diligentiam in aliquo negotio adhibere quam exequi diligentiores, aut diligentiſſimi conſueſcunt. Effectus conſequens hanc exactioris diligentiæ omiſſionem non eſt cum eadem abſolute connexus: poteſt enim quiſque ex iuſta cauſſa hanc extraordinariam, inſolitamque diligentiam prætermittere; verum ſimiliter poteſt ex pravo animo, odioque nocendi præfatam omittere diligentiam; & tum damnum conſequens omiſſionem, pravo animo nocendi affectam, coniungitur cum ipſa omiſſione prava. Damnum abſolute non eſt connexum cum omiſſione inſolitæ diligentiæ; at pravus nocendi animus nexus eſt qui hæc duo, nempe effectum cum cauſſa, coniungit. Ergo dum quis omittit hanc maiorem diligentiam, ad quam adhibendam abſolute non eſt aſtrictus, eo animo ut alteri noceat, iam nocumentum iſtud ratione pravi affe-

ctus

Digitized by Google

ctus coniungitur cum tali omiſſione; quæ abſolute ſpectata levis eſt, & gravis evadit ob animi malitiam. Ergo eiuſmodi omittens reſarcire nocumentum tenetur. Doctrina exemplis illuſtratur. Deus tentat homines, ut eoſdem probet, firmetque in virtute. Lapſus hominis tentati non adſcribitur Deo. Tentat diabolus homines, ut ſeducat. Seductio dæmoni imputatur. Idem itaque effectus ob animi, & affectus diverſitatem revocatur, & non revocatur in cauſſam. Cœnat quis præter temperantiæ regulas, calida vina epotat, nulla libidinoſa intentione percitus. Eamdem comeſtionem præſtat alter ex affectu & animo ad pollutionem. Uterque pollutionem patitur. Secundo, ſecus primo, pollutio imputatur ob affectuum diverſitatem. Qui latronem in domo recipit animo fovendi latrocinia, reſtitutioni obnoxius eſt; qui vero illum ſuſcipit aut caritatis, aut correctionis animo, ad nihil tenetur. Quibus exemplis manifeſtior fit doctrina S. Thomæ.

XI. Adverſæ opinionis argumenta nullum faceſſunt negotium: ex iis enim quæ dicta ſunt, penitus evaneſcunt. Utique negligentia levis, aut leviſſima ſuapte natura non efficit opus externum iniuſtum; illud vero iniuſtum reddit, ſi addatur affectus pravus, animuſque nocendi: vi quippe pravi huius animi damnum ſecutum connectitur cum eiuſmodi negligentia, evaditque voluntarium. Porro damnum voluntarium actioni exteriori etiam levi, vel leviſſimæ iunctum, reſtitutioni obnoxium eſt. Ceteri duo caſus perperam opponuntur. Nam qui occiditur vi ſententiæ iuſtæ, ius non habet ad vitam; quemadmodum nec iniuſtus invaſor ius habet ne ab invaſo cum moderamine inculpatæ tutelæ repellatur. In propoſita autem quæſtione noſtra quilibet ius habet ne tu ponas aliquid eo animo ut damnum eiuſdem ſequatur. Quare ſi cauſſa exterior, quantumvis leviſſima, deliberate ponatur in eum finem ut proximus tuus damnum ſubeat, hoc damnum voluntarium prorſus eſt, atque adeo reſtitutionis obligationem parit.

XII. Hinc qui delictum perpetraret prævidens ex hoc alteri ſecuturum damnum, idque animo intenderet; ad omnium damnorum reſtitutionem teneretur. Si vero id nullo modo intenderet, licet prævideret alteri imputandum ex hominum malitia; tum non videtur abſolute loquendo debitum reſtitutionis oriri: quoniam talis imputatio ex aliorum malitia, non ex perpetratione delicti, ut ſuppono, dimanat. Perpetratio quippe delicti hoc in caſu eſt mera occaſio, quæ nullum influxum habet in damnum illud. Quapropter qui hominem occidit, licet deprehendat alteri imputatum homicidium, videatque innocentem ad mortem rapi, non tenetur cum vitæ ſuæ diſpendio ſe prodere. Si vero quis alterius aut pallio coopertus, aut gladio eiuſdem utens homicidium commiſiſſet, & ex his ſignis innocens damnaretur ut homicida; tum neceſſaria eſſet reſtitutio univerſi damni inde ſecuti.

XIII. Quæſt. III. *An qui exercent artes, aut profeſſiones, teneantur ad reſtitutionem.*

Digitized by Google

nem ex culpa levi, vel leviſſima? Reſp. Iam dictum eſt ſupra, neminem theologica culpa carentem, extra officium, vel contractum ſubiectum eſſe reſtitutioni. Nunc quæritur, num artifices qui ex officio conſtruunt opera, medici, qui accepto ſtipendio curant infirmos, advocati, qui pacto pretio defendunt clientes, conſultores, iudices, cuſtodes, qui ex officio conſulunt, decidunt, cuſtodiunt &c. aſtringantur reſtituere ob culpam levem, aut leviſſimam. Communis ſententia abſolute negativa eſt. Quoniam præfati omnes non tenentur ratione rei acceptæ, ut ſupponitur; neque ex iniuſta acceptione, ſiquidem iniuſta acceptio non reperitur abſque culpa lata iuncta culpæ theologicæ; nec tandem ex contractu, quia nemo ſive artificum, ſive aliorum profeſſorum ſeſe obligat ad exercendam artem ſuam maiori diligentia quam adhibere prudentes earumdem profeſſionum homines ſolent. Ex ſolâ culpa lata iuridica, connexa cum culpa theologica, oritur in his reſtitutionis debitum.

XIV. Hæc omnia vera ſunt abſolute & per ſe. At ſi præfati profeſſores promitterent maiorem diligentiam quam adhibere communiter ſolent ceteri earumdem artium prudentes viri, tum aſtricti eſſent reſtitutioni, etiam ex culpa levi, aut leviſſima; prout magis aut minus promiſerunt, & ſecundum quod negotii gravitas poſtulat. In quibuſdam enim negotiis, & operibus ſummi momenti exigitur ſumma vigilantia, & maxima cautio. Quare in his non raro levis negligentia poteſt fieri gravis, & debitum inferre reſtitutionis.

XV. Animadvertas tamen velim, culpam quæ levis eſt in privatis hominibus, fieri latam, & gravem in iis qui ex officio conſulere, defendere, cuſtodire aliena bona tenentur. Quare dici ſolet, quod iſti profeſſores ex culpa levi aſtricti ſunt reſtituere reſpectu privatorum qui ex officio non obligantur: quia negligentia quæ in privatis levis eſt, poteſt eſſe lata, ſeu gravis culpa in his qui ex officio negotia peragunt. Quamobrem Advocati, Confeſſarii, Parochi, Concionatores, Iuriſconſulti, ceterique profeſſores qui in artibus ſuis conſilia præbent, ex culpa lata reſtitutioni obnoxii ſunt. Quoniam hi ex officio eam adhibere diligentiam debent quam communiter prudentes ſolerteſque earumdem profeſſionum viri adhibere conſueſcunt. Non raro, utinam non frequenter, ad reſtitutionem iſti tenentur ob culpam ignorantiæ, ſeu ob negligentiam addiſcendi ea quæ vi ſuæ profeſſionis ſcire tenentur. Docet enim S. Thomas 1. 2. quæſt. lxxvi. art. 2. *Omnes ſcire tenentur ea quæ ſunt fidei, & univerſalia iuris præcepta; ſinguli autem ea quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant.* Excuſantur tamen a reſtitutione, quando non decretorie, ſed caute reſponderent ſe ita ſentire, aut dubitare, aut ſibi ita videri. Quoniam ſi conſulentes tum conſilium exequantur, imprudentiæ propriæ imputare ſecutum damnum debent. Cauti ergo ſint profeſſores omnes in conſiliis dandis, præſertim in materia iuſtitiæ, in contractibus, in negotiis. Si inculpate veri-

ta-

Digitized by Google

tatem ignorant, inculpate non agunt, dum ſe conſiliis dandis immiſcere audent. Regula iuris 62. in 6. *Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentus non fuerit, obligatur*, hunc prodit ſenſum: Qui bona fide conſilium dat in iis quæ ad proprium officium non pertinent. Nomine autem fraudis culpa lata intelligitur. Fraudem quippe committunt Confeſſarii, Theologi, ICti, ceterique qui profitentes peritiam artium, eaſdem ignorant. Et Chriſtiani bona fide ad iſtos ut ad peritos in arte accedentes decipiuntur, fraudemque patiuntur, qui conſilium ſe accipere a ſapientibus putant, dum reipſa ignorantes, atque adeo deceptores conſulunt. Pro certo habere volò, neminem mala fide, & expreſſa fraude conſulentes decipere; ſed revera decipiunt, dum profitentur ſe peritos eſſe in arte, cum reipſa non ſint, ob omiſſionem addiſcendæ ſcientiæ neceſſariæ.

XVI. Quæſt. IV. *Quænam culpa iuridica requiratur in contractu, ut inducat reſtitutionis debitum?* Reſp. Duplex occurrit ſententia. Altera, quæ docet, te ex culpa levi, aut leviſſima teneri ad reſtitutionem, ſi contractus cedat in ſolam utilitatem tuam, ut in commodato, pereatque res, aut fiat deterior. Et hæc eſt diſpoſitio iuris *ff.* 13. tit. 6. l. 18. *In rebus commodatis talis diligentia præſtanda eſt, qualem quiſque diligentiſſimus paterfamilias ſuis rebus adhibet*. Et hæc iuris diſpoſitio æquitati naturali congrua videtur, ut nempe qui aliena re gratis utitur, ſummam in cuſtodia adhibeat diligentiam. Niſi enim diligentiſſimus ſis in hoc contractu, quandonam eris? Ipſe communis hominum ſenſus dictat ut maiori diligentiæ commodatarius quam ceteri aſtrictus ſit. Si ergo ceteri tenentur reſtituere ex culpa lata, hic aſtrictus erit ex culpa levi, aut leviſſima. Excipitur precarium, in quo ſolum ex dolo, aut culpa lata, qui accipit, tenetur. Quia dominus quocumque tempore rem precario conceſſam repetere valet. Si contractus utrique parti utilis ſit, ut in contractibus locationis, conductionis, pignoris; uterque ſubiectus eſt reſtitutioni ex culpa lata, & levi, non vero ex leviſſima. Ita iura diſponunt *l.* 5. *§. Commodato*, *&* *reg.* 23. *de reg. iur.* Qui accipit ergo alienam rem in propriam utilitatem, ex ipſa naturali æquitate diligentiam peculiarem qua utuntur ſolertiores homines in ſimilium rerum cuſtodia, adhibere debet. Domeſtici qui ex officio res domini cuſtodiunt, artifices qui accepto ſtipendio in re aliena laborant, reſarcire damnum debent ex culpa levi; ſi tamen res ſint magni momenti, & fragiles. Hinc conducti ad ferendas columnas, & res ſimiles, quæ facillime franguntur, tenentur ex culpa leviſſima: quia hæc culpa quæ in aliis rebus curandis eſſet levis, aut leviſſima, in his gravis reputatur.

XVII. Si contractus cedat in utilitatem ſolius dantis, ut accidit in depoſito; qui accipit, ex culpa lata tantum, & dolo tenetur: idque æquitas naturalis dictat, ut qui alienam rem cuſtodit in commodum domini, ea utatur diligentia qua uti diligentes ſolent. Quare ſi depoſitum pereat abſque culpa lata, nullum eſt reſti-

Digitized by Google

reſtitutionis debitum, niſi in his caſibus. 1. Si pactum præceſſiſſet maximæ diligentiæ. 2. Si depoſitum tecum detuliſſes per loca periculis expoſita. 3. Si in mora fuiſſes, non reddendo tempore debito, cum poſſes. 4. Si mercedem accepiſſes pro depoſiti cuſtodia. 5. Si ipſe promiſiſſes diligentiſſimam cuſtodiam. Tunc enim tenereris ex culpa leviſſima.

XVIII. Cum in legibus indicatis aſſeritur, depoſitarium obligari ſolum ex dolo, non ex culpa, ſciendum eſt, in iure dolum latæ culpæ æquiparari; ut habetur l. 222. ſ. de verb. oblig. *Magna negligentia culpa eſt magna: culpa dolus eſt*. Cum itaque leges definiunt dolum dumtaxat præſtandum eſſe, non culpam, ideſt culpam levem, aut leviſſimam. Doli autem nomine lata culpa intelligitur. Dum vero in contractibus iura decernunt culpam eſſe præſtandam; nomine culpæ intelligunt culpam levem, aut leviſſimam iuxta materiæ diverſitatem.

XIX. Tandem præfata ſententia defendit, damnum ſecutum in contractibus ex culpa iuridica ſine culpa theologica in conſcientia reſarciendum eſſe. Quoniam qui ex contractu rem alienam accipit, ſeſe obligat ad eam ſervandam cum onere a legibus præſcripto, ſeu ad eam præſtandam diligentiam quæ legibus præſtituitur; præſertim cum leges iſtæ æquitati naturali conformes ſint. Porro præfatæ leges obligant ex culpa levi, aut leviſſima; ut patet ex *cap. ult. de commodato*, ubi ſtatuitur: *Cum gratia ſui quis commodatum accipit, de leviſſima etiam culpa tenetur*. Nequeunt autem eiuſmodi leges in negligentia leviſſima culpam mortalem præſumere. Obligant ergo ex culpa iuridica. Sed qui contrahit, ſponte libereque vi contractus obligat ſeſe ad præſtandum id quod leges decernunt. Leges autem decernunt te obligatum eſſe ad reſarciendum damnum ex culpa leviſſima ſecutum. Ergo dum hoc onus legale vi contractus libere ſuſcipis, iam in conſcientia te obligas ad id præſtandum quod leges præſcribunr. Hanc ſententiam defendunt Covarruvias, Navarrus, Molina, Leſſius, Vaſquez, Antoine, & alii, qui vocant eam communem.

XX. Oppoſitam ſententiam defendunt Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 2. ſ. 4. *num.* 32. & pro eadem citant *Filliucium*, *Dianam*, *Sotum*, *Ledeſmam*, *Tapiam*, alioſque. Hæc opinio contendit, te non eſſe obligatum in conſcientia, niſi ex culpa lata coniuncta cum culpa theologica, ſaltem in ſoro interiori; ſive contractus ſit in tui commodum tantum, ut eſt commodatum; ſive in commodum utriuſque, ut eſt pignus; ſive in ſolius dantis, ut eſt depoſitum. Ex ſola culpa iuridica, ſive levi, ſive leviſſima, in aliquo iſtorum contractuum commiſſa, negat oriri reſtitutionis debitum. Prima huius ſententiæ ratio repetitur a paritate *precarii*, in quo quis tenetur ſolum de culpa lata, aut dolo: quæ ratio nulla eſt, cum precarium ad nutum dantis repeti queat.

XXI. Potiſſima autem illius ſententiæ ratio hæc eſt. Nemo iure naturæ aſtrigitur

gitur reſtituere ex culpa levi, aut leviſſima. Probatur antecedens. Nemo ex contractu tenetur maiorem adhibere diligentiam in rei alienæ quam in propriæ conſervatione. Sed in propriæ rei cuſtodia ſolum quiſque tenetur de culpa lata, aut dolo, ſeu ad eam ponendam diligentiam quam diligentes & prudentes adhibent: & ad hanc ſolam diligentiam quiſque vi contractus ſeſe aſtringit. Neque maior obligatio a iure poſitivo imponitur: nam iura quæ adducuntur, vel non ſunt recepta quantum ad obligationem in foro conſcientiæ, vel ſolum ſpectant exteriorem pacem & tranquillitatem, ſolumque obligant in foro exteriori.

XXII. Expenſis utriuſque ſententiæ fundamentis prior mihi probabilior eſt, quod ſolidiores ſint rationes quibus innititur. Forum quippe internum, ut ab ultimi ſecundæ opinionis fundamenti examine incipiam, conformari externo debet, quando iſtud & naturali æquitati conforme eſt, & falſæ præſumptioni non inhæret. At leges quæ obligant ad reſtituendum ex culpa levi, aut leviſſima in contractu cedente in ſolam accipientis utilitatem, falſæ præſumptioni non innituntur; & ſunt ex alia parte æquitati naturali conſonæ. Ergo qui iuxta has leges contractum ineunt, ad earumdem obſervantiam ſeſe aſtringunt. At leges iſtæ, inquies, non imponunt obligationem in foro interiori. Eſto. Cum tamen contractum celebras ad iſtarum legum præſcriptum, tum ipſe in conſcientia te obligas ad id præſtandum quod leges præcipiunt.

XXIII. Paucis rem totam perſtringo. Communiter omnes ex culpa lata coniuncta cum culpa theologica tenentur ad reſtitutionem. Porro ipſum naturæ lumen dictat, ſuggeritque ſtrictiori vinculo eos urgeri ad rei alienæ cuſtodiam qui ad id ex officio quam qui vi ſolius communis iuris obligati ſunt; fortius vero graviuſque eos qui ex contractu devincti ſunt. Si igitur primi ex culpa lata; poſteriores, & poſtremi ex culpa aut levi, aut leviſſima aſtricti ſunt. Quis te diligentiorem eſſe debere in cuſtodienda re commodata non reputabit quam alterum tali titulo non devinctum? Quis dixerit, te non debere maiore diligentia uti in cuſtodienda re in tui utilitatem conceſſa quam in re ſervata in ſolius dantis commodum? Nulla ne maior diligentia neceſſaria erit in rei pretioſæ, ingentiſque valoris quam in alterius levioris rei cuſtodia? Ergo ſecunda opinio quæ in omnibus caſibus requirit culpam latam iuridicam cum theologica culpa coniunctam, minus congruit rationi.

XXIV. Salmanticenſes, qui præfatam ſecundam opinionem propugnant, in noſtram tandem concedunt ſententiam *loc. cit. §. 5. num. 37. & ſeq.* Animadvertunt & ipſi quod ſupra indicavi, culpam dupliciter levem, aut leviſſimam nuncupari poſſe. Primo abſolute, ſecundo reſpective. Culpa quæ in uno caſu reputatur levis, in altero gravis æſtimatur. Irreverentia in filio reſpectu patris gravis erit, quæ in aliis levis foret. Culpa quæ in homine mundano levis eſt, in Sacerdote,

in

Digitized by Google

in Parocho, in Epiſcopo gravis eſſe poteſt. Quibus poſitis, concludunt præfati Auctores, neminem vi officii, aut contractus teneri ad reſtitutionem, niſi ex culpa lata coniuncta cum culpa theologica. At ſubdunt, eoſdem ſimul obſtringi quandoque ex culpa leviſſima: quia licet hæc culpa leviſſima ſit, abſolute ſpectata; reſpectu tamen illius qui ex officio, vel contractu aſtringitur, evadit lata & gravis. Tunc enim culpa lata contingit, quando homines eam non adhibent diligentiam quæ a ſolertibus præſtari ſolet. Sed homines diligentes, officii, aut contractus vinculo ligati, adhibent maiorem diligentiam quam ceteri a ſimili vinculo ſoluti. Ergo hoc in ſenſu utraque ſententia eodem recidit, nempe homines vi contractus teneri aliquando ex culpa leviſſima, quæ ſpectatis circumſtantiis evadit lata, & gravis in utroque foro. Ut negligentia ſit gravis in cuſtodia depoſiti, plus requiritur quam in cuſtodia commodati. Ne multa: ex ſubiecta materia, & circumſtantiarum diverſitate gravitas, aut levitas culpæ colligenda eſt: & pro culpæ diverſitate debitum reſtitutionis eſt inferendum.

C A P U T VI.

De reſtitutionis onere quo obſtringitur poſſeſſor bonæ, aut malæ fidei ob rem alienam acceptam.

I. UNa ex radicibus reſtitutionis eſt res accepta, ſeu aliena, extans apud poſſeſſorem: quod contingere poteſt abſque iniuſta actione; ut in poſſeſſore bonæ fidei reipſa accidit: hic enim accipit, aut retinet alienam rem bona fide exiſtimans eſſe ſuam. Interdum vero res aliena iniuſta actione occupatur; ut evenit in fure, raptore, & debitore moroſo. Hi alienam rem retinent, quam per iniuſtam actionem occuparunt.

II. Itaque poſſeſſor bonæ fidei ille eſt qui rem alienam, invincibiliter exiſtimans eſſe ſuam, poſſidet. Poſſeſſor malæ fidei ille dicitur qui ſcienter rem alienam vel occupat, vel retinet; aut ignorantia vincibili, vel affectata in rei alienæ poſſeſſione perſiſtit. Poſſeſſor bonæ fidei rem alienam vendere, conſumere, donare, prout illi viſum fuerit, poteſt, uſquedum in bona fide perſeverat. Continuo vero ac advertit rem eſſe alienam, reſtitutioni obnoxius eſt. Si enim in mora ſit, poſſeſſor malæ fidei evadit. Quoties enim certo cognoſcit rem alienam eſſe, ignorare debitum reſtitutionis invincibiliter non poteſt. Si tamen lex præſcriptionis impleta eſſet, tum ciuſdem præſcriptionis vi a reſtitutionis onere immunis foret; ſi vero lex præſcriptionis non ſuffragatur, tum reſtituere rem domi-

Digitized by Google

no debet, quocumque titulo, ſive donationis, ſive emptionis, aſſecutus illam fuerit. Si enim rem emerit, a domino repetere ſolutum pretium nequit, ſed a venditore: quia dominus ius habet ad rem ſuam, & hæc ad dominum ſemper clamat. Pretium ergo pro eadem recuperanda ſolvere dominus non debet. Communia, & vera hæc ſunt.

III. Quæſt. I. *Ad quid tenetur poſſeſſor bonæ fidei qui rem alienam conſumpſit?* Reſp. Si bona fide rem omnino conſumpſit; ſi illa etiam ex illius culpa periit; ſi eam diſtraxit, vendidit eodem, vel minori quo emerat pretio: nullus occurrit titulus vi cuius reſtituere quidquam debeat. Non ex iniuſta acceptione, quia bona fide aſſecutus rem eſt, ut ſupponitur: non ex re quæ extet apud ipſum. Ergo ex nullo titulo. Advertendum tamen, dupliciter extare alienam rem poſſe apud poſſeſſorem bonæ fidei, videlicet aut in ſpecie, aut in æquivalenti. Porro licet res non exiſtat in ſe, ſi tamen in æquivalenti exiſtat, quatenus poſſeſſor bonæ fidei ditior factus ſit, ſeu emolumentum perceperit; tum reſtituere tenetur id in quo factus ditior eſt, ſeu id quod in æquivalenti ex re aliena apud ipſum reperitur. Exemplis rem illuſtro. Rem alienam comediſti, putans eſſe tuam, & tuam conſervaſti. Res aliena virtute exiſtit in tua. Reſtituere igitur eam debes. Si nihil ex tua comediſſes, ad nihil tenereris, quia in nulla re factus eſſes ditior. Alieno equo iter egiſti, parcens expenſis quas facere debuiſſes in equo conducendo: has expenſas reſtituere domino equi debes. Si pedibus iter arripuiſſes, ad nihil tenereris. Similiter ſi frumentum, ſi vinum alienum conſumpſiſti, tuo ſervato; ſi veſte aliena uſus fuiſti loco tuæ: reſtituere omne emolumentum debes quod ex conſumptione alienæ rei apud te extat. Si vero nihil tuarum rerum conſumpſiſſes, ad nihil tenereris: quia tum res aliena nec in ſe, nec in æquivalenti apud te exiſteret. Quid, ſi dubium occurrat, ſis ne ex aliena re factus ditior? Tum pro rata dubii, ut ſupra diximus, componendum negotium eſt ſapientum arbitrio. Quid, ſi in ludo, in conviviis, aliiſque diverticulis in quibus nihil tui inſumpſiſſes, rem alienam conſumpſiſti; ſi ſplendidius quam ſolitus eras vixiſti? Ad nihil tum teneris: quia nihil apud te rei alienæ exiſtit nec in virtute, nec in ſpecie. Immo ſi ob hereditatem obtentam quid plus expenderis quam in abſentia hereditatis expendiſſes de tuis bonis, in reſtitutione hereditatis detrahere illud plus quod intuitu obtentæ hereditatis conſumpſiſti, tibique reſervare poteris; ut etiam advertit P. Soto *Lib. IV. quæſt.* VII. *art.* 2. *concl.* 4.

IV. Quæſt. II. *Qui res uſu conſumptibiles bona fide a latrone emit, recepitve, tenetur ne reſtituere rem ſi extet, aut id in quo ditior factus eſt, ſi fur reſtituere potens ſit?* Reſp. Recepiſti, aut emiſti fide bona a latrone pecuniam, vinum, oleum, veſtem, triticum, & id genus uſu conſumptibilia. Interveniſti ad cœnam ex cibis furto ſurreptis in aliena domo, tantumdem comeſturus in domo propria.

pria. Si fur impotens factus ſit ad reſtituendum; omnes ſatentur, te reſtituere rem debere, ſi extet vel in ſe, vel in æquivalenti, ſeu in quo ditior factus es. Diſputant vero Theologi, num reſtituere tu vero domino rem debeas, quando fur ipſe habeat bona quibus compenſare dominum valeat? Sermo eſt de poſſeſſore tam bonæ, quam malæ fidei. Ad hoc enim quod attinet, pares ſunt. Si res extet, uterque totum reſtituere tenetur. Si non extet, uterque pretium æquivalens reddere debet cum ſolo diſcrimine, quod poſſeſſor bonæ fidei id tantum in quo ditior factus eſt, malæ fidei vero poſſeſſor totum reſtituere aſtringitur. Quod ergo de uno, idem de altero reſolvetur. Triplex Theologorum hac de re occurrit ſententia.

V. Prima adfirmat, utrumque poſſeſſorem ſive bonæ, ſive malæ fidei, cum ſolo aſſignato diſcrimine, ad reſtitutionem teneri. Ratio obvia, & perſpicua eſt. Res ubicumque ſit, clamat ad dominum ſuum. Is ius habet eam repetendi, ſive in ſe, ſive iu æquivalenti extet. Res iſta, ad quemcumque poſſeſſorem transeat, ſecum indivulſum defert reſtitutionis onus. Hanc ſententiam defendunt Martinez a Prado *Tom. II. cap.* XVII. *quæſt.* 11. Vaſquez *de reſtitut. cap.* IX. *ſ.* 2. *dub.* 5. Lugo *Tom. II. cap.* XVII. *num.* 7. & alii.

VI. Altera ſeutentia negat, hoc præcipuo fundamento nixa. Dominus ius non habet repetendi a ſure eamdem numero pecuniam, idem oleum, frumentum &c. ſed quid ſimile eiuſdem pretii, quod extet apud latronem. Ergo accipiens, ſeu emens rem a latrone reſtituere domino non tenetur; ſed hunc remittere ad latronem valet. Quoniam ſi latro non aſtringitur reſtituere eamdem pecuniam ipſam furtivam, ſed aliam eiuſdem valoris; cur emptor aſtriugetur reſtituere eamdem pecuniam furtivam, cum alia eiuſdem valoris extet apud latronem?

VII. Tertia inter utramque media eſt. Hæc conſiderat res de quibus diſputatur, in duplici ſtatu. Primo antequam permiſceantur cum aliis latronis bonis, Furatur hic pecunias, vinum, oleum, triticum &c. Separatim has res conſervat. Secundo permiſcet pecunias, vinum, frumentum &c. furto ſublata cum ſuis pecuniis, oleo, vino, frumento. In primo caſu cum prima ſententia aſſeritur, emptorem teneri ad reſtitutionem ob rationes adductas. In ſecuudo caſu cum altera ſententia abſolvitur emptor ab onere reſtitutionis: quia facta permixtione pecuniarum quas ſurripuit latro cum ſuis pecuniis, tum dominus omnium evadit, quamvis oneri reſtituendi ſubiectus ſit. Ergo qui eaſdem accipit, nihil prioris domini recipit; ſed omnia quæ recipit, aut emit, ſunt latronis qui per commixtionem dominus factus omnium earumdem rerum eſt. Equum alienum bona fide vendis. Antequam pecunias in pretium venditi equi acceptas, cum tuis permiſceas, advertis equum eſſe alienum, reſtituere tum pecunias aſtringeris: quia

tum equus alienus in æquivalenti extat apud te. Permixtis pecuniis pro equi pretio acceptis, cum tuis, antequam reſcias equum eſſe alienum, ad nihil aſtringeris.

VIII. Secundæ opinionis fundamenta nullius ſunt momenti. Res enim uſu conſumptibiles, quamdiu impermixtæ extant, ſemper ſubiectæ ſunt reſtitutioni. Et ideo hæ primum reſtituendæ ſunt, ubicumque reperiantur. Verum utique eſt, neceſſarium haud eſſe quod res uſu conſumptibiles eædem numero reſtituantur, ſed ſat eſſe reſtitutionem fieri in æquivalenti. Attamen dum impermixtæ ſervantur, ſemper ad dominum verum clamant, & dominus ius retinet ad illas repetendas. Nec hoc ius ille amittit per hoc quod ſubſtitui aliæ pecuniæ poſſint pro reſtitutione. Immo debitum ſubſtituendi alias pecunias pro reſtitutione declarat ius in priores pecunias impermixtas.

IX. Hanc tertiam ſententiam defendunt Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 3. *§.* 1. *num.* 46. & pro eodem laudant Rebellum, Dicaſtillum, Sanchez, & alios. Hæc mihi probabilior eſt; non tamen ſecura, aut tuta. Tuta mihi ſententia eſt, emptorem teneri ad reſtituenda aliena quæ uſu conſumuntur, ſive mixta, ſive impermixta reperiantur apud emptorem. Nec enim video cur hæc permixtio tantæ virtutis ſit, ut ſpoliare priorem dominum poſſit iure quod habet, fatentibus Theologis citatis, in res impermixtas. Emptor vero a latrone potente ſolvere repetere pretium debet. Nonne in illo cumulo permixtarum pecuniarum reperiuntur pecuniæ veri domini? Quod reſpectu noſtri non poſſint diſcerni, quænam ſint pecuniæ emptoris a latrone, & quænam veri domini, propterea ne illæ pecuniæ acceptæ a latrone in ſeipſis, & realiter non clamant ad dominum? Propterea ne dominus ob illam confuſionem perdit ius verum, & reale quod habet in partem pecuniarum illius cumuli? Hæc mihi tuta ſententia videtur. Verum quia auctoritas Theologorum obſtat, & ratio mea in conſpectu aliarum rationum evidens mihi non eſt; idcirco ſapientiorum iudicio ſententiam iſtam ſubiicio. Dum enim veritatem me ignorare ſentio, a ferendo iudicio abſtineo, iuxta S. Thomæ ſaluberrimum monitum. Propterea nemini auctor eſſem ut ſibi præfatas pecunias permixtas retineret.

X. Quæſt. III. *Qui alienam rem uſu non conſumptibilem poſſidet, nempe equum, librum, picturam &c. bona, aut mala fide, tenetur ne eamdem rem, ſi extet, reddere, aut eiuſdem pretium?* Reſp. Communis ſententia eſt eamdem rem reſtituendam eſſe: quia hæc, dum extat, ad dominum ſuum clamat; neque loco eiuſdem ſubſtitui pretium valet. Accedit, dominum peculiari interdum affectu erga eamdem rem ferri. Contingere tamen caſus poſſet in quo gravis culpa non eſſet, pretium loco rei ſolvere: quod arbitrio prudentum relinquitur.

XI. Quæſt. IV. *Ad quid teneatur poſſeſſor malæ fidei?* Reſp. Poſſeſſor malæ fidei

dei eſt, ut dixi, qui alienam rem ſuratur, rapit, retinetve, domino invito. Is rem, ſi extet, ſi eam vendidit, vel conſumpſit, aut ſi res periit etiam abſque illius culpa, pretium eiuſdem totum reſtituere debet. Præterea omnia damna quæ dominus ob rei propriæ privationem paſſus eſt, reſarcire iniuſtus raptor, aut retentor aſtringitur. Rapuiſti, aut retinuiſti pecunias mercatoris, quas ſi ille habuiſſet, negotiationi expoſuiſſet, aut imminentia damna impediviſſet; ultra reſtitutionem pecuniæ raptæ, damna, & lucra non obtenta ob eiuſdem pecuniæ privationem compenſare debes.

XII. Quæſt. V. *Si fur rapiat rem quæ apud dominum periiſſet, tenetur ne eamdem reſtituere, ſi illam conſervet, aut pretium, ſi periit?* Reſp. Duo certa ſunt apud Auctores. Primo, ſi dubites, periiſſet ne res apud dominum, reſtituere rem debes, aut pretium eiuſdem; etiamſi abſque culpa tibi perierit, ut minus ſecundum dubii æſtimationem. Idem dicendum de depoſitario, aut debitore, qui fuerit in mora reſtituendi res alienas. Secundo, quamvis certum eſſet quod res apud dominum periiſſet iniuſte, puta quia fur ſurrepturus illam fuiſſet, reſtitutioni obnoxius es: quia furtum alterius tuum furtum non excuſat.

XIII. Illud ergo in diſputationem vocatur, num quando tu certo ſciens rem apud dominum caſu fortuito, nempe incendio, vel naufragio perdendam, illam eripueris, tenearis ad reſtitutionem? Reſpondeo, te ad reſtitutionem teneri, ſi res, vel eiuſdem pretium apud te extet. Quin ſi res apud te caſu periit, debes illius pretium reddere; licet eodem modo, & tempore apud te pereat quo periiſſet apud dominum. Rem incendio conſumendam liberaſti, quam per aliud incendium, vel naufragium perdidiſti; reſtituere eiuſdem pretium debes. Ratio evidens eſt: quia rem illam rapuiſti, non ut domino ſervares, ſed in tuum commodum. Ergo rapuiſti cum onere reſtitutionis. Si igitur rem hanc inſumas, aut diſtrahas, ſemper reſtitutionis onus tibi remanet. Quod vero caſu apud te res hæc perierit, tibi imputare debes. Cum enim res iſta onere reſtitutionis gravata ſit; hoc onere non exuitur, propterea quod pereat; ſed immo quia res reſtitutionis oneri ſubiecta periit, tu aſtringeris tantumdem reddere. Id ſolum advertendum, quod res tempore periculi, puta belli, non tanti valent, quanti alio tempore. Quare circa taxationem pretii circumſtantiæ ſpectandæ ſunt.

XIV. Quid, ſi res eodem tempore, & eodem ipſo periculo pereat apud te quo periiſſet apud dominum? Negant te ad reſtitutionem aſtringi Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 3. *§.* 2. *num.* 52. Caſtropalaus *diſput. unic. punct.* 24. Leſſius *Lib. II. cap.* XIII. *dub.* 15. & alii. Quoniam, inquiunt, non teneris rem alienam in meliorem ſtatum reducere, ut inde commodum colligat eiuſdem dominus. Id quippe ordo iuſtitiæ dumtaxat poſtulat ne tu actione tua damnum inferas pro-

Digitized by Google

ximo. At ſi res eodem modo apud dominum peritura fuiſſet, nihil damni eidem infers. Nihil ergo ei reſtituere debes. Alioquin commodum ille ex tua colligeret actione.

XV. Contraria ſententia mihi eſt probabilior, & verior. Iniuſta acceptio intrinſecum atque indivulſum ſecum defert reſtitutionis debitum: quia natura ſua & per ſe infert damnum domino rei acceptæ. Hæc iniuſta acceptio evadere iuſta nequit per ſubſequentem fortuitum caſum. Ergo ſemper reſtitutionis onere gravata manet. Quid? An iniuſta acceptio non infert iniuriam domino? An iniuria ſemel illata a debito reſtitutionis immunis conſtituitur per ſubſequentem fortuitum eventum? Fortuitus futurus eventus efficere nequit ut fur, vel iniuſtus poſſeſſor damnum domino non intulerit. Eventus futurus caſualis id ſolum efficit quod damnum illatum a fure, vel ab iniuſto poſſeſſore, ab alia cauſſa inductum fuiſſet. Nonne omnes fatentur reſtitutionis debitum eſſe, etiamſi furto eadem res auferenda fuiſſet? Quod autem furto, aut incendio res illa perdenda ſit, perinde eſt reſpectu furis rem illam ſurripientis.

XVI. Oppoſitæ ſententiæ fundamenta ſolida non videntur, & ex iis quæ dicta ſunt, omnino corruunt. Quoniam iniuſta acceptio natura ſua iniuriam infert reſtitutione auferendam. Quod res illa fuiſſet perdenda fortuito eventu apud dominum, non impedit quominus illata iniuria fuerit. Aliud quod ex l. ult. *ſ. Ad legem Rhod.* opponunt, ſimiliter nullum eſt. Quoniam ibi nec verbum habetur de iniuſto raptore, vel poſſeſſore, ſed ſolum de duabus navibus, quæ ſi ambæ perierint, ad nihil nauta tenetur; ſecus, ſi una portum attigerit.

XVII. Exempla plura adduci ſolent, ut allata doctrina illuſtretur. Rem incendio flagrante furatus es certo comburendam. Si apud te extet, aut pretium eiuſdem, vel ſi alio incendio, aut quocumque fortuito caſu periit; teneris ad reſtitutionem. In urbis vaſtatione alienam rem furaris, quæ ab aliis furibus ſurripienda certo erat; eam domino reddere aſtringeris, ſi extet, aut pretium, ſi vendidiſti illam. E faucibus feræ bovem eripuiſti; ad reſtitutionem aſtringeris. Contra vero, ſi furandi animo erepta ovis iterum a fera apprehendatur, aut ſi res in bello furto ſurreptæ ab hoſtibus auferantur; ad nihil te aſtringi docent Auctores prioris ſententiæ. At nobis oppoſitum, iuxta ea quæ diximus, probabilius videtur. Navigabas cum Petro, inquiunt: eiuſdem rem pretioſam furatus es, quæ eadem navigatione naufragio perdenda erat: ad nihil te teneri docent præfati Auctores. At oppoſitum nos ſentimus: quia per actionem furtivam conſtitutus es debitor eiuſdem rei; nec ſubſequens naufragium efficit ut iniuria, & iniuſtitia illata non fuerit. Furatus es equum morbo inſanabili laborantem, qui ſine tua culpa moritur: furatus es vini dolium in acetum converſi, eodem modo corrumpendi apud dominum: furatus es tempore incendii veſtem, quæ poſtea periit, eo quod flammæ

mæ pervenerunt ad locum ubi veſtem abſconderas: ab onere reſtitutionis te liberant citati Auctores. Contrarium tamen probabilius iuxta dicta mihi videtur.

XVIII. Quæſt. VI. *Si rem alienam ex incendio eripias, & poſt elapſum periculum illam retineas, & apud te pereat non perdenda apud dominum: teneris ne ad reſtitutionem?* Reſp. Affirmant omnes: quia licet bono animo abſtuleris, ſi tamen differas reſtitutionem, iniuriam infers domino. Ergo ſi apud te perit, non perdenda apud dominum, iam tibi onus incumbit eamdem reſtituendi.

XIX. Quæſt. VII. *Ad quid tenetur ille qui rem alienam mala fide ſurripuit, quæ melior futura erat, ſi ante augmentum conſumat?* Reſp. Furatus es pullum equinum, vitulum &c. incendiſti ſegetes, vineam devaſtaſti tempore quo valebant quinquaginta; tempore vero collectionis valitura erant centum: quodnam pretium reſtituendum eſt? Reſpondent Vaſquez *opuſc. de reſt. cap.* v. *§.* 1. Layman *Lib. III. tract.* 11. *cap.* IV. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* 1. *punct.* 3. *§.* 2. *num.* 54. & alii apud ipſos. Si dominus in priori ſtatu conſumpturus rem erat, minimeque ad meliorem ſervaturus; tum teneris ad reſtitutionem ſecundum valorem quem habebat in priori ſtatu. Quia ſi dominus vendidiſſet vitulum in eo ſtatu in quo illum rapuiſti, ſolum paſſus eſſet damnum valoris quo in tali ſtatu vitulus conſtabat. Si vero dominus ſervaturus res ſurreptas erat uſque ad ſtatum maioris pretii; non obſtringeris reſtituere pretium, ſecundum valorem illum quem haberent res ſervatæ uſque ad ſtatum meliorem, ſed quantum iuxta prudentum æſtimationem valet ſpes illas ſervandi: quia dominus talis ſpei valore tantum privatus eſt. Cui ſententiæ non repugno.

XX. Quæſt. VIII. *Cuinam creſcit res furto ſublata?* Reſp. Si res vilior furto ſublata creſcat apud furem, & cum tali incremento extet; cum hoc incremento reſtituere eam fur debet, etiamſi dominus ad hoc tempus ſervaturus eam non fuiſſet. Igitur ſive intrinſecus res creſcat, ſive extrinſecus, ut cum pretium augetur ob emptorum multitudinem, ſecundum hunc valorem reſtitui, ſi extet, debet. Quia ſemper res hæc ſub iure domini manet; atque adeo tum extrinſecus, tum intrinſecus domino creſcit. Surripuiſti vitulum qui apud te evaſit bos, & extat. Furatus es triticum tempore quo decem valebat, & apud te extat tempore quo valet viginti. Accepiſti alterius monetam tempore minoris, & extat apud te tempore maioris valoris. Reſtituere hæc omnia debes ſecundum pretium quod habent tempore maioris valoris, ob rationem datam: quia hæc bona, uſque dum extant, ad dominum attinent. Quare ſi reſtitutionem culpabiliter differas, & res pretio decreſcat, aut apud te pereat, reddere pretium debes ſecundum incrementum præfatum.

XXI. Quæſt. IX. *Si res in viliori ſtatu furto ſublata, & melior effecta, poſtea ad deteriorem ſtatum redigatur, quid reſtituendum eſt?* Reſp. Abſtuliſti vitulum, crevit in

Digitized by Google

in bovem robuſtum, poſt debilis claudusque factus eſt. Furatus es triticum tempore quo valebat decem, crevit uſque ad triginta, poſt decrevit ad decem. Reſtituendus ne valor eſt ſecundum augmentum? Duo certa ſunt. Primum, ſi dominus ſervaturus rem eſſet uſque ad tempus incrementi, & tunc eam conſumpturus; teneris ſecundum hoc incrementum reddere. Nam ſi res illa apud te decrevit, apud dominum tale decrementum minime ſuſceptura, reſtitutio facienda eſt ſecundum incrementum quod apud te habuit: damna quippe emergentia, & lucra ceſſantia reſarcienda domino ſunt. Secundo, ſi tempore vilioris pretii vendidiſti, aut conſumpſiſti rem, quam ſimili pretio dominus erat venditurus, aut conſumpturus, hoc, & non maius reſtituere pretium debes. Quoniam ad amplius non obſtringeris ratione rei alienæ, quam non exiſtere ſuppono. Reſtitutio ergo facienda eſt ex iniuſta vel acceptione, vel detentione. Hæc autem ad menſuram damni illati, & non amplius obligat. Porro in poſitione facta damnum illatum eſt tantum in valore infimo. Ergo hic, & non maior reſtituendus eſt.

XXII. Illud in diſputationem vocatur, an ſi tu tempore incrementi rem vendidiſti, aut conſumpſiſti, quam dominus uſque ad illud tempus conſervaturus non erat, ſed tempore inferioris pretii venditurus, tenearis reſtituere iuxta æſtimationem incrementi, aut vilioris pretii. Res autem creſcere poſſunt aut intrinſecus, ut vitulus, ovis &c. aut extrinſecus, ut pecuniæ, vinum, triticum &c. ob multitudinem emptorum.

XXIII. Prima ſententia defendit, in caſu explicato te non teneri niſi ad reſtituendum pretium illud vilius quo res valebat tempore venditionis, aut conſumptionis faciendæ a domino. Hanc defendunt *Molina*, *Vaſquez*, *Laymannus*, *Diana*, eamque probabilem vocant Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punc.* 3. *§.* 2. *num.* 58.

XXIV. Probabilior mihi oppoſita ſententia eſt, nempe te obſtrictum reſtitutioni rei eſſe ſecundum valorem maiorem ſive intrinſecum, ſive extrinſecum, quando tu tempore maioris huius valoris præfatam rem vendidiſti, aut conſumpſiſti; quamvis dominus ad hoc maioris valoris tempus eam non fuiſſet ſervaturus. Quoniam valor rei rem ipſam comitatur. Ergo ſicut res domini eſt, ita & rei valor. Rem vendis, aut conſumis tempore maioris valoris. Ergo hic valor reſtituendus domino eſt. Cedo: nonne tempore quo rem iniuſte acceptam vendis, teneris domino eam reddere? Porro pretium rei eſt æquivalenter ipſa res. Ergo ſi maiori illam pretio vendis, hoc maius pretium reſtituendum domino eſt.

XXV. Obiiciunt adverſarii. Reſtitutio facienda eſt iuxta quantitatem damni domino illati. Sed quantitas damni illati metienda eſt ad normam pretii vilioris quod dominus percepturus erat ex venditione eiuſdem rei. Dominus autem venditurus rem erat pretio viliori. Ergo iſtud, & non maius reſtitui debet. Reſp. Propoſitio prima vera eſt; ſecunda falſa. Quoniam quantitas damni ex quantitate iniuriæ,

iuriæ, ſeu iniuſtitiæ irrogatæ domino deſumenda eſt. Iniuria autem irrogatur domino tempore maioris pretii, dum res illius eo invito venditur, & conſumitur. Ergo iuxta quantitatem iſtius iniuriæ, ſeu iniuſtitiæ reſtitutio fieri debet.

XXVI. Obiiciunt 2. Rei venditio hoc aut illo tempore, & maiori pretio, fructus induſtriæ eſt. Fructus autem induſtriæ furis, non domini, ſunt. Ergo maior valor ad furem, non ad dominum, attinet. Reſp. Prima propoſitio falſa eſt. Maius quippe pretium rei, non induſtriæ, fructus eſt. Induſtria vendendi hoc aut illo tempore conditio dumtaxat eſt. Pretium maius non induſtriæ, ſed rei meliori per induſtriam ſervatæ reſpondet: quia res, uſque dum exiſtit, ſemper ſuo domino fructificat, ut mox dicturi ſumus.

XXVII. Obiiciunt 3. Si mutuo pecuniam, aut triticum accipis tempore maioris valoris, ſat eſt ut eamdem quantitatem, & qualitatem rei mutuo acceptæ reddas tempore etiam minoris valoris. Ergo idem dicendum in caſu propoſito. Reſp. Negatur conſequentia. Diſcrimen eſt quod natura mutui id proprium habet, ut eadem res in ſpecie reſtituatur. Hæc & mutuatori, & mutuatario creſcere, aut decreſcere poteſt.

XXVIII. Quæſt. X. *Quomodo poſſeſſor dubiæ fidei rem alienam reſtituere aſtringatur?* Reſp. Dubiæ fidei poſſeſſor duplici in ſtatu ſpectari poteſt, nempe & initio poſſeſſionis, & in progreſſu eiuſdem. Qui dubitans rem eſſe alienam, eamdem emit, vero domino tradendam, non modo non peccat, ſed negotium domini agit. Si caſu fortuito, vel abſque culpa lata, & gravi res illa perit, ad nihil tenetur. Antequam eam domino tradat, pretium expenſarum iure exigit. Adhibere diligentiam debet ut verum dominum inveniat. Si adhibita diligentia dominus non appareat, poſſeſſor bonæ fidei evadit, veruſque rei dominus. Qui rem alienam eſſe dubitat, eamque emit, ut ſibi retineat, fur eſt, & tenetur ad reſtitutionem, tum ratione acceptæ rei, tum ratione iniuſtitiæ, etiam cum periculo amittendi pretium quod ſolvit: huic enim periculo voluntarie ſe ſe expoſuit. In id ergo incumbere diligenter debet ut inveniat dominum, cui rem emptam tradat. Si poſt moralem diligentiam adhibitam dominum non invenit, dubiumque ceſſet; poſſeſſor bonæ fidei evadit, remque ſibi retinere iure valet. Si dubium practicum perſeveret, dividenda inter pauperes res eſt, retento tamen pro rata dubii pretio in emptione ſoluto. Nec illa ſuffragatur regula: *Melior eſt conditio poſſidentis.*

XXIX. Quæſt. XI. *Qui bona fide rem emit, ſi poſt emptionem dubitat rem eſſe alienam, ad quid tenetur?* Reſp. Debet omnem adhibere diligentiam ut dominum inveniat. Quid ſi adhibita diligentia dominus non occurrat, dubiumque perſiſtat? Rem totam ſibi retinere poſſe docent Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* 1. *punct.* 3. *§.* 3. *num.* 63. cum cæteris Probabiliſtis, illi regulæ innixi: *Melior eſt conditio poſſidentis.* At dubium bonam fidem excludit: ideo pro rata dubii tribuenda pauperibus

Digitized by Google

bus res eſt. Quid, ſi debitam negligat diligentiam in domino quærendo? Etiam tum rem totam ſibi retinere poſſe docent Probabiliſtæ non pauci, tamquam quid probabile. Sed hæc opinio laxa, & falſa eſt. Quare hic reſtituere tam rem, quam fructus perceptos debet pro rata dubii, & fere dicerem abſolute omnia, tam rem, quam fructus. Quia omiſſio diligentiæ quam ex iuſtitia adhibere tenetur, ſuapte natura cauſſa eſſe poteſt cur dominus non reperiatur. Deliberate te huic periculo exponis. Ergo ut minus pro rata dubii diſtribuere rem, & fructus in pauperes teneris. Ut minus, dixi: quia, ſi definirem omnia diſtribuenda eſſe, fortaſſis a veritate non abluderem.

XXX. Qui bona fide emit, & poſtea dubitare incipit, ſit ne res aliena, tempore quo dominum inveſtigat, uti re nequit quæ uſu conſumitur. Illuſoria quippe inveſtigatio foret, ſi poſſeſſor rem conſumeret. Res tamen uſu non conſumptibiles adhibere poteſt, animo parato ſolvendi pretium talis uſus vero domino, detractis alimentorum expenſis. Quid, ſi poſt inquiſitionem dubium maneat? Reſpondent Salmanticenſes *loc. cit. num. 65.* poſſe dubitantem rem vendere, monito emptore de hac conditione, ut comparente domino damnum compenſetur: quia res hac conditione affecta minus valet. Quod niſi admoneat, tenetur damnum ſecutum emptori reſarcire; ſi tamen moralis ſpes ſit reperiendi domini: qua morali ſpe ceſſante, liber a monitione eſt. Citant pro hac opinione *Caſtropalaum*, *Sanchez*, *Bannez*. Hæc mihi minime probantur; ſed pro rata dubii perſiſtentis, ut alias dictum eſt, res pauperibus diſtribui debet.

XXXI. Quæſt. XII. *Qui bona fide rem accipit, evaditque dubius poſſeſſor, tenetur ne animum paratum habere ad reſtituendum totum pretium rei venditæ domino comparenti?* Reſp. Negant communiter Probabiliſtæ. Sanchez *Lib. II. Conſil. cap.* XIII. Salmanticenſes *loc. cit. num. 66.* Leſſius *Lib. II. cap.* XIV. *dub.* 4. & alii: docentque ſolum reſtituendum eſſe id in quo factus eſt ditior poſſeſſor, ſi dominus compareat. Quia hic bona fide rem poſſidet, & vendit. Sed poſſeſſor bonæ fidei ſolum tenetur rem, ſi extet, aut ſi non extet, id in quo ditior factus eſt, reddere. Hanc opinionem improbabilem reputo. Quia dubium lædit bonam fidem. Ergo comparente domino rem totam, aut totum pretium reſtituere aſtringitur. Et ſi animum paratum ad totum reſtituendum non habet, perſeverante dubio, in ſtatu peccati verſatur.

XXXII. Quæſt. XIII. *Si poſt adhibitam diligentiam dubium perſeveret, ſintque validiores rationes rem eſſe alienam, quid reſtituendum eſt?* Reſp. Ad nihil te teneri docent *Filliucius*, *Lugo*, *Layman*, *Diana*, *Bonacina*, *Caſtropalaus*, & alii: quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis; & illæ validiores rationes animum inclinantes ad iudicandum rem eſſe alienam, non æquivalent titulo poſſeſſionis, qui fortior eſt. Altera ſententia docet, aliquid reſtituendum eſſe pro illa maiori

in

Digitized by Google

inclinatione: quia licet melior ſit poſſidentis conditio, tamen hoc in caſu non eſt æqualis cauſſa: ſolum autem in pari caſu melior eſt conditio poſſidentis. Hanc defendunt *Sanchez*, *Coninch*, *Ledeſma*, *Valentia*, *Salmanticenſes* loc. cit. num. 67. ubi utramque opinionem probabilem de more iudicant.

XXXIII. Utramque opinionem ego improbo. Primam exiſtimo falſam, & improbabilem: quia dubium vacillantem reddit bonam fidem. Sed bona fides vacillans, & fluctuans titulum poſſeſſionis ut minus extenuat. Quando vero potiores rationes inclinant animum ad iudicandum rem eſſe alienam, tum fortius infringitur poſſeſſionis titulus. Neque ſecunda mihi probatur, quatenus aſſerit *aliquid* dumtaxat reſtituendum eſſe: quia dum fortiores rationes ſuadent rem eſſe alienam, ultra medietatem reddenda res eſt, aut diſtribuenda in pauperes, domino non invento.

CAPUT VII.

Quos fructus reſtituere poſſeſſor bonæ, & malæ fidei debet.

I. Explicata obligatione reſtituendæ rei quam poſſeſſores & bonæ, & malæ fidei retinent, nunc expono debitum reſtituendi fructus ex re aliena perceptos. Fructus alii *naturales*, alii *induſtriales*, alii *mixti*. Fructus *naturales* rem conſequuntur, ſublata omni humana induſtria; ut herba pratorum incultorum, quercuùm glandes, & plures fetus. *Induſtriales* ſunt effectus ſolius humanæ induſtriæ; ut lucrum ex negotiatione pecuniæ, ex aſportatione rerum, & id genus ſimilia. *Mixti* ſunt fructus vinearum, ſegetes, fructus agrorum cultorum, fetus, lac, lana animalium, vecturæ navium, iumentorum, & alia plura, quæ ſine humana induſtria non colliguntur. Quando in his fructibus mixtis natura prævalet, naturales; quando maior eſt induſtria, induſtriales reputantur; iudiciumque ferendum ſecundum regulas fructuum induſtrialium, & naturalium. Quando de horum fructuum natura dubium occurrit, arbitrio prudentis in foro interno, in externo ſententia iudicis definiendum eſt.

II. Quæſt. I. *Quos fructus reſtituere tenetur poſſeſſor bonæ fidei?* Reſp. Omnes fructus naturales reddere, deductis expenſis, debet, ſi extent; ſi conſumpti fuerint, id in quo ditior factus eſt. Quoniam res fructifera domino fructificat. Idque verum habet, etiamſi dominus rem illam incultam & infructiferam relinqueret: ſiquidem cum res illa domini ſit, id quod eidem adhæret, eamque conſequitur, ſemper ad dominum attinet. Ergo ſicut poſſeſſor bonæ fidei reddere tenetur rem domino comparenti, ita & fructus rem ipſam naturaliter conſequentes. Fru-

ctus

Digitized by Google

ctus vero induſtriales retinere ſibi iure valet, quia hi non rei, ſed induſtriæ effectus ſunt; immo hos fructus induſtriales non modo poſſeſſor bonæ, ſed etiam malæ fidei retinere poteſt. Pecunias alienas negotiationi expoſuiſti, alienum triticum aſportaſti, alieno penicillo picturam delineaſti, ſemen alienum in agro ſeminaſti; lucra, ſeu fructus tui ſunt, quia induſtriales; ſive bonæ, ſive malæ fidei poſſeſſor ſis. Contra, alienam domum locaſti, equum, bovem alterius conduxiſti, etiamſi dominus nec locaturus, nec conducturus hæc eſſet, pretia locationis, & conductionis reſtituenda ſunt, ſi extent; ſecus, id in quo ditior factus es, ſi bonæ fidei poſſeſſor fuiſti; niſi beneficium præſcriptionis ſuffragetur. Nam pro fructuum, & rerum mobilium retentione ſuffragari præſcriptio valet, licet non pro fundi retentione, ut alias diximus libro ſuperiore. Et hæc communia inter Auctores ſunt.

III. Quæſt. II. *Qui bona fide rem alterius locavit, quæ locari non ſolet, tenetur ne locationis pretium domino, detractis expenſis, reddere?* Reſp. Negant plures recentiores: quia pretium iſtud fructus induſtriæ eſt. Fructus autem induſtriales non ſunt reſtituendi. Falſa mihi eſt opinio hæc: quæ ſi vera foret, non minus pro malæ quam pro bonæ fidei poſſeſſore concluderet; cum ambo valeant fructus induſtriales retinere. Dico itaque, poſſeſſorem bonæ fidei debere reſtituere totum pretium, ſi extet; & ſi non extet, id in quo ditior factus eſt. Malæ fidei vero poſſeſſor reddere totum debet. Sed explicanda eſt, priuſquam ſententiam evinco, materia locationi ſubiecta. Locas torquem aureum, equum, & id genus ſimilia, quæ reipſa locari poſſunt, & ſolent. Porro cum res eiuſmodi ſint locabiles, pretium perceptum non induſtriæ, ſed ipſarum rerum locatarum fructus eſt. Quod domini divites res iſtas non eſſent locaturi, non efficit ut pretium res ipſas non conſequatur. Quod dominus non colat agrum ſuum, propterea ne, ſi tu illum colas, liber es a fructibus reſtituendis? Deducendæ tamen ſunt expenſæ, & induſtriæ valor iuxta prudentum exiſtimationem compenſandus. Hanc ſententiam docent Salmanticenſes *loc. cit. §. 4. numer.* 70. & citant *Lugo*, *Prado*, *Sanchez*, *Leſſium*.

IV. Quæſt. III. *Quos fructus reſtituere poſſeſſor malæ fidei debet?* Reſp. Omnes fructus naturales, & mixtos, deductis expenſis, reſtituere poſſeſſor malæ fidei debet, ſive extent, ſive non extent; ſive factus ditior fuerit, ſive ſecus; ſive rem ipſe retinuerit, ſive alienaverit: quia omnes eiuſmodi fructus rem conſequuntur, atque adeo ad dominum attinent. Idem dicendum de poſſeſſore bonæ fidei conſcio facto rem eſſe alienam: is enim ſi differat poſt talem notitiam reſtitutionem, evadit debitor moroſus, & tenetur reſtituere omnes fructus quos percipit, & compenſare damna emergentia, & lucra ceſſantia; cum ſit malæ fidei poſſeſſor. Heinc qui furatur pecunias negotiationi expoſitas, vel, cum debeat, ſolvendo in mora ſit; qui arti-

fici

Digitized by Google

fici inſtrumenta ſurripit ſine quibus laborare nequit; omnia damna, & lucri privationem reſtituere tenetur. Idem dic de eo qui pecunias aut negotiationi, aut colendis, emendiſve agris, aut reſarciendis domibus, & inſtrumentis artis deſtinatas furatur. Fructus autem induſtriales nec bonæ, nec malæ fidei poſſeſſor reſtituere aſtringitur.

V. Quæſt. IV. *Fur non percipiens fructus qui percipi e re poſſunt, tenetur ne ad compenſationem?* Reſp. Si dominus percepturus ex re ſua fructifera fuiſſet fructus; dubio procul fur ad eorumdem compenſationem aſtringitur, etiamſi nihil ipſe collegerit: quia damnum iniuſta actione, & detentione intulit domino. Si vero dominus nullos ex re ſua fructus percepturus erat, nec latro reipſa eoſdem percipit; tum ad iſtorum reſtitutionem, ſeu compenſationem minime aſtringitur: quoniam in hac poſitione nullum dominus ſubit detrimentum, & latro ex alia parte nullum experitur commodum. Ergo nihil reſtituere ex fructibus qui percipi poterant, & non ſunt percepti, aſtringitur. Si vero fur fructus percipiat quos dominus percepturus non erat, aliqui contendunt, tunc furem ad reſtitutionem non teneri. At ſententia mihi vera docet, teneri furem ad hos fructus reddendos domino ob regulam generalem, & certam, quod res domino fructificat: atque adeo ſicut res, ita fructus rem conſequentes ad dominum pertinent. Sive ergo extent, ſive non extent, ſive ditior, ſive non factus ſit latro, omnes perceptos fructus reddere debet in æquivalenti. Quid, ſi fructus pereant antequam fur ſit in mora ſolutionis? Tum ſolum tenetur reddere id in quo factus ditior eſt: quia tum ſolum aſtringitur ex re accepta, reſpectu horum fructuum, non ex iniuſta acceptione, cum in mora ſolutionis non ſit.

VI. Quæſt. V. *Quas expenſas detrahere poſſeſſor ſive bonæ, ſive malæ fidei debet in alienæ rei reſtitutione?* Reſp. Expenſarum aliæ neceſſariæ, ut agrorum cultura, animalium alimenta, & cuſtodia, domorum inſtauratio, ſine quibus res aut detrimenta patiuntur, aut fructus non pariunt. Aliæ utiles, quæ eo pertinent ut res aut meliores fiant, aut augeantur; ut arborum plantatio, gregis multiplicatio &c. Aliæ voluntariæ, ut viridaria, picturæ, ornatuſque, & cetera id genus, quæ neque ad conſervationem, neque ad augmentum requiruntur, nec res meliores efficiunt; ſed dumtaxat recreationi, & voluptati deſerviunt. Induſtria, labor, incommodum in fructibus colligendis, in rebus conſervandis nomine expenſarum veniunt.

VII. Omnes expenſæ utiles, & neceſſariæ ab utroque poſſeſſore factæ, detrahendæ in reſtitutione ſunt; & dominus in foro conſcientiæ relinquere, ſeu computare eas debet debitoribus utriſque. Ratio eſt, quia dominus ex alienis laboribus, & impenſis reportare commodum iure nequit. Si tamen dominus ſine his expenſis propria induſtria res ſuas conſervaturus fuiſſet; tum poſſeſſori iniuſto redden-

dendæ non ſunt, ſed tantum poſſeſſori bonæ fidei. Si expenſæ excederent fructus, non teneretur dominus illas omnes ſolvere, neque bonæ, neque malæ fidei poſſeſſori: quia hoc in eius utilitatem non cedit, cogereturque rem ſuam carius emere. Tandem illæ tantum expenſæ deducendæ ſunt quas reipſa uterque poſſeſſor fecit, prout eorum labor, & induſtria æſtimatur; quamvis rei inſtauratio plus valeat: quia rei melioratio ad dominum pertinet. Non ergo rei valor, ſed id quod impenſum eſt, æſtimari debet.

VIII. Diſputant Auctores ſuper reſtitutione expenſarum quæ voluntariæ dicuntur. Aliqui contendunt, eas utrique poſſeſſori ſolvendas eſſe, quando dominus cum adiecto ornatu recipere res ſuas velit. Negant alii, ſi ſeparari nequeant abſque rei detrimento: quia tales impenſæ non augent rei valorem, ſed voluptati deſerviunt. Porro hanc voluptatem pretio comparare dominus non aſtringitur, ſibique imputare fur debet, quod inſcio domino has fecerit expenſas. Poteſt tamen uterque poſſeſſor ornatus, materiamque abſtrahere, ſi fieri abſque rei detrimento id valeat. Ceterum, ad praxim quod attinet, prudentum arbitrio tranſigenda hæc ſunt. Si dominus ſentit commodum recipiendo domum auctam picturis, viridario, aliiſque ornatibus; cur ab onere impenſarum liber omnino eſſe debet? Regulæ itaque æquitatis conſulendæ ſunt.

IX. Quæſt. VI. *Qui rem furtivam emit fide bona, valet ne eam reddere furi pretium repetendo, an reſtituere debet domino ſine pretio?* Reſp. Si emptor moraliter certus ſit furem reſtituturum domino rem; dubio procul reſcindere cum eo contractum poteſt, pretiumque repetere. Difficultas in hoc vertitur, queat ne licite emptor contractum reſcindere, quando prudenter iudicat latronem non eſſe domino rem illam reſtituturum; neque valeat emptor a latrone, niſi eidem rem alienam reddat, pretium obtinere. Si enim recuperare a fure pretium emptor poteſt; certum eſt reſtituendam domino rem eſſe. Similiter rem furtivam tibi a fure donatam, domino iuxta omnes reddere aſtringeris.

X. Prima ſententia negat, emptorem teneri rem domino reddere; ſed poſſe contractum reſcindere, pretiumque repetere a fure. Et hanc opinionem ut probabiliorem defendunt Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 3. *§.* 6. *num.* 83. & citant pro hac opinione *Pradum*, *Ledeſma*, *Dianam*, *Malderum*, *Rebellum*, alioſque.

XI. Sententia quam ego veram iudico, atque adeo unice probabilem, defendit, emptorem bonæ fidei debere domino rem ſuam reddere, nec poſſe ullo modo reſcindere cum fure contractum, ut pretium repetat. Eam evinco primum auctoritate S. Thomæ 2. 2. quæſt. lXII. art. 6. *Circa illum qui rem alienam accipit, duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſa res accepta, & ipſa acceptio. Ratione autem rei tenetur eam reſtituere, quamdiu eam apud ſe habet: quia quod habet ultra id quod ſuum*

Digitized by Google

ſuum eſt, debet ei ſubtrahi, & dari ei cui deeſt ſecundum formam commutativæ iuſtitiæ. Emptor igitur habet ultra id quod ſuum eſt : quia res empta a fure, ſua non eſt, ſed domini. Huic ergo reddi debet. Nequit eiuſmodi emptor rem hanc alteri vendere : quia vendi aliena res non poteſt invito domino. Ergo neque furi qui eam redditurus domino non eſt. Accedit quod emptor vendens rem furi non reſtituturo, furti particeps evadit : cooperatur quippe iniuſtæ acceptioni, & iniquæ detentioni.

XII. Præterea emptor eiuſmodi rem furtivam, in meliori ſtatu media emptione conſtitutam, nequit in deteriorem ſtatum redigere. Qui incendio, aut naufragio rem ſubduxit alienam, valet ne tuta conſcientia iterum in flammas, aut in mare proiicere? Porro qui rem furtivam e furis manibus ſublatam, furi reſtituit, eamdem veluti in ignem, vel mare proiicit. Quid, ſi furi longe diſtanti, aut mortuo reddere nequiret emptam mercem, nonne tunc iuxta omnes reddere illam domino deberet nullo accepto pretio? Porro quid ad debitum reſtitutionis confert diſtantia, aut mors latronis? Nonne extranea hæc ſunt iuſtitiæ obſtringenti emptorem ad reſtituendam domino rem emptam? Res ergo illa clamat ad dominum, non ad furem : ergo domino, non furi reddenda eſt. Nemo enim, ut in proverbio fere eſt apud Iℂtos, locupletari cum alterius iactura debet. Tandem nonne iudex adigeret emptorem ut domino rem emptam a fure reſtitueret? Cur? Quia res aliena domino ſuo reſtitui debet.

XIII. Obiiciunt. 1. Nullam iniuriam emptor bonæ fidei domino intulit : ergo nihil ei reſtituere debet. Poterit ergo abſque iniuria in eo in quo reperiebatur ſtatu denuo rem illius collocare, ut proprium evitet detrimentum; ſicuti qui rem in platea inventam accipit, poteſt in eadem reponere, ut damnum evitet. *Reſp.* Hoc eſt primum argumentum *Salmanticenſium*, & aliorum. Emptor bonæ fidei non tenetur reddere domino rem ex iniuſta acceptione, vel iniuria, ſed ex re accepta. Dum rem furi reddit, in deteriorem ſtatum eam proiicit : quoniam per emptionem in meliorem ſtatum revocata res erat, a quo illam deiicere non eſt amplius in poteſtate emptoris : quia hic melior ſtatus rei alienæ adhæret. Utique meliorem hunc ſtatum per emptorem res acquiſivit. At quid inde? Alienum agrum coluiſti. Numquid ſemel cultum in deteriorem redigere ſtatum vales? Qui rem in platea inventam accipit, ſuamque bona fide facere intendit, ut in caſu noſtro, non poteſt, domino cognito, iterum in platea reponere, ſed domino reddere illam debet. Si quis vero rem in platea inveniret, & timens ſibi grave damnum eam retinendo, in eadem denuo collocaret, caſus eſt peculiaris, in quo occurrere circumſtantiæ poſſunt ob quas dominus ipſe conſentire iuſte deberet. Quare circumſtantiæ ipſæ ſpectandæ ſunt.

XIV. Obiicies 2. In pari caſu innocentiæ emptor ſibi potius quam domino con-

ſulere debet. Sed ſicut dominus habet ius ad rem, ita emptor habet ius ad pretium; & ambo fuerunt innocentes. Ergo emptor conſulere ſibi poterit, repetendo ſuum pretium a fure media reſtitutione rei emptæ. Reſp. Purum putumque ſophiſma iſtud eſt. Utique emptor ius habet ad pretium, ſicut & dominus ad rem. Clamat pretium ad emptorem, & res clamat ad dominum. Domino ergo reſtituenda res eſt, & pretium emptori. AEqua hæc omnia ſunt. At fur reſtituere pretium refugit, niſi res illi reddatur. Quid inde? Recuperare ne tuum pretium poteris, rem alienam furi reddendo? Res illa clamat ad dominum ſuum. Ergo nullo pacto reſtitui furi poteſt.

XV. Obiiciunt 3. Contractus cum fure vel eſt involuntarius in poſſeſſore bonæ fidei, atque adeo nullus; vel eſt iniquus, & ideo reſcindendus a poſſeſſore malæ fidei. Reſp. Quod contractus ſit aut nullus, aut iniquus, id ſolum infert, emptores ius habere repetendi pretium a latrone, minime vero reſtituendi latroni rem alienam. Res hæc clamat ad dominum ſuum: idcirco nequit emptor abſque iuſtitiæ violatione eam in deteriorem ſtatum coniicere, reddendo latroni. Neque obeſt quod emptor rem hanc ad meliorem, quem nunc habet, ſtatum reduxerit; quia, ut dixi, hoc non tollit quin res, in quocumque ſtatu ſit, clamet ad dominum. Neque ex quo recte operatus emptor eſt, rem ad meliorem ſtatum revocando, inferri poteſt, iniuſte operari eum poſſe in deteriorem ſtatum rem eamdem deducendo. Accedit quod emptor ſive bonæ, ſive malæ fidei, præter voluntatem, domini cauſſam egit, exiſtimans propriam promovere, dum rem emit in ſuam utilitatem. Quid itaque? Quod nolens meliorem fecit rem domini; ideone volens, & ſciens deteriorem faciet, in latronis fauces rurſus coniiciendo? Hoc ne iuſtitia permittet?

XVI. Inſiſtunt. Si a fure rem auferam alienam, animo eam reſtituendi domino; & fur viciſſim mihi rem meam furetur, quam reſtituere nolit, niſi aliena recepta: poſſum licite reddere rem alienam furtivam, ut rem meam aſſequar. Reſp. Sophiſma quoque hoc vanum eſt. Dum fur rem alienam a te repetit, animo eam retinendi, actionem iniuſtam operatur. Ergo huic iniuſtitiæ tu cooperaris, ſi poſſeſſor factus alienæ rei, hanc illi reſtituas, vel tuo aſſenſu illam ſurripi permittas. Dum tu a fure rem alienam ſurripis, ut reſtituas, actionem iniuſtam exerces, eo quod nullum ius ad illam habeas. Ideo fur contra te actionem habet. Paritas ergo futilis eſt.

XVII. Quæſt. VII. *Qui mala fide rem alienam emit a latrone, valet ne latroni reddere, & non domino, ut pretium ſuum repetat?* Reſp. Adfirmant Lugo, Diana, & alii. Citatur etiam S. Antoninus; ſed immerito, ut animadvertit Petrus Ballarinus *in not. ad II. Part. tit.* 1. *cap.* XII. *§.* 16. Ex iis quæ diximus in ſuperiori ſententia noſtra confirmanda, patet falſitas iſtius opinionis. Quare ipſi *Sal-*

man

manticenſes, qui defendunt, emptorem bonæ fidei poſſe reſcindere contractum, remque furtivam domino reddere, id negant de emptore fidei malæ: quoniam ſibi imputare malæ fidei emptor debet, quod ſciens, & volens rem alienam ſibi uſurpaverit pretio ſoluto. Quare hic non ſolum ex re accepta, ſed etiam ex iniuſta acceptione tenetur domino rem ſuam reddere. Perinde enim eſt rem immediate domino furari, & furto ſublatam a latrone ſcienter emere.

XVIII. Quæſt. VIII. *Qui bona fide rem emptam a latrone vendit alteri, tenetur ne domino pretium reddere, an emptori?* Reſp. Aliqui docent, nec domino, nec emptori te reſtituere debere, niſi id in quo ditior factus ſis. Quia non teneris nec ex re accepta, nec ex iniuſta acceptione. Salmanticenſes *cit. tract.* XIII. *cap.* 1. *punct.* 3. *ſ.* 6. *num.* 89. defendunt, venditorem hunc debere non domino, ſed emptori pretium reddere, quando ex hoc contractu paſſurus ille damnum ſit. Si vero, inquiunt, emptor in longinquas regiones abierit, a quo nec ille, nec dominus repetere rem valeat; tum venditor bonæ fidei nec domino, nec emptori reſtituere pretium debet. Quandoquidem, ſubdunt, primum contractus nullus fuit: quia ſi emptor ſciviſſet rem eſſe alienam, non emiſſet: tum ſecundo quia ſi rem vitiatam bona fide venderes emptori, ut argentum pro auro, tenereris emptori damnum, quod paſſus eſſet, compenſare. Ergo ſi rem alienam ut propriam vendidiſti, quam emptor cogitur reddere domino, vel timetur quod cogendus ſit, aſtringeris hoc damnum reſarcire; ſi autem non timetur hoc damnum, ad nihil teneris. Pro hac opinione citant *Bonacinam*, *Leſſium*, *Dicaſtillum*, & alios.

XIX. Oppoſita ſententia mihi probabilior eſt. Præfatus bonæ fidei venditor, ſi rem alienam apud ſe retineret, cognita veritate quod ſit aliena, domino, non furi reddere illam deberet. Ergo vendita re pretium reſtituere tenetur. Quoniam pretium loco rei ſubſtituitur, & eidem æquivalet, & pro eodem hæc duo, res, & pretium, accipiuntur. Sub alio aſpectu propono rationes iſtius ſententiæ. Tu bona fide rem furtivam emis, & eadem bona fide vendis. Quando vendis rem illam, rem alienam vendis. Accepto pretio ex re aliena locupletior evadis, & plus habes quam habere deberes. Ergo hoc plus detrahendum tibi eſt, & vero domino reſtituendum: quia hic minus habet quam habere iure deberet. Præterea emptor rei huius intendit vero rei domino pretium ſolvere. Ergo iſtius pretii dominium transfert, non in te venditorem, qui talis rei dominio cares, ſed in verum dominum, qui ſolus ius habet in rem illam. Ergo pretium illud retinere tu nequis, cum verus dominus non ſis. Rurſus, in hac venditione revera tu non transfers dominium in emptorem, cum hoc dominio careas. Ergo emptor dominium reipſa non acquiſivit. Rurſus emptor reſciens rem eſſe alienam, reſtituere vero domino illam debet. Ergo & tu reſtituere in hoc caſu emptori

Digitized by Google

pretium debes, ut illum indemnem ſerves. Ergo ſi emptor rem non reſtituit, tu reſtituere pretium domino debes. Tandem ſi res aliena apud te fructificaſſet, nonne fructus iſtos reddere domino debuiſses? Pretium eſt fructus rei. Pretium iſtud apud te extat. Ergo reddere illud domino debes.

XX. Paucis rem totam explico. Verus dominus ſemper ius habet in rem ſuam; & haec ſemper clamat ad eumdem dominum. Ergo aut tu, qui hanc rem furtivam emiſti, aut fur, aut emptor dominum reſarcire aſtringimini. Haec luculenta videntur. Primus qui tenetur dominum reſarcire, fur eſt. Secundus es tu, qui rem furtivam emiſti, poſito quod fur reſtituere nolit. Porro ſicut fur reſpectu tui ſolus reſtitutioni obnoxius eſt, quia primus reus; ita tu reſpectu emptoris, qui tertio loco ſuccedit, prior es in reſtitutionis onere. Ergo ſi emptor reſtitueret rem domino, tu emptori reddere pretium debes. Contra ſi emptor non reſtituit vero domino rem emptam, tu aſtringeris rei venditae pretium domino reſtituere. Haec rationum momenta mihi valde luculenta videntur.

XXI. Rationes oppoſitae ſententiae, licet ſpecioſae appareant, noſtras non infringunt, nec diluunt. Prima quam opponunt *Salmanticenſes*, ſeipſa corruit. Contractus nullus eſt: quia ſi ſciviſſet emptor, non emiſſet. Recte & bene. Ergo tu pretium emptori, & emptor tibi rem, & tu domino eam reddere teneris. Secunda ratio imbecillior eſt. Si rem vitiatam vendidiſſes, reſarcire ſane emptorem deberes; & ſic reſarcire eum debes, ſi domino rem reſtituat: quia tum hic damnum pateretur. At niſi rem reſtituat, nullum patitur damnum. Ergo tu in hoc caſu, cum locupletior factus ſis ex re aliena, pretium reſtituere domino aſtringeris. Quod enim praefati Auctores ſubdunt, ad nihil te teneri, ſi emptor tuus in regiones longinquas abierit, cum tunc nullus ſit timor ut cogatur ad reſtituendam vero domino rem emptam, mihi improbabile apparet: quia res, ſeu pretium loco rei, ſemper ad dominum clamat.

XXII. Oppones. Qui emit bona fide rem furtivam, eamque bona fide vendit, non tenetur nec ratione rei acceptae, nec ratione iniuſtae acceptionis. Nec ditior factus eſt, cum non maiori quam emerat, pretio vendiderit. Reſp. Praefatus emptor rei furtivae tenetur ratione rei acceptae quae apud ipſum extat, non in ſe, ſed in pretio. At pretium ipſe ſolvit furi. Audio. Sed illud pretium amiſit continuo ac reſcivit rem eſſe alienam.

XXIII. Oppones. Si emptor praefatus rem donaſſet, aut conſumpſiſſet, vel perdidiſſet, ad nihil teneretur: quia in nihilo factus eſſet ditior. Sed neque in caſu noſtro factus ditior eſt: quia quanti emit, tanti vendidit. Reſp. Conceſſo antecedenti, negatur conſequentia: quia factus ditior eſt, dum ex re aliena pretium accepit. Si enim rem illam donaſſet, amiſiſſet, conſumpſiſſet, aliam ſuam non con-

Digitized by Google

conſumpturus, in nihilo factus ditior eſſet. At dum pretium accepit, factus ditior eſt: quia pretium latroni ſolutum illico reipſa recepit.

XXIV. Quæſt. IX. *Qui monetam falſam accipit, & alteri eam expendendo in contractu tradit, ad quid tenetur?* Reſp. Diana cum aliis reſpondet, eum qui bona fide monetam falſam expendit, ad nihil teneri, etiamſi poſtea reſciat fuiſſe falſam; aſtringi vero, ſi mala fide illam expenderit. At vera ſententia docet, in utroque caſu hunc teneri ad damnum illatum compenſandum. Numquid ſi plumbum loco argenti in pretium rei emptæ ſolvis, ſive bona, ſive mala fide deceptus, non teneris ad damni illati reſtitutionem? Nemo ergo monetam falſam, etiamſi deceptus accipiat, poteſt diſtrahere, ſed continuo proiicere, ſeu deſtruere eam debet.

XXV. Quæſt. X. *Qui rem alienam maiori pretio vendit, tenetur ne incrementum iſtud domino reddere?* Reſp. Prima ſententia aſtringit venditorem ad reddendum hoc incrementum domino, deducto aliquo valore pro induſtria. Quoniam tum venditor ditior factus eſt ex re aliena. Porro reſtituere debet totum id in quo ditior factus eſt. Secunda ſententia negat, reſtituendum eſſe hoc incrementum, ſi ſit intra latitudinem iuſti pretii: quia hoc incrementum fructus induſtriæ eſt, non rei.

XXVI. Salmanticenſes optime diſtinguunt *loc. cit. num. 92.* Quando incrementum proficiſcitur ab ipſa re, immutata manente tam in ſubſtantia, quam in circumſtantiis loci, & temporis, quia videlicet res nec reſervata eſt in aliud tempus, nec translata ad alium locum; tum reſtituendum eſt incrementum domino: quia hoc in caſu incrementum iſtud non eſt induſtriæ, ſed rei fructus. Si autem res illa induſtria poſſeſſoris aſportata ſit in alium locum, aut reſervata in aliud tempus opportunum, ubi, & quando pluris valet; tunc incrementum eſt purus induſtriæ fructus, atque adeo reſtitui non debet. Quare merces quæ in manu mercatorum, & opificum reperiuntur, habere ſolent incrementum peculiare, præter illud pretium quod habent in ſeipſis. Fructus rerum conſumptibilium, pecuniæ, frumenti, olei, vini, induſtriæ, non eiſdem rebus, aſcribendi ſunt.

XXVII. Quæſt. XI. *Si vendis tuam rem furi, a quo in pretium bona fide pecunias furtivas accipias, teneris ne ad reſtitutionem?* Reſp. Salmanticenſes *loc. cit. num. 94.* cum aliis adfirmant, ſi pecunias impermixtas habeas, te, cognita veritate, & domino comparente, reſtitutioni obnoxium eſſe; ſecus, ſi pecuniæ acceptæ cum tuis confuſæ ſint. Quia in primo caſu pecuniæ ſub dominio adhuc ſunt domini, a quo fuerunt ſurreptæ. In ſecundo autem caſu ſub tuum dominium ratione permixtionis translatæ ſunt. Ego iam ſupra meam prodidi opinionem. Quando certus es, in tuo pecuniarum cumulo alienas pecunias reperiri, non vi-

deo qua fieri ratione valeat ut hæc permixtio cum tuis tibi acquirat dominium. Neque latro eaſdem numero pecunias reſtituere domino aſtringitur. Porro permixtio id ſolum impedit ne tu reddere eaſdem numero, ſecus ne ſimiles pecunias valeas. Teneris ergo ad reſtitutionem ratione rei acceptæ, cum reipſa in tuo cumulo alienæ pecuniæ extent. Quare falſum reputamus quod ex *P. Layman* addunt *ibidem* præfati Auctores. Si quis, inquiunt, fraude pecunias lucratus eſt, quarum partem amico, fraudis conſcio, non tamen cooperatori, dedit; non tenetur amicus has pecunias fraudem paſſo reddere, ſi pecunias illas cum ſuis propriis miſcuerit. Tantum ne efficacitatis habet mixtura hæc, ut rem alienam in propriam convertat? Qui hanc perdiſcunt doctrinam, diligentiores erunt in permiſcendis pecuniis, potiſſimum bona fide acceptis, cum propriis, ut periculum reſtitutionis declinent, ſi temporis tractu cognoſcatur eas eſſe alienas. Quid quod præfatus amicus fraudis conſcius bona fide eiuſmodi pecunias non accipit? Ergo tum ex re accepta, tum ex iniuſta acceptione ad reſtitutionem aſtringitur, ut ego quidem arbitror: &, niſi me amor fallit, communis ſenſus id dictat. Et ſane, ſi ſola naturalis ratio conſuleretur in pluribus quæſtiunculis tanta contentione in utramque partem agitatis, veritas facilius appareret.

CAPUT VIII.

Quomodo ad reſtitutionem aſtringatur is qui alium impedit ne aliquod bonum aſſequatur.

I. DUpliciter quis impedire alterum poteſt ne beneficium aſſequatur, vel iure, ſeu iuſte, quia indignus eſt, & ineptus ad tale beneficium; vel iniuria, ſeu iniuſte, quatenus abſque iuſta cauſſa impedimentum adiicit. Similiter duplici ratione poteſt quis beneficium, commodum, gradumque ſperare: primo ex ſola conferentis liberalitate, abſque ullo iure ad illud; ſecundo ex iure aut in re, aut ad rem ad illud, utpote ex iuſtitia illi debitum. Qui iuſte aliquem impedit ab aſſequendo beneficio ſive precibus, aut conſilio, ſive vi, dolo, aut fraude, ad reſtitutionem non tenetur: quia nullum ius hic habet, cum indignus tali beneficio ſit. Quibus poſitis ſequentes quæſtiunculæ reſolvuntur.

II. Quæſt. I. *Qui efficax impedimentum adiicit ne quis aſſequatur beneficium ad quod ius habet ſive in re, ſive ad rem, obnoxius ne reſtitutioni eſt?* Reſp. Affirmat communis ſententia, ſive hoc impedimentum fraude, dolo, vi, ſive precibus, ſuaſione, doniſque apponatur. Advertendum tamen, quod ſi collator conſtanter decreverat conferre beneficium, teneris totum damnum reſarcire; ſi contra

tra ambiguus aliquo modo collator hærebat, reſtitutio facienda eſt ſecundum ſpei gradum. Impedimentum quoque, inducens reſtitutionis debitum, efficax ſit oportet, ſeu quod reipſa ſequatur tale impedimentum effectus. Si enim cauſſa non fuit efficax, vel quia collator determinatus non erat ad beneficium conferendum, vel ex alia cauſſa damnum ſecutum non ſit; nullum eſt reſtitutionis debitum.

III. Sententiam hoc modo explicatam evincit S. Thomas 2. 2. quæſt. lxii. art. 2. ad 4. *Dicendum, quod aliquis poteſt impedire aliquem ne habeat præbendam multipliciter. Uno modo iuſte; puta, ſi intendens honorem Dei, vel utilitatem Eccleſiæ; procuret quod detur alicui perſonæ digniori: & tunc nullo modo tenetur ad reſtitutionem, vel ad aliquam recompenſationem faciendam. Alio modo iniuſte; puta; ſi intendat eius nocumentum quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid huiuſmodi: & tunc, ſi impedit ne præbenda detur digno, conſulens quod non detur, antequam ſit firmatum quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam compenſationem, penſatis conditionibus perſonarum, & negotii ſecundum arbitrium ſapientis; non tamen tenetur ad æquale: quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si vero iam firmatum ſit quod alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam cauſam procuret quod revocetur, idem eſt ac ſi iam habitam ei auferret: & ideo tenetur ad reſtitutionem æqualis, tamen ſecundum ſuam facultatem.*

IV. Rationibus quoque ſententia confirmatur. Qui impedit vi, dolo, fraude ne quis aſſequatur beneficium ad quod ius ſive inchoatum, ſive conſummatum habebat, iniuriam illi irrogat: quia violat ius quo is potiebatur ne dolo, vi, fraude, minifve impediretur a talis beneficii aſſecutione. Qui vero conſilio, & ſuaſione impedit conſecutionem, lædit iuſtitiam & diſtribuentem, & commutantem: quia utriuſque iuſtitiæ vi conferre tenetur collator beneficium habenti ius ad illud. Tenetur itaque impediens reſarcire aut totum, aut partem damni, ſecundum qualitatem iuris maioris, aut minoris quod candidatus ad beneficium habebat.

V. Si vero ipſum candidatum precibus, conſilio, ſuaſione a petendo beneficio avertis, ad nihil teneris: quia volenti, & conſentienti non fit iniuria. Contra, ſi vi, fraude, dolo, minis illum retrahis, reſtitutioni obnoxius es. Si impedis aliquem vi, fraude, dolo ab obtinendo beneficio quod illi non debebatur, in ſpe tamen erat ad illud conſequendum; reſtitutio facienda eſt iuxta ſpei gradum. Sublata vi, aut fraude, nullum eſt reſtitutionis debitum. Quandoquidem in primo caſu licet candidatus iure deſtitutus ſit ad beneficium obtinendum, iure tamen potitur ne quis vi, dolo, fraude, minifve retrahat collatorem ab impertiendo tali beneficio. Ergo dum hoc modo impedis, reſarcire iuxta ſpei gradum de-

trimentum debes. In ſecundo autem caſu collator liber manet ad conferendum aut ſuſpendendum beneficium.

VI. Quid, ſi collatori ſecreto detegeres crimen occultum, ſed verum, vi cuius candidatus beneficio privaretur? Ad nihil te teneri probabilius ſentio. Quoniam boni publici ratio poſtulat ut his in caſibus indigni manifeſtentur. In hunc finem informationes occultæ poſtulari, & haberi ſolent. Delictum tamen eius generis ſit oportet quod minus dignum reddat candidatum. Si enim crimen eſſet quod nihil obſtaret candidati dignitati, ſeu aptitudini ad beneficium, revelandum non foret; & ſi revelares, reſtitutioni damni eſſes ſubiectus. Immo ipſum occultum delictum quod indignum reddit candidatum, caute, prudenterque manifeſtandum eſt, ne ſequatur infamia. Si enim ob tuam imprudentem manifeſtationem candidatus infamaretur, ad infamiæ damnum reſarciendum aſtringereris; ſecus ad compenſandum damnum ſecutum ad beneficii privationem, quando a collatore beneficium denegatum fuit non ob publicam infamiam, ſed ob delictum in ſeipſo ſpectatum.

VII. Quæſt. II. *Ad quid tenetur qui impleri promiſſionem factam impedit?* Reſp. Si promiſſio acceptata a promiſſario ſit, quocumque modo, ſive fraude, ſive conſilio, impedias executionem, reſarcire damnum debes: quia promiſſarius ius habebat ad rem ſibi promiſſam. Si acceptata non fuerit promiſſio, & precibus, ſublata fraude, impedias; ad nihil teneris: quia promittentis voluntatem preces, & ſuaſiones non mutant. Si vero fraude, dolo, calumnia divitem retrahis a conferenda eleemoſyna huic aut illi pauperi; reſarciendum talis eleemoſynæ damnum eſt. Si teſtatori decumbenti, qui deſtinavit relinquere legatum Sempronio, aut illum heredem inſtituere, conſilio, precibuſve ſuaſiſti ut tibi potius, aut amico; Sempronio neglecto, bona legaret, & hereditatem relinqueret; nec te peccare; nec ad reſtitutionem teneri, docent communiter Auctores. Ego ne umquam id facias definio. Excipiunt caſum *Clement. de privilegiis*, ubi cavetur ne Religioſi ſub mortis æternæ pœna retrahant teſtatores, etiam abſque vi, aut fraude, a legandis bonis Eccleſiis matricibus. Lugo tamen contendit *diſp.* XVIII. *ſec.* 5. *num.* 95. ſecus agentes peccare utique contra poſitivum hoc Pontificis mandatum, non contra iuſtitiam; adeoque ad reſtitutionem non teneri. Immo tam *Lugo*, quam *Sanchez* addunt, neque peccare eos contra hoc præceptum, ſi zelo ſalutis teſtatorem illum retrahant a deſtinatis legatis. Zelus iſte timendus eſt, atque cavendus, tamquam ſuſpectus. Si legata, vel hereditates præfatis Eccleſiis deſtinatæ læderent iuſtitiam, aut iura ſuccedentium, aut imprudentiæ labe aſperſa forent; tum ſuadendum teſtatori eſſet ut iuſtitiæ leges, & ſanguinis iura, & prudentiæ, atque convenientiæ leges ſervaret. Summa prudentia, ac ſinceritate in ſimilibus negotiis opus eſt. Mandatum *Clement.* ſupponit, teſtatores iuſte abſque ſalutis propriæ de-

detrimento legare præfatis Eccleſiis bona. Quare qui zelo ſalutis teſtatores dirigunt ut legata iuſte diſtribuant, contra pontificium mandatum non agunt. Lubet hic adiicere ſaluberrimum S. Auguſtini monitum ſer. cccLv. alias IV. de diverſis cap. IV. *Quicumque vult, exheredato filio, heredem facere Eccleſiam, quærat alterum qui ſuſcipiat, non Auguſtinum. Immo, Deo propitio, neminem inveniat. Quam laudabile factum ſancti & venerandi Epiſcopi Aurelii Carthaginenſis, quomodo implevit omnibus qui ſciunt, os laudibus Dei! Quidam, cum filios non haberet, neque ſperaret, res ſuas omnes, retento ſibi uſufructu, donavit Eccleſiæ. Nati ſunt illi filii, & reddidit Epiſcopus, nec opinanti, quæ illi donaverat. In poteſtate habebat Epiſcopus non reddere; ſed iure fori, non iure poli.* Arrigant aures Confeſſarii, & huc animum Religioſi intendant qui teſtamenti condendi pœnitentibus ſuis auctores ſunt, conſultoreſve. Recogitent, nihil efficacius ſæculi odium, invidiamque adverſus Religioſos concitare quam teſtamenta a Confeſſariis pœnitentibus ſuggeſta in ſuarum Eccleſiarum, ſeu domorum favorem. Hæc deriſionem, hæc contemptionem, abominationemque conflant. Hoc odium, hæc invidia ſummopere devitanda eſt: quoniam hæc impediunt ne Religioſi animabus lucrandis idonei reputentur. Nihil vero faciant odium illud, invidiamque quam publica veritatis evangelicæ defenſio parit. Verum hæc obiter, plura dicturus ſuo loco.

VIII. Qui fraude impedit ne Paulo digno beneficium conferatur, ut alteri æque digno detur, tenetur Paulo reſarcire damnum pro quantitate ſpei ad illud obtinendum beneficium: quia ius habebat ne fraude & dolo impediretur a tali obtinendo officio, vel beneficio. Si ſolis precibus impedimentum adiicias, aut ſi Paulus indignus ſit, nullum eſt reſtitutionis debitum.

IX. Quæſt. III. *Qui abſque fraude dolove alicui perſuadet ne bonum indebitum Petro conferat, animo pravo nocendi, aſtringitur ne reſtitutioni?* Reſp. Odio ardes contra Petrum. Ut eidem damnum inferas, perſuades teſtatori abſque fraude ne illi legatum relinquat. Te peccare mortaliter fatentur omnes contra caritatem, quin etiam contra iuſtitiam ob animi pravitatem; at non propterea te obligant ad reſtitutionem plures Theologi; immo maior iuniorum pars te a reſtitutionis onere liberat: quia animus pravus, & iniuſtus, ab opere externo ſeiunctus, non inducit reſtitutionis debitum.

X. Probabilior ſententia mihi eſt, te ad reſtitutionem teneri. Utique ſolus animus pravus internus non infert reſtitutionis onus. Verum opus externum, licet in ſe, & abſolute ſpectatum innocens ſit, ut ſunt preces, conſilia, ſuaſiones; tamen copulatum cum pravo animo vitioſum evadit, atque adeo debitum infert reſtitutionis. Hanc ſententiam conceptis verbis docet S. Thomas 2.2. quæſt. lxII. art. 2. ad 4. *Alio modo iniuſte* (impedit;) *puta, ſi intendat eius nocumentum quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid huiuſmodi*. Nec ſatisfacit interpre-

pretatio Cardinalis *Gotti*, inquientis, S. Thomam loqui de eo qui habet aliquod ius ad bonum diſtribuendum. Nam qui talem habentem ius ad beneficium impedit etiam abſque pravo animo, reſtitutioni ſubiectus eſt. Sententiam S. Thomæ defendunt Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxII. *art.* 2. *ad* 4. Sotus *Lib. IV. quæſt.* vI. *art.* 3. *ad* 6. Lugo *diſp.* xvIII. *ſec.* 5. *num.* 98. Bannez 2. 2. *quæſt.* lxII. *art.* 2. *dub.* 12. Salmanticenſes *tract.* xIII. *cap.* 1. *punct.* 4. *num.* 103. Quid quod adverſarii ipſi hoc exemplum admittunt? Si dignus bona fide ſibi procuraret beneficium in conſpectu dignioris, ſua merita abſque fraude, & dolo collatoribus exponendo, a reſtitutione liber eſſet, obtento beneficio, vel officio, aut dignitate : quia ipſe non tenetur electoribus conſilia præbere ut digniorem promoveant. At contra ſi pravo animo impediret exterius ne dignior beneficium aſſequeretur, tum fatentur, hunc teneri ad reſarciendum damnum illatum digniori. Ergo pravus animus iunctus cum opere externo, ceteroquin abſolute licito, inducit debitum reſtitutionis.

XI. Qui impedit ne bona fiſco applicentur, quæ ob aliquod crimen applicanda forent poſt iudicis ſententiam, ad reſtitutionem tenetur; ſecus ante ſententiam prolatam : quia poſt latam ſententiam fiſcus ius ad eiuſmodi bona habet, minime ante. Similia enim bona fiſco addicuntur propter pœnam crimini debitam : pœna autem ſolum poſt iudicis ſententiam infligitur. Quare qui impediunt ne iudicis ſententia proferatur, etiamſi mendaciis, falſiſque teſtibus id præſtent, non tenentur ad reſtitutionem. Hinc mulier adultera, cuius dos poſt iudicis ſententiam marito applicanda eſſet, ſi ſe defendat etiam falſis teſtibus ne ſententia proferatur, marito dotem dare non tenetur.

XII. Quæſt. IV. *Qui abſque vi, fraude, dolo, ſed ſolis precibus impedit ne bona communia, deſtinata in ſingulorum ſubditorum commodum, illis applicentur, quid reſtituere debet?* Reſp. Si diſtributio bonorum pendeat ex ſola voluntate collatoris, nullum eſt reſtitutionis debitum, dummodo abſque fraude, ſoliſque conſiliis impedimentum interponatur; ut ex iis quæ dicta ſunt, conſtat : quia tum nulla perſona ius habet ad eiuſmodi bona. Si vero diſtributio bonorum non pendeat ex ſola voluntate diſtributoris, ſed bona diſtribuenda ſint inter huius civitatis perſonas, e. g. legata ſunt plura bona, diſtribuenda inter virgines huius familiæ, iſtius loci, huius civitatis, aut habentes tales prærogativas : tum qui aliquam iſtarum impedit etiam abſque fraude, & dolo, ſed ſolis precibus a conſecutione bonorum, tenetur ad reſtitutionem : quia præfatæ perſonæ ius habent ad eiuſmodi bona. Et collator non modo ex iuſtitia diſtribuente, ſed etiam ex commutante, hæc bona dividere aſtringitur inter tales, & non alias perſonas.

XIII. Quæſt. V. *Ad quid tenetur qui impedit collatorem ne beneficium eccleſiaſticum digniori conferat?* Reſp. Quæſtio propoſita graviſſima eſt, ſuamque ſedem ha-

Digitized by Google

habet in tractatu de Beneficiis. Pauca nunc ediſſeram, veluti præter inſtitutum. Et primum eligendum eſſe digniorem pro certo habeo; cum Concilium Tridentinum id expreſſe *ſeſſ.* XXIV. *cap.* I. definierit: *Eouſque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi iudicaverint* &c. Reſpondet P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. in Decal. tract.* III. *cap.* IV. *§.* 4. Tridentinum Concilium *vel primo videtur per hoc* digniores *non aliud ſignificare velle niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo: vel ſecundo locutione minus propria ponit* digniores, *ut excludat indignos, non vero dignos... vel tandem tertio loquitur, quando ſit concurſus*. Et adducit auctoritatem Laurentii Valla, aſſerentis iuniorem, aut ſeniorem accipi pro iuvene, aut ſene. Hanc Tamburini, & aliorum Probabiliſtarum opinionem damnavit Innocentius XI. in hac propoſit. 47. *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi iudicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc* digniores *non aliud ſignificare velle niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo: vel ſecundo locutione minus propria ponit* digniores, *ut excludat indignos, non vero dignos: vel tandem loquitur tertio quando ſit concurſus*. Ut vides, hæc propoſitio totidem verbis decerpta ex Tamburino eſt: quod ideo aſſero, ut caute hunc, & alios ſimiles Auctores qui ante damnatas propoſitiones ſcripſerunt, legas. P. Dominicus Viva in *Commentariis* ad hanc propoſitionem *num.* 10. de more commentum quo damnatæ propoſitionis vim extenuet, excogitavit. Qui docerent, inquit, in aliis beneficiis ab Epiſcopatu ſat eſſe eligere dignos in conflictu digniorum, non incurrerent pœnas latas contra tuentes aliquam ex theſibus confixis. Quia Tridentinum loquitur ſolum de Epiſcopatu, non de aliis beneficiis curatis. Hæc ſunt conſueta blandimenta quibus P. Viva delinire opinionum laxarum damnationem ſolet. Propoſitio proſcripta abſoluta eſt: & quamvis mentio ibidem fiat Tridentini Concilii; non propterea locus eſt interpretationi P. Viva, ut ego quidem ſentio. Theſis proſcripta loquitur de Sacerdotibus qui ad Eccleſias regendas, nulla aut Parochorum, aut Epiſcoporum mentione facta, promoventur. Sed hoc fuſius ſuo loco.

XIV. Ad quæſitum ergo propoſitum dico, tam collatorem, quam eum qui hunc impedit ne digniori conferatur beneficium eccleſiaſticum, ad reſtitutionem teneri. Hanc ſententiam expreſſe docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXII. *art.* 2. *ad* 4. cuius verba ſupra deſcripſi. Pauca ex pluribus adducam. Qui lædit iuſtitiam tum diſtribuentem, tum commutantem, tenetur ad reſtitutionem. Sed beneficia eccleſiaſtica vi utriuſque iuſtitiæ debentur digniori. Ergo qui talem collationem aut negligit, aut impedit, reſtitutioni obnoxius eſt. Propoſitio prima penes omnes certa eſt; altera vero paucis oſtenditur. Hæc beneficia duo ſpectant, & bonum commu-

Digitized by Google

mune, ſeu utilitatem Eccleſiæ, & miniſtrorum merita. Porro qua parte ſpectant utilitatem Eccleſiæ, eligi miniſtri magis idonei debent, qui ſacramenta adminiſtrent, doctrinæ evangelicæ panem populo frangant, & in ſpiritalibus rebus omnibus opem ferant. Porro cum vix ab imbecillitate noſtra diſcerni poſſit quinam ſint reipſa miniſtri revera digni, & optimi ad hæc altiſſima munia obeunda; ideo vel ipſa naturalis ratio dictat ut in tanta obſcuritate ii eligantur qui nobis digniores ad ſancta myſteria tractanda apparent. Ex alia parte hæc beneficia miniſtrorum merita ſpectant, nempe litterarum, virtutis, probitatis. His meritis ſtipendia rependuntur, ut magis Eccleſiaſtici alliciantur ad litteras addiſcendas ſacras, ad virtutum exercitia peragenda. Hac enim via Eccleſia abundat miniſtris doctis, probis, aptiſque ad ſua myſteria tractanda. Ergo Eccleſiæ procuratores, ſeu diſtributores beneficiorum ex iuſtitia commutativa (qua parte aſtringuntur promovere bonum univerſale Eccleſiæ) debent eligere aptiores, & digniores miniſtros, qui augere hoc bonum commune valeant. Quatenus vero hæc beneficia ſunt præmia quæ merita reſpiciunt, conferri cum proportione ad merita debent. Ergo qui maioribus meritis præditi ſunt, ius præ aliis minus benemeritis habent, ut præferantur in beneficiorum collatione. Dum igitur beneficium confertur digno, poſthabito digniori, violatur iuſtitia diſtributiva. Accedit, electores Eccleſiæ hanc dignitatem, ſeu munus eligendi miniſtros, accipientes, obſtringi iuſte & recte ut exerceant iuſtitiam diſtributivam conferendo beneficia pro meritorum diverſitate. Ergo dum violant iuſtitiam diſtributivam, impertiendo beneficia minus dignis, violant ſimul reipſa iuſtitiam commutativam, vi cuius ſe ſe obligarunt diſtribuere præmia iuxta regulas iuſtitiæ diſtributivæ, cum proportione ſcilicet ad merita. Et revera in diſtributione beneficiorum, dignitatum, & bonorum ſive Reipublicæ, ſive Eccleſiæ numquam violatur iuſtitia diſtribuens, quin ſimul lædatur iuſtitia commutans.

XV. Innumera afferre ſacrorum canonum monumenta poſſem, quibus evincerem graviſſimum hoc debitum eligendi digniores, & aptiores miniſtros. Sed, ut dixi, id nunc pro certo habeo, ſolumque ex hac conſtituta veritate infero debitum reſtitutionis illati damni in iis qui aut omittunt, aut impediunt electionem digniorum ad hæc beneficia.

XVI. Obiicies 1. Hæc beneficia ſunt inſtituta principaliter in bonum commune Eccleſiæ, & ſecundario in commodum miniſtrorum particularium. Porro vi iuſtitiæ commutativæ electores tenentur ſolum dignum miniſtrum Eccleſiæ dare; vi autem iuſtitiæ diſtributivæ ſolius quæ reſpicit merita candidatorum, aſtringuntur eligere digniores. Sed qui violat iuſtitiam diſtributivam ſolam, non tenetur ad reſtitutionem. Ergo ſive omittens, ſive impediens electionem dignioris, non eſt reſtitutioni ſubiectus.

XVII.

XVII. Ratio iſthæc, quæ unica fere eſt oppoſitæ ſententiæ, evidenter falſa eſt, & falſo ſuppoſito laborat. Supponit enim, in diſtributione bonorum communium ſolam lædi iuſtitiam diſtribuentem poſſe; quod falſum prorſus eſt. Peccant omnes adminiſtratores, ſive ſupremi ſint, ut Rex in regno, Pontifex in Eccleſia, ſive inferiores, contra iuſtitiam commutantem, dum in partitione bonorum, officiorum, graduum violant iuſtitiam diſtribuentem. Diſtinguenda ſunt bona privata a bonis communibus. Poteſt Pontifex, Reſpublica de bonis privatis, & patrimonialibus diſponere, & cui voluerit, nullo ad merita, ad prærogativas habito reſpectu, plura bona conferre, quin aliquam iuſtitiam violet. At dum beneficia, dignitates, gradus, officia, præmia, bona Eccleſiæ, Regni, Reipublicæ diſtribuunt, ſemper, dum violant iuſtitiam diſtributivam, lædunt quoque iuſtitiam commutantem. Quod ut evidentius percipias, in memoriam revoces velim doctrinam quam ſupra tradidi, nempe diſtributores bonorum communium Principatus duplici ex capite violare iuſtitiam commutantem poſſe in bonorum communium partitione. Primo contra ipſam Rempublicam, ſeu Eccleſiam, cui vel expreſſo, vel tacito pacto obſtrinxerunt ſe ſe ad fideliter, iuſte, & æque diſtribuenda bona publica. Secundo contra ſubditos, qui, dum pro communi bono adlaborarunt, ſudores ſparſerunt, merita habent quibus ex iuſtitia commutativa præmia deſtinata pro Reipublicæ, vel Eccleſiæ benemeritis debentur. Iuſtitia diſtributiva reſpicit dumtaxat prærogativas quæ perſonam afficiunt, puta ſcientiam, doctrinam, probitatem, prudentiam, idoneitatem, & ſimiles dotes, quæ conſtituunt ſubditos utiliores, aptiores, atque adeo digniores miniſtros, ut Reipublicæ, vel Eccleſiæ inſerviant. Expendit etiam meritorum menſuram, graduum, quantitatem. Quo munere expleto ſuccedit iuſtitia commutativa, quæ rependit iuxta diſpoſitionem factam a iuſtitia diſtributiva ſtipendia, gradus, officia, beneficia, iuxta diverſitatem & meritorum, & prærogativarum, quæ efficiunt candidatos digniores. Hac doctrina ſola poſita, quæ a nemine negari iure valet, in fumum dehiſcunt omnes adverſariorum obiectiones.

XVIII. Obiicies 2. Si beneficium deberetur digniori, Epiſcopus eligens Paulum, quem reputat digniorem in conſpectu Petri, cognito errore, quod Petrus dignior ſit, a Paulo deberet hoc auferre beneficium, illudque conferre Petro. Accedit in hac poſitione licere digniori convenire cum digno, illique pecuniam offerre, ut deſiſtat a concurſu. Tandem dignior nullum habet ius ad hoc beneficium. Ergo nulla reſtitutio facienda eſt ſive a collatore, ſive ab impediente.

XIX. Reſp. Obiectiones iſtæ, & aliæ ſimiles, quas congerere adverſarii ſolent, ex doctrina data corruunt. Quando Epiſcopus, & quilibet alius elector elegit eum quem, præmiſſa debita diligentia, exiſtimavit digniorem, functus officio ſuo eſt. Iuſta enim fuit electio, Ergo ad nihil amplius elector tenetur. Aliud abſurdum

Digitized by Google

vanum eſt : tum quia nemo candidatorum iudex eſt propriæ habilitatis (quiſque enim digniorem ſeſe reputat) tum etiam quia tunc ſolum licet offerre pecuniam ad redimendam vexationem, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* c. *art.* 2. quando iam titulus, vel poſſeſſio beneficii habetur. Ad redimendam enim vexationem non ſufficit ius ad rem, ſed requiritur ius in re. Candidatus dignior ante collationem beneficii ius meritorum habet ad rem, non in re; ideo vetitum illi eſt offerre pecuniam digno. Simoniam enim manifeſtam hoc in caſu committeret. Quod ultimo loco oppoſitum eſt, ſeipſo corruit. Licet enim dignior non habeat ius in re, habet tamen illud ad rem. Et qui hoc ius lædit, iuxta prudentum æſtimationem reſarcire damnum debet.

XX. Quæſt. VI. *Cuinam facienda eſt reſtitutio ob læſionem iuſtitiæ in bonorum communium diſtributione?* Reſp. Communis ſententia docet, reſtitutionem faciendam eſſe tum digniori prætermiſſo, tum Eccleſiæ, ſive communitati, vel Reipublicæ. Nam quando eligitur dignus, prætermiſſo digniore, iniuria fit tum Eccleſiæ, tum digniori. Ergo utraque pars læſa reſarcienda eſt. Quod Eccleſia, ſive Reſpublica, ſive communitas læſa ſit, evidens eſt. Nam Eccleſia hoc pacto, ut minus implicito, facultatem contulit Epiſcopis, ceteriſque bonorum communium adminiſtratoribus ut ſibi de dignioribus miniſtris provideant. Ergo qui hoc pactum graviſſimum cum Republica, ſive Eccleſia initum violat, iuſtitiam commutantem infringit. Quid quod adverſarii ipſi fatentur, electores eligentes indignum, prætermiſſo digno, teneri ad reſtitutionem? Sed dum eligunt dignum, prætermiſſo digniore, reapſe indignum eligunt: dignus enim in conſpectu dignioris indignus evadit; quidquid in oppoſitum dicant Probabiliſtæ. Ergo æque in ſecundo ac in primo caſu ad reſtitutionem tenentur tum collatores omittentes, tum impedientes digniorum electionem. Plura prætereo, in tractatu de beneficiis explicanda.

CAPUT IX.

De cauſſis cooperantibus ad damnum alterius.

I. HActenus de iis qui, ne bona conferantur hominibus, impediunt, actum eſt. In præſentia de illis ſermonem habebimus qui ad damna proximo inferenda concurrunt aut opem ferendo, aut non obſtando. Nam plures influere cauſſæ ſolent in alterius malum, & damnum. Aliæ principes ſunt, & proximæ, quæ damnum exequuntur; aliæ quæ mediate tantum concurrunt. Nunc non de executoribus damni, ſed de cooperatoribus dumtaxat. Novem perſonarum genera Theologi recenſent, quæ in alterius damnum aut poſitive, aut negative cooperari valent.

II.

II. Primum omnium præmittere intereſt doctrinam quam habet S. Thomas 2. 2. quæſt. lxii. art. 7. *Ad reſtitutionem tenetur aliquis, non ſolum ratione rei alienæ quam accepit, ſed etiam ratione iniurioſæ acceptionis. Et ideo quicumque eſt cauſa iniuſtæ acceptionis, tenetur ad reſtitutionem. Quod quidem contingit dupliciter; directe ſcilicet, & indirecte. Directe quidem, quando inducit aliquis alium ad accipiendum: & hoc quidem tripliciter. Primo quidem modo ex parte acceptionis, movendo ad ipſam acceptionem; quod quidem fit præcipiendo, conſulendo, conſentiendo expreſſe, & laudando aliquem quaſi ſtrenuum de hoc quod aliena accepit. Alio modo ex parte ipſius accipientis, quia ſcilicet eum acceptat, vel qualitercumque ei auxilium fert. Tertio modo ex parte rei acceptæ, quia ſcilicet particeps eſt furti, vel rapinæ, quaſi ſocius maleficii. Indirecte vero, quando aliquis non impedit, cum poſſit, & debeat impedire: vel quia ſubtrahit præceptum, ſive conſilium impediens furtum, vel rapinam; vel quia ſubtrahit ſuum auxilium, quo poſſet obſiſtere; vel quia occultat poſt factum: quæ his verſibus comprehenduntur.*

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Sciendum tamen, quod quinque præmiſſorum ſemper obligant ad reſtitutionem: Primo iuſſio: quia ſcilicet ille qui iubet, eſt principaliter movens, unde ipſe principaliter tenetur ad reſtituendum. Secundo conſenſus, in eo ſcilicet ſine quo rapina fieri non poteſt. Tertio recurſus, quando ſcilicet aliquis eſt receptator latronum, & eis patrocinium præſtat. Quarto participatio, quando ſcilicet aliquis participat in crimine latrocinii, & in præda. Quinto tenetur ille qui non obſtat, cum obſtare teneatur; ſicut Principes, qui tenentur cuſtodire iuſtitiam in terra, ſi per eorum defectum latrones increſcant, ad reſtitutionem tenentur: quia reditus quos habent, ſunt quaſi ſtipendia ad hoc inſtituta ut iuſtitiam conſervent in terra. In aliis autem caſibus enumeratis non ſemper obligatur aliquis ad reſtituendum. Non enim ſemper conſilium, vel adulatio, vel aliquid huiuſmodi eſt efficax cauſa rapinæ. Unde tunc ſolum tenetur conſiliator, aut palpo, ideſt adulator, ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt quod ex huiuſmodi cauſis fuerit iniuſta acceptio ſubſecuta.

III. Nonnulla quæ penes omnes certa ſunt, præmitto. Qui alicui parato ad malum inferendum, ſublato omni conſilio, & ſuaſione, annuit, peccat quidem contra caritatem, ſecus contra iuſtitiam. Idcirco a reſtitutione liber eſt. Quia tunc nullo modo influit in damnum; cum executor paratus, & firmiter determinatus eſſet ad illud malum exequendum. Igitur ut quis reſtitutioni ſubiectus ratione cooperationis ſit, requiritur ut cooperatio hæc cauſſa efficax fuerit, habueritque influxum in malum alterius, ut clarius patebit infra. Et quoniam argumentum propoſitum amplum aperit diſputandi campum, idcirco caput iſtud in plures tribuo paragraphos.

§. I.

§. I.

Nonnullæ quæſtiunculæ reſolvuntur.

IV. QUæſt. I. ***Qui non paratum ad inferendum damnum movet ut illud inferat, tenetur ne ad reſtitutionem, ſi alius reipſa induxiſſet executorem ad tale malum irrogandum?*** Reſp. Suades Petro minime parato ad furandum, ut furetur, & furatur reipſa; tamen ſi tu non conſuluiſſes, alius induxiſſet Petrum ad tale committendum furtum: aſtringeris ne tu reſtitutioni? Adfirmat communis ſententia. Ratio evidens eſt. Tu revera tuo conſilio, ſuaſione, aut mandato cauſſa efficax es illati damni. Quod executor ab alio iniuſto conſultore, aut ſuaſore inducendus ad hocce malum perpetrandum fuiſſet, efficit ne ut tu reipſa ad malum exequendum furem non induxeris? An non poteſt a diverſis cauſſis diviſive, ut dicitur, idem proficiſci effectus?

V. Quæſt. II. ***Qui alium paratum ad malum committendum movet ut celerius illud exequatur, ad quid tenetur?*** Reſp. Caietanus, Soto, Tapia, Leſſius, Bonacina, Ledeſma docent, conſultorem hunc ad totum damnum reſarciendum aſtringi. Salmanticenſes *tractat.* XIII. *cap.* 1. *punct.* 5. *num.* 112. negant hunc ad totum malum compenſandum teneri, ſed ſolum ad illud amplius in quod ſuo conſilio influit: & citant pro hac ſententia S. Thomam, S. Antoninum, Prado, Dianam, Layman, Lugo, & alios.

VI. Præciſis circumſtantiis, ſi res abſolute ſpectetur, prior ſententia mihi probabilior eſt. Quoniam qui movet malefactorem paratiſſimum ad furandum, ad occidendum &c. ut celerius furetur, occidatve, non ſolum modi ſeu accelerationis, ſed ipſius actionis, ſeu ſubſtantiæ pravitatis cauſſa eſt: quandoquidem modus actionis ab ipſius actionis ſubſtantia ſeparabilis non eſt. Ergo qui conſulit, ſuadet, præcipit ut Petrus citius furetur, non modo in accelerationem, ſed in ipſam ſubſtantiam actionis influit. Id autem quod mihi probabiliorem hanc reddit opinionem, eſt quod dum tu ſuades ut Petrus hodie perpetret furtum, homicidium, quod ille poſt hebdomadam, poſt menſem, ſive etiam poſt unum & alterum diem perpetraturus erat, reipſa totius damni cauſſa es. Quoniam Petrus infra hoc ſpatium mutare pravum animum, & ad meliorem ſe ſe revocare frugem poſſet.

VII. Reſpondent Salmanticenſes, ſe loqui in hypotheſi, quod nulla ſit ſpes conſilii mutandi. Si enim ſpes iſta, inquiunt, adſit; dubio procul totum reſarciendum damnum eſt. Verum hypotheſes iſtæ arbitrariæ ſunt, & chimæricæ. Caſus qui in praxi ſuccedunt, modo reſolvimus. Porro ſi praxis ſpectetur, quid humano

Digitized by Google

mano animo mutabilius? Quo fundamento definiri & ſtatui poteſt, Petrum paratum ad furandum, vel occidendum, firmiter perſeveraturum in hac prava deliberatione? Humanus animus ſuapte natura mutabilis eſt. Fingere hypotheſes contra id quod natura ſua evenit, quid aliud prodit quam arbitrarias chimæras? Perperam ergo ſecundæ opinionis Auctores obtrudunt, ſe loqui in hypotheſi quod nulla ſit mutandi conſilii ſpes: quoniam concipi eiuſmodi ſpes prudenter nequit, cum humanus animus natura ſua mutabilis ſit. Ergo qui conſulit, ſuadet, præcipit ut Petrus hodie committat furtum quod cras, aut alio die, vel poſt menſem perpetraturus erat, cauſſa totius damni eſt: ergo integrum reſarcire aſtringitur damnum iſtud.

VIII. Abſolute igitur prior ſententia mihi probatur, quoties inter executionem & conſilium tantum temporis ſpatium interfluit quo humanus animus moraliter mutari poſſit. Contra, ſi in procinctu Petrus eſſet furandi, occidendi &c. & tu conſilio tuo inſtigares ut illico malum perpetraret; tum iuxta circumſtantiarum diverſitatem diſputari, & deliberari poſſet, quantum damni reſarciendum a te foret. Abſque fundamento pro contraria, quam confutavi, opinione Salmanticenſes S. Thomam citant. Nam S. Doctor *in IV. diſt.* xv. *quæſt.* v. *art.* 5. *ad* 3. duo requirit ut conſulens teneatur ad reſtitutionem, videlicet *ut probabiliter credat conſilium ſuum fuiſſe efficax; & quod ſine eo iniuſta ablatio non eſſet commiſſa.* His ultimis verbis noſtram firmat ſententiam S. Thomas: nam quoties inter executionem & conſilium tempus congruum aptumque ad mutandum conſilium interfluit, definiri minime poteſt quod, ſublato conſilio, mali executio ſucceſſiſſet.

IX. Omnes ergo adfirmant, reſtitutioni ſubiectum eum eſſe qui alterum movet ad malum inferendum: & oppoſitam doctrinam damnavit Ven. Innocentius XI. in hac 39. prop. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.* Verum quamvis in hac explodenda doctrina abſolute conveniant, tamen pluribus quæſtiunculis eam implicant: ſi enim dubitatio accedat, num conſilium tuum influxum habuerit in malum reipſa ſecutum, continuo te Probabiliſtæ a reſtitutionis onere liberant. Sed eiuſmodi vana commenta alibi profligavi.

X. Quæſt. III. *Quando dubium occurrit num aliqua ex recenſitis cooperationibus in duobus verſibus contentis cauſſa efficax damni fuerit, teneris ne ad reſtitutionem?* Reſp. Explicanda quæſtiuncula eſt. Dubitare potes, num conſulueris, iuſſeris, mandaveris &c. aut certus de conſilio, iuſſione, mandato, dubitas num malum ſecutum ſit; vel dubitas, an tuum conſilium, mandatum &c. cauſſa efficax fuerit damni ſecuti. Salmanticenſes *tractat.* XIII. *cap.* I. *punct.* 5. *num.* 113. abſolute, nulla facta diſtinctione, negant te reſtitutioni obnoxium eſſe: & citant pro hac

opinione Dicaſtillum, Bonacinam, Sayrum, Rebellum, & alios, immo ipſum D. Thomam. Et nituntur illi regulæ: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*. Sed iſtius regulæ abuſum fuſe labefacto in tractatu de conſcientia, nempe in *Tom. II Apparatus ad Theologiam Chriſtianam*.

XI. Dico itaque 1. Quando dubitas, dederis ne conſilium, mandaveris, iuſſeris &c. a reſtitutione liber es. Quoniam nemo præſumitur malus, niſi probetur. Idcirco leges hoc in caſu non præſumunt, ut habetur *l. 2. ff. de condition. ob turpem cauſſam*.

XII. Dico 2. Quando certus es de conſilio, iuſſione, mandato &c. dubitas vero ſecutum ne damnum ſit; tum pro gradu dubii, ſeu incertitudinis damnum compenſare aſtringeris. Siquidem dum certo conſtat cauſſam ſuapte natura inferentem damnum eſſe poſitam, & dubium eſt ſecutum ne damnum ſit; tum periculum eſt ne reipſa damnum inflictum fuerit. Periculum ergo eſt te iniuſtitiam commiſiſſe. Ergo ſubducere te huic periculo debes. Nullum quippe ius, ſive naturale, ſive divinum, ſive humanum, permittit ut in tanto periculo permaneas, quemadmodum alibi demonſtravi. Quid quod leges ipſæ humanæ iubent ut venditor iactus retis, ſi iacere noluerit, præſtet æſtimationem eventus incerti? l. *Si iactum*, 12. ff. de act. empt. *Si iactum retis emero, & iactare rete piſcator noluit, incertum eius rei æſtimandum eſt*. Tenetur hic piſcator ex iuſtitia? Ergo & malefactor tenetur ex iniuſta actione poſita.

XIII. Dico 3. Quando certus es & de conſilio pravo, mandato &c. & de damno ſecuto; dubitas vero, num tuum conſilium, mandatum &c. fuerit efficax cauſſa damni ſecuti; reſtitutioni te obnoxium aſſerunt aliqui pro rata dubii, & incertitudinis. Plures alii, nempe *Molina*, *Covarruvias*, *Bonacina*, *Leſſius*, *Sanchez*, *Merola*, aliique ad totius damni compenſationem te obligant. Idque evincunt, quia iuris præſumptio obſervanda eſt, quando veritas non patet. At quoties conſtat te poſuiſſe cauſſam ſuapte natura inducentem furtum, homicidium, ſive quodlibet aliud damnum, iura præſumunt damnum illud ex tali cauſſa profectum eſſe. l. *Qui in aliena* §. 4. ff. de acquirend. heredit. ubi præſumitur mandatarius egiſſe ex mandantis præcepto. Et reg. iuris 45. in 6. *Inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit*. Sed dum mandatarius mandantis imperium exequitur, veroſimilius eſt vi talis mandati egiſſe: quia ſic plerumque evenit. In quo tribunali admitteretur exceptio, damnum ſecutum non eſſe vi mandati, quando certo conſtaret damnum eſſe ſecutum, & mandatum impoſitum fuiſſe? Et reipſa cap. *Ad audientiam* 12. & cap. *Significaſti* 18. homicida, & irregularis præſumitur is qui certus eſt ſe vulneraſſe, dubius autem hæret, num ex tali vulnere ſecuta mors ſit. Et ratio quæ ibi aſſignatur, eſt, quod in *dubiis ſemitam eligere debeamus tutiorem*. Ergo quemadmodum tutius

tius

Digitized by Google

tius eſt in hoc caſu ſe gerere tamquam homicidam, & irregularem; ita tutius eſt in caſu noſtro reſtituere: *pro eo, quod*, inquit Innocentius III. cap. *Significaſti, in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur*. Hanc eamdem ſententiam confirmare videtur S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxii. *art.* 7. ubi inquit. *Tunc ſolum tenetur conſiliator, aut palpo, ideſt adulator, ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt, quod ex huiuſmodi cauſis fuerit iniuſta acceptio ſubſecuta*.

XIV. Tò, *probabiliter* S. Doctor in ſuo vero, & genuino ſenſu accipit, pro morali ſcilicet perſuaſione & certitudine. Illo enim tempore tricæ probabiliſticæ nondum obſcuraverant chriſtianam Theologiam. Quando itaque adeſt certitudo moralis, damnum ex recenſitis cauſſis ſecutum eſſe; tum reſtitutio totius damni neceſſaria eſt.

XV. Ceterum, ut colligant Caſuiſtæ, me in ſeveriora non propendere, ſed in veritatem; licet laudati Probabiliſtæ contendant, conſulentem, mandantem &c. teneri ad reſtitutionem totius damni ſecuti; mihi tamen probabile valde eſt, hunc teneri dumtaxat pro rata dubii: quia non videtur eodem onere, & pœna multandum eſſe eum de quo ſolum dubitatur, & ex dubio probabiliter tantum præſumitur cauſſam fuiſſe damni ſecuti, ac alterum quem certo conſtat reipſa cauſſam fuiſſe damni. Et ſane omnia tribunalia mitius puniunt reum criminis tantum præſumpti quam reum criminis certo probati.

XVI. Hæc tamen ex pluribus circumſtantiis pendere certum eſt: nam tale occurrere coniecturæ poſſunt, ut præſumptionem elidant, & infringant. Nam ſi homicida antecedenter ad conſilium odio in occiſum ardebat, paratuſque ad occidendum, aptuſque erat ad executionem, utpote audax, & fortis; ſi conſilium datum neglexerit, &, novis exortis inimicitiis, deliberaverit occiſionem; tandem ſi homicida ipſe teſtetur ſe alterius conſilio, aut mandato motum non fuiſſe &c. hæ, & aliæ coniecturæ, quæ occurrere poſſunt, in formando iudicio expendi ſerio debent, ut iuſtum decernatur.

XVII. Quæſt. IV. *Qui ſuo exemplo pravo cauſſa eſt ut alii malum perpetrent, tenetur ne ad reſtitutionem?* Reſp. Plures videntes Sempronium furantem, alterius vineam devaſtantem, adulterantem &c. moventur hoc exemplo ad hæc mala patranda. Tenetur ne Sempronius qui ſuo iniquo exemplo illos excitavit, hæc reſarcire mala? Negat communis, & vera ſententia: quia exemplum pravum licet occaſionem illis ſit, cauſſa tamen influens in eiuſmodi mala non eſt. Porro ſola cauſſa quæ in damnum illatum influit, debitum infert reſtituendi. Ergo cum exemplum pravum nullo modo influat in hæc damna, nullum ex eo oritur reſtitutionis debitum. Peccat quidem Sempronius contra caritatem, qui malo ſuo exemplo alios excitat ad mala perpetranda, ſecus contra iuſtitiam. Addunt plu-

Digitized by Google

res, Sempronium non teneri ad reſtitutionem, etiamſi animo iniquo voluiſſet ſuo pravo exemplo provocare alios ad malum. Quia reſtitutio fundatur in actione iniuſta externa: quæ doctrina abſolute ſpectata vera eſt. At ſupra diximus; actionem externam quæ ex ſe non eſt abſolute cauſſa efficax damni, iunctam animo pravo fieri efficacem poſſe, & inducere reſtitutionis debitum. Dicetur fortaſſe, exemplum pravum nullo modo cauſſam eſſe, ſed ſolum occaſionem aliis mali committendi; & ideo nullum ex eo prodire reſtitutionis onus. At communi proverbio fertur, exempla pluſquam verba movere. Utique Chriſtus Dominus admonet Matth. XXIII. *Omnia, quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite; ſecundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* At neque eorum prava conſilia exequenda ſunt; tamen ſi conſulunt, iubent, ſuadent &c. ad reſtitutionem tenentur. Quare ſi quis animo pravo intenderet alios excitare ſuo externo exemplo ad malum inferendum, ego ſecurum hunc aſſerere non auderem a reſtitutionis debito. Quoniam exempla coniuncta pravæ intentioni nocendi, moralem influxum conferunt in damnum illatum. Sint exempla meræ occaſiones abſolute ſpectata; tamen quando ab iniquo homine adhibentur hoc pravo animo, ut ſint media impellentia ceteros ad malum, ego, ut dixi, non auderem hunc immunem pronuntiare a reſtitutionis debito. Neminem tamen urgeo ut hanc meam opinionem amplectatur; ſed quiſque ſuo in ſenſu abundet.

§. II.

De iuſſione, conſilio, conſenſu, quibus iniuſtæ damnificationi quis cooperatur.

XVIII. NOvem, præter executorem, perſonarum genera quæ ad malum concurrunt, reperiri ſupra dictum eſt, duobus verſibus comprehenſa. Sex poſitive influunt: ſuntque *iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus, participans*. Alia tria negative, & indirecte: ſuntque *mutus, non obſtans, non manifeſtans*. Ut vero reſtitutionis debitum inducant, debent (& hæc eſt regula generalis) efficaciter in ſecutum malum influere.

XIX. *Iuſſio* eos omnes comprehendit qui iniuſtitiam fieri mandant, ad quam exequendam paratus alter non erat. Hoc mandatum imponi aut expreſſe, aut tacite poteſt, ſive a domino, ſive a quolibet alio qui poteſtatem imperandi non habeat. Quando vi iſtius mandati ſequitur actio iniuſta, mandans ſemper ad reſtitutionem tenetur. Tacite imponi hoc mandatum variis modis valet. Quid? inquit dominus, aut amicus ſuis ſervis, amiciſve. Nemo veſtrum meam ulciſcitur in-

Digitized by Google

iniuriam ? Summam mihi gratiam faceret qui inimicum meum occideret. Simili fere modo conquerebatur Henricus II. Rex Angliæ, ſe videlicet cum uno Sacerdote pacem habere non poſſe. Cuius lamentationis efficacitate permoti nefarii miniſtri, ab Rege gratiam ſe inituros ſperantes, ſanctum Antiſtitem trucidarunt: & homicidii reum Regem reputant omnes. Antequam tamen definiatur, indicatas loquendi formulas vim taciti mandati habere, circumſtantiæ tum mandantis, tum mandatarii expendendæ ſunt, ut onus reſtitutionis colligatur.

XX. Si mandatum datum, antequam ſequatur executio, revocetur, idque innotuerit mandatario; evaneſcit reſtitutionis debitum. Si enim animo tantum mandatum revocet, vel etiam exterius, ſed ad mandatarii aures non perveniat; a reſtitutionis obligatione minime abſolvitur. Quid, ſi mandatarius mandati limites excedat? V. g. ſi iuſſum fuit ut decem furetur, & ille centum ſurripuerit; ut leviter percutiat, & ille graviter vulneraverit, aut occiderit? Tum metienda reſtitutio eſt iuxta mandati qualitatem abſolute loquendo. Ceterum in praxi, quando conſtat mandatum impoſitum fuiſſe, graveque ſecutum damnum, difficile caſus occurret in quo mandans a toto reſarciendo damno liberetur. Quare *cap.* XV. Qui mandat, *de homicidio in 6.* ſtatuitur, eum qui iubet verberationem, ex qua ſequatur homicidium, reſpectu mandantis fortuitum, ſeu non intentum, ſubiacere irregularitati. *Is qui mandat aliquem verberari, licet expreſſe inhibeat ne occidatur ullatenus, vel membrum aliquod mutiletur, irregularis efficitur, ſi mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat; cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire poſſe debuerit cogitare.* Hæc ratio perſpicue evincit, vix umquam mandantem liberum eſſe a toto reſarciendo damno quod mandatarius perpetraverit. Quandoquidem licet mandans limites præſcribat, tamen in praxi mandatarii numquam intra eoſdem ſe continent: tum quod plures inopinati eventus non permittunt; tum quod ipſi mandatarii propria pravitate impulſi gloriæ quodammodo ſibi vertunt mandati limites prætergredi. Quæ omnia cum obvia ſint, prævidere mandans tenetur. Quare qui mandatum imponit mali perpetrandi, eo ipſo obnoxium ſe libere conſtituit ad reſarciendum totum id quod mandatarius executus fuerit. Si tamen mandans quidquam licitum præciperet, ex quo nullum conſecuturum malum prudenter prævideri poſſet; tum licet malum non prævisum, quodque prævideri non poterat, ſequeretur, a reſtitutionis debito foret immunis. Heinc Innocentius III. cap. *Dilectus* Capellanum liberum a cenſuris declarat, quod equus cui inſidebat, fracto freno, & deiecto ſeſſore, irruit in mulierem, & infantem quem illa geſtabat, oppreſſit. *Mandamus, quatenus, ſi ita eſt, cum idem Capellanus nec voluntate, nec actu homicidium perpetravit, nec dedit operam illicitæ rei, non impedias quominus divina poſſit offi-*

cia celebrare. Spectanda ergo potiſſimum eſt res licita cui datur opera, ut rectum formari iudicium valeat.

XXI. *Conſilium* ſignificat eum qui precibus, ſuaſionibus, muneribus alterum rogat, inſtruit, perſuadet, blanditiis allicit, ut damnum inferat, quod inferre paratus non erat. Hunc, qui ſcienter, aut culpabiliter ignoranter talia conſulit, ad reſtitutionem damni ſecuti teneri docent omnes. Advertendum tamen, *conſilium* tunc debitum reſtitutionis inducere, cum conſulens dolo, fraude, ſeu malo animo malum committendum ſuadet; ſecus ſi innocenter, imprudenterve, vel ex animi levitate conſilium det, ex quo ſequatur præter eiuſdem intentionem alteri malum. Excipitur caſus in quo quis ex officio, tamquam miniſter ad id deſignatus, conſilium daret; ut diximus de Confeſſario, de medico, de iudice &c. Et hoc colligitur ex *cap.* Si culpa *de iniur. & damno dato*, ubi hæc habentur: *Si culpa tua datum eſt damnum . . . aut hæc imperitia tua, ſive negligentia evenerunt, iure ſuper his ſatisfacere te oportet: nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo iniuriam veroſimiliter poſſe contingere, vel iacturam.* Spectandæ tamen circumſtantiæ ſunt. Quando conſilium eſt de malo perpetrando, tunc conſiliator, niſi evidens circumſtantia obſiſtat, reſarcire ſecuta damna tenetur: quia tum adeſſe fraudem, dolumve præſumitur.

XXII. Diſputant Auctores, num conſiliator, revocato conſilio, reſtitutioni obnoxius ſit, quando nihilominus qui conſilium petiit, executus malum fuerit, etiamſi exploratam habuerit revocationem. Duplicis generis conſilia diſtinguunt. Aliud falſum, ſeu falſæ nixum narrationi; aliud nixum pravo animo. Sit exemplum. Sempronius conſilium a te petit, num reſtituere aſtringatur. Falſo reſpondes eum liberum eſſe. Deprehendis conſilii dati falſitatem: illud revocas: eumdem mones, te deceptum falſum dediſſe conſilium, ſubiectumque ipſum declaras reſtitutioni. Si is, non obſtante tua revocatione, prius conſilium falſum exequitur; tu liber es a reſtitutione. Item, ſi eidem conſilium des ut occidat Petrum, quia hic occidit Fratrem Sempronii; quod factum falſum eſt: qua falſitate cognita, revocas datum conſilium: ſi Sempronius, non obſtante revocatione, homicidium perpetret, ad nihil tu teneris; cum ex ſola malitia Sempronii ſecutum homicidium ſit. Diſputant ergo, quando conſilium datur, non ad veritatem aliquam manifeſtandam; ſed quando quis conſulit malum, puta furtum, homicidium, oſtendens id conveniens eſſe, utile, & decorum, imprimendo in mente conſulentis doctrinam, & dictamina quibus perſuaſus reipſa vi talis conſilii malum exequitur.

XXIII. Prima ſententia adfirmat, conſiliatorem, adhuc poſt revocationem conſilii, reſtitutioni damni illati ſubiectum eſſe. Hoc enim iſtius opinionis Auctores diſcrimen inter mandatum & conſilium ſtatuunt: quod mandatarius in ſolius

man-

Digitized by Google

mandantis commodum malum perpetrat ; qui vero conſilium petit, in gratiam ſui malum exequitur . Mandatum extrinſecum omnino eſt , nihilque in mente mandatarii imprimit quod poſt revocationem ſuperſit. At conſilium imprimit in mente illius qui conſilium petit , doctrinam , dictamina , ſuaſiones , quæ etiam poſt revocationem ſuperſunt , veluti ſemina in anima impreſſa : & vi horum dictaminum, ac ſuaſionum poſtulator conſilii operatur. Quam opinionem defendunt *Bannez*, *Tapia*, *Leſſius*, & alii. Altera ſententia negat, in deſcripto caſu debitum eſſe reſtitutionis : & hanc defendunt Salmanticenſes *tractat.* XIII. *cap.* I. *punct.* 5. §. 2. *num.* 17. & citant *Bonacinam*, *Reginaldum*, alioſque : & hæc mihi probabilior apparet, quando conſiliator ſincero animo, & efficaci eloquio abducere conatur conſulentem a priori conſilio . Admitto diſcrimen inter mandatum & conſilium . Sed quando conſiliator contrariis, & veris rationibus diſſuadere ſtudet ſuo clienti, nihilque intentatum relinquit ut a malo conſulto eum abducat, licet ſuperſint phyſice in mente priora dictamina , moraliter tamen deleta ſunt & abrogata. Ex ſola quippe malitia clientis qui conſilium accepit , dictamina illa moraliter influunt in malum ſecutum . Spectandæ tamen circumſtantiæ ſunt, nempe efficacitas revocationis, conditio accipientis conſilium, & alia plura quæ occurrere poſſunt. Ceterum caſus rarus eſt : & ideo pluſquam ſatis dixi .

XXIV. Tenetur ne conſiliator , aut mandans reſarcire damna tum illata tertio , tum ſupervenientia mandatariis , & conſilia accipientibus ? Communiter omnes liberant conſiliatorem a reſarciendis damnis obvenientibus ei qui conſilium petiit : quia in iſtius poteſtate erat conſilium reſpuere . De mandante vero diſtinguunt . Aut mandans eſt dominus, & ſuperior; & tunc tenetur compenſare damna quæ probabiliter prævideri poterant ſuperventura mandatario : quia ſuperioris imperium quamdam vim, & coactionem inducit. Si contra mandans non ſit ſuperior, ſed pacto ſtipendio iubeat mali executionem ; liber eſt ab omni compenſatione malorum quæ ſupervenire poſſunt mandatario : qui hæc omnia ſibi imputare debet , cum ſponte locet induſtriam ſuam accepto ſtipendio ad malum perpetrandum . Quare ſponte & libere ſe ſubiicit periculo eorum quæ accidere valent .

XXV. Quid, ſi nomine tuo quis occidat, furetur, nullo a te accepto conſilio , vel mandato ? Aſtringeris ne reſtitutioni, ſi ratum habeas malum perpetratum ? Negant communiter Auctores : quia ratihabitio nullum præbere influxum moralem potuit in malum prius commiſſum . Quare non teneris nec ex re accepta , nec ex iniuſta actione ; ſed ſolum ad ſatisfaciendum Deo pro gravi culpa perpetrata . Quid , ſi ex tua ratihabitione, & complacentia executor induceretur ad omittendam reſtitutionem damni irrogati ? Tum reſtitutioni obnoxius fores , quia moraliter influeres in talem omiſſionem .

Digitized by Google

XXVI. *Conſenſus*, inducens reſtitutionis debitum, non eſt mera complacentia de alterius malo: quoniam hæc, cum malum ſupponat, illud non inferat, nullum inducit reſtitutionis debitum. Conſenſus inducens onus reſtitutionis ille eſt qui efficaciter influit in malum reſarciendum. Subſcribis iniuſtæ liti, ſuffragium præbes ad bellum iniuſtum, ad furtum, ad homicidium peragendum, ad miniſtrum indignum eligendum; reſtitutioni ſecuti damni obnoxius es.

XXVII. Diſputant Auctores, num teneantur reſtitutioni illi qui latæ ſententiæ ſubſcribunt, & ſuffragium pro eligendo indigno ferunt? Et diſtinctione utentes docent, ad reſtitutionem teneri, ſi ſuffragium neceſſarium fuerit ad valorem vel ſententiæ iniuſtæ, vel electionis indigni: quia tum ſuffragium fuit cauſſa efficax in malum influens. Idem reſolvunt de illis qui cum poſſent impedire electionem indigni, aut ſententiam iniuſtam, ferre ſuffragium in Capitulo, in Congregatione ad impediendam talem electionem omiſerint. Similiter dum omnes conſpirant ad electionem indigni, aut ad iniuſtam ſententiam, quorum omnium ſuffragia neceſſaria ſint, ad reſtitutionem omnes tenentur: quia omnes aſtringuntur malum futurum impedire. Si vero ſuffragium unius vel alterius non ſit neceſſarium, & iam ſuffragia neceſſaria ad ſententiam, ad electionem præceſſerint; tum nullum eſt reſtitutionis debitum: quia ſuffragium nullo modo influit in effectum; cum cauſſa efficax eiuſdem iam præceſſerit: non tamen liberatur a culpa qui malum approbat proprium ſuffragium conferendo. Quid, ſi hic prior ſuffragium ferat, licet prævideat ceteros laturos ſuffragium in electionem indigni, aut ſententiam iniuſtam? Teneri hunc ad reſtitutionem, communiter Auctores docent: quia cum hic prior influxum habuerit in actionem iniuſtam, prius iſte quam ceteri reſtitutioni obnoxius eſt. Quid, ſi ſuffragium publice ferendum ſit, prævideatque, qui ferre poſterius ſuffragium debet, ceteros qui ſuffragium iam dederunt, mutaturos animum, videntes iſtius oppoſitum votum? Reſtitutioni certo aſtringitur, ſi ferre ſuffragium negligat: quia in hoc caſu iſtius ſuffragium conſpirat ad malum inducendum; cum, eo denegato, malum non fieret. In dubio autem non eſt præſumendum, alios non mutaturos conſilium, dum ſanum iſtius conſilium audirent: quia in dubiis præſumi crimen non debet. Quid, ſi dubites, an ſuffragium tuum fuerit ex prioribus neceſſariis ad ponendam actionem iniuſtam? Te teneri ad reſtitutionem, probabilius aſſerunt. Quia quando certe de malo conſtat, debitum reſtitutionis certum eſt. Porro cum dubium occurrit, num ſuffragium tuum fuerit ex prioribus neceſſariis ad electionem, ſeu ſententiam, idem dubium de aliis oriri poteſt. Ergo ſi tu ratione dubii immunis a reſtitutione eſſes, eadem ratione liberi ceteri forent; & ſic nemo ad reſtitutionem mali ſecuti teneretur; quod falſum eſſe omnes admittunt.

XXVIII. *Palpo* eos indicat qui laudibus, præconiis, & plauſu aliquem ad malum

lum patrandum, aut conviciis, irriſionibus ad vindictam capiendam irritant, impelluntque. Exprobras marito, quod toleret uxoris adulterium; Sempronio, quod patiatur iniuriam ſibi irrogatam. Iſti tuis deriſionibus, & improperiis perciti occidunt uxorem, conviciatorem, offenſorem. Tu cauſſa efficax es ſecuti mali. Ergo reſtitutionis debito gravatus. Nec eſt quod opponas, te hoc malo animo non peregiſſe, nec vindictam, aut homicidium intendiſſe. Quoniam ſat eſt exteriorem ſermonem tuum concitaſſe, atque induxiſſe audientes illos ad malum exequendum. Num ignorantia, inadvertentia, aliæque circumſtantiæ interdum excuſare valeant, prudentum iudicio relinquo.

XXIX. *Recurſus* ſignificat acceptatores furum, atque malefactorum, quibus præbent refugium, ſecuritatem, commoditatem ad perpetrandum, aut continuandum malum. Hi omnes ad reſtitutionem tenentur: quia reipſa cooperantur, & influunt in malum. Audi S. Auguſtinum epiſt. LIV. *Illud vero fidentiſſime dixerim, eum qui pro homine ad hoc intervenit ne male ablata reſtituat, & qui ad ſe confugientem, quantum honeſte poteſt, ad rectitudinem non compellit, ſocium eſſe fraudis, & criminis. Nam miſericordius opem noſtram talibus ſubtrahimus quam impendimus. Non enim opem fert qui ad peccandum adiuvat, ac non potius ſubvertit, atque opprimit.* Advocatos, & iudices qui turpibus blandiuntur, & malefactoribus patrocinantur, vellicat, atque perſtringit Doctor ſanctus. Quare viri potentes, magnates, qui famulos ſuos videntes rapinas, damna, oppreſſiones exercere, non reprimunt, non coercent, tenentur ad reſtitutionem: quia nebulones iſti, dominorum protectioni, & patrocinio fidentes, hæc mala perpetrant, a quibus abſtinerent protectionis ſcuto deſtituti. Qui furta, latrones, eorumque inſtrumenta cuſtodiunt, qui occultant, qui aſylum præbent, ad reſtitutionem tenentur.

XXX. Qui vero poſt patrata furta, homicidia, ceteraque mala recipit, & occultat fures, malefactoreſque miſericordiæ titulo, ut eos ad fugam arripiendam adiuvent, non ut ad mala patranda excitent; a reſtitutione liberi ſunt: quia hi nullo modo influunt in mala. Immo qui hac ratione eoſdem recipiunt etiam ante mala commiſſa, ad reſtitutionem non tenentur; ut caupones, ſtabularii, aliique, qui ſolum hoſpitalitatis, aut amicitiæ titulo eoſdem excipiunt.

XXXI. *Participans* ille eſt qui aut aliquid prædæ percipit, aut aliquod auxilium ad furandum, malumque patrandum confert. Quare participans dicitur aut iniuſtæ actionis, aut rei acceptæ. Iniuſtæ actionis participantes dicuntur omnes qui ad malum concurrunt; ut fabriferrarii claves falſas furibus fabricantes, exploratores, qui excubias agunt, ut fures ſecurius bona furripiant, qui ſcalas admovent ad ingrediendum domos, qui res furto ſublatas cuſtodiunt, occultant, emunt, vendunt latronum nomine. Hi omnes ad reſtitutionem tenentur, & quidem

Digitized by Google

dem ad totum id in quod influxerunt, ſi malefactores ipſi reſtituere omittant, aſtringuntur.

XXXII. Qui vero ſunt participantes tantum rei furto ſublatæ, nulloque modo concurrerunt ad malum patrandum, tenentur ſolummodo id reſtituere quod percepere. Si quis bona fide, ignorans rem eſſe alienam, aliquid accepit, id quod extat, reddere debet, ſeu id in quo factus eſt ditior, iuxta ea quæ ſuperius dicta ſunt. Contra, qui mala fide participat de re aliena, ſemper, ſive res extet, ſive ſecus, reſtituere talis rei pretium tenetur.

XXXIII. Quid, ſi ſervus, aut alius quiſque, minis domini, ſeu malefactoris perterrefactus, gravique timore perculſus, concurrat ad actionem pravam? Antequam reſpondeo, propoſitionem damnatam 51. a Ven. Innocentio XI. tranſcribo. *Famulus qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.*

XXXIV. P. Dominicus *Viva* in commentariis ad hanc propoſitionem plura docet quæ alibi confutavi. Pauca nunc delibabo, ut propoſitam difficultatem illuſtrem. Regulam P. Viva proponit *num.* 111. a ſuis lectoribus ſervandam, ne errent in moralium librorum lectione. „ Verum (inquit) ne in iis legendis erretur, „ advertere oportet, quod in præſenti theſi proſcribitur, videl. ſufficientem cauſ- „ ſam in famulo ad adiuvandum in iis actionibus herum volentem ſtuprare vir- „ ginem, *Ne male tractetur*, *Ne torvis oculis aſpiciatur*, *Ne domo expellatur*, „ quibus verbis videntur locuti nonnulli apud Dianam... Palaus tamen ibi addu- „ ctus non docet ſufficere ſolum quod aliter famulus e domo expelleretur, ſed „ addit etiam quod expulſus cogeretur mendicare, aut penuriam pati; quod in „ hac theſi non proſcribitur explicite. "

XXXV. P. Viva principem cauſſam, in propoſitione expreſſam, in ſua regula ſilentio obvolvit. Et heinc immerito, ut ego quidem arbitror, excipit opinionem *Palai* a cenſura; & quod potiſſimum eſt, lectores ſuos non ſatis cautos reddit in Auctorum moralium lectione. Princeps autem cauſſa in propoſitione proſcripta hæc eſt, *Si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur* &c. Notabile ergo detrimentum pro cauſſa adiuvandi herum ad ſtuprandam virginem aſſignabant Auctores propoſitionis damnatæ. Utique hoc *notabile detrimentum* explicarunt ſubiectis ibidem exemplis. At propterea ne propoſitio a cenſura immunis eſt, ſi ob aliud *detrimentum notabile* afferatur, famulum poſſe adiuvare herum ſuum ad conſtuprandam virginem, ad furandum, ad aliud malum perpetrandum? Si famulus eiectus alium dominum cui inſerviret, continuo acquireret; quod-

Digitized by Google

quodnam detrimentum notabile perferret? *Penuriam pati* non proſcribitur in hac theſi? Quid ergo prodit *notabile detrimentum*, niſi penuriam, & quidem *notabilem*? Mendicato panem quærere notabile eſt in famulo detrimentum. At aſſerere, quod, ut hoc notabile detrimentum famulus declinet, poſſit adiuvare herum ad fornicandum, ad furandum, conceptis verbis proſcribitur. Plura tamen ſubdit P. Viva ibidem quæ temperant citatam ſuam regulam. Nam addit, mendicitatem famuli debere eſſe graviſſimam, & morte amariorem, ut poſſit dominum famulus adiuvare ad ingrediendum feneſtram virginis ſtuprandæ, in ſententia illorum qui hanc actionem inter indifferentes collocant. Ipſe enim cum Sanchez probabilius cenſet, eſſe hic & nunc intrinſecus malam. At, ut mihi videtur, ſatis implexe propoſitionem exponit, & vi probabiliſmi viam aperit theſim proſcriptam magnopere extenuandi.

XXXVI. Ut autem preſſius propoſitam quæſtiunculam diſpiciamus, fatentur omnes, illicitum eſſe concurrere ad actionem pravam, etiam cauſſa mortis vitandæ. At conſuetis diſtinctionibus metaphyſicis rem implicant. Contendunt, has actiones, nempe tenere ſcalam per quam herus ingrediatur cubiculum virginis violandæ, aperire ianuas, infringere ſeras, fabricare claves furi &c. eſſe abſolute ſpectatas indifferentes; quod verum habet. An non ſunt actiones indifferentes quod mulier denudet ſe, quod in lectum aſcendat ut iaceat, quod ſub hac corporis poſitura ſe diſponat? Quid, ſi ſtuprator iubeat, ut ſe denudet, ut in lectum ſe coniiciat, ut ſub tali corporis ſtatu ſe conſtituat qui aptus ſit ad ſuam explendam libidinem? Indifferentes ne actiones iſtæ erunt? Quis aſſeruerit? Spectari ergo actiones iſtæ debent ſuis circumſtantiis involutæ, & ut morales: quoniam ut tales obiectum ſunt Theologiæ Chriſtianæ. Quid ergo obtrudunt, actiones eiuſmodi ſecundum ſe, & præciſas a circumſtantiis, eſſe indifferentes ad bonum, & ad malum? Etiam coniunctio maris cum femina indifferens eſt ad bonitatem, & ad malitiam: nam bona in coniugatis eſt, mala in ſolutis. Ergo ne ob timorem mortis vitandæ licitum erit fornicari, quia actio illa ſecundum ſuam metaphyſicam notionem indifferens eſt? Nihil itaque ineptius quam eiuſmodi argutationes ab actione morali ſuis implicata circumſtantiis ad actionem metaphyſicam eiſdem denudatam: quia ſub hac ratione ad Metaphyſicam, ſub altera ad moralem Theologiam pertinet.

XXXVII. Ex adducta doctrina neceſſario conſequitur, neminem poſſe metu cuiuſcumque damni, etiam mortis, cooperari actionibus quæ in praxi malæ ſunt, licet præciſæ a circumſtantiis indifferentiam ſolam prodant. Non licet ergo ob cuiuſcumque damni metum nec ſervis adiuvare herum tenendo ſcalam ad ſtuprandam virginem; nec aurigis rheda deferre dominum ad amaſiam, ſeu concubinam; nec ruſticis pecora e ſtabulis dominorum abigere, fores infringere, inſtrumenta

præ-

Digitized by Google

præbere ad furta patranda, aut prædas furto ſublatas vehere: quia hæc omnia hic & nunc ſunt intrinſecus penes Theologiam moralem iniuſta, & iniquitatis plena. Franciſcus Sylvius in 2. 2. quæſt. lxII. art. 7. verb. *Participante*, excuſat ruſticos, coactos metu gravis damni, deferentes prædas militum furto ſublatas: quia præſumi non poteſt in his anguſtiis dominum eſſe invitum. Negat vero, licere eiſdem ruſticis fores infringere, pecora abigere. Verum aut in nullo, aut in utroque caſu domini non deberent eſſe rationabiliter inviti. Quia æque cooperantur furto qui deferunt alio bona furto ſublata, ac qui fores infringunt, inſtrumenta præbent, ſcalas tenent ad furta patranda. Hac eadem ratione non mihi probatur altera diſtinctio qua dicitur, Chriſtianos Turcarum captivos non poſſe explodere tormenta bellica adverſus Chriſtianos; poſſe vero in bello adverſus eoſdem remigare: nam tam iniuſta eſt actio remigandi quam explodendi præfata tormenta bellica. Omnes enim hæ, & ſimiles actiones ob iniuſtitiam belli hic & nunc intrinſecus malæ ſunt. Verum de his omnibus egimus in diſſertatione de ſcandalo: idcirco a fuſiore ſermone abſtineo.

§. III.

De iis qui negative cooperantur, nempe mutus, non obſtans, non manifeſtans.

XXXVIII. SUb una generali regula comprehenduntur tres indicati *mutus, non obſtans, non manifeſtans*: quia eodem modo, indirecte nempe, & negative, cooperantur malefactori ad malum patrandum, videlicet non clamando, non impediendo, non manifeſtando, cum poſſint, & ex iuſta cauſſa non excuſentur, & alioquin ex iuſtitia ad id teneantur. Hi omnes reſtitutioni ſubiecti ſunt: quia cum poſſint, & ex iuſtitia devincti ſint ad malum impediendum, & non impediant, cenſentur illud interpretative, & in morali æſtimatione velle. Qui ſolum ex caritate tenentur, peccant quidem non impediendo; at reſtitutioni non ſunt ſubiecti. Ex iuſtitia illi tenentur qui ex contractu, aut officio ad id deſtinati ſunt.

XXXIX. Quare ad reſtitutionem obligati ſunt gubernatores, miniſtri publici, medici, chirurgi, tutores, curatores qui non impediunt ea mala quæ eorum reſpective officia conſequuntur; nautæ qui navis ſubmerſionem non impediunt; patresfamilias qui filiorum, famulorumque malis non obſtant; belli duces qui milites ab iniuſtis prædis non retrahunt; Principes qui homicidia, latrocinia, monopolia non impediunt. Qua de re hæc ſcribit S. Thomas loc. cit. *Quinto tenetur ille*

qui

qui non obſtat, cum obſtare teneatur; ſicut Principes, qui tenentur cuſtodire iuſtitiam in terra, ſi per eorum defectum latrones increſcant, ad reſtitutionem tenentur : quia reditus quos habent, ſunt quaſi ſtipendia ad hoc instituta ut iuſtitiam conſervent in terra. Omnes itaque qui publicum miniſterium exercent, quique ex contractu, aut officio impedire debent damna, reſarcire eadem aſtringuntur. Secus dicendum de aliis qui ex nullo iuſtitiæ debito, ſed ſolum ex communi caritatis titulo aſtricti ſunt obſtare proximi malis, ut docet idem Angelicus loc. cit. ad 3. *Non ſemper ille qui non manifeſtat latronem, tenetur ad reſtitutionem, aut qui non obſtat, vel qui non reprehendit; ſed ſolum quando incumbit alicui ex officio; ſicut Principibus terræ, quibus ex hoc multum imminet periculum : propter hoc enim poteſtate publica potiuntur ut ſint iuſtitiæ cuſtodes.*

XL. Quid de iis qui pravo animo non obſtant, cum obſtare malis proximi valent? Quando ſolo caritatis titulo devincti ſunt, ad nihil tenentur. Quia debitum reſtitutionis ſupponit iuſtitiæ læſionem. Iſti ex iuſtitia impedire non ſunt obligati. Ergo nullum eſt reſtitutionis debitum. Quid, ſi iſti reciperent munera a fure, ne clamarent? Reſpondeo, tunc eos teneri ad reſtitutionem : quia hac pecuniæ acceptione influunt in furtum : fiunt enim tunc fures animoſiores, & maiori audacia, ac ſecuritate latrocinia perpetrant. Immo ſi abſque ullo pretio, vel munere, ſed ſola promiſſione ſe ſe obligarent furi ad non clamandum, ad non obſtandum, reſtitutioni ſubiecti eſſent. Quare nullo modo mihi probatur reſponſio Salmanticenſium, qui *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 5. *§.* 3. *num.* 153. cum aliis defendunt, iſtos, etiam accepta pecunia pro ſervando ſilentio, non teneri ad reſtitutionem. Siquidem, inquiunt illi, ſi poſſunt tacere ſine pretio, cur non poterunt accepto pretio? Næ hæc egregia ratio! Quia accepto pretio influunt in furtum, & velut fœdus ineunt cum latrone ad furtum patrandum.

XLI. Servi qui vident extraneos bona domini furantes, ad reſtitutionem tenentur, ſi taceant, ſi pro viribus non obſtent : quia ratione famulatus ex iuſtitia cuſtodire, & defendere ab extraneis invaſoribus res dominorum debent. Si fures domeſtici ſint, diſtinguendum. Primo famuli qui vident, aut ſciunt a domeſticis ſurripi bona propriæ cuſtodiæ concredita, tenentur ad reſtitutionem, ſi taceant, ſi non obſtent, ſi non manifeſtent : quia titulo iuſtitiæ has res cuſtodire aſtricti ſunt. Reſpectu aliarum rerum communium peccant, ſi taceant; at a reſtitutionis onere liberi ſunt; cum nec ex officio, nec ex iuſtitia cuſtodire præfatas res contra fures domeſticos teneantur. Spectandæ tamen circumſtantiæ ſunt præſertim pacta, & conſuetudines : nam valde infideles eſſent famuli illi qui videntes dominorum bona prodigi, ſurripi, dilapidari, ſilerent.

XLII. Cuſtodes agrorum, vinearum, pratorum, montium, ſilvarum, conſtituti pacto pretio a domino, ut invigilent, cuſtodiantque præfata bona a quocumque inva-

invaſore, reſarcire damna tenentur, ſi taceant, ſi non reſiſtant pro viribus. Idem dicendum de cuſtodibus a Principe conſtitutis, ne merces aut extrahi, aut importari ſinant, gabellis non ſolutis. An vero teneantur etiam pœnam ſolvere quam luere rei debuiſſent, ſi accuſati a cuſtodibus fuiſſent, non una eſt Auctorum ſententia. Adfirmant aliqui. Sed probabilior videtur ſententia negans: quia præfati cuſtodes non videntur ex iuſtitia devincti ad reos accuſandos, ut mulctis Princeps ditetur. Spectandæ tamen ſunt circumſtantiæ, pacta inita inter cuſtodes, & dominum vectigalium. Nam ſi hæ accuſationes in pactum deductæ eſſent, dubio procul tenerentur ad reſtitutionem. Spectanda eſt quantitas damni illati, & alia pluра, antequam vel liberentur, vel iudicentur reſtitutioni obnoxii.

§. IV.

Quem ſervare ordinem debeant cooperantes actioni iniuſtæ.

XLIII. QUæ certa ſunt præmitto. Quando plures ad furandum concurrunt, illi primi omnium reſtituere tenentur in quorum manibus bona ſurrepta inveniuntur aut in ſeipſis, aut in eorumdem pretio. Quoniam iſti tum ex iniuſta acceptione, tum ex re accepta reſtituere debent. Qua reſtitutione peracta, ad nihil ceteri tenentur. Quin ſi aliquis iſtorum quidquam reſtitueret domino ante, vel poſt integram plenamque reſtitutionem factam a fure, reddenda tunc huic a domino eſſet: quia ex furto ſibi facto locupletari dominus non debet. Ceteri enim tum obligati ſunt reſtituere, cum principales nolint, & reipſa implere proprium debitum omittant. Si res furto ſublata in manus pervenerit bonæ fidei poſſeſſoris, is rem, ſi extet, reddere debet, ſi non extet, id in quo ditior factus eſt: & ſi rem a fure, ſoluto pretio, accepit, actionem habet contra eumdem.

XLIV. Quando bona non extant, quia nihil ſurreptum eſt, ſed damnum tantum irrogatum, reſarciendum eſt ab illis primum qui principales fuerunt ad damnum inferendum, ab aliis vero in iſtorum defectu. Quod ſi principales reſtituant, & res ablata extaret apud ſocios, reddenda eſſet illis qui reſtitutionis debitum ſolverunt. Illi autem dicuntur cauſſæ principales qui iubent, qui dirigunt, qui incitant, provocantque alios ad malum patrandum. Immo qui minis, dolis, fraudibus alios inducit ad malum inferendum, ſi quid iſti reſtituerent, compenſandum illis eſſet a principali inſtigatore, qui ſolus mali cauſſa eſt. Poſt cauſſam principalem tenetur executor furti, aut damni irrogati. Executore reſtituente, liberi ceteri ſunt. Deficientibus cauſſa principe, & executore, debitum reſtituendi ſub-

Digitized by Google

ſubeunt ceteri ſocii, qui fuerunt cauſſæ poſitivæ minus principales, ut conſentientes, conſulentes, palpones, participantes. Cauſſa tamen principalis ſemper onere gravatur compenſandi iſtos, ſi ſolverunt in defectu illius; ut docet S. Thomas *loc. cit. ad 2. & art. 6. ad 3.* Quando vero plures cauſſæ æque principales, aut plures æque ſecundariæ ad totum damnum concurrunt; tenentur ſingulæ, ſecundum quod commodum reportarunt. Quod ſi una reſtituere negligat, tum ſinguli tenentur in ſolidum; & ceteri compenſare ſemper aſtringuntur illos, aut illum qui reſtitutionis onus implevit.

XLV. Ceteræ cauſſæ minus principales, deficientibus cauſſa principali, & executore, nullum invicem ordinem ſervant; ſed omnes eodem modo tenentur; quando eodem modo in damnum illatum influxerunt, primum quidem cauſſæ poſitivæ; & quando aliquæ refugiunt debitum ſolvere, tum ſingulæ tenentur in ſolidum, ſi ad totum damnum concurrerint. Cauſſis poſitivis nolentibus reſtituere, ſuccedunt in reſtitutionis debito cauſſæ negativæ, quæ in ſolidum reſtituere debent plus minuſve iuxta maius aut minus debitum impediendi damna illata. Ordo in iſtis ſervandus, eſt, ut primo loco teneantur ſuperiores, qui impedire neglexerunt; ſecundo cuſtodes rerum; tertio teſtes, qui iuridice interrogati poterant mala impedire; quarto qui ex officio tenebantur monere, clamare, reſiſtere, & hæc præſtare neglexerunt. Semper tamen obſervandum eſt, quænam ex his cauſſis arctius & proximius aſtricta erat ad impedimenta præſtanda ne mala ſequerentur.

§. V.

Quomodo omnes recenſitæ cauſſæ reſtituere in ſolidum teneantur.

XLVI. SErmo eſt de pluribus cauſſis exequentibus idem furtum, ſeu damnum, non de pluribus participantibus de eadem re furto iam ſublata. Nam certum eſt te invitatum ad cœnam furtivam, ſeu rei furto ablatæ, teneri dumtaxat ad reſtitutionem ſolius partis quam comediſti. Quando plures ingrediuntur ad vineam devaſtandam, nulla habita invicem conſpiratione, ſed alius alterius ignorans conſilium, & quiſque damnum ex ſe inducit; tum tenetur quiſque reſarcire tantummodo damnum a ſe illatum, cum nullum influxum moralem in aliorum damnum contulerit. Immo etiamſi ſimul concurrant ad furandum, ſinguli reſtituere debent propriam partem furto ſublatam, maiorem aut minorem. Certa hæc ſunt. Illud in diſputationem revocatur, utrum ſi quatuor concurrant ad furtum, teneantur ſinguli in ſolidum, ita ut deficientibus tribus quartus debeat totum reſtituere.

XLVII.

Digitized by Google

XLVII. Quando plures ad idem malum, puta furtum patrandum concurrunt; ſi unus ſit principalis motor, is primum in ſolidum reſtituere debet. Sic Principes, & eius conſiliarii reſarcire damna belli, duces, tribuni damna militum: quia hi ſunt principales motores, & cauſſæ morales omnium damnorum quæ ex belli iniuſtitia proficiſcuntur. Milites inferiores in defectu principalium ea compenſare damna debent, quia ipſi immediate exequuntur. Quod cauſſæ principales, & moventes teneantur in ſolidum reſtituere, in diſcrimen revocari haud poteſt; cum ſint cauſſæ morales influentes in totum malum, cum dirigant cauſſas exequentes, & moraliter applicent ad damnum inferendum. Iſtæ autem cauſſæ applicatæ ſecundariæ ſingulæ tenentur ad reſarciendam partem damni illati, quando iſtud dividuum eſt, nec una cauſſa excitavit, aut induxit alteram, ſed quælibet ſeiunctim moraliter damnum intulit.

XLVIII. Quando ad damnum individuum, videlicet ad eamdem navim, aut domum incendendam, ad eumdem hominem necandum, ad eumdem gregem abigendum, ad eumdem indignum eligendum plures concurrunt, tenentur ne ſinguli in ſolidum? Negat prior ſententia: quia quando plures ſocii, quorum nullus eſt principalis, eumdem effectum ſimul producunt, ſinguli tenentur ad partem reſpondentem damno illato. Quando enim plures navim trahunt, quorum unus impotens eſt ad eam trahendam, ſinguli non ſunt cauſſa totius effectus. Et reipſa mercedem ſinguli recipiunt pro laboris parte, dum navim trahunt in commodum domini. Ergo ſi, cum proſunt, ſingulis non debetur totum ſtipendium mercedis; ſimiliter, cum nocent, ſingulis imputandum non eſt totum damnum, ſed cuilibet ſua reſpondere pars debet.

XLIX. Communis & vera ſententia docet, omnes in ſolidum teneri ad damnum compenſandum quod communi conſenſu, & conſpiratione induxerunt. Nam tametſi a ſingulis phyſice partialiter malum inducatur, moraliter tamen totum a ſingulis infertur: quia ratione mutui conſilii, & reciprocæ conſpirationis omnes ſocii ſiunt una cauſſa moralis totius damni. Singulæ utique cauſſæ partem illati damni reſarcire debent. At ratione moralis coniunctionis ſingulæ, deficientibus, aut refragantibus ceteris, in ſolidum tenentur: quia cuique totum imputatur damnum.

L. Socius qui neſcit, aut dubitat, utrum alter ſocius qui fuit damni illati cauſſa princeps, reſtituerit, tenetur ne totum reſtituere? Et eadem eſt quæſtio, quando dubitatur, num ſocii propriam partem damni reſarcierint. Accedit ad Confeſſarium unus ſociorum, paratus reſtituere ſuam damni partem; dubitat vero, utrum ceteri ſocii id præſtiterint, aut præſtare parati ſint. Quomodo ſe gerere Confeſſarius debet?

LI. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 5. *§.* 5. *num.* 152. caſum proponunt, in-

inquientes frequentem eſſe, neminemque vidiſſe illum proponentem. Reſpondent vero, hunc, ſi neſciat ſocios propriam reſarciſſe partem, ad nihil præter id quod debet, teneri: quia præſupponere debet ceteros ſuæ ſatisfeciſſe conſcientiæ; cum nemo præſumendus malus ſit, niſi probetur, aut conſtet malum eſſe. Si vero dubitet, tum adhibenda diligentia eſt ad veritatem inquirendam. Si autem poſt adhibitam diligentiam perſeveret dubium, contendunt, hunc non teneri niſi ad ſuam partem: quia ad alias damni partes non aſtringitur niſi in defectu aliorum. Porro ſi dubium eſt de tali defectu, dubium eſt de tali obligatione: & cum obligatio non poſſideat, ſed libertas ab obligatione; conſequitur, nullam eſſe reſpectu aliarum partium obligationem, iuxta commune axioma: *Melior eſt conditio poſſidentis*. Potiſſimum quod in dubio non eſt alterius peccatum præſumendum.

LII. Hæc doctrina mihi non probatur, utpote probabiliſtica; immo vix probabilis mihi apparet. Nam certa & evidens eſt obligatio in ſolidum. Admiſſa præfata doctrina, hæc obligatio certa & evidens in nihilum abiret. Quandoquidem ſicut hic ſocius dubitat de alterius ſatisfactione; ita alter dubitare poteſt de aliis. Quare contingere caſus poteſt ut una dumtaxat pars ingentis damni domino reſtituatur. Singuli enim ſociorum præſumere poterunt ceteros ſatisfeciſſe. Dominus autem ius certum & compertum habet a quolibet ſociorum exigendi totum damnum. Ius iſtud certum, etiam iuxta doctiores Probabiliſtas, elidi a dubia ſolutione nequit. Præfato axiomate, favente poſſeſſori, abutuntur frequentiſſime Probabiliſtæ. Dominus poſſidet ius certum & inconcuſſum. Ergo iſtius conditio melior eſt. Certum inſuper eſt ſingulos teneri in ſolidum, nempe ad totum damnum reſarciendum. Ergo iuxta vel ipſos Probabiliſtas hoc certum debitum prævalere dubio debet. Durum & amarum eſt obligare pœnitentem ad totius damni compenſationem. Periculum eſt ne ſocius monitus a Confeſſario id prætermittat, pluraque peccata perpetret. Vera hæc omnia ſunt. At numquid ex his abſurdis vera doctrina falſa evadet? Socius ergo iſte certior fieri debet, uſquedum dubium deponat: & ſi dubius exitat, compenſare integrum damnum debet. Hoc mihi probabilius eſt, & tutius. Tutiora autem in dubiis amplectenda ſunt.

CAPUT X.

De obligatione ex turpi promiſſo, vel ſtipulatione orta.

I. NON minus gravem quam impeditam & valde litigioſam diſpiciendam ſuſcepi quæſtionem. Digna tamen hæc eſt ut diligenti ſtudio, & interpretatione expendatur. Primum omnium eiuſdem perſpicuam intelligentiam expono. Sempronius, ut virginem ad ſtuprum, uxorem alterius in adulterium, puerum ad nefarium crimen, ſicarium ad homicidium patrandum illiceret, mercedem certam promiſit. Diſputatur, utrum ex hoc flagitioſo promiſſo obligatio oriatur, actiove aut ſolvendi promiſſi, aut flagitandi? Hæc eſt prima quæſtio diſputanda. Altera de reſtitutione lucri turpis poſtea diſcutietur.

II. Convenit penes omnes, ante admiſſa ſcelera nullum eſſe promiſſum, atque adeo reſcindendum ab utroque ſtipulatore. Nemo quippe aut ſibi, aut alteri pacto aliquo vel conventione imponere peccandi neceſſitatem valet. Quare omnis promiſſio, etiam iuramento firmata, de re turpi nulla eſt, & inique impletur; ſicuti Herodes ſcelerate implevit iuramentum puellæ ſaltatrici factum. Docent quoque omnes, vel ipſi Probabiliſtæ, pretium promiſſum ob turpem actionem patrandam nullum inducere ſolvendi debitum, ſi malum, puta homicidium, patratum non ſit. Diſputant vero, num talis promiſſio implenda ſit, malo patrato?

III. Reſpondent Salmanticenſes *tractat.* XIII. *cap.* I. *punct.* 6. *num.* 154. his fere verbis. Sit regula generalis. Attento iure naturæ, perpetrato opere illicito (ut homicidio, ſacrilegio, maleficio, incantatione, fornicatione, falſa ſententia) de quo patrando initus contractus erat, vel promiſſio, tenetur promittens ſolvere pretium, & recipiens non tenetur ad reſtitutionem talis pretii. Quia ſicut alter in contractu oneroſo implevit quod promiſerat, par eſt ut alter etiam quod promiſerat ſolvat. Tum. Omnis promiſſio implenda eſt, cum licite impleri poteſt. Sed poſito alterius opere illicito, licite impleri promiſſio valet, licet non ante illud. Ergo implenda. Denique res illicita eſt pretio æſtimabilis, tum ratione laboris, & periculi, cui ſe executor committit; tum voluptatis & delectationis eius qui rem illicitam fieri curavit. Eſt communis ſententia Doctorum.

IV. Communem hanc eſſe Theologorum ſententiam, verum habet. Non deſunt tamen Theologi, & quidem graves, qui oppoſitum ſentiant. Porro quoties quæſtio gravis eſt, & quæ in utramque partem a Theologis diſputatur, vix ego meam

meam ferre ſententiam audeo ob errandi periculum; niſi evidens & luculenta ratio occurrat, quæ ſane in hac quæſtione mihi non ſplendet. Illud tamen fateri debeo, fortius me premere argumenta quæ præfatæ ſtipulationis valorem negant. Igitur ut mihi, & lectori meo caveam, utriuſque partis argumenta dabo: qui vero longius vident, quid ſentiendum ſit, definiant.

V. Oppoſitam itaque opinionem propugnant Adrianus in IV. de reſtit. *§. Reſtat inquirere*. Ioannes Medina *Cod. de reſtit.* Navarrus in *Manual. cap.* XVII. *num.* 38. VVigers *tractat.* v. *de Contract. cap.* 11. *dub.* 6. Paulus Comitolus *Lib. III. quæſt.* v. Henricus a S. Ignatio *Lib. IX. cap.* XLII. Continuator Turnely *Part. III. de reſtitut. ſect.* 4. Auctor *Collat. Pariſ. Tom. IV.*

VI. Argumenta quæ evincunt, omnia pacta, promiſſa, ſtipulationes quæ pro ſcelere patrando facta fuerunt, nulla eſſe, ſive ante, ſive poſt ſceleris executionem, hoc ordine recenſebo. Primo ea promam quæ præfata pacta abſolute omiſſa diſtinctione temporis, ante & poſt factum, damnant. Deinde exponam ea quæ ſtipulationem nullam oſtendunt etiam poſt patratum flagitium.

VII. Et primum iura tum ſacra, tum civilia abſolute decernunt, ſtipulationes ob turpem cauſſam initas nullius eſſe momenti, nullam habere vim, pro infectis habendas. Gregorius IX. cap. *Pactiones*, hæc ſtatuit: *Iuxta legitimas ſanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impoſſibilis, de iure, vel de facto nullam obligationem inducit*. Gloſſa in illa verba *Rei turpis*. „ Nulla rei turpis eſt obliga-„ tio. " Item regula *Non eſt obligatorium* in 6. de regul. iur. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum*. Plura alia allegat Comitolus, quæ prætereo. Iura civilia in l. *Generaliter*, 26. ff. de verbor. obligat. tit. 1. *Generaliter novimus, turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti*. Item in l. *Mercedem* Cod. de condict. *Ob turpem cauſam ex ſtipulatione contra bonos mores interpoſita denegandas eſſe actiones, iuris auctoritate demonſtratur*. Item l. *Pacta quæ*. Cod. de pactis: *Pacta quæ contra leges conſtitutioneſque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati iuris eſt*. Plurima alia prætermitto.

VIII. Paulus Comitolus *loc. cit.* contendit, hanc eſſe omnium Doctorum ſententiam, *duobus* (inquit num. 2.) *exceptis, Soto, & Caietano*. Idcirco ſubdit *num.* 5. prudentis diſputatoris eſſe, ſuperſedere a Doctorum teſtimoniis in hac cauſſa. *Sed quoniam* (ſubdit) *res agitur cum pertinacibus adverſariis, hoc genus probationis haud prætermittendum eſt*. Laudat ſubinde plures iuris pontificii interpretes. Fallitur Cl. Comitolus, dum oppoſitam ſententiam *Soto, & Caietano* tantum adſcribit. Compertum quippe eſt maiorem Theologorum partem in eamdem concedere opinionem. Et niſi factum manifeſtum eſſet, Auctores promerem. Sed ultra pergere ſatius duco.

IX. Altera igitur propoſitæ quæſtionis pars evincenda eſt, videlicet etiam poſt

K ij per

peractum maleficium, & flagitium nullam in promittente obligationem, nullam in malefico actionem repetendæ pactæ mercedis ſupereſſe. Sit itaque primum argumentum. Si poſt factum, ſolvendum pretium promiſſum eſt, vim aliquam ſtipulatio habet. At nullam habere leges declarant. Præterea omnes etiam adverſarii fatentur, ejuſmodi ſtipulationes reſcindendas omnino eſſe. Nullius ergo momenti, & obligationis ſunt. Si enim vinculum quodpiam inducerent, non eſſent omnino reſcindendæ; nec leges & iura omnia clamarent, pro infectis habendas, ut inutiles improbandas. Sed ut ad incitas adverſarii redigantur, ſic argumentor. Si ſtipulatio hæc poſt factum vim habet, eam profecto non habet ex novo pacto, ſeu conventione inter contrahentes; ſed ex pacto quod factum præceſſit. Alterutrum ergo fateantur adverſarii neceſſum eſt: aut ſtipulationem hanc validam eſſe ante, & poſt factum, aut nullam eſſe tum ante, tum poſt factum: Nulla hic ad effugium rima patet.

X. Accedit quod ſtipulationis contractus in contrahentium verbis quæ eorumdem conſenſionem prodant, ſitus eſt. Sed ſtipulatio ſolvendæ mercedis pro re turpi nullam retinet conſenſionem; cum hæc mutua conſenſio prava & ſcelerata ſit. Ergo nullam retinet contractus formam. Caret itaque omni obligatione, & actione, ſive quæ factum antecedat, ſive quæ conſequatur. Cedo: numquid obligatio, ſive conventio ſemel extincta, aliquando reviviſcit? Negant omnes. Ergo multo minus obligatio quæ numquam fuit ante factum, immo pro infecta ab omni iure naturali, divino, & humano habetur, aut reviviſcet, aut exiſtet. Confirmant hoc tria quæ ſequuntur argumenta. Primum. Lex, ratio, Deus infenſius oderunt, ſeveriuſque puniunt iniquitatem patrati ſceleris quam patrandi. Ergo ſi propter turpitudinem rei nondum factæ vim obligationis a ſtipulatione auferunt, multo magis auferre eam debent ob rei factæ pravitatem. Alterum. Obligationes quæ ad malum impellunt, ſceleraque fovent, tolerari minime debent. Sed ſi ſtipulationes, & pacta ſolvendæ mercedis pro flagitio committendo ſervanda forent, peccandi licentia impudentius graſſaretur, & aditus ad infinita ſcelera patefieret. Tertium. Vota, & iuramenta, quæ nos Deo devinciunt, plus roboris habent quam promiſſiones humanæ. Sed vota, & iuramenta ex communi Theologorum ſententia pro peccato patrando nulla ſunt. Ergo multo magis promiſſiones humanæ.

XI. Ultimo loco P. Comitolus poſt argumenta quæ paucis demptis recenſui; hæc ex Durando adducit, quæ totidem referre verbis lubet. Poſtrema, inquit, ratio eſt Durandi, cui nullus refragabitur, non pravi animi contentione provectus. Sic enim argumentatur in *III. diſt.* XXXIX. *quæſt.* IV. Iusiurandum quod turpi conditione conceptum eſt, ubi ea extiterit, non eſt neceſſario ſervandum. Qui votum facit inhoneſta conditione pollutum, ſi poſt conditionis eventum illud cogitur

igitur ſolvere, accidere id non poteſt, niſi quia furtum v. g. e ſententia evenit. At ob id votum ſolvere eſt novo ſe impietatis ſcelere obligare. Quare qui aiunt, poſtquam extitit conditio, voto ſatisfacere debere eum qui ad votum turpem conditionem adiunxit, quamvis non ex conditione id fieri debere dicant, aientia, & negantia eodem tempore fateri coguntur, inquit Durandus. Quæ argumentatio in omnia promiſſa, & conventiones valet, quæ aut conditionis inhoneſtæ, aut flagitii adiunctione inquinantur; ut, Tantum tibi dabo, ſi plagium, ſi necem feceris, ſi alio quopiam ſcelere obſecutus mihi fueris. Iuramentum, inquit S. Thomas in *III. diſt.* 39. *quæſt.* 1. *art.* 3. quod de neceſſitate ad peccatum obligat, ab alia obligatione evacuatur: quod cadit in omnem aliam promiſſionem non iuratam, cuius minus arctum eſt vinculum.

XII. Ex his omnibus ſerio conſideratis, matureque expenſis colligitur, contractus, pactiones, ſtipulationes, promiſſa quæ cum honeſtate morum, cum ſanctitate legum pugnant; nullam parere obligationem quæ ex contractu ſit; ſed obligationem tantum ex maleficio, quæ efficit ut contrahentes æternis pœnis apud Deum, & apud homines etiam ultimo ſupplicio digni ſint. Vere enim, concludit P. Comitolus, illud a D. Thoma editum eſt in *IV. diſt.* 17. *quæſt.* 11. *art.* 3. *quæſt.* 11. *ad* 1. quilibet peccator non ſolum æterna, ſed etiam temporali morte dignus eſt.

XIII. Contrariæ ſententiæ argumenta, quæ iam ſupra ex Salmanticenſibus indicavi, iterum proponenda, & expendenda ſunt. Prima atque præcipua quæ opponitur ratio, hæc eſt. In flagitiis eorum qui ad ſcelerate agendum aut corpora, aut operas ſuas locant, diſtingui duo debent, & ſecerni. Unum eſt actionis pravitas, Deique offenſio; alterum voluptas, delectatio, entitas actionis, moleſtia, periculum, cui flagitioſus exponitur. Primum venale eſſe nequit; ſecundum natura ſua & per ſe vendibile eſt.

XIV. Reſpondet P. Comitolus, hac ratione vendibilem Deum eſſe, Angelos, animam rationalem, gratiam divinam, ſacramenta, quatenus entia ſunt. Quid quod hæc diſtinctio metaphyſica perperam adduci videtur ad morum quæſtiones dirimendas? Præfata maleficia & flagitia ſub contractum & venditionem non cadunt, quatenus entia intellectus præciſione abſtracta, ſed ut ſuis conditionibus involuta. Voluptates quæ inſunt flagitiis, ſceleſtæ ſunt & improbæ. Ergo ſi flagitia ipſa venalia non ſunt, neque voluptates quæ flagitia comitantur, vendi poterunt. Quandoquidem voluptates quæ improbas ſceleratasque conſequuntur actiones, improbas & ipſas eſſe, atque illarum actionum naturam induere, nemo inficiari valet. Ergo voluptas quæ eſt ſceleris comes, & ipſa ſcelerata eſt. Ergo quemadmodum ſcelus ipſum nullo tempore venale eſt, ita neque eiuſdem comes voluptas. Quid quod ſceleratior voluptas quam ſubſtantia operis cui inhæret, eſt? Voluptas

Digitized by Google

quippe eſt veluti improbi operis lenocinium, eidem famulatur, & inſervit: illud appetibile, diuturnius, iucundiuſque efficit. Cur tanto impetu homines feruntur in flagitia, & veluti equi, ac muli libidinibus ſeſe ingurgitant niſi ob voluptates? Numquid voluptates iſtæ ſeparari ab actione valent? Quis umquam voluptatibus, & non operibus flagitioſis pretium pependit? Opera autem flagitioſa cum apud Deum, tum apud homines non pretium, ſed ſupplicia mereri, quis eſt qui inficietur? Idque luculentius evincitur. Si voluptas operis vitioſi venalis foret, pretioque digna; diligi ſane poſſet, & deſiderari. Quis vero ita deſipiat, ut afferat diligi abſque nova culpa poſſe voluptatem quæ opus flagitioſum comitatur? Poſtremum, ſi opus vitioſum aut ratione entis, aut ratione voluptatis, aut ratione moleſtiæ, laboris, periculive pretium meretur, & mercedem, venale abſolute eſt. Ergo æque ante factum ac poſt emi, vendi, & ſtipulatio, atque conventio fieri de eo poteſt. Negant adverſarii, fieri id ante factum poſſe. Ergo negent eadem ratione neceſſum eſt, licitum id poſt factum eſſe. Si periculum cui ſicarius ſubiacet, venale eſt; venale erit periculum æternas ſubeundi penas: quo quid abſurdius dici valeat, non video. Primum itaque, atque potiſſimum oppoſitæ ſententiæ fundameutum omni ex parte corruere videtur.

XV. Altera iſtius ſententiæ ratio eiuſmodi eſt. Stipulatio cum meretrice inita de pretio ob turpem concubitum pendendo, ſaltem poſt factum, valet, cogiturque ab iudice ſcortator conventum pretium ſolvere. Siquidem licet meretrix turpiter agat, eo quod meretrix eſt, non tamen turpiter accipit, ut eſt in *l. 4. ff. de condition. ob turp. cauſ.* quam legem ſecuti ſunt Theologi omnes.

XVI. P. Comitolus, qui totidem verbis hoc ſibi proponit argumentum, perdocte tria diſtinguit. Primum, num ſtipulatio inter ſcortatorem & ſcortum valeat? Secundum, utrum turpiter accipiat? Tertium, utrum iure ſibi debitum capiat quod capit? Primum ex iis quæ dicta ſunt, penitus corruit. Nemo quippe Catholicorum in diſcrimen vocat, meretricium coitum opus eſſe flagitioſum, iure naturali, divinoque interdictum, ac ſcelus æternis ſuppliciis puniendum. Ergo ſi ſtipulationes de turpi opere patrando nullæ ſunt, & improbæ, non eſt cur conventiones de opere mererricio factæ valere debeant.

XVII. Secundum caput duplici reſponſione diluit præfatus Comitolus. Meretrix turpiter accipit, ſi accipiat vel propter ſtipulationem, quæ criminoſa eſt, vel propter ſcortationem, quod crimen eſt. Cum enim acceptionis cauſſa turpis ſit, turpem quoque acceptionem eſſe neceſſum eſt, novoque crimine contaminatam. Si vero tamquam munus, & quid gratuito donatum, &, ut Navarrus ait, tamquam quid derelictum accipiat; tum non turpiter accipit: vel, ut ſubdit Comitolus, ſi accipiat tamquam lucrum ſibi a lege tributum, legeque iubente ſibi addictum.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Tertium caput infirmius eſſe contendit P. Comitolus, nec multorum, nec gravium Auctorum habere approbationem. Et quidem Navarrus in *Manual. cap.* XVII. *num.* 38. & Medina *cap. de Reſt. quæſt.* XX. & Adrianus *loc. cit.* evincunt, huic luparum gregi nihil ex iuſtitia deberi. Comitolus duo hæc diſtinguit: meretricem turpiter non accipere, & promiſſam mercedem iure perſequi. Nam turpiter non accipit, ſi eo quo dictum eſt modo accipiat. Turpiter vero accipit, ſi vel propter flagitioſam ſtipulationem, vel propter flagitium accipiat. Quandoquidem in ſtipulatione, & flagitio nulla eſt obligatio, niſi ex maleficio. Reſtat igitur, pergit P. Comitolus, ut quemadmodum iure pactum fœdæ libidinis pretium petere meretrix poſſit, exquiramus. Refert Bartolum, Cynum, eiuſque aſſectatores, docentes, ideo meretricem iure petere, quia principio ſtipulatio rata fuit; quod improbatum ſupra eſt. Alii ius petendi in eo agnoſcunt, quia actus venereus vendibilis eſt, aut ut ens, aut ut voluptuarius: quam diſtinctionem quoque reiecimus.

XIX. Poſt aliorum pronuntiata ſuam promit Comitolus ſententiam: cuius expoſitio, inquit, vereor ne novitate ipſa minus alicui probabilis videatur. Tria iſle diſtinguit. Unum eſt, civitatum Principes, & legiſlatores neceſſitate adductos meretricum genus, quæſtumque meretricium permittere, ut hoc minore malo maiora mala, & ſcelera caveantur. Nam ſi meretrices ab hominum cœtibus abigerentur, eodem tempore in civitates ſtupra, inceſtus, adulteria, ſacrilegia, aliaque innumera flagitia infunderentur: quæ ſapientis rectoris eſt nulla ratione in hominum vita tolerare. Alterum eſt, ceterorum flagitiorum quæ legibus puniuntur, lucra fiſcum ſibi vendicare ex *l. Lucius ff. de iur. fiſc.* Lucrum autem ex peccato meretricio relinqui meretrici *l.* 4. *ff. de condit. ob turp. cauſ.* idque ob multa commoda quæ civitatibus, hominumque ſocietati comparantur. Tertium, legem iuſte in eum poſſe animadvertere qui cum vulgari ſcorto volutatur; & quia peccat, iuſte ei mulctam irrogare. Qua lege poſita, pactum pretium, nulla iudicis expectata ſententia, ſolvendum ſcorto eſt. Pretium ergo meretrici deberi, P. Comitolus concludit, non ex iuſto aliquo contractu, non propter peccatum eius, ſed ſcortatoris, quem lex, & communis iudiciorum conſuetudo ad hanc ſubeundam mulctam, ſeu pœnam damnat. Et hæc quæ dicta ſunt, concludunt etiam de ceteris feminis quæ viros non habent.

XX. Opponunt tertio loco. Sponſalia inita cum muliere ea conditione, ſi ſui corporis copiam fecerit ſponſori, valent. Contractus etiam matrimonii turpis conditionis acceſſione, modo unum aliquod e tribus matrimonii bonis non evertat, ratus eſt. Reſp. Pactiones iſtas ratas Eccleſia habet ex ſua peculiari conſtitutione, qua propter bonum commune ſpirituale, dum favere ſponſalibus, & matrimonio decrevit, turpes conditiones tamquam non adiectas declaravit. Quamobrem

Digitized by Google

oppoſitio facta, inquit P. Comitolus, noſtram confirmat ſententiam. Nam Eccleſia, ut rati ſint contractus iſti, conditionum turpitudinem ſubmovet, & nudum contractum conſiderari definivit. Quam reſponſionem confirmat hac præceptione Durandi in III. Sent. diſt. 39. quæſt. IV. *In promiſſionibus, obligationibus, legatis, contractibus, quæ ſunt hominis ad hominem, iura poſſunt ponere, vel tollere obligationem in pœnam delinquentis, & in favorem innocentis, ſeu in favorem ſtatus contractus. Ita conditio impoſſibilis, vel inhoneſta, quæ non eſt contra bona matrimonii, habetur pro non adiecta ult. cap. de cond. appoſ. Et in legatis conditio mala habetur pro non adiecta.*

XXI. Quarto loco opponunt. Iuda filius Iacob, cum Thamar hœdum ſpopondiſſet, ſi ea potitus eſſet, poſtquam cum ipſa conſuetudinem habuit, ne mendacii coargueretur, hœdum miſit. Ergo Iudæ exemplo, quod ſcorto promittitur, efficiendum eſt.

XXII. Sola expoſitione facti, quod *Geneſis* XXXVIII. narratur, evaneſcit obiectio. Thamar veſtitu mutato, opertaque facie, ne a Iuda ſuo ſocero agnoſceretur, conſedit in bivio. Illic advenientem Iudam præſtolatur. Quam conſpicatus Iudas, cum ſcortum eſſe ſuſpicaretur, num ſecum commiſcere corpus vellet, ſciſcitatur. At illa: *Quid mihi dabis, ut fruaris concubitu meo? Dixit: Mittam tibi hœdum de gregibus. Rurſumque illa dicente: Patiar quod vis, ſi dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris.* Cui petenti dedit annulum, armillam, & baculum. *Miſit autem Iudas hœdum per paſtorem ſuum, ut reciperet pignus quod dederat mulieri: qui cum non inveniſſet eam, interrogavit homines loci illius: Ubi eſt mulier quæ ſedebat in bivio? Reſpondentibuſque cunctis: Non fuit in loco iſto meretrix: reverſus eſt ad Iudam, & dixit ei: Non inveni eam... Ait Iudas: Habeat ſibi: certe mendacii arguere nos non poteſt. Ego miſi hœdum quem promiſeram... Ecce autem poſt tres menſes nuntiaverunt Iudæ, dicentes: Fornicata eſt Thamar nurus tua... Dixitque Iudas: Producite eam, ut comburatur. Quæ cum duceretur ad pœnam, miſit ad ſocerum ſuum, dicens: De viro cuius hæc ſunt, concepi: cognoſce, cuius ſit annulus, & armilla, & baculus. Qui, agnitis muneribus, ait: Iuſtior me eſt.*

XXIII. In hac narratione, inquit P. Comitolus, quid eſt, obſecro, quod cauſſam non magis opprimat quam erigat adverſariorum? Primum ſontis hominis nobis exemplum proponitur, ex quo ius ſumi non oportebat. Deinde nos de meretricularum lucris, quæ ſine fraude, & mendacio ſuo corpore merentes faciunt, diſſeruimus: quibus mulieribus ius omne ignoſcit. Iſti pro meretrice inceſtam mulierem, quæ fraudem capitalem admiſit, & cui nulla parcit lex, & cui turpia lucra adimit, nobis obtrudunt, concludit totidem verbis Comitolus: qui advertit, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Hieronymum culpæ ſontes damnare tum Iudam,

tum

tum Thamar; quamvis oppoſita ſententia arrideat Theodoreto, & Ambroſio. Ceterum Iudas hœdum miſit, non tam ut mercedem ſolveret, quam ut pignora ſua redhiberet. Denique Iudas hœdum mittendo, non tam ius ex ſtipulatione turpi, quod nullum erat, ſpectavit, quam ne mendacii inſimulari a muliere poſſet.

XXIV. Ultimo loco opponunt. Non eſt viri boni mentiri. Sed qui promiſſi fidem non liberat, mentitur. Ergo implendum promiſſum ſcorto factum. Reſp. Aliud eſt mentiri, aliud promiſſum non ſervare. Illud numquam licet. Hoc ſæpe eſt neceſſarium. Inſimulandus ne fuiſſet periurii Herodes, ſi iuratum puellæ ſaltatrici promiſſum non ſervaſſet? Fidem ad peccandum adhibitam non eſſe fidem appellandam, decernit S. Auguſtinus; & res ipſa declarat.

CAPUT XI.

Paucis exponitur ſententia noſtra: & quid de quæſtus meretricii reſtitutione decernendum ſit, exponitur. Opiniones laxæ P. Leſſii, *& aliorum refelluntur.*

I. HActenus quæ docet P. Comitolus, paucis adiectis, & paucis demptis, recenſui. Nunc quæ ſentio ipſe, paucis expono. Omnis conventio, pactio, promiſſum pro actione natura ſua turpi & ſceleſta (ut ſunt homicidia, furta, falſa teſtimonia &c.) patranda, iure naturæ, demptis legibus poſitivis, quæque ante factum iuxta omnes illicita, & invalida ſunt, talia quoque reputari etiam poſt factum debent. Argumenta quæ pro hac confirmanda ſententia capite ſuperiore ex P. Comitolo retuli, adeo mihi luculenta ſunt, & ineluctabilia, ut nulla eludi tergiverſatione queant. Rationes quæ in oppoſitum obtruduntur, ut ego quidem arbitror, nullam vim habent. Quod homicidium patratum non ratione criminis, ſed ratione periculi, moleſtiæ, laboris; quod fornicatio ratione non malitiæ, ſed voluptatis conſenſus dati poſſint vi alicuius promiſſi, & ſponſionis, ſeu conventionis, & ſtipulationis (ſublata poſitiva lege) pacta mercede redimi; quod actio detur in executore facinoris, & obligatio in promittente petendi, & ſolvendi pactam mercedem &c. hæc omnia paradoxa, & mera figmenta mihi videntur. Quoniam ſi venalia, & pretio digna hæc eſſent, æque ante ac poſt factum talia forent. Nec eſt quod opponas, ideo ante factum eſſe invalida, & criminoſa, quia ad malum patrandum impellunt. Nam obvia reſponſio eſt, nempe ſtipulationes eiuſmodi reſpicere voluptatem, moleſtiam, & periculum, etiam ante factum. Nam æque ante ac poſt factum intellectus hæc omnia a malitia operis ſua præciſione ſeiungit. Quod ſi reponas, ante ſeiungi non poſſe, bene vero poſt; pu-

Digitized by Google

pugnantia loqueris. Neque enim in ſuis præciſionibus a temporis intervallo animus pendet. Verum ut ad incitas adverſarios redigam, quæro: Unde eiuſmodi ſtipulationes poſt factum vim accipiunt? Non a novo pacto, ut ſupponitur. Ante factum, te fatente, nulla erant. Nulla ergo abſolute & ante, & poſt factum dicenda ſunt.

II. Illud nunc eſt reliquum ut decidamus, num turpe lucrum reſtituendum ſit. Et primum communis ſententia defendit, quæſtum nempe meretricium non eſſe reſtitutioni obnoxium, niſi ſit immoderatus, aut fraude, dolove quæſitus, aut ab illis ſolutus qui alienandi ius non habent. Hanc doctrinam tradit S. Thomas 2. 2. quæſt. lxii. art. 5. ad 2. *Alio modo aliquis illicite dat, licet ipſa datio non ſit illicita; ſicut cum quis dat meretrici propter fornicationem. Unde & mulier poteſt ſibi retinere quod ei datum eſt*. Similia habet *quæſt.* xxxii. *art.* 7. & in *IV. diſt.* xv. *quæſt.* ii. *art.* 4. *quæſtiunc.* ii. Animadvertas duo velim. Unum eſt, ſemper Doctorem ſanctum, dum de turpi lucro loquitur, exemplum ſubiicere quæſtus meretricii; nullibi vero aſſerere, ex alio turpi flagitio quæſitum lucrum a reſtitutionis onere liberum eſſe. Alterum eſt, nullibi explicare ius vi cuius hoc lucrum meretricium debeatur; ſed ſolum docere, quod *datio non ſit illicita*, atque adeo neque acceptio.

III. Dico igitur, meretricem poſſe repetere, & retinere hoc pretium, non ob ſuum in flagitium conſenſum, non ob voluptatem, non propter periculum aliquod, non denique quod ſui corporis copiam locare queat, non ob aliquam ſtipulationem, vi legis naturalis obligantem; ſed quia leges, ob maiora vitanda mala, ſcorta permittentes, hac mulcta puniunt ſcortatores, ut mercedem ſolvant. Qua ſiquidem ratione permittunt ſcorta, eadem plectere hac mulcta ſcortatores iure valent, ut in pœnam patrati ſceleris ſolvant ſcorto mercedem. Addo, leges permittentes meretrices, humanas eſſe, cuius iuſtitia nobis luculenta non eſt. Leges iſtæ permiſſivæ ſunt. Leges humanæ humanam ſpectant ſocietatem; & plura, ut dixi, minora mala permittunt, ut graviora declinent. Utrum apud Deum iuſtæ ſemper ſint, nobis non conſtat. Quare meretrices omnes ſincero pœnitentiæ ſpiritu tactas, ut proiicerent hæc flagitiorum monumenta, ego adigerem. Prudentia tamen opus eſt, & pro circumſtantiarum diverſitate earumdem ſuſtentandæ vitæ providendum. Hæc de publicis ſcortis.

IV. Quid de ceteris feminis, de virginibus, de monialibus, de uxoribus, quæ publicæ meretrices non ſunt, dicendum eſt? P. Comitolus *quæſt.* v. hæc de his feminis pauca verba ſcribit *num.* 13. Quæ vero a me de meretricibus dicta ſunt, de illis quæ viros non habent, dicta ſunt. Nec verbum ibi aliud habet. Quæſtione autem 6. caſum proponit, num quod publicis meretricibus ius concedit, conſuetudinis, & iudiciorum mos, ut quæſtum faciant ſibi, hoc idem privatis, occultiſque mæ-

meretricibus largiatur? Antiquiores Canoniſtæ, & Theologi negantem ſententiam defendunt. Angelus, Cynus, Abbas, Adrianus, Navarrus, Panormitanus, Medina, Oſtienſis, Ricardus, Paludanus, Innocentius, aliique, qui communem ſententiam appellant hanc, quæ occultas meretrices, & multo magis virgines, uxoratas, Moniales ad reſtituendum turpem quæſtum, ex flagitioſo concubitu acquiſitum, aſtringit. Argumenta quibus hæc nititur ſententia, ea ſunt quæ indicavimus ſupra. Opus peccati nihil niſi pœnam æternam meretur; nec ullum ei debetur pretium. Titulus enim quo aliquid pro crimine datur, ipſo naturæ iure nullus eſt. Ergo dominium non transfert. Et poſtremo pretium pro actione quam quis ſuſcipere gratis deberet, datum, reſtituendum danti eſt. Ergo multo magis reſtitui pretium debet quod quis pro actione improba ſolvit.

V. Ideo publica ſcorta reddere turpem quæſtum non debent, quod leges ob maiora vitanda mala, ut diximus, ea permittentes, mulctant ſcortatores ad hanc pœnam pecuniariam ſolvendam. Leges autem iſtæ nec virginibus, nec uxoratis favent. Nullus ergo titulus adeſt quo eiuſmodi feminæ retinere pretium iſtud valeant. Idque confirmari hoc pacto poteſt. Vir quæſitus a femina ut ſecum concumbat pacto pretio, neque exigere, neque retinere illud iure poſſet, quod nulla lex hanc mercedem probet. Non me latet, Dominicum Soto *Lib. IV. quæſt.* VII. *art.* 1. docere, potiori iure exigere virum a muliere flagitioſi concubitus pretium, quia plus ille præbet. Qua ratione contendit, repetere Alexandrum Magnum iure naturæ potuiſſe a Regina Amazonum, quæ ſuſcipiendæ prolis gratia illum convenit, oblatum pretium. Sed hanc opinionem ut laxam, & nimium a cuiuſcumque legis honeſtate & æquitate exorbitantem, reſpuimus. Similiter nimium laxa mihi videtur ſententia P. Leonardi LESSII, qui *Lib. II. de iuſt. cap.* XIV. *dub.* 8. *num.* 52. hæc ſcribit. „ Etſi opus malum, pro quo dedit, non ſit æſtimabile pretio qua „ malum; tamen qua delectabile, vel utile uni, & alteri detrimentoſum, pericu„ loſum, laborioſum, inter homines pretio æſtimatur: ergo quod hac ratione pro „ eo eſt acceptum, non eſt reſtituendum; niſi forte quis exiſtimationem exceſſe„ rit; ut ſi meretrix quæ uſuram ſui concedere ſolet uno aureo, ab aliquo iuvene „ extorſerit 50. tamquam pretium. *Hoc tamen locum non habet in ea quæ putatur „ honeſta; ut ſi matrona aliqua, vel filia* 100. aureos pro uſura corporis accipiat „ ab eo qui dare poterat, RETINERE POTEST. NAM TANTI, ET PLURIS „ POTEST SUAM PUDICITIAM AESTIMARE. Res enim quæ certum pre„ tium non habent, nec ad vitam ſunt neceſſariæ, ſed voluptatis cauſſa quærun„ tur, arbitrio venditoris poſſunt æſtimari; ut *probabiliter* docet Petrus Navarra, „ & alii.“ Niſi ſcilicet fuco iſto probabiliſtico faſcinatæ mentes eſſent, audire ne ſine horrore talem doctrinam poſſent? Quid? Filiæ chriſtianæ, matronæ catholicæ ſplendidiſſimam caſtitatis virtutem ingentiori vendere pretio valent? Quid, ſi M. Tul-

Digitized by Google

Tullius, ſi Seneca, ſi Plutarchus tam portentoſa audiſſent commenta? Quid declamatoris, inquient, perſonam agis? Utinam Tulliana præditus eloquentia eſſem, ut validius refellere tam inaudita paradoxa poſſem. Petrus *Navarra*, citatus a P. Leſſio, laxarum opinionum patronus, nullius eſt auctoritatis. Cedo: quo iure, qua lege, quo prudentum iudicio, turpiſſimum pretium, & quidem uberius, pendendum eſt virginibus puellis, honeſtiſque matronis, ſi ſe ſcortatoribus proſtituant? Undenam tam luculenta doctrina? Ex ſentina probabiliſtica, ex novo opinandi modo improbato ab Alexandro VII. Quod opponunt, artificem die feſto laborantem, pactam mercedem exigere, & retinere poſſe, nullius momenti eſt. Opus enim labore, & arte partum, natura ſua venale eſt, & pretio dignum. Circumſtantia extrinſeca temporis ab opere ipſo pretii valorem minime tollit. Pluriesque rationes occurrunt quæ opera diebus feſtis peracta honeſtent. Perperam ergo hæc obtruduntur.

VI. Sed, miſſis argutationibus, quid ipſe ſentiam, paucis expono. Virgines potiſſimum adigendæ a prudenti Confeſſario ſunt ut flagitioſam mercedem continuo in pauperes conferant. Per quæ quis peccat, per eadem torqueri merito debet. Mulieres, ſive virgines, ſive viduæ, ſivæ uxoratæ, ut luxum, pompas, faſtum, ambitionem foveant, caſtitatem venalem faciunt: flagitiis flagitia alunt, & ſcelera ſceleribus accumulant. Radix ergo pudicitiæ vendendæ præcidi primum omnium debet. Numquam, ut danti mercedem reſtituant, cogantur. Homo flagitioſus, qui pecuniæ illicio virginem, viduam, Monialem attraxit in ſceleſtum commercium, merito privatione ſolutæ iniquæ mercedis plectitur. Quod poſſint eiuſmodi mulieres hanc mercedem tamquam donum ſponte datum ab eo qui alienandi ſua iure potitur, retinere, ut communior docet ſententia, non repugno. At dico, quod pœna opportuna, ne dicam neceſſaria, feminis iſtis imponenda, eſt diſtributio eiuſmodi donorum inter pauperes. Privari hoc iniquo pretio debent, ne anſam inde peccandi capiant, & ut pro patrato ſcelere pœnas luant. Nulla quippe validior medicina ad peſtem expellendam quam id auferre per quod peſtis, animam ingreſſa, caſtitatem labefactavit. Si pretia hæc iniquitate quæſita, ſanandæ caſtitati, & a futuris flagitiis præſervandæ neceſſaria fuerint; Confeſſarii prudentis partes erunt id decernere quod mulieris ſaluti opportunius expedire cognoverit. Sed cavendum ne ambitio larva paupertatis ſe contegat, providendumque ne acceptorum donorum retentio patrati flagitii memoriam, & amorem ſenſim ſine ſenſu foveat, accendatque. Iudas ipſe divenditi Magiſtri divini pretium Principibus Sacerdotum reſtituit, qui ex eo agrum in peregrinorum ſepulturam emendum decreverunt. Vel ipſius Iudæ animum ſanguinis pretium perterrefecit, quod proditionis crimen ob oculos referebat. An Chriſtum venalem non faciunt feminæ, dum corpora ſua quæ templa ſunt Spiritus ſancti, ſcortatoribus, pacta mercede, exhi-

Digitized by Google

exhibent polluenda, & fœdanda? An pretia accepta non ſunt flagitioſi congreſſus monumenta, quæ patratum ſcelus in memoriam revocant, atque ad animi ſuſcepta vulnera refricanda ianuam aperiunt? Miſſis itaque diſputationibus, quo iure, qua lege valeant eiuſmodi occultæ meretriculæ turpem retinere mercedem; in id incumbendum ut illarum ſanetur animus; & quid agere debeant, ut ſalvæ fiant, ſerio expendendum eſt.

VII. Quæſt. I. *Scorta ſive publica, ſive occulta tenentur ne reſtituere pretium receptum ob turpem concubitum a Religioſo?* Reſp. Similes non excitarem quæſtiunculas, odii, invidiæque plenas, niſi excitatas legerem a novis Theologis. Pellizarius in *Manual. Reg. tract.* IV. *cap.* II. *ſec.* 4. *quæſt.* III. Machadus *Tom. II. Lib. V. p.* 2. *tract.* I. *docum.* II. Lugo *diſp.* III. *ſec.* 3. Ioannes a Cruce *Lib. I. de ſtat. Relig. cap.* III. *dub.* I. & alii opinionem negantem defendunt. Quoniam, inquiunt, quando Religioſus facultatem obtinet a ſuperiore diſponendi de bonis ſibi ad uſum conceſſis, dum in turpes res ea diſtrahit, licet in modo alienandi contra ſuperioris voluntatem agat, ipſa tamen alienatio valida eſt: & in hanc alienationem abſolute ſpectatam ſuperior conſentit.

VIII. Hæc mihi opinionum portenta apparent, quæ mirum in modum patefaciunt quo laxitatis novus opinandi modus pertrahat humanam mentem. Dico ergo, mulieres quaslibet, ſive virgines, ſive meretrices, teneri reſtituere turpem mercedem ab eiuſmodi Religioſis acceptam. Evidentius hoc eſt quam probatione egeat. Invalida quippe eſt & nulla quæcumque iſtorum alienatio abſque ſuperioris facultate peracta. Porro ſuperior nullus licentiam impertiri pendendi pretium pro uſu turpi valet. Anne ſuperioris arbitrio ſolemnis voti paupertatis obſervantia ſubiecta eſt? Cuſtodes votorum, & ſacri diſciplinæ depoſiti ſunt Religionum Prælati. Nihil concedere Religioſis valent quod iſtorum ſaluti obſit, aut in bonum Religionis non cedat. Si expreſſam facultatem Prælati facerent ſolvendi pro nefario concubitu mercedem, nulla talis facultas eſſet; & tam Prælati concedentes, quam ſubditi hac licentia utentes, peccarent. Quoniam Religioſorum nemo, niſi ad uſus neceſſarios, & honeſtos, quidquam expendere iure valet. Nec oppoſita opinio quæ communem ſenſum offendit, fuſius refellenda eſt. Si Religioſus virginitatem puellæ auferret; quid agendum? Poſſet ne eidem ſuccurrere, aut filios ex eadem ſuſceptos alere? Hæc monſtra legem non habent, nec regulam. Uno monſtro parto, plura neceſſario conſequuntur. Quid tum agendum ſit, definiri nequit; ſed quod, circumſtantiis ſpectatis, ius ipſum naturæ præſcribit, prudentum iudicio exequendum eſt.

IX. Quæſt. II. *Cuinam reſtituere uxor quæſtum turpem adulterio comparatum debet?* Reſp. Marito reſpondent plures, quod is dominus ſit uxoris corporis. Porro res quæque proprio domino fructificat. Ergo nefarius quæſtus tali corpore partus, ma

mariti eſt. Idque confirmant paritate Monachi, cuius bona turpiter quæſita, Monaſterio acquiſita ſunt.

X. Falſam & hanc opinionem reputo. Quid? Maritus ne in corpus uxoris ad adulterandum dominium habet? Ius ne marito ineſt uxoris corpus adulteris tradendi? Uxor ergo receptam turpem mercedem in pauperes erogare aſtringitur. Negatur turpiter a Monacho acquiſita Monaſterio acquiri. Ideo & hæc aut dominis, aut pauperibus danda ſunt.

XI. Quæſt. III. *Si vir feminæ donet, ut extorqueat conſenſum flagitioſum, poteſt ne donum femina retinere, uſu corporis non conceſſo?* Reſp. Si pactum implicitum aut explicitum præceſſit, reſtituenda munera donatori ſunt, ut omnes fatentur. Si nullum pactum præceſſit, ſed donum gratuitum ſit; retinere illud poſſe, etiam non conceſſo corporis uſu, docent Salmanticenſes *tract.* XIII. *punct. 6. num.* 165. cum Molina, Prado, Dicaſtillo, aliiſque Neotericis. Ego reſtituendum totum aſſero donatori ad ſcandalum vitandum. Quis honeſtam caſtamque iudicare puellam, mulieremve poteſt quæ dona retinet ob finem illius caſtitatis labefactandæ collata? Mulieres quæ eiuſmodi munera accipiunt, vafræ habentur, & effrontes, omni pudore, & honeſtate deſtitutæ. Ut has infamiæ notas declinent, pecunias, & cetera munuſcula omnia amaſiis reddant, hoc S. Petri improperio redarguentes donatorem: Pecunia tua, munera tua tecum ſint in perditionem. Hoc dictat chriſtiana doctrina, miſſa caſuiſtica Ethice, oppoſitum ſuggerente, & propugnante.

XII. Quæſt. IV. *Implenda ne eſt prodiga promiſſio feminæ facta ob eiuſdem corporis uſum?* Reſp. Duo aſſerunt recentiores. Primum, ut certum penes omnes, nempe retinere mulierem poſſe dona prodige conceſſa ab eo qui dominus abſolutus bonorum eſt. Alterum, aſtringi virum ad implendum turpe promiſſum, licet non ſit iuramento firmatum, & potiori iure, ſi iuramentum accedat: quoniam promiſſio acceptata obligat, ſervarique debet, quoties res promiſſa dari poteſt ſine peccato. Sed clarius accipe ſpeculationem quam parit novus opinandi modus. Promiſſio, inquit Lugo *diſp.* XVIII. *ſec.* 2. *num.* 61. aufert malitiam prodigalitatis ab eiuſmodi dono. Prodigum donum eſt, atque adeo vitioſum. At poſita promiſſione, iam donum evadit debitum vi eiuſdem promiſſionis, & conferendum mulieri eſt. Hanc eamdem opinionem defendunt Filliucius, Sanchez, & alii.

XIII. Recenſita opinio falſa, & cavillatoria nobis apparet. Prodiga promiſſio vitioſa eſt; & executio promiſſionis prodigæ bona erit? Obligatio orta ex promiſſione vitioſa efficit ut iſtius promiſſionis obſervantia bona ſit? Diſtinguunt alii rem promiſſam dividuam, & individuam. Si individua, abſolvunt omnino promittentem. Si dividua, ab exceſſu, ſecus a iuſta parte, liberant promiſſorem. Hæc omnia ut falſa reiicimus. Quoniam omnis promiſſio facta ob turpem finem, nulla eſt, ut

ſu-

Digitized by Google

ſupra demonſtratum, & quidem evidenter, fuit. Promiſſio prodiga duplici ex capite ſcelerata eſt, & quia prodiga, & quia ob turpem actum facta. Nulla ergo ex omni parte eſt.

CAPUT XII.

Plures quæſtiunculæ de reſtituendis rebus acceptis aut ex donatione illicita, aut pro omiſſione actionum quæ fieri iure debent.

I. QUæſt. I. *Recipiens aliquid ex donatione illicita, reprobata per legem poſitivam, tenetur ne illud reſtituere?* Reſp. Plures ſunt donationes a legibus improbatæ; ut ſunt omnes quæ fiunt iudicibus ob iniuſtas ſententias, advocatis ob iniuſtam defenſionem clientum, teſtibus ob falſum teſtimonium, ſicariis ob homicidia perpetranda, ceteriſque pravis hominibus, ut peccata committant, ut fornicentur, vota violent, ieiunia frangant, bona opera ex præcepto debita omittant. Hæc omnia leges improbant. Ergo quidquid recipitur iſtorum operum patrandorum intuitu, reſtituendum eſt aut fiſco, aut dantibus, aut Eccleſiæ, aut pauperibus. Quæ ob ſimoniam realem completam donata ſunt, in pia opera eroganda ſunt, lege ſic præſcribente.

II. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 7. *num.* 169. primo loco ſtatuunt tamquam certum, eiuſmodi promiſſas donationes, iure naturali ſpectato, validas eſſe; & promittentem teneri illas implere; ac promiſſarium a rebus acceptis reſtituendis immunem fieri, poſito flagitioſo opere. Idque a nemine negatum aſſerunt. Hoc quod primo loco tamquam certum ſtatuunt Auctores iſti, ex iis quæ diximus ſupra, ſcilicet promiſſiones eiuſmodi iure naturali nullas eſſe, falſum evincitur.

III. Quæſtio itaque eſt, utrum vi legis poſitivæ prohibentis eiuſmodi promiſſiones, & donationes reſtitutio fieri debeat? Duplex reperitur opinio, quam utramque probabilem reputant laudati *Salmanticenſes*. Prior negat reſtitutionis debitum: quia tales leges in foro tantum exteriori obligant, ſecus in foro conſcientiæ. Hæc opinio mihi improbabilis eſt; & oppoſita ſententia ſola probabilis, ac vera. Quoniam leges iſtæ, cum iuſtæ, & æquæ ſint, ipſique naturæ iuri nixæ, obligant in foro conſcientiæ. Hanc ſententiam conceptis verbis docet S. Auguſtinus *epiſt.* LIV. ad Macedonium. *Sed non ideo debet vendere iuſtum iudicium, aut teſtis verum teſtimonium, quia vendit advocatus iuſtum patrocinium, & Iuriſperitus verum conſilium. Illi enim inter utramque partem ad examina adhibentur; & iſti ex una parte conſiſtunt. Cum autem iudicia, & teſtimonia, quæ nec iuſta, nec vera vendenda,* ini-

iniqua & falſa venduntur, multo ſceleratius utique pecunia ſumitur: quia ſcelerate etiam, quamvis a volentibus, datur. Qui vero pro iniquo iudicio dedit, vellet quidem repetere, niſi timeret, vel puderet emiſſe .... Verumtamen ſi iuſtitia ſincerius conſulatur, iuſtius dicitur advocato: Redde quod accepiſti, quando contra veritatem ſletiſti, iniquitati aſſuiſti, iudicem fefelliſti, iuſtam cauſam oppreſſiſti, de falſitate viciſti. Adeo hæc comperta ſunt, ut vel ipſi Vaſquez, & Lugo *diſput.* XVIII. *ſect.* 5. *num.* 57. fateantur, hanc eſſe Auguſtini ſententiam; nihilominus ipſi oppoſitam propugnant. Iuniores ſæpe dicunt, SS. Patres non diſpexiſſe morum quæſtiones. Cum autem illorum ſententias in medium afferimus, una diſtinctiuncula non pauci eaſdem deludunt.

IV. Et ne gratis hæc a me dici aliquis ſuſpicetur, en quæ P. Leonardus Leſſius *Lib. II. de iuſt. cap.* XIV. *dub.* 8. *num.* 55. ſcribit. „ Dices: Divus Auguſtinus epiſto-„ la quinquageſima quarta ad Macedonium ait, *ſceleratius accipi pecuniam pro* „ *ſententia iniuſta quam pro iuſta, pro teſtimonio falſo quam pro teſtimonio vero*. „ Atqui pecunia accepta pro ſententia iuſta eſt reſtituenda. Ergo & pro ſenten-„ tia iniuſta. Ita Sotus „.

„ Reſp. negando conſequentiam. Non enim quia aliquid eſt ſceleratius, ideo „ magis, vel æque obligat ad reſtitutionem. Hæc enim obligatio non ſequitur „ magnitudinem ſceleris, ſed damnum per iniuriam datum. *At qui accipit pro* „ *ſententia iniuſta, nullam infert iniuriam danti*, ſicut is qui pro iuſta. Porro il-„ lud eſt ſceleratius quam hoc: tum quia peius eſt ferre ſententiam iniuſtam „ (ad quam ferendam iam habet animum qui pecuniam accipit) propter iniu-„ riam quæ fit alteri parti, quam accipere pecuniam pro ſententia iuſta feren-„ da: tum quia (ut ibidem Auguſtinus ait) ſceleratius datur pro iniuſta quam „ pro iuſta, quamvis detur voluntarie, & libenter. Loquitur enim de ſententia „ ferenda. Adde, ibidem Auguſtinum ſignificare pecuniam iſtam, etſi ſceleratius „ acceptam, non eſſe opere impleto reſtituendam, dum dicit *datam a volentibus*. „ Volenti enim non fit iniuria. Secus ſi data ſit pro ſententia iuſta, quæ cenſe-„ tur data *coacte* metu ſententiæ iniuſtæ. “

V. Si in explicando aliquo fidei articulo hac libertate, & vaniſſimo diſtinctiuncularum involucro quis SS. Patrum ſententias implicaret, deluderet, & in ſenſus arbitrarios detorqueret; actum de pluribus fidei articulis eſſet. Et quia Patrum ſententiæ in morum controverſiis vanis cavillationibus adulterantur, idcirco relaxata eſt morum Theologia. Dum Lutheranis, & Calvinianis improperamus, minus reverenter ab iis Patrum ſententias ſuſcipi, nobis illi exprobrant libertatem Moraliſtarum noſtrorum, qui & Scripturarum, & Patrum dicta pro ingenio finiendis caſuiſticis controverſiis accommodant. Verum P. Leſſius non modo S. Auguſtini doctrinam manifeſte deludit, & cavillatur; ſed falſam doctrinam etiam im-

Digitized by Google

imponit S. Thomæ ibidem *num.* 52. ubi hæc ſcribit. „ Dico primo. Si ſolum ius „ naturæ ſpectetur, acceptum ob turpem cauſam, ſeu propter opus quod eſt „ peccatum, opere impleto, non neceſſario eſt reſtituendum, ſive illud opus ſit „ contra iuſtitiam, ſive non. Colligitur ex D. Thom. *quæſt.* xxxii. *art.* 7. *in corp.* „ & *quæſt.* lxii. *art.* 5. *ad* 2. ubi docet, *poſſe retineri id quod propter opus malum* „ *eſt acceptum*. Nec diſtinguit, ſit ne opus illud contra iuſtitiam, an non. " Attente legi loca citata; & verba quæ P. Leſſius S. Doctori tribuit, non inveni. Porro qua dignum cenſura ſit affingere pro arbitrio ſancto Eccleſiæ Doctori verba, ut in propriam ſententiam concedere lectoribus perſuaſum fiat, iudicent æqui rerum arbitri. Immo, quod plus eſt, non modo verba non reperi, ſed neque doctrinam; cum utrobique S. Thomas ſolum meretricibus retinere pretium turpe concedat, limitibus tamen adiectis.

VI. Perſequitur S. Auguſtinus ibidem ſuam increpationem contra advocatos: *Quis tandem advocatus, aut ex advocato, ita vir optimus facile reperitur qui ſuſcepto ſuo dicat: Recipe quod mihi cum tibi male adeſſem, dediſti, & redde adverſario tuo quod, me agente, inique abſtuliſti? Et tamen quem prioris non rectæ vitæ rectiſſime pœnitet, etiam hoc facere debet, ut ſi ille qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, eius tamen iniquitatis nolit iſte habere mercedem: niſi forte reſtituendum eſt alienum quod per furtum clanculo aufertur; & reſtituendum non eſt alienum quod in ipſo foro, ubi peccata puniuntur, decepto iudice, & circumventis legibus, obtinetur.*

VII. S. Auguſtino ſubſcribit de more S. Thomas 2. 2. quæſt. xxxii. artic. 7. ad 2. *Apud illos qui ſunt huiuſmodi legibus obſtricti, tenentur univerſaliter ad reſtitutionem qui lucrantur*. Quam doctrinam repetit quæſt. lxii. art. 5. ad 2. *Et quia etiam ille qui accipit, contra legem accipit, non debet ſibi retinere*. Hæc ſatis ſunt pro noſtra ſententia, quæ etiam penes ipſos iuniores communior eſt. Diſputatur dumtaxat, cuinam ſit reſtituendum turpe lucrum? At, miſſis plurium placitis, veroſimilius mihi eſt eiuſmodi turpia lucra non eſſe dantibus reſtituenda, qui iuſte privantur eiuſmodi bonis inique diſtractis; ſed eroganda eſſe aut in pauperes, aut in pia opera.

VIII. Quæſt. II. *Qui accipiunt, ut actionem bonam quam exercere tenentur, peragant, & ut abſtineant a malo quod omittere debent, tenentur ne accepta reſtituere?* Reſp. Sermo nunc potiſſimum eſt de miniſtris iuſtitiæ, de iudicibus, de ſuffragia exhibentibus, electoribus &c. Iura omnia clamant contra recipientes munera, etiam ſponte oblata, pro iuſtitia adminiſtranda. In hos invehitur Iſaias cap. 1. *Principes tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos*. Item Eccli. cap. xx. *Xenia, & dona excæcant oculos iudicum*. Rurſus Deuteronomii cap. xvi.

Digitized by Google

XVI. *Non accipies perſonam, nec munera, quia munera excæcant oculos ſapientum*: Adverte, Deum aſſerere, quod munera excæcant oculos non pauperum modo, & hominum iniquorum, ſed etiam ſapientum. Admonet idem Salomon: *Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius . . . Multos enim perdidit aurum & argentum, & uſque ad cor Regum extendit, & convertit*. Viden'? Splendor argenti, & auri ipſorum Regum, & Principum animum emollit, mentem faſcinat, & convertit, ideſt pervertit in iniuſtitiæ prævaricationem. Innumeræ ſunt leges civiles quæ tantam prohibent pravitatem. *ff. de offic. Præſidis l. Plebiscito*, & *ff. de offic. Proconſul. l. Solet*. & aliæ, quas prætereo. Sed lubet tranſcribere verba M. Tullii Lib. II. de offic. cap. XVI. *Caput autem eſt in omni procuratione negotii, & muneris publici ut avaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio. Utinam, inquit C. Pontius Samnis, ad illa tempora fortuna me ſervaſſet, & tunc eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent: non eſſem paſſus diutius eos imperare. Næ illi quidem ſæcula expectanda fuerunt. Modo enim hoc malum in hanc Rempublicam invaſit. Itaque facile patior tunc potius Pontium fuiſſe . . . Nullum igitur vitium tetrius . . . quam avaritia, præſertim in Principibus, & Rempublicam gubernantibus. Habere enim quæſtui Rempublicam non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam & nefarium*. Itaque hæc munera iniqua eſſe, nemo negare audet; cum fieri nequeat quominus inflectant iudicum mentes, ut faveant donatoribus, corrumpantque animum ad iuſtitiam vendendam.

IX. Reſtituenda eſſe munera iſta accepta ab iis qui aut facere quidquam, aut omittere ex iuſtitia tenentur, certa & vera ſententia docet. Auctor operis de Regimine Principis, quod S. Thomæ adſcribitur, *Lib. IV. cap. IV.* inquit: *Sicut enim iniuſtus eſſet qui cappam meam mibi vendere vellet, iniuſtus eſt qui iuſtitiam quam debet gratis ex officio facere, non vult facere niſi accepto munere*. Iudices igitur reſtituere munera debent accepta, vel ut iuſtam ſententiam proferant, vel ut abſtineant ab iniuſta; ſimiliter teſtes corrupti, ne dicant verum, aut ut taceant falſum teſtimonium; electores qui ut eligant digniorem; ſicarius qui ut non occidat; fur qui ut non furetur, munera, ſeu ſtipendia accipiunt, reſtituere hæc omnia tenentur. Pariter ceteri miniſtri Principis, notarii, tabelliones, ſi ultra taxatum ſtipendium; item qui bonis ex legato, vel teſtamento in pias cauſſas diſtribuendis deputati ſunt, pacto ſtipendio, ſi quid pro ſolutione, ſeu diſtributione accipiant, ad reſtitutionem aſtricti ſunt: quia non libere, ſed coacte, & ad vexationem redimendam hæc omnia donantur. Ceterum ſi certe conſtaret quod aliquis omnino gratis, & liberaliter his ultimis donaret, tum reſtitutionis debitum nullum eſſet. At perraro eiuſmodi liberales donationes contingunt: ideo raro ab onere reſtitutionis liberandi præfati miniſtri ſunt.

X. Quæſt. III. *Quando iuſtitia pro utraque parte dubia, ſeu probabilis eſt, tenetur*

tur ne iudex reſtituere munus acceptum, ut pro hac potius quam pro alia parte ſententiam ferret? Reſp. Ex Probabiliſtis plures adfirmantem ſententiam propugnarunt. P. Diana citat pro hac opinione Leſſium *Lib. II. cap.* XIV. Fagundez in *præcept. Decal. Lib. VIII. cap.* XXVI. Trullench *Tom. II. Lib. VIII. cap.* 1. *dub.* 6. & alios. Sed hanc opinionem damnavit Alexander VII. in prop. 26. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.* Verum hanc damnationem, ad reſtitutionem quod attinet, facile eludunt iuniores. Inquiunt, Pontificem ſummum invalidam non declarare eiuſmodi donationem, ſed ſolum illicitam; cum nullum verbum eam irritans occurrat in illa proſcriptione, aut definiens recipientem inhabilem eſſe ad acquirendum dominium. Aliunde, ſubdunt, iure naturali attento, non eſt ratio cur iudex reſtituere hæc munera debeat. Nam neutri parti debita ex iuſtitia ſententia eſt, cum iuſtitia dubia exiſtat pro utraque parte. Iudicis ergo eſt, quam mavult, eligere ſententiam. Nemini itaque iniuriam facit, ſi munus accipiat, ut uni præ altera parti faveat.

XI. Vera ſententia docet, iudicem reſtitutioni obnoxium eſſe. Quoniam iudex in citato caſu id quod tutius eſt, definire aſtringitur. Quare Innocentius XI hanc alteram Caſuiſtarum opinionem proſcripſit. *Probabiliter exiſtimo iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.* In qua opinione damnatum eſſe Probabiliſmum evidenter, niſi me amor fallit, demonſtravi in *Hiſt. Probabil. Tom. I.* quod obiter dictum ſit. Igitur iudex nihil accipere, ut iuſtitiæ munus exerceat, poteſt. Quia iure naturæ, dum pro tribunali ſedet, hoc officium gratis præſtare tenetur. Neque ex arbitrio unam præ altera eligere ſententiam valet; ſed eam præferre aſtringitur quam tutiorem agnoſcit.

XII. Quæſt. IV. *Iudices, & alii miniſtri, qui pretium accipiunt, non ab eo cui ex iuſtitia actus debetur, ſed ab extraneo, tenentur ne ad reſtituendum acceptum?* Reſp. Extranei nomine intelligitur ille qui non eſt coniunctus cum eo cui facienda iuſtitia eſt, ut eſt filius reſpectu patris, frater reſpectu fratris, maritus reſpectu uxoris. Hanc quæſtiunculam examinandam ſuſcipio, quia in utramque partem diſputatam invenio. Ceterum adeo evidens mihi eſt reſtitutioni iſtos aſtrictos eſſe, ut ſuperflua omnino videatur diſcuſſio. Nam merus fucus eſt quem prætexunt illi qui defendunt, non teneri iudicem ad reſtitutionem, dum recipit munus a Paulo, ut iuſtitiam faciat Petro. Quid? Paulus ne munera iudici dabit, ut ferat ſententiam in favorem Petri, ſi nulla ei cum Petro neceſſitudo intercedat? An præſumptio obvia non eſt, quod Petrus Pauli manu munera iudici offerat? Quin hæc fere ſemper aliena manu, & lenone medio peraguntur. Et tandem, quod caput eſt, iudex ex officio præſtare iuſtitiam tenetur gratis. Idcirco a nemine recipere quidquam valet.

Digitized by Google

XIII. Quæſt. V. *Qui pretium accipiunt, ut id præſtent quod ex caritate agere debent, ſunt ne reſtitutioni obnoxii?* Reſp. Qui aliqua munera recipiunt, ut alliciantur ad bona opera peragenda, ut filii quandoque a parentibus recipere munuſcula ſolent, ut Miſſam devote audiant, ut alia pietatis opera exerceant, reſtitutioni non ſunt aſtricti. Diſputatur autem, an dum quis recipit pretium ut id faciat quod facere, vel omittere ex caritate tenetur, ut medicus, quando debet ex caritate pauperem infirmum curare, advocatus, dum tenetur ex eadem caritate pauperem clientem defendere, aut qui ex eadem caritate ab incendio, aliove periculo aſtringitur liberare proximum ſuum: diſputatur, inquam, utrum in his caſibus iſti reſtituere urgeantur pretium acceptum, dum ſine pretio præfata opera agere negligunt. Duplex occurrit ſententia. Prior adfirmat, reſtituenda eſſe hæc accepta pretia, quod illorum acceptio illicita ſit: ergo & retentio. Altera ſententia negat, munera accepta propter opera quæ ex caritate debentur, eſſe reſtituenda. Et ratio valde urgens eſt. Quoniam ex ſolius iuſtitiæ violatione debitum oritur reſtitutionis. Porro acceptio horum munerum nullo modo iuſtitiam lædit. Ergo nullum reſtituendi debitum infert.

XIV. Secunda ſententia abſolute conſiderata vera eſt, eiuſque ratio evidens. At quamvis præfati poſſeſſores vi iuſtitiæ ad reſtitutionem proprie dictam non aſtringantur; ego tamen eos vix abſolverem, niſi eiuſmodi pretia pauperibus diſpenſarent. Hi ſiquidem eleemoſynam impertiri recenſitis indigentibus tenebantur; eamque illis denegantes, caritatis præceptum violarunt, animumque produnt nihil eiuſmodi mandatum curantem. Si enim urgente præcepto iſto, propriæ induſtriæ eleemoſynam elargiri recuſarunt, multo minus crumenam propriam aperire ſe paratos perhibent, ut pauperibus ſuccurrant. Inſtruendi ergo iſti ſunt, & cogendi ut officia miſericordiæ impleant. Spectandæ tamen circumſtantiæ ſunt. Videndum, num ipſi pauperes ſint, & num perſpecta habeant officia caritatis quæ præſtare Chriſtianus debet.

XV. Quæſt. VI. *Quando id quod reſtituitur, ad manus creditoris non pervenit, aſtringitur ne debitor denuo reſtituere?* Reſp. Plura occurrere poſſunt quæ immediatam reſtitutionem impediant: quibus in caſibus aliena fieri manu debet, aut Confeſſarii, aut alterius perſonæ. Porro in manu huius delatoris aut fortuito, aut latronum rapina, aut malitia eiuſdem, res reſtituenda perire poteſt. Si perſona deſignetur a creditore, vel ſi is electionem iſtius perſonæ relinquat arbitrio debitoris qui bona fide eligit perſonam dignam; convenit penes omnes, tunc rem reſtituendam perire creditori. Similiter quando perſona hæc deſignatur a iudice. Diſputatur itaque, quando debitor ex ſe eligit hanc perſonam. Porro debitor poteſt eſſe aut malæ, aut bonæ fidei.

XVI. Prima opinio contendit, furem non eſſe novæ reſtitutioni ſubiectum, poſt-

poſtquam homini fideli rem reſtituendam conſignavit. Quoniam fur occultus non tenetur ſe prodere; ſed reſtituere ablata ſolum tenetur per viros prudentes, fideque dignos, quales ſunt Confeſſarii, aliique viri probi. Qui modus reſtituendi conſuetus eſt, & eum vel ipſe creditor rationabiliter improbare nequit. Hanc opinionem defendunt Soto, Ledeſmá, Gabriel, & alii plures.

XVII. Oppoſita ſententia probabilior eſt, nempe hunc debitorem novæ eſſe reſtitutioni obnoxium, ſi res pereat, antequam ad creditoris manus perveniat. Siquidem reſtitutionis munus eſt conſtituere æqualitatem læſam per iniuſtam ſurreptionem. Numquam hæc æqualitas redintegratur, uſquedum res ablata non redit in manus ſui domini. Ergo fur, quocumque caſu res pereat, dominum reſarcire aſtringitur. Et reipſa poſſeſſor malæ fidei etiam de caſu fortuito obligatur. Quamobrem ſi pecunia reſtitutioni deſtinata, furto auferatur, aliam ſubſtituere tenetur. Tandem quamdiu res extat in manu delatoris, reputatur in manu debitoris illam mittentis. Oppoſitæ ſententiæ rationes facile diluuntur. Utique fur prodere ſeipſum non debet; at non propterea liber eſt a reparanda æqualitate læſa per ſuam iniuſtam ablationem. Utique creditor conſentit ut res ſua per virum fidelem reſtituatur; ſed ſervata iuſtitia, ut ſi res pereat, non ſibi, ſed furi pereat. Quoniam hic in cauſſa eſt iſtius mali eventus ratione iniuſtæ ablationis. Ex quo aliena ſurripuit, eiuſmodi periculis ſe ſe expoſuit, debitumque contraxit reſtituendi ablata in manu domini in quocumque caſu.

XVIII. Si res reſtituenda mittatur per virum probum a poſſeſſore bonæ fidei qui eamdem rem aut invenit, aut apud ſe habebat; is a nova reſtitutione, ſi pereat, liber eſt. Quia non tenetur neque ex iniuſta actione, ut ſupponitur; neque ex re accepta, cum eam non habeat. Quando autem res reſtituenda debetur ex contractu mutui, depoſiti, pignoris, commodati, diſtinguunt Auctores res quæ in ſpecie reſtituendæ ſunt, ut hæc veſtis, hic equus, hoc aurum, hæc moneta, a rebus quæ debentur in genere, ut tantumdem tritici, vini, pecuniæ. Res quæ eædem numero reſtitui debent, quæque vi depoſiti, aut commodati cuſtodiebantur, ſi mittantur per virum probum, pereunt creditori. Quoniam ſemper res perit domino ſuo. Res autem præfatæ individuæ ſub dominio ſemper fuerunt creditoris. Ergo ipſi pereunt, ſublata debitoris culpa. Contra ſtatuunt, ſi res reſtituendæ in genere debentur: quia hæ ſunt ſub dominio debitoris. Ergo ipſi, non creditori pereunt. Heinc ſi mittas equum quem commodatum accepiſti, per amicum ad dominum, ſimulque pecunias mutuo acceptas, & hæc omnia furto auferantur per viam, aut amicus, vel famulus fugam cum his bonis arripiat, reſtituere denuo pecunias debes, ſecus equum: quia equus erat domini, pecuniæ tuæ. Hæc communia ſunt.

XIX. Quæſt. VII. *Quo in loco, & cuius expenſis fieri reſtitutio debeat?* Reſp.

Poſſeſſor bonæ fidei eo in loco reſtituere rem debet ubi res ipſa extat. Si dominus fuerit abſens, admonendus, & eiuſdem incommodo, ac expenſis deferri ad illum res debet. Si tamen bonæ fidei poſſeſſor, poſtquam alienam eſſe rem cognovit, alio tranſtulerit; tum propriis expenſis ad dominum rem tranſmittere tenetur, iis dumtaxat deductis quæ impendere dominus debuiſſet in aſportatione ex priore loco. Quod ſi id feciſſet, cauſſam domini agens, ut nempe ſecuriorem rem efficeret; tum domini abſentis expenſis reſtitutio facienda eſſet. Si dominus tam abſens fuerit, ut moneri nequeat, conſervanda res eſt; uſquedum occurrat aut monitionis, aut reſtitutionis occaſio: vel pro circumſtantiarum varietate alicui loco pio, ſervanda uſque ad domini adventum, tradi poterit, vel parentibus conſignari; aut tandem, ſi maxime res parvi valoris fuerit, inter pauperes erogari.

XX. Contra poſſeſſor malæ fidei proprio incommodo reſtituere domino rem debet eo in loco ubi extaret res, ſi ablata non fuiſſet. Quid, ſi maiores ſumptus impendendi eſſent in aſportatione rei reſtituendæ quam valeat res ipſa? Caietanus, Navarrus, Covarruvias, Valentia, & alii etiam hoc in caſu faciendam reſtitutionem docent: quia raptor rei alienæ ſibi imputare hoc incommodum debet, cui iam inde ſe ſubiecit, quando furtum perpetravit; nec dominus ob alterius delictum pati detrimentum debet. Negant alii: quia non eſt præſumendum, dominum velle cum tanto incommodo reſtitutionem ſibi fieri. Verum hæc præſumptio non videtur admittenda. Siquidem ultra reſtitutionem pœnam etiam in foro exteriori lueret deprehenſus fur. Quid ni & in foro interiori hoc gravamen, ut perpetratum delictum expiet, ſubibit? Quare probabilior eſt prior opinio abſolute ſpectata. Circumſtantiæ tamen occurrere poſſunt quæ dilationem reſtitutionis permittant, ut tale detrimentum vitetur, potiſſimum ſi dominus non valde egeat re ſua, & debitor pauper ſit. Si creditor alio ſuum tranſtuliſſet domicilium, detrahendæ tum expenſæ forent quas inſumere debuiſſet dominus in rei ſuæ aſportatione.

XXI. Reſtitutio ex contractu debita, ubi celebratus contractus eſt, fieri debet; cum hic ſit locus utrique parti communis, niſi aliter a contrahentibus ipſis ſtatuatur, ut reipſa definiri ſolet. Quid, ſi alter contrahentium alio poſt initum contractum diſcedat? Tum debitum ſolvendum eſt ab eo in cuius commodum peractus contractus eſt. Mutuum commodum affert accipienti: idcirco iſtius expenſis reſtituenda pecunia eſt. Depoſitum eſt in commodum deponentis: hic propriis expenſis repetere rem ſuam debet. Semper tamen videndum ne ex aliqua parte fraus contingat.

Digitized by Google

C A P U T XIII.

De illis quibus fieri reſtitutio debet.

I. PRimum omnium reſtitutio illi facienda eſt cui ablata res fuit, ſive dominus, ſive cuſtos rei ablatæ ſit. Quare ſi ſurripias ab eo qui commodatam, locatam, oppignoratam, aut depoſitam, aut adminiſtrandam habebat, eidem fieri reſtitutio debet. Quoniam, inquit S. Thomas 2. 2. quæſt. lxii. art. 5. *per reſtitutionem fit reductio ad æqualitatem commutativæ iuſtitiæ, quæ conſiſtit in rerum adæquatione .... Huiuſmodi autem rerum adæquatio fieri non poſſet, niſi ei qui minus habet quam quod ſuum eſt, ſuppleretur quod deeſt: & ad hanc ſuppletionem faciendam neceſſe eſt ut ei fiat reſtitutio a quo acceptum eſt.* Si tamen nihil intereſſet poſſeſſori, nullamque perferret iniuriam; tum domino reſtitutio fieri immediate poſſet. Ceterum quia vix abſque iniuria privari homines poſſunt poſſeſſionis iure, quo fruuntur; ideo communiter reſtitutio fieri poſſeſſori, non domino, debet Tum ſolum domino reſtitui ablata bona poſſent, cum in manu poſſeſſoris periculo alienationis, dilapidationiſque eſſent expoſita. Quando vero aufertur res ab eo qui nullo iuſto titulo eam poſſidebat, idque certo, & non dubitanter conſtet; domino, non iniuſto poſſeſſori, fieri reſtitutio oportet. In dubio autem iniuſtæ poſſeſſionis reſtitui poſſeſſori ablatum debet: quia tum valet regula, *Melior eſt conditio poſſidentis.*

II. Quæſt. I. *Cuinam reſtitui res debet, accepta a poſſeſſore bonæ fidei?* Reſp. Domino reſtituenda eſt, quia res ſemper clamat ad dominum ſuum. Ex quo poſſeſſor bonæ fidei reſcit alienam eſſe rem, eam retinere nequit. Cum ergo nec tu, qui eam accepiſti, retinere illam valeas, domino reſtituenda eſt, quando contractu lucrativo accepta fuit. Excipitur caſus in quo rem ex contractu depoſiti, commodati, vel pignoris accepiſſes: quia contractus iſti privilegiis donati ſunt; poſtulantque ut res ei a quo accepta fuit, reddatur. Monendi tamen tum poſſeſſores, ut reddant; tum domini, ut repetant, pro circumſtantiarum varietate. Si vero contractu oneroſo, nempe per venditionem, rem accepiſti; tum reſtituendam eſſe poſſeſſori plures docent, ut pretium recuperes tuum. Si tamen a iuſto poſſeſſore repetere pretium nequeas; domino reſtituendam rem eſſe, etiam cum pretii iactura, fatentur. Quod repetere a venditore pretium valeas, nemo negat. Ceterum reſtituendam eſſe rem domino, & non poſſeſſori, iam ſupra demonſtravi: quia res ſemper ad dominum clamat; niſi certus eſſes de reſtitutione facienda a poſſeſſore. Quoniam tunc perinde eſſet quod a te, vel a poſſeſſore reſtitutio fieret. Si is cui facienda reſtitutio eſt, mortuus ſit, heredibus vel ex teſtamento,

vel ab inteſtato reddenda bona ſunt. Non poſſunt hæc bona aut in pauperes, aut in pia opera diſtribui, dum heredes eiuſmodi exiſtunt, quibus deficientibus tantum, ſuccedunt pauperes, aut pia loca. Quod ſi bona accepiſti a Religioſo, a minore, a filiofamilias, ab uxore; non iſtis, ſed dominis, eadem reddere debes. Bona Religioſorum Monaſterio, minorum tutoribus, filiorum parentibus, uxorum maritis reddenda ſunt; niſi conſtaret de conſenſu dominorum in eiuſmodi alienationes.

III. Quæſt. II. *Si reſtitutio perniecioſa ſit domino, facienda ne eidem eſt?* Reſp. Hæc eſt reſponſio quam S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxii. *art.* 5. *ad* 1. exhibet, cui omnes Theologi ſubſcribunt. *Quando res reſtituenda apparet eſſe graviter nociva ei cui reſtitutio facienda eſt, vel alteri, non ei debet tunc reſtitui: quia reſtitutio ordinatur ad utilitatem eius cui reſtituitur. Omnia enim quæ poſſidentur, ſub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille qui detinet ſic rem alienam, ſibi appropriare; ſed vel reſervare, ut congruo tempore reſtituat, vel etiam alibi tradere tutius conſervandam.* Quamobrem arma apud te depoſita reddere haud debes furioſo, aut alteri quem prævides eiſdem abuſurum in ſui, vel aliorum perniciem. Quod ſi redderes, non modo caritatem, ſed etiam iuſtitiam læderes, & ad damnorum inde proficiſcentium reſtitutionem aſtrictus eſſes: quia qui inſtrumenta præbet ad mala patranda, cooperator eſt, & influit in eadem; ut habetur l. 54. *Si pignore*, *ſ.* 4. ubi hæc præſcribuntur. *Qui ferramenta ſciens commodaverit ad effringendum oſtium, vel armarium, vel ſcalas ſciens commodaverit ad aſcendendum, licet nullum eius conſilium principaliter intervenerit ad furtum faciendum, furti tamen actione tenetur.*

IV. Quæſt. III. *Fieri ne reſtitutio debet bonorum, quando prævidetur dominus iis ad peccandum abuſurus?* Reſp. Ex caritate evitari tunc, & differri reſtitutio poteſt, & debet; ſecus ex iuſtitia. Quis petit pecunias ſuas, in ſcorta, in comeſſationes, ludoſque dilapidandas: illas ex iuſtitia denegare non aſtringeris. Quoniam pecuniarum retentio non eſt medium idoneum impediendis malis ſpiritualibus, ſed correctio fraterna: & quiſque dominus eſt ſuarum actionum ſpiritualium.

V. Quæſt. IV. *Cuinam facienda eſt reſtitutio, quando dominus eſt ignotus?* Reſp. De reſtitutione rerum inventarum, domino ignorato, dictum eſt ſupra. Nunc de reſtitutione bonorum quæ furto, aut alia via ablata ſunt, vel reperiuntur apud poſſeſſorem, ſermo eſt. Primo certum eſt omnem adhibendam eſſe diligentiam ut dominus, vel eius heredes reperiantur. Et eo maior eſt neceſſaria diligentia, quo pretioſior eſt res reſtituenda. Si dubium occurrat, ſit ne res reſtituenda Petri, an Ioannis; tunc pro rata dubii dividenda inter iſtos duos eſt. Quando vero dominus omnino ignotus eſt, hoc præbet reſponſum S. Thomas 2. 2. quæſt. lxii. art. 5. ad 3. *Si ille cui debet fieri reſtitutio, ſit omnino ignotus, debet homo reſtituere ſecundum*

quod

quod poteſt, ſcilicet dando eleemoſynas pro ſalute ipſius, ſive ſit mortuus, ſive ſit vivus, præmiſſa tamen diligenti inquiſitione de perſona eius cui eſt reſtitutio facienda. Si vero ſit mortuus ille cui eſt reſtitutio facienda, debet reſtitui heredi eius, qui computatur quaſi una perſona cum ipſo. Si vero ille ſit multum diſtans, debet ſibi tranſmitti quod ei debetur; & præcipue ſi ſit res magni valoris, & poſſit commode tranſmitti: alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conſervetur, & domino ſignificari. Quæ doctrina S. Thomæ habetur in iure canonico cap. *Cum tu de uſuris*, & in 6. cap. *Cum ſit de Iudæis*: ubi licet ſermo de bonis ſit acquiſitis per ſimoniam, & uſuram, communiter tamen doctrina hæc extenditur ad omnia bona ex delicto debita quorum dominus ignoratur.

VI. Diſputant vero Auctores, num, præciſis legibus poſitivis, & ſpectato ſolo naturæ iure, bona iſta pauperibus eroganda ſint? Adfirmant plures: quia ita prudenter præſumitur dominum velle in commodum ſuum ſpirituale hæc bona applicari, in pauperes erogando. Ergo cum res aliena modo poſſibili reſtituenda domino ſit, præfata reſtitutio pauperibus facienda eſt in utilitatem ſpiritualem domini. Negant alii, contendentes hæc bona iure naturæ ad ſtatum priſtinum devolvi in quo erant ante diviſionem iure gentium invectam. Horum vero dominos eſſe Reges, Rempublicam, Communitatem, ſummum Pontificem, qui valet eadem in uſus bono communi utiles convertere. Ius quippe naturæ ſolum præſcribit ut bona reſtituantur dominis, quando id poſſibile eſt. Quod ſi hoc fieri nequeat, non iubet ut applicentur hæc bona pauperibus, cum non ſint hi legitimi domini, & heredes. Et reapſe Principes, ac Pontifices ſummi hæc bona applicant in quos ſibi expedire uſus iudicant. Hanc opinionem defendunt Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* II. *§.* 3. *num.* 213.

VII. Neutra ſententia evidens eſt. Tamen ſi coniecturis indulgendum eſt, prior præferenda videtur. Et primum iuris naturæ legitimus interpres eſt ipſa conſuetudo, ſeu communis hominum ſenſus. At conſuetudo, & communis hominum ſenſus reipſa hæc incerta bona pauperibus adiudicat. Leges indicatæ, & S. Thomas cum ceteris ſui ævi Doctoribus in pauperum favorem hoc ius naturæ interpretantur. Qui enim melius quæ ſunt iuris naturæ rationalis interpretari valent quam ii qui in hac natura præſtantiores fuerunt? Rerum partitio iure gentium invecta eſt. Num ius iſtud, ſeu hominum conſenſus integram pauperum hominum rempublicam a bonorum communium participatione penitus reiecere? An pauperes homines non ſunt? An ad bona communia ius & ipſi ante diviſionem æque ac alii non habebant? Unde ergo colligendum, quod populoſa hæc pauperum reſpublica a iure participandi de eiuſmodi bonis excluſa penitus ſit? Excluſa autem omnino eſſet, ſi neque in bonis incertis ſuccederet. Quare veroſimilius apparet eiuſmodi bona incerta ad pauperum communitatem pertinere, naturæ iure

ſpe-

ſpectato. Ius quippe naturæ omnes homines ad bonorum communionem admittit. Ius gentium, iuris naturæ interpres, bona diviſit abſque pauperum præiudicio. Nulla adeſt ratio præſumendi, excluſos eſſe pauperes a iure ſuccedendi in his bonis; immo iuris æquitas præſumendi rationem exhibet, hæc bona incerta eſſe portionem pauperum communitati deſtinatam. Summi Pontifices, Principes, Reges ſunt pauperum parentes, & tutores, qui reipſa hæc bona applicare pauperibus ſolent. Quod ſi interdum illi, ut cuſtodes, interpretes, & adminiſtratores publici iuris, in quemlibet alium uſum hæc bona deſtinant; nihil officit ſententiæ noſtræ. Nam caſus reſpectu cuiuſque legis occurrere poſſunt in quibus ſupremi interpretes, & domini id deliberent quod magis communi bono convenire iudicant.

VIII. Ex ſecundæ, quam refutavi, opinionis principiis inferunt Caſtropalaus *diſp.* 1. *punct.* 18. *ſ.* 8. *num.* 1. Dicaſtillus *Lib. II. tract.* 11. *diſp.* IX. *dub.* 14. Leſſius *Lib. II. cap.* XIV. *dub.* 6. Petrus Navarra *Lib. IV. cap.* 11. *num.* 4. Layman *Lib. III. tract.* 1. *cap.* IX. poſſeſſores qui præfata bona poſſident fide bona, licite ſibi appropriare poſſe, quin teneantur eadem pauperibus diſtribuere: quam opinionem probabilem reputant Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* 1. *punct.* 11. *ſ.* 3. *num.* 213. Quoniam cum hæc bona ad priorem ſtatum devoluta ſint, iam, inquiunt, fiunt primi occupantis; quemadmodum feræ, piſces &c. Leges poſitivæ ſolum iubent in pauperes erogari bona ex delicto acquiſita, ſecus bona quæ vi contractus, iuſtique tituli poſſidentur.

IX. Hæc opinio ex iis quæ dixi, improbata manet, & communi ſenſui repugnat. Nam leges quæ bona per ſimoniam, & ſenora acquiſita, diſtribuenda pauperibus ſtatuunt, communi conſuetudine, & conſenſu extenduntur ad omnia bona quæ dominis carent. Et præter leges ipſas probavimus iure gentium ad pauperum communitatem pertinere recenſita bona.

X. Quæſt. V. *Quibus pauperibus diſtribuenda ſint bona incerti domini?* Reſp. In pauperum communitate maior, & minor paupertas reperitur. Caritas, quæ ordinata eſt, pauperioribus primum omnium ſubſidia confert. Sed hæc prælatio conſilii eſt, non neceſſitatis, abſolute loquendo. Sat enim eſt quod præſata bona inter vere pauperes diſtribuantur. Illud dumtaxat primo loco advertunt Soto, Tapia, & alii, quod ſi iniuria facta ſit alicui communitati, aut illius parti, ignorenturque domini læſi, tum reſtitutio facienda eſt communitati, ut ab hac modo quoad fieri poteſt meliori partes læſæ reſarciantur. Quando vero læſum eſt ius particularis perſonæ ignotæ; tum ſat eſt quibuſque pauperibus erogare bona reſtituenda. Quando vero emptores alicuius oppidi, communitatis, & cuiuſque loci læſi fuere minutis venditionibus, & ignorantur determinatæ perſonæ; tum compenſandi ſunt talis loci emptores, vilius iiſdem vendendo.

XI.

Digitized by Google

XI. Tutior via diſtribuendi præfata bona incerta, eſt conſilium petere ab Epiſcopo, vel Parocho, qui ſunt pauperum tutores. Multi iuniores ſuggerunt Bullam compoſitionis. Sed caute obſervandum eſt ne fraus, doluſque in expoſitione contingat. Videndum, utrum hæc Bulla impetretur proprii commodi gratia, & in præiudicium pauperum. Sinceritate, caritate, & prudentia opus eſt in hac bonorum diſtributione.

XII. Quæſt. VI. *Utrum ſolutio facta non creditori tuo, ſed alteri cui tantumdem creditor tuus debet, ſit valida?* Reſp. Tu debes Petro centum. Totidem ille debet Paulo fratri tuo. Huic tu debitum ſolvis. Diſputant, ſis ne liber ab ulteriori ſolutione Petro facienda? Adfirmant Leſſius *Lib. II. cap. XVI. dub. 5.* Caſtropalaus *diſp. 1. punct. 18. §. 10.* Layman *Lib. III. tract. 11. cap. IX.* Bonacina *diſp. 1. quæſt. V. punct. 1.* qui citant Molinam, Valentiam, & alios, quibus ſubſcribunt Salmanticenſes *tract. XIII. cap. 1. punct. 11. §. 4.* Quoniam, inquiunt, nullum hæc ſolutio damnum Petro infert; cum liber ille evadat a debito ſolvendo Paulo. Porro liberare aliquem a debito ſolvendi centum idem eſt ac totidem illi dare. Idque confirmant hac paritate. Si ego tibi debeo centum, tu totidem mihi: ego uti compenſatione poſſum, & a ſolutione abſtinere.

XIII. Negat altera ſententia, quæ magis mihi probatur. Quandoquidem Petrus creditor tuus ius habet exigendi a te ſuum debitum. Paulus vero Petri creditor nullo potitur iure a te repetendi quidquam. Qua ergo ratione pervertere hæc iura vales? Quis te Petri creditoris tui curatorem, procuratoremve conſtituit, ut illius debita ſolvas? Anne a Petro bona illius ſurripere vales quibus debita eiuſdem ſolvas? Nemo id aſſeruerit. Cur ergo centum quæ illi debes, quæque illius ſunt, ſolvere creditori ſuo poteris? Solutio iſta iura perturbat. Quid, ſi Petrus tuus creditor indigeat pecunia quam tu illi debes; Paulus vero Petri creditor forte non indigeat, ſed poſſit diutius expectare debiti ſolutionem, ut Petrus negotiis ſuis providere valeat? Tandem omnia tribunalia tales ſolutiones quæ iuris ordinem pervertunt, damnant.

XIV. Adverſæ ſententiæ argumenta nullo negotio diluuntur. Nego, nullum inferri damnum Petro, dum omittis ſolvere quæ illi debes, ut eadem ſolvas illius creditori. Nam hac ſolutione violas ius quod Petrus habet exigendi ſuum creditum. Pervertis iuſtitiæ ordinem, & ea præſtas quæ iura prohibent. Paritas quæ obtruditur, vana eſt. Quando debes centum Petro, & totidem ille tibi; ius tibi eſt repetendi a Petro centum: & ideo ſi ille ſolutionem recuſat ſuam, merito tu ſolutionem tuam omittis. At Paulus Petri creditor nullum ius habet repetendi a te centum; neque tu aliquo aſtringeris iure quidquam ei ſolvendi. Pervertis ergo iura omnia, dum, denegata ſolutione debiti facienda Petro, pro arbitrio eamdem tradis Paulo.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Quis ordo ſervandus in ſolvendis debitis creditoribus, ſeu quinam horum præferri aliis debeant.

I. De ordine ſervando inter perſonas quæ reſtituere debent, & compenſare illata mala, ſatis iam dixi ſupra. Nunc ordo explicandus eſt qui ſervari in debitorum ſolutione debet, quando debitor omnibus ſatisfacere nequit. Nam ſi is omnibus reddere quod debet, valeat, nulla diſputatio eſt. Nemo quippe negat, omnibus creditoribus tum ſatisfaciendum eſſe, nullo ſervato ordine. De hac creditorum prælatione fuſius Icti quam Theologi tractant. Quin Theologi regulas certas, quæ omnibus deſerviant, præſcribere minime valent; cum diverſæ leges hac de re pro nationum, & ſtatuum diverſitate occurrant. Quare cauti ſint Theologi oportet in conſiliis dandis, dubiiſque decidendis.

II. Diſputatur itaque, quinam creditores præferendi ſint, quando debitor omnibus ſolvendo non eſt. Et primum aliqui creditores ſunt qui iure naturæ omnibus præferri, nullo habito ad leges reſpectu, debent. Aliqui legum beneficio prælatione fruuntur; & vocantur creditores *privilegiati*. Alii neque iure naturæ, neque legum titulo prælatione gaudent. Alii vocantur creditores *perſonales*, quia ius tantum in perſonam habent, ſecus in bona, niſi *indirecte*: quia nulla bona determinata obligata habent. Alii ſunt *hypothecarii*, qui præter ius in perſonam bona ſibi devincta habent, media hypotheca. Quæ hypotheca duplex eſt. Alia tacita, quæ vi legum adiecta eſt, ut bonis dotalibus addita eſt hypotheca bonorum mariti; & bona eorum qui conducunt gabellas, vel tributa, hypotheca fiſco addicta ſunt. Quando omnia bona indiſcriminatim ſunt obligata, dicitur *hypotheca generalis*. Quando vero *hypothecæ* ſubiicitur tantum aliquod ſtabile, puta hæc vinea, illud pratum, dicitur *hypotheca ſpecialis*. Hypotheca ſpecialis efficacior eſt: quia ſi ſtabile ſubiectum huic hypothecæ tranſeat ad alios emptores, ſemper manet ſubiectum primo creditori, cui titulo hypothecæ fuit adſcriptum. Bona vero quæ ſubiacent hypothecæ generali, ſi ad alios tranſeant dominos, evaneſcit hypotheca facta primo creditori.

III. Diſputant Theologi primum omnium, utrum leges civiles, & canonicæ, quæ ordinem ſtatuunt ſervandum in creditorum prælatione, obligent in conſcientia. *Diana*, *Marchantius*, *Machadus*, *Trullenchus*, *Serra* probabile eſſe contendunt præfatas leges non obligare in conſcientia; nullam tamen rationem adducunt: ſolum afferunt, plures eſſe leges mere pœnales, quæ id ſtatuunt quod eſt conſentaneum paci, & tranquillitati tuendæ: quas leges ſervare iudices in tribunalibus de-

Digitized by Google

debent, ſecus privati. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 12. *num.* 227. hæc ſcribunt. „ Sed *in gratiam* eorum qui ſibi debita præoccupant, non ſervato ordine „ iuris, non deſinam hic adnotare, non eſſe improbabilem ſententiam illorum qui „ aſſerunt, tales leges in conſcientia non obligare. " Salvo officio quod perdoctis viris profiteor, hic opinandi modus ille mihi videtur quem improbat Alexander VII. Quid? *In gratiam* eorum qui debita, reclamantibus legibus, ſibi uſurpant, opiniones probabiliſticæ obtruduntur? Quænam? Non improbabiles. Cur non improbabiles? Quia a nonnullis Caſuiſtis propugnantur. Defendunt & ipſi Salmanticenſes contrariam, & veram opinionem; at vi Probabiliſmi, qui ubique ſerpit, improbabilem non exiſtimant quam recenſui opinionem: & ideo in gratiam, non veritatis, ſed probabilitatis, quæ cupiditati favet, illam recordantur iis qui præfatas ſervare leges recuſant.

IV. Dico itaque, leges ſive civiles, ſive canonicas quæ prælationem creditorum ſtatuunt, obligare in conſcientia ante omnem iudicis ſententiam. Nam leges illæ omnes quæ ſpectant publicam humanæ ſocietatis pacem, & tranquillitatem, & commerciorum æquitatem, conſcientiam obſtringunt. Huc pertinent præfatæ leges. Ergo ſervandæ in conſcientia ſunt. Et hæc eſt communis, & vera ſententia.

V. Quibus conſtitutis, convenit penes omnes, illos creditores præferendos omnibus iure naturæ, & poſitivo eſſe quorum bona in ſpecie exiſtunt apud debitores, & quorum dominium translatum in iſtos non eſt; ut ſunt pignora, depoſita, commodata: quia eiuſmodi bona non ſunt debitoris, ſed creditoris. Quod verum eſt, etiamſi ignorentur domini. Quare quando conſtat bona apud debitorem eſſe aut commodata, aut oppignorata, aut depoſita, licet domini eſſent occulti, hæc bona extrahi debent: quoniam inter bona debitoris non computantur; & reddenda ſunt aut Eccleſiæ, aut pauperibus iuxta ea quæ ſupra ſtatuta ſunt.

VI. Quæſt. I. *Debita certa in propria ſpecie non extantia, præferenda ne ſunt debitis incertis?* Reſp. Negat prima opinio, aliquem ſervandum eſſe ordinem, & prælationem, quando bona debitoris non ſufficiunt pro omnibus; ſed omnia pro rata ſolvenda eſſe: quia non videtur æquitati conſentaneum ut ille qui furtis, & rapinis patrimonium auxit, ſolvat debita in integrum illis quibuſcum contractus inivit, nihil pro his furtis & rapinis reſtituendo. Neque lex aliqua reperitur quæ in integrum ſolvi priora debita certa præſcribat, inſolutis omnino debitis incertis.

VII. Altera ſententia, quæ communior eſt, defendit, debita certa incertis præferenda eſſe. Incerta dicuntur ea debita quorum domini ignorantur; ceteroquin debita certa ſunt. Rationes iſtius ſententiæ hæ ſunt. Reſtitutio aufert inæqualitatem, ſeu iniuſtitiam proximo illatam. Sed ſi non ſolvantur debita certa in integrum, non aufertur iniuſtitia determinatæ perſonæ irrogata. Contra, dum non

ſol-

Digitized by Google

ſolvuntur debita incerta, nulli determinatæ perſonæ ſit iniuſtitia. Quandoquidem creditores certi ius ex iuſtitia commutativa ortum, habent ad bona debitoris. Pauperes vero tale ius non habent in bona incerta debitoris: quapropter in iudicio repetendi eiuſmodi bona actionem non habent. Sed creditor cui ex iuſtitia commutativa aliquid debetur, præferendus eſt ei qui tali iure non potitur.

VIII. Quænam ex his duabus opinionibus præferenda ſit, vix teneo. Quod creditor ditari debeat ex bonis, furtis, ſpoliis, rapiniſque ſublatis, tutum in conſcientia non videtur. Fac bona debitoris quæ ſuperſunt, uſuris, furtiſque parta eſſe maiori ex parte, idque certo conſtare. Ut debita certa in integrum ſolvantur, præfata bona, turpi quæſtu quæſita, ingredi ſolutionem debent. Quis vero Chriſtianorum qui ſincero ſuæ æternæ ſalutis amore flagret, vellet in ſolutionem ſui debiti talia recipere bona? E contrario pauperum communitas ſuccedit naturæ iure in bonis incertis, ut ſupra dixi. Porro an ſuccedat in hoc caſu, quando ſcilicet ſolvenda ſunt debita certa, non videtur adeo compertum. Maxime quod pauperes actionem in iudicio non habent, ſicuti creditores certi. Utrimque ergo aqua hæret. Neque quid tutius ſit, video. Ex una parte ſecurius videtur ſavere pauperibus; ex altera tutius apparet præferre eos qui iura certa poſſident. Quapropter ſapientum iudicio, quid definiendum ſit, relinquo. Ego creditoribus certis conſulerem ut ipſi litem dirimerent acceptando pauperes in ſocietatem ſolutionis, ut docet prima ſententia; ſed tanta mihi evidentia rationum non eſt, ut eoſdem ad id urgere debeam. Quid? Sic ſuſpenſos relinquis lectores tuos? Theologi munus eſt definire præciſe quid agendum, aut omittendum ſit. Et ego repono, Theologi chriſtiani eſſe ea quæ ignorat, indefinita relinquere. Probabiliſtæ, qui pondera probabiliſtica habent, quibus utrique opinioni oppoſitæ gradum tribuant honeſtatis, ſimilia definire *probabiliter* valent.

IX. Quæſt. II. *An creditoribus privilegiatis præferri debeat venditor rei, dum res in ſpecie extat apud debitorem?* Reſp. Excipiunt communiter Auctores bona Eccleſiæ, minorum, & ſiſci, quorum dominium non transfertur in emptorem, uſque dum pretium ſolutum reipſa non ſit. Quæſtio itaque eſt de aliis creditoribus qui merces vendunt emptori, eique pretium credunt: num videlicet iſti, quando merces venditæ extant in ſpecie, pretio non ſoluto, debeant omnibus aliis creditoribus, etiam privilegiatis, puta hypothecariis, præferri? Negat prima ſententia: quia in contractu venditionis, conſignata merce emptori, & pretio ei credito, dominium omnino transfertur in emptorem. Idque patet: quia ſi emptor ſolvere pretium velit, venditor actionem repetendi mercem venditam non habet; ſed ſolum ius retinet exigendi pretium. Ergo merces licet in ſpecie extent, ſunt cum aliis eiuſdem debitoris bonis confundendæ, & omnibus creditoribus pro rata ſatisfaciendum.

X.

Digitized by Google

X. Altera opinio adfirmat, eiuſmodi creditores præferendos eſſe : quia licet dominium translatum ſit (quod aliqui tamen negant) pretio non ſoluto; nihilominus merces quæ extant in ſpecie, manent, ſuntque veluti hypothecæ pretii ſolvendi. Quare ſi pretium non ſolvatur, eſt ipſi contractui veluti inſita conditio, ut emptore pretium non ſolvente redeant merces in manus venditorum : idque æquitati naturali videtur magis conſentaneum, ut dum res venditoris exiſtit in propria ſpecie, non applicetur aliis extraneis, ipſo domino, ſeu venditore invito. Hæc opinio communior eſt, & fori etiam externi uſui videtur conformior.

XI. Quæſt. III. *Qualis ordo ſervandus eſt inter debita aut ex contractu oneroſo, & gratuito, aut ex contractu, & ex delicto?* Reſp. Debita ex contractu oneroſo, nimirum ex venditione, permutatione, locatione &c. præferri omnino debent debitis ex liberali promiſſione etiam acceptata ex legato, teſtamento &c. Idque verum habet, etiamſi debitum contractum ſit ob promiſſionem dotis ſolvendæ filiæ, legati donandi Eccleſiæ, pauperibus &c. Quoniam Deus ſacrificia ex rapinis oblata non acceptat. Idque declaratum eſt *ff. de re iudicata, l. Inter eos §. Is quoque*, ubi hæc habentur : *Qui ex cauſa donationis convenitur, in quantum facere poteſt, condemnatur : & quidem is ſolus deducto ære alieno*. Inter æs alienum computantur debita ex contractu oneroſo. Quare aliena promittit qui ſolvendo debita ſua non eſt. Sententia communis eſt.

XII. Diſputant vero Auctores, num debita ex delicto præferri debeant debitis ex contractu oneroſo? Prior opinio docet, præferenda eſſe debita ex delicto, quando in contractu non fuit adiecta hypotheca, vel non exiſtat res in ſua ſpecie : quia debita ex delicto duo ſecum onera deferunt, nempe iniuriam irrogatam domino, & iniuſtitiam contra æqualitatem. Qui vero ex iuſto contractu debet, æqualitatem dumtaxat reparare tenetur. Quare prius quæ ex rapina quam quæ ex furto, & prius quæ ex furto quam quæ ex licito & honeſto contractu debentur, ſolvenda ſunt. Altera opinio, directe huic oppoſita, contendit, prius eſſe ſolvenda quæ ex contractu quam quæ ex delicto debentur. Tertia ſententia defendit, nullum eſſe in eiuſmodis ſervandum ordinem, ſed omnibus pro rata ſolvendum: quoniam nulla lex aliquam prælationem conſtituit inter eiuſmodi creditores. Aliunde iure naturæ hæc prælatio non apparet. Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 12 *§.* I. *num.* 234. referunt has tres ſententias, aiuntque omnes eſſe probabiles, & tutas in praxi. Verum cum una ſola vera ſit, neſcio quomodo tutæ omnes eſſe queant. Sperandum eſt, eum qui falſam eligit fide bona, excuſandum a culpa eſſe. Ceterum ſecuritatem ego nec mihi, nec aliis ſpondeo; ſed in quolibet opinionum conflictu, quando veritas non ſe prodit, anceps paveo, & contremiſco, & ſecuriora ſuadeo. Sed non raro, ut hic contingit, quid ſit tutius, deprehendi vix poteſt. Si quod ipſe ſentio, exprimere in re valde implexa liceat, dicerem, pro conſcientiæ

tiæ foro videndum eſſe quæ debita prius contracta ſint, ſive ex delicto, ſive ex contractu : & quando certo conſtaret debita ex delicto, aut contra debita ex contractu a debitore prius contracta fuiſſe, dicerem, quæ prius contracta ſunt, eſſe ſolvenda. Ratio eſt : quia dum debitor priora debita contraxit, erat, ut ſupponitur, ſolvendo; & creditor ius certum, ac legitimum in bona debitoris habebat. Porro hoc ius certum, & legitimum lædi nequit per debita poſteriora : quia dum hæc contrahuntur, debitor non habet unde ſolvat; cum omnia ſua bona obligata ſint anterioribus creditoribus. Et hoc mihi videtur certum. Si autem id non conſtaret, ſed incertum eſſet quæ prius, quæ poſterius contracta fuerint ; tum dicerem, omnes creditores ſorti obnoxios æqualiter eſſe, & ex bonis debitoris omnibus pro rata ſolutionem faciendam. Hoc mihi videtur probabilius. Idque magis conſtabit ex dicendis.

XIII. Quæſt. IV. *Quomodo creditores hypothecarii præferendi aliis ſint*? Reſp. Hypotheca præbet ius in bona quæ eidem ſubiiciuntur. Quare creditores quibus bona debitoris deſignata ſub hypotheca, ſive ſpeciali & expreſſa, ſive tacita & generali, ſunt, præferri aliis creditoribus perſonalibus, etiam privilegiatis, debere aſſerunt omnes : quia creditores hypothecarii non in perſonam modo, verum etiam in bona hypothecata ius habent. Ceteri vero creditores ſimplices ius dumtaxat habent in perſonam. Ergo illi iſtis anteponendi ſunt. Inter creditores vero hypothecarios qui habent hypothecam ſive ſpecialem, ſive generalem, nulla datur prælatio, niſi ſit privilegium quod aliquos excipiat; ſed inter eos illa iuris regula ſervanda eſt, *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure*. Idque verum aſſerunt communiter omnes, tum comparata hypotheca expreſſa priori cum expreſſa poſteriori, tum expreſſa priori cum tacita poſteriori, tum generali cum ſpeciali. In his omnibus valet præfata iuris regula : quæ etiam confirmat ea quæ numero præcedenti dicta ſunt. Quoniam dum conſtat debitum prius eſſe contractum, iure naturæ bona debitoris gravata, &, ut ita dicam, hypothecata remanent pro debiti ſolutione.

XIV. A dicta regula excipiunt hypothecas privilegiatas, quæ tametſi tempore ſint poſteriores, aliis non privilegiatis præferri contendunt. Verum quando aliqua bona expreſſa hypotheca gravata ſunt, per poſteriorem hypothecam gravari nequeunt. Quare neque per ſupervenientem hypothecam dotalem infringi poteſt prior hypotheca expreſſa. Auctoritas quæ ex Cod. *Qui potiores*, l. *Aſſiduis*, opponitur, ſolum infert hypothecam dotalem præferendam eſſe hypothecæ generali, & tacitæ, ſecus expreſſæ, & peculiari. Neque enim præſumi ullo modo poteſt, leges ea præcipere quæ expreſſe pugnant cum naturæ iure. Porro quoties bona ſemel ſint hypotheca expreſſa, & ſpeciali gravata, ſunt veluti alienata. Bona aliena nulla lege valent in dotem aſſignari. Privilegium igitur legis ſolum prælationem dare poteſt, quando nulla mariti bona ſunt peculiari expreſſa hy-

hypotheca obligata. Si tamen bona dotalia in ſpecie exiſterent, tum uxores, earumque deſcendentes præferri omnibus creditoribus, etiam hypothecis expreſſis, & ſpecialibus, deberent. Hæc eadem doctrina valet reſpectu fiſci. Debitores quippe fiſci obligant omnia bona ſua cum privilegio prælationis reſpectu omnium creditorum antecedentium qui hypotheca expreſſa & peculiari non gaudent. Eadem enim fiſci, & dotis privilegia ſunt. Quare dum ſuper bonis fiſci, & dotis lites excitantur, valet iuris regula, *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure*.

XV. Qui pecunias conferunt expendendas in domus ædificio, in colendo agro, in redimendo, aut emendo ſtabili, quæ bona hypotheca gravantur in ſecuritatem creditorum qui expreſſe poſtularunt hæc bona ſibi obligari, præferendi ſunt creditoribus anterioribus habentibus hypothecam tantum generalem. Immo qui pecunias conferunt ad conſervanda bona, vel ad eadem inſtauranda, expreſſa & ſpeciali hypotheca gravata, præferendi ſunt creditoribus anterioribus ius habentibus in eiuſmodi bona vi dictæ ſpecialis, & expreſſæ hypothecæ; niſi fraus deprehendatur: quia eiuſmodi expenſæ ſunt in commodum creditoris hypothecarii. Periiſſent quippe bona hypothecata, niſi inſtaurata, aut præſervata fuiſſent. Plures aliæ quæſtiunculæ moveri ſolent ſuper prælatione inter creditores fiſci, dotiſque, & creditores quos nunc recenſui. Verum lites eiuſmodi a diverſa fori praxi & conſuetudine, & a variis legibus municipalibus pendent. Idcirco nihil certi ſtatui poteſt. Præferunt etiam Auctores communiter creditores qui pecunias expendunt militiæ ſuſtentandæ cauſſa, omnibus aliis creditoribus anterioribus. Item hypotheca, publica ſcriptura ſtipulata, præfertur hypothecæ privata ſcriptura exaratæ, quod in privata fraus præſumatur. Ceterum ſi ius naturæ ſpectetur, certoque conſtet nullam interveniſſe fraudem, tum nulla facienda prælatio eſſet. In foro tamen exteriori communiter inſtrumentum publicum præfertur privatæ ſcripturæ. Tandem quando pecunia pupilli expenditur in emptione alicuius ſtabilis, prædii, domuſve, præferri ſolet cuicumque hypothecæ generali tacitæ, vel expreſſæ, niſi obſit aliquod privilegium ſpeciale, ut eſt illud favens creditoribus qui militiæ cauſsa pecuniam conferunt.

XVI. Quæſt. V. *Quænam prælatio ſit inter creditores privilegiatos ſimplices, ſeu perſonales?* Reſp. Poſt creditores hypothecarios qui actionem habent in bona debitoris, nedum in perſonam, ſuccedunt creditores ſimplices, ſeu perſonales, qui deſtituti omni hypotheca ſive generali, ſive ſpeciali, actionem habent tantum in perſonam; ideoque perſonales nuncupantur. Inter iſtos præferuntur illi qui funerum cauſſa expendunt. *ff. de relig. & ſumpt. funer. l. penult. & l. Ære alieno*, ibi. Funerum nomine expenſæ veniunt factæ in infirmitate curanda, nempe in medicinis dandis, in medicis, & chirurgis ſolvendis. Debita hac cauſſa contracta præferri omnibus debent. Sponſa tradens dotem ante matrimonium, matri-

monio non ſecuto, contrahit creditum privilegiatum præferendum aliis creditoribus perſonalibus, qui non habeant tacitam, aut expreſſam hypothecam. Creditum enim dotis non fit hypothecarium, niſi poſt contractum matrimonium. Qui deponit pecunias apud publicum depoſitarium, vel nummularium, uſura non percepta, præfertur omnibus creditoribus perſonalibus eiuſdem publici depoſitarii, *ff. de privilegiis credit. l. Si ventri* : ſecus autem, ſi uſuram perciperet : quia tunc non deponens, ſed mutuans eſt. Si Princeps ſit creditor, vel Reſpublica, præfertur creditoribus non hypothecariis. Inter creditores vero privilegiatos ille præferendus eſt qui potiori cauſſa fruitur.

XVII. Quæſt. VI. *Qualis ordo ſervandus inter creditores ſimplices non privilegiatos?* Reſp. Prælatio inter eiuſmodi creditores ad iuris naturæ regulas revocanda eſt; cum nihil ius poſitivum expreſſe ſtatuerit. Duæ ſunt ſententiæ directe oppoſitæ ſuper hac quæſtiuncula. Prior contendit, nullam admittendam eſſe prælationem inter hos creditores non privilegiatos; ſed partienda eſſe debitoris bona, & omnibus pro rata temporis eſſe ſolvendum. Quoniam ſola debitoris perſona obligata eſt, ſecus bona, his creditoribus. Sed perſona eadem eſt, & quamvis devincta priori creditori, poteſt alteram ſubire obligationem.

XVIII. Altera ſententia defendit, inter hos creditores illum præferendum eſſe qui prior eſt tempore. Quandoquidem qui priores ſunt, ius acquirunt in debitorem, quod per poſterius infringi, aut attenuari minime valet. Et quamquam hoc prius ius perſonam ipſam immediate ſpectet, tamen ad ipſa bona indirecte extenditur. Neque perſona ipſa in ſervitutem venditur; ſed obligat ſe debitor ad ſolvendum mediis bonis ſuis. Quod confirmatur ex iuris regula allata, *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure* : quæ licet expreſſe lata ſit pro creditoribus hypothecariis, quia litis conditio tunc ita poſtulabat; tamen principia quibus nixa eſt, æque concludunt reſpectu omnium creditorum, niſi privilegia obſtent. Et hæc ſententia probabilior eſt. Probabiliſtæ de more utramque probabilem iudicant. Nos eam ſolum probabilem reputamus quæ probabilior eſt in conſpectu minus probabilis.

XIX. Quæſt. VII. *Inter eiuſmodi debitores perſonales præferendus ne pauper eſt?* Reſp. Inter hos creditores alii divites, alii pauperes ſunt. Sermo non eſt de paupere extreme, aut graviter indigente, cui tam debitor, quam creditor debeat ex caritate ſuccurrere. Sermo itaque eſt de creditore indigente, qui ex privatione integri crediti damnum grave patiatur; cum divites creditores vix ſentiant incommodum ex crediti diminutione. Prior ſententia adfirmat : quia reſtitutio eo tendit ut damnum evitet. Porro pauperes creditores damnum grave patiuntur ex crediti diminutione. Ergo iſti ceteris præferendi videntur. Sententia altera negat hanc prælationem : quia nec a lege poſitiva, nec a lege naturæ colligi valet. Nulla ſane

Digitized by Google

ſane lex poſitiva tribuit creditori prælationem, iure autem naturæ ſpectato in iis quæ ad iuſtitiam commutantem pertinent, omnes ſunt æquales; & perperam allegatur aut paupertas, aut opulentia, ut quæ iuris naturæ ſunt, immutentur. Extranea prorſus hæc iuſtitiæ ſunt. Aliunde pauperibus ſuccurrendum eſt. His itaque miſſis, id ſpectandum quod iuris eſt. Ius autem præſcribit ut prior tempore ſit potior iure, nullo habito ſive ad pauperem, ſive ad divitem reſpectu. Et hæc ſecunda ſententia mihi eſt probabilior, ideſt unice vera. Conſuli dumtaxat poteſt, ut creditores divites ſinant, ſi velint, pauperes præferri; cogi mea ſententia nequaquam poſſunt: nec ipſis inſciis liberum eſt debitoribus pauperes præferre.

XX. Quæſt. VIII. *Poteſt ne debitor uni ex creditoribus ſolvere integrum debitum, ſi impotens hinc evadat ſolvendo cetera debita?* Reſp. Plura ſunt iura quæ favent primis petitoribus. Qui primum in iudicio petit creditum ſuum, obtinetque ſententiam in ſui favorem, dubio procul hic præferendus eſt; ut ſtatuitur ff. de poſſeſſ. l. *Si hominem*, *ſ. Quoties*. Quod ſi alii creditores, antequam executioni demandetur prior ſententia, ipſi & ſententiam, & executionem opere compleant, iſti præferendi priori ſunt; niſi aliter iura præſcribant. Varia quippe, ad hoc quod attinet, iura ſunt. Quare quiſque propriæ patriæ leges ſpectare debet. Illud autem in diſputationem vocant Auctores, num quando debitor ſponte ſolvit uni creditorum non petenti integrum debitum cum præiudicio aliorum, valeat creditor iſte tuta conſcientia retinere hanc ſolutionem, quin partem reſtituat creditoribus præiudicatis? Quod debitor id præſtando peccet, & quod, ſi ad meliorem aſſurgeret fortem, compenſare præiudicatos teneretur, certum eſt.

XXI. Adfirmant plures factum tenere, & creditorem tuta retinere conſcientia poſſe integrum ſolutum pretium. Quandoquidem, inquiunt, bona ſoluta non ſunt aliis creditoribus hypothecata, ut ſupponitur. Creditor iſte alia ex parte id tantum recipit quod ſibi debetur. Non eſt ergo unde onus reſtitutionis inferatur. Et huic opinioni favere leges videntur, quæ declarant ſolutum tenere. Hanc opinionem defendunt *Leſſius*, *Dicaſtillus*, *Machadus*, *Villalobosſus*, *Diana*, qui monet Confeſſarios ut iſtius benignæ doctrinæ recordentur, qua a ſcrupulis & perplexitatibus liberare ſuos pœnitentes valeant. Quia, inquit, fieri vix poteſt ut creditores poſteriores, habentes in manibus ſolutum pretium, illud ſolvant creditoribus anterioribus. Hanc opinionem referunt Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* II. *num.* 250. nec eam refellunt. Sed quiſque deprehendit, quam ſit ab evangelica ſimplicitate hic opinandi modus alienus. Difficile creditores reſtituent ſolutum pretium? Eſto. Ideo ne relaxanda iuſtitiæ iura?

XXII. Oppoſita ſententia probabilior eſt, & unice amplectenda, nempe dum creditores æquale ius habent in bona debitoris, eum teneri ad reſtitutionem qui in-

integram crediti ſolutionem recipit cum aliorum damno. Siquidem nulla lex poſitiva declarat validam hanc ſolutionem. Quandoquidem, cum iure naturæ omnes creditores ſint æquales in iure exigendi, neceſſario conſequitur ut ſint quoque æquales in ſolutione; & ut pro rata ſingulis ſolvatur quod ex bonis debitoris ſingulis competit. Neque iura creditorum a debitoris arbitrio pendent, ita ut is queat unum alteri præferre. Hæc mihi certa videntur: & hanc opinionem ſuſtinent graviores Theologi, eamque ut probabiliorem propugnant Salmanticenſes *loc. cit.*

XXIII. Quæſt. IX. *Poteſt ne debitor admonere amicum creditorem, ut prior petat, eique integrum debitum ſolvere cum aliorum detrimento?* Reſp. Adfirmat P. La-Croix *Lib. III. part. 11. num. 405.* his verbis: *Secundum ſententiam probabilem, quod prior petens præferendus ſit, poterit debitor admonere creditorem ſibi amicum, quod ipſi prius petenti poſſit prius ſolvere; & ſic procul dubio alter movebitur ut petat.* Quin addit ex Lugo, quod ſi dediſſet non petenti, poſſit repetere, & tum reddere petenti. Fraudibus, & dolis hæc mihi plena videntur. Et reipſa dolent creditores hæc frequenter contingere in mercatoribus decoctis. Amicis, & patronis, a quibus ſutura ſubſidia ſperant, integra debita ſolvunt cum graviſſimo detrimento aliorum creditorum, qui ſæpe ſunt anteriores. Opus haud eſt ut multis refellam doctrinam hanc: ſeipſa enim corruit, & manifeſtæ fraudis vitium prodit. Quare ſæpe inculco caute legendum eſſe *P. La-Croix.*

XXIV. Quamobrem monitum oppoſitum illi quod ex P. Diana indicavi ſupra, Confeſſariis exhibeo. Imbuant hi ſuos pœnitentes, ut chriſtiana ſimplicitate, & ſinceritate ſeſe gerant in his peragendis negotiis, ne poſt amiſſa terrena bona æterna ſubire tormenta cogantur. Sint iuſti & æqui erga omnes creditores, quocumque humano reſpectu abſciſſo. Fixum memoriæ habeant, iniuſtitiæ peccata remitti non poſſe, niſi reſtituatur ablatum. Quid, ſi peccent in ipſa præpoſtera reſtitutione? Ex iis quæ dicta ſunt, colligant, nihil recipi poſſe ſive teſtamenti, ſive donationis titulo ab uſurario, aut a quocumque donatore qui non eſt ſolvendo. Filii debitoris peccant, ſi in creditorum fraudem ambitionem, aut luxum foveant, ſi propria induſtria ſuſtentari valeant, idque præſtare recuſent, bona parentis debitoris comedendo cum detrimento creditorum. Idemque dicendum de uxoribus, ſi plus æquo inſumant de bonis mariti in damnum creditorum; immo ad reſtitutionem tenentur. Peccat quoque debitor, ſi donationem, hereditatem aut legatum recuſet, quo poſſit ſua debita ſolvere creditoribus. Quia omni via poſſibili ſatagere debitor aſtringitur ut exequi debitorum ſolutionem valeat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

Quænam ſint cauſſæ ob quas omitti, aut differri reſtitutio licite poſſit.

I. PLures ſunt cauſſæ ob quas aut omitti, aut differri reſtitutio licite valet. Prima eſt impotentia, inquit S. Thomas 2. 2. quæſt. lxii. art. 8. ad 2. *Quando aliquis non poteſt ſtatim reſtituere, ipſa impotentia abſolvit ab inſtanti reſtitutione facienda; ſicut etiam totaliter a reſtitutione abſolvitur, ſi omnino ſit impotens*. Hanc eamdem doctrinam prius tradiderat S. Auguſtinus epiſ. liv. ad Macedon. *Plerumque enim qui aufert, amittit, ſive alios patiendo malos, ſive ipſe male vivendo; nec aliud habet unde reſtituat. Huic certe non poſſumus dicere, Redde quod abſtuliſti; niſi cum eum habere credimus, & negare.*

II. Impotentia excuſans a reſtitutione ſtatim facienda duplex. Altera eſt phyſica, de qua nulla diſputatio: ad impoſſibile enim nemo tenetur. Altera moralis, quæ graviſſimam, aut gravem difficultatem peculiarem includit. At initio advertas velim, difficultatem cuique reſtitutioni inſitam veluti eſſe ob hominum cupiditatem, & avaritiam, ad quam ſuperandam difficile inducuntur. Hæc difficultas nullo modo excuſat a reſtitutione facienda. Nomine ergo difficultatis quæ moralem impotentiam conſtituit, intelligitur aut extrema egeſtas, aut notabile graveque malum, quod ipſius reſtitutionis cauſſa ſubeundum debitori eſſet. Ut plures reſolvere caſus valeas, tranſcribere huc intereſt quæ docet S. Antoninus *II. Part. tit. 11. cap. viii.* „ Quidam circa iſtam materiam dicunt, & meo iudicio ſatis rationabiliter, quod in certis caſibus non tenetur quis ad ſtatim reſtituendum actualiter, etiamſi habeat modum aliquem reſtituendi, & ab eo cui tenetur, invenire non poſſit nec remiſſionem, nec dilationem, ſed ſubitam velit ſibi fieri reſtitutionem: quando videlicet ea reſtituendo ſtatim ſequeretur evidens, vel probabile damnum ſpirituale, vel temporale notabile ipſius reſtituentis, vel aliorum, quod præponderaret damno eius qui debet habere ex carentia ipſius rei.

„ Poteſt autem tale damnum eſſe triplex, ſcilicet periculum mortis, infamia gravis, ſeu ſcandalum notabile, & periculum probabile mortalis culpæ. Ratio huius, quod ſcilicet talis reſtitutio poſſit differri, eſt quia ſecundum Scotum creditor, ideſt qui debet habere, magis debet velle in huiuſmodi caſibus ut maximum incommodum, ſeu damnum eius qui debet reſtituere, evitetur in modica reſtitutionis dilatione, quam ſuum incommodum modicum, vel damnum ex carentia ad tempus rei.

„ Et ſi obiiciatur, quod reſtituere eſt actus negativi præcepti: quia reducitur, „ ſeu explicatur per hoc quod eſt non retinere alienum: ſed præceptum negativum obligat ſemper: reſpondetur ſecundum Scotum, quod alienum iniuſte, & invito „ domino retinere ſimpliciter prohibetur; & ideo ſemper, & pro ſemper neceſſe „ eſt ſaluti alienum non retinere. Sed quando quis habet propoſitum, & voluntatem reſtituendi alienum pro tempore opportuno, ex tunc retinet, domino rei „ volente, ideſt velle debente. Vult autem hoc dominus rei, etſi non actu elicito, tamen actu debito, & honeſto: quia debet velle quod qui ſuum habet, „ retineat, quouſque poterit opportune reſtituere.

„ Et ſi dicat: Dominus rei hoc agit invite, & quia non vult quod per quantumcumque tempus ſuum retineatur: dicendum ſecundum Scotum, quod domino inordinate volente ſtatim rehabere ſuum, & per conſequens contra rectam rationem nolente proximum retinere ſuum, tunc tenens non eſt retentor „ iniuſtus. Nam & depoſitum debet redditione ſtrictiſſima, cum repetitur, reddi, ut *Cod. Depoſiti lege finali*; & tamen, invito domino voluntate inordinata, „ cum repetit, ut cum eo malum faciat ſibi, vel alteri, poteſt retineri: & Auguſtinus dicit, quod multa bona ſunt præſtanda invitis, dum eorum potius utilitati quam voluntati conſulitur. "

III. Collige ergo primo, debitorem poſſe differre reſtitutionem, quando imminet periculum gravis damni; puta, ſi creditor abuſurus re ſua eſſet in damnum boni communis, vel proximi; ſi debitor ipſe grave detrimentum ſubiret ſtatim reſtituendo, creditor vero parum aut nihil incommodi pateretur. Ratio eruitur ex eiuſdem reſtitutionis natura. Hæc enim ad ſervandam æqualitatem inter partes ordinata eſt. Non eſſet autem æqualitas, quando debitor cum tanto diſpendio reſtituere creditori deberet, ſi hic vix incommodum ſentit propter dilationem. Nec eſt quod opponas, numquam licitum eſſe rem invito domino retinere: quia, ut dixit S. Antoninus, irrationabiliter invitus dominus eſſet.

IV. Colliges ſecundo, non urgere præceptum reſtitutionis, quando eam præſtando prudenter timeres grave periculum ſpirituale; puta, ſi inde prævideres furta committenda, vel alias iniuſtitias, & damna, videlicet ſi nec te, nec uxorem, nec filios, filiaſque alere poſſes; ſi uxoris, aut filiarum pudicitia proſtituenda foret ob neceſſitatem acquirendi victum, & veſtitum.

V. Non teneris vendere agrum, ut illico ſolvas debitum; nec artifex inſtrumenta artis ſuæ, quibus laborando ad victum neceſſaria acquirit. Debet tamen artem exercere, ut debita ſolvere queat. Nobilis non tenetur artem manuariam, ſuoque ſtatui incongruam exercere, nec ſtatum ſuum omnino mutare, ut debita ſolvat; tenetur tamen minuere famulos, menſam, veſtitum, pompas uxorum, filiorumque reſtringere, & ad mediocrem ſtatum ſe reducere, ut debita ſolvat.

Digitized by Google

vat. Si ſtatus iniuſte acquiſitus ſit, nempe uſuris, furtis, rapinis, oppreſſionibus, aliiſque illicitis viis, deponere eum debet, & ad priſtinam deſcendere conditionem, ut debita ſolvat, aut ut mala illata compenſet; immo filii, & heredes iſtorum ab hoc ſtatu, ad quem iniuſtitiis, furtis, uſuris evecti ſunt, ſponte ſe abdicare debent, ut aliena reſtituant. Nec enim minor iniuſtitia eſt aliena retinere quam eadem uſurpare.

VI. Colliges tertio, quando creditor, niſi recipiat, æquale damnum patitur ac debitor, ſi reſtituat, tum reſtitutionem faciendam eſſe: quia in pari cauſſa innocens præferendus eſt. Si vero gravi neceſſitate prematur debitor, ſecus creditor; tum differri reſtitutio poteſt: quia caritatis lege obſtringitur creditor in hanc conſentire dilationem. In extrema autem neceſſitate omnia ſunt communia quantum ad uſum. Et ſi uterque tam creditor, quam debitor hac premeretur penuria, conditio poſſidentis prævalere deberet, ut ego quidem ſentio.

VII. P. Caſtropalaus *diſp.* 1. *punct.* 17. §. 1. *num.* 4. non modo reſtitutionem differri licite poſſe contendit in gravi neceſſitate, ſed etiam ſurripi aliena: quam opinionem defendunt ut probabilem *Bonacina*, & *Trullenchus*; ſed eam proſcripſit Romana Sedes, ut alibi oſtendi. Aperit quippe viam hæc doctrina iniuſtitiis, furtis, & rapinis. Si vero ambo creditor, & debitor eadem gravi neceſſitate laborent, anteferendus creditor eſt. Quamquam vix occurrat in utriſque idem neceſſitatis gradus. Quare in praxi communiter præferendus creditor eſt.

VIII. Colliges quarto, quod quamvis ad evitandum grave malum liceat differre reſtitutionem, dilatio tamen licita non eſt ad comparandum lucrum, potiſſimum ſi creditor ex dilatione damnum patiatur. Spes lucrandi frequenter debitores decipit. Hac hallucinatione illuſi debitores ſolutionem differunt, ut & ſibi providere valeant, & debita ſolvere abſque incommodo. Et frequentiſſime nec debita ſolvunt, nec lucra comparant: aut ſi lucra aſſequuntur, tum avaritiæ præſtigiis infatuati tenaciores fiunt, & inhumani, & ſolutionem longius differunt. Spectandæ tamen ſemper circumſtantiæ ſunt: nam ſæpe debitor reipſa congrua reſtitutionis dilatione & ſibi, & creditoribus providere poteſt: & ſi tam creditor, quam debitor ſincere agerent, & chriſtiana caritate arderent, ambobus res bene cederet.

IX. Colliges quinto, maxima cautione opus eſſe cum debitoribus. Quoniam homines proni ſunt ad retinendum aliena. Idcirco S. Antoninus *loc. cit.* admonet Concionatores, ne ex alto prædicent licitam reſtitutionis dilationem, tametſi in aliquo caſu iuſta ſit ob peculiarem circumſtantiam. *Hæc non eſſe prædicanda*, inquit, *ne paretur via detentioni alienorum, ad quod nimis perſonæ ſunt inclinatæ; ſed cum magna diſcretione in confeſſione, & conſiliis tractanda, & cum multis circumſtantiis conſiderando quæ honeſtent factum.*

M iiij X.

X. Colliges ultimo, debitorem ex delicto teneri, præter debiti reſtitutionem; ad compenſationem lucri ceſſantis, damnique emergentis; debitorem vero ex contractu, qui ob iuſtam cauſſam ſolutionem differt, liberum eſſe ab hoc onere. At ſi hic in mora ſolvendi fuiſſet culpa ſua, tum & ipſe damnum emergens, ac lucrum ceſſans compenſare aſtringeretur.

XI. Aliæ præter impotentiam occurrunt cauſſæ a reſtitutione excuſantes: quarum princeps eſt libera creditoris condonatio: qua poſita, ablata eſt omnis inæqualitas, & nihil retinetur invito domino. Tum autem libera, & valida reputatur condonatio, quando non minis, dolis, aut fraude extorta eſt; ſed ab eo qui poteſtatem remittendi debitum habet, ſponte procedit. Requiritur etiam ad iſtius condonationis valorem, ut non ſit per ius poſitivum prohibita; quemadmodum ſunt condonationes factæ a pupillo, a furioſo. Et Tridentinum Concilium irritat condonationes diſtributionum factas Canonicis qui non interſunt divinis officiis; ſicuti irritat remiſſionem omnium eorum quæ Epiſcopis viſitantibus Eccleſias dantur præter ſumptus neceſſarios. Quin tenentur Epiſcopi duplum eius quod receperunt hoc titulo, intra menſem reddere ſub interdicti pœna ab ingreſſu in Eccleſiam, ipſo facto ſubeunda; ut ſtatuitur *cap.* Exigit *de cenſibus, & exactionibus*. Condonatio quoque facta ab ebrio, aut metu gravi, aut importunis precibus obtenta, nulla eſt. Donatio enim omnino libera ſit neceſſum eſt, ut valida dicatur. Quare ſi debitor dolo, fraudeve inducat creditorem, ut ſibi debiti partem remittat, cum alioquin ſolvere reipſa totum poſſet, nulla eſt remiſſio: quia ſæpe creditor partem remittit, ne totum perdat. Contra ſi abſque culpa, & fraude debitoris creditor, eiuſdem videns indigentiam, remittat partem debiti, tum valida condonatio eſt.

XII. Mercatores illi decocti, aliique debitores qui publico ſe ſubducunt commercio, in Eccleſiam, aliaque aſyla ſe recipiunt, ut rem tranſigant cum creditoribus, ſi fraude, aut dolo id peragant, latrocinii, & rapinarum fontes ſunt: & quamvis creditores in tranſactionem, ſeu compoſitionem aſſentiantur, conſenſus iſte coactus eſt, ne totum amittatur: idcirco ad reſtitutionem, ſi ſolvendo ſint, decoctores iſti tenentur.

XIII. Non ſemper requiritur ut voluntas creditoris condonantis debitum, aut conſentientis in dilationem, ſit expreſſa; ſed interdum ſat eſt præſumpta. Sic non raro præſumitur voluntas patris condonantis filiis reſtitutionem eorum quæ ſecreto abſtulerunt. Domini quoque præſumuntur ſæpe conſentientes, dum famuli, & domeſtici aliqua eſculenta, & poculenta ſurripiunt, in condonationem reſtitutionis. Circumſtantiæ tamen expendi debent.

XIV. Quando creditor cui plures debitores ob iniuſtam læſionem reſtituere tenentur, uni eorum remittit debitum, non propterea liberi alii ſunt a reſtitutione

ne; niſi debitor iſte fuerit cauſſa princeps, ut mandans, conſulens, dirigens latrocinium, aut damnum illatum. Huic enim condonato debito, ceteri liberi ſunt: quia ſolum tenentur in iſtius defectum. Si vero plures fuerint æque principales, aut æque ſecundarii; condonatio uni facta non extenditur ad alios.

XV. Quæſt. I. *Aſtringitur ne debitor bona inferioris ordinis reſtituere cum detrimento bonorum ordinis ſuperioris?* Reſp. Bonorum alia ſpiritualia, alia temporalia. Rurſus hæc in triplicem ordinem tribuuntur. Alia infimum, alia medium, alia ſupremum locum obtinent. Res familiares, ſeu venditioni, & emptioni ſubiectæ, infimum; honor, & fama medium; virginitas, membra corporis humani, vita, libertas ſupremum gradum habere cenſentur. Aliqui vitæ præferunt honorem, & famam. Communis ſententia docet, reſtitutionem bonorum inferioris ordinis differri, aut prætermitti poſſe, quando abſque gravi iactura bonorum ordinis ſuperioris fieri nequeat. Hæc ſententia nititur huic evangelicæ doctrinæ: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.* Porro nemo vellet ad reſtitutionem rei familiaris infimi ordinis cogi cum detrimento gravi propriæ famæ, honoris, vitæ, mutilationis membrorum, aut ſalutis ſpiritualis animæ. Ergo cenſendi creditores ſunt conſentientes in omiſſionem, vel dilationem eiuſmodi reſtitutionis, quando peragi ea nequeat niſi cum dictorum bonorum iactura. Et ſi creditores recuſarent conſentire, irrationabiliter, tum lege evangelica, tum naturali repugnante, inviti eſſent. Si tamen levis eſſet honoris læſio, fieri reſtitutio deberet. Quare fur diffamatus ob alia furta, reddere aliud furtum deberet, etiam cum aliqua nova famæ iactura: quia hæc famæ læſio in fure exigua foret. Occurrere aliæ circumſtantiæ poſſunt in quibus debitor debeat cum detrimento proprii honoris aliena reſtituere; puta, ſi creditor ob omiſſionem ingentis ſummæ ſibi debitæ a proprio ſtatu cadere cogeretur, aliamve infamiam ſubire; tum debitor aſtringeretur cum iactura proprii honoris ſolvere debitum: quia in pari caſu creditor præferendus eſt debitori.

XVI. Neque heinc ſequitur, feneratores, oppreſſores, raptoreſque ad altiorem ſtatum evectos, a reſtitutione liberos eſſe, & a dimittendo altiore ſtatu. Nam vel notum mundo eſt, ſtatum illum comparatum fuiſſe furtis, uſuris, iniuſtiſque oppreſſionibus, aut non. Si primum, nihil honoris amittunt, cum ſint publice diffamati; ſed acquirunt potius verum honorem, cum proximo virtutis, & iuſtitiæ exempla heroica, & digna chriſtiano viro perhibeant. Si ſecundum, reſtitutio fieri per Confeſſarium poteſt, ſi damnum alicui privatæ perſonæ irrogatum fuerit; ſi vero damna illata ſint perſonis incertis, tum piis locis relinqui bona poſſunt. Quot Chriſtiani pietate, & caritate inſignes integrum patrimonium in pia opera erogant, non iuſtitia, ſed miſericordia, & divino amore impellente; Accedit quod reſtitutio fieri per partes, & paullatim poſſit, ut admiratio, & cuiuſ-

iuſque mali ſuſpicio evitetur. Ne multa: innumeræ viæ patent reſtituendi abſque famæ læſione, quando ſincerum, & fervens ardeat æternæ ſalutis aſſequendæ deſiderium.

XVII. Nemo ſe tenetur vendere in ſervum, ut bona aliena reſtituat, quemadmodum inquiunt communiter Auctores. Chriſtus Dominus tamen *Matth.* XVIII. ad ſervitutem damnavit debitorem qui *non habebat unde redderet*: nam *iuſſit eum dominus eius venumdari, & uxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat*. Quæ ſententia oſtendit quam gravis ſit reparandæ iuſtitiæ obligatio. Ceterum in praxi vix umquam occurrit ut media ſervitute poſſit quis ingentem ſummam ſolvere. Nec creditores æqui, & vere chriſtiani conſentiunt, debitores mancipia evadere, ut propria debita ſolvant. Ad carceres interdum damnantur, inſtantibus creditoribus, ob bonum publicum, ut nempe ceteri homines a contrahendis debitis quæ ſolvere nequeunt, abſtineant, & ut delicta impunita non maneant. Quid de femina quæ adulterio filium concepit cum ingenti aliorum filiorum detrimento in hereditate capienda? Tenetur ne ſe prodere, ut iniuſtitiam filiis irrogandam evitet? Negant communiter Auctores: idque colligunt ex *cap.* Officii *de pœnitentiis, & remiſſionibus*. Certum eſt uxorem hanc, ſi habeat bona dotalia, aut dimiſſorialia libera, teneri ad compenſandos filios præiudicatos. Cum gravi autem vitæ, vel famæ periculo, abſolute loquendo, non videtur ſe debere prodere. Nullum tamen non movere lapidem debet, nullamque intentatam relinquere viam, ut damna legitimæ prolis evitentur. Sed alibi difficultatem hanc ſeverius expendam.

XVIII. Quæſt. II. *Quæ præſtare debet qui ære alieno gravatus ingreditur Religionem?* Reſp. Primum convenit penes omnes, eum qui deliberat Religionis ingreſſum, debere omnia ſua debita, cum poſſit, ſolvere. Et ſi domini incerti ſint, debet bona ſua pro rata in pia opera diſtribuere, ut compenſet illata detrimenta. Si vero omnino impotens fuerit, nec ſpes adſit reſtituendi, is ingredi, & profiteri Religionem valide, & licite poteſt. Si autem brevi tempore, puta infra biennium, ſpes adeſſet faciendæ reſtitutionis; tum differre Religionis ingreſſum deberet, niſi ingens periculum foret prolabendi in peccatum, aut aliud grave diſcrimen immineret. Ita docent plures iuniores. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* clxxxix. *artic.* 6. *ad* 3. hæc habet. *Unde licite poteſt exhibitis rebus ſuis Religionem ingredi, nec tenetur in ſæculo remanere, ut procuret unde debitum ſolvat*. Nec interpretatio Salmanticenſium *tractat.* XIII. *cap.* 1. *punct.* 18. *num.* 286. conſiſtit, videlicet S. Thomam loqui de eo qui impotens ſit ſolvendo, niſi longo tempore in ſæculo remaneat. Hoc quippe gratis aſſeritur: nam ſententia S. Doctoris abſoluta eſt; & principium cui innititur, ſimiliter univerſaliter concludit. Præmittit enim ibidem: *Propter pecuniam autem perſona liberi hominis ſecundum iura civilia non obli-*

obligatur, ſed ſolum res: quia perſona liberi hominis ſuperat omnem æſtimationem pecuniæ. Spectandæ ſolum circumſtantiæ ſunt, debitorum ſumma, creditorum conditio, & ingredientis Religionem ſtatus. Dilatio ad biennium, &, ut aliqui volunt, ad triennium, nimis prolixa eſt, & reiicienda. Difficultas reduci ad unum aut alterum menſem plus minuſve poſſet, omnibus expenſis circumſtantiis. Neque hæc temporis intervalla definiri determinate valent. Illud ſolum advertendum, quod parum pro nihilo reputatur. Et ſi intra breve ſpatium abſque periculo gravi fraudandæ vocationis ad religioſum ſtatum reſtitutio fieri poſſet, tum differendus ingreſſus eſſet.

XIX. Qui ex liberali promiſſione debitis gravatus eſt, cedere bona ſua promiſſariis debet, eaque ſibi retinere quæ neceſſaria ſunt ad Religionis ingreſſum, & continuo Religionem ingredi, quin vel breve tempus teneatur ingreſſum differre, ut debita ex liberali donatione contracta ſolvere queat: quoniam in gratuita donatione ſemper includitur hæc rationabilis conditio, niſi meliorem ſtatum amplexus fuero.

XX. Quæſt. III. *Longo ne tempore, iure naturæ ſpectato, debet quis remanere in ſæculo, quando ſpes adſit ſolvendi debita?* Reſp. Quamvis ex iis quæ dicta ſunt, iſtius quæſtionis deciſio pateat; tamen quia iuniores eam fuſo calamo verſant, paucis eam explicare iterum lubet. Adfirmantem opinionem defendunt Suarez *Tom. III. de Relig. Lib. V. cap.* VII. Caſtropalaus *Tom. III. tract.* XVI. Molina *Tom. III. diſp.* VCCLVIII. Medina *cod. de reſtitut. quæſt.* III. Valentia 2. 2. *diſp.* XV. *quæſt.* VI. *punct.* 7. & alii. Quoniam, inquiunt, ſolutio debitorum præſcripta eſt iure naturali, & divino. Ergo non extinguitur per ingreſſum in Religionem; cum ingreſſus iſte opus conſilii ſit, non præcepti. Et reipſa filius nequit ingredi Religionem, patre indigente eius ſubſidio, quo ſuſtentetur. Et hac ratione mancipium ingredi Religionem nequit, repugnante domino.

XXI. Recenſita argumenta nullo modo elidunt rationem S. Thomæ, quam iam dedi. Quoniam perſona hominis liberi non eſt creditoribus obligata, ſed tantum eiuſdem bona. Ergo his ſublatis liber homo eſt, ut Religionem ingredi valeat. Utique adlaborare homo tenetur, omnemque induſtriam adhibere ut fieri potens valeat ad debita ſolvenda; dummodo tamen grave periculum vel amittendæ libertatis, vel gravis iacturæ ſpiritualis ſubeundæ non immineat. Longa autem remanſio in ſæculo reſpectu hominis ſincera vocatione impulſi ad profitendam Religionem, ſuapte natura hoc inducit periculum, ſuamque libertatem graviter lædit.

XXII. Reſponſio ad oppoſita argumenta obvia eſt. Solutio debitorum iure omni debita eſt, quando fieri poteſt. Impoſſibilis autem moraliter reputatur quod fieri nequit abſque detrimento propriæ libertatis, & ſalutis animæ. Perperam obtru-

truditur filiorum paritas: quia iſtorum perſonæ, nedum bona, obligatæ parentibus ſunt, ut *loc. cit.* docet S. Thomas; ſicuti & perſonæ mancipiorum devinctæ dominis ſunt. Alia levioris momenti obiiciunt, nempe ex doctrina S. Thomæ conſequi, etiam debitores remanentes in ſæculo non teneri ad laborem, ut debita ſolvant. Quæ conſecutio falſa eſt: nam laborare in ſæculo non lædit libertatem; neque periculum animæ labor iſte ſecum deſert, ſicuti impedimentum ingrediendæ Religionis.

XXIII. Opponunt etiam auctoritatem eiuſdem S. Thomæ, qui *loc. cit.* inquit: *Si aliquis ſit obligatus ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non poteſt hoc licite prætermittere, ut Religionem ingrediatur.* Loquitur hic Doctor ſanctus de eo qui ſolvendo eſt, ut patet ex verbis quæ immediate præcedunt adductum textum: inquit enim: *Ille qui eſt obligatus ad aliquid certum, non poteſt illud licite prætermittere facultate exiſtente: & ideo ſi aliquis ſit obligatus* &c. Accedit, argumentum quod ſibi proponit ſolvendum Angelicus, eſſe de illis qui ſunt publicis rationibus obligati, de quibus mox dicam. *Facultate* itaque *exiſtente*, nemo poteſt prætermittere debitorum ſolutionem, ut Religionem ingrediatur. Verum perſona, inquit S. Doctor, eſt ſupra æſtimationem pecuniæ. Nec alicuius momenti eſt quod regerunt, ex hac doctrina conſequi, poſſe quempiam in ſæculo manentem ſe addicere xenodochio alicui inſerviendi pauperibus cauſſa; & ſic ſubterfugere debitorum ſolutionem. Nugæ hæ ſunt. Quoniam qui xenodochiis inſerviunt, in ſæculo morantur, nec aliquem novum ſtatum ſuſcipiunt, ut animarum pericula evitent. Qui virginem deflorat ſub ſpe matrimonii, perſonam, & libertatem ſuam obligat. Quare, ea deflorata, nequit Religionem ingredi. Quæ omnia ſemper intelligenda ſunt, fraude omni ſublata; ut quando debitor, non cauſſa vitandæ reſtitutionis, ſed revera ſe ad Religionem vocatum divinitus experitur. Hæc autem in praxi raro revera contingunt.

XXIV. Diſputant recentiores, teneatur ne Religioſus profeſſus laborare, ut ſua induſtria pecunias conquirat quibus debita contracta in ſæculo ſolvat? Affirmant plures, addentes debere Prælatum dare licentiam ſubdito religioſo in hunc finem. Alii negant, Prælatum aſtrictum eſſe ad hanc licentiam impertiendam: quia Prælatus nihil debet creditoribus. Plura hac de re ſcribit Cardinalis de Lugo *Tom. I. diſp.* XXI. *ſect. 6.* Verum, omnibus miſſis, dico, admiſſo ſemel licito ingreſſu, & profeſſione valida emiſſa, ad nihil amplius Religioſum teneri. Suam enim perſonam, induſtriam, talenta, & omnia Deo vi profeſſionis ſuæ conſecravit. Quare quidquid acquirit, Deo, & Religioni acquirit: nihilque in ſua poteſtate retinet. Nec Prælatus, niſi Monaſterium in acceptione candidati ante profeſſionem ſe obligaverit ad ſolvenda eiuſdem debita, impertiri licentiam debet, aut poteſt, ut laboret pro debitis ſolvendis: quia Prælatus eſt purus adminiſtrator

tor bonorum quæ Religioſi acquirunt; nec facultate potitur impertiendi Religioſis licentiam ut pecunias lucrentur, quibus ſatisfaciant oneribus in ſæculo ante profeſſionem contractis. Repugnant hæc omnia profeſſioni Regularium, & ſolemni paupertatis voto.

XXV. Quæſt. IV. *Quid ordinarunt Sixtus V. & Clemens VIII. circa debita ingredientium Religionem?* Reſp. Summus Pontifex Sixtus V. motu proprio anno MDLXXXV. ordinavit ne gravati alieno ære ad Religionem admitterentur, nullamque iſtorum profeſſionem declaravit. Clemens VIII. revocavit alio motu proprio decretum Sixtinum, ad invalidam dumtaxat profeſſionem quod attinet; in ceteris vero ratum habuit. Sixti V. autem decretum non comprehendit Moniales, nec eos qui aut bona habent quibus ſucceſſive ſolvere debita valeant, aut ſunt omnino impotentes ad ſolvendum. Eos ergo dumtaxat comprehendit qui, dilapidatis bonis in ludis, libidinibus, crapulis, non ſunt in præſentia ſolvendo, erunt vero futuro tempore. Verum pluribus opus non eſt: quoniam ſingulæ Religiones, antequam candidatum ad Religionem admittant, hæc omnia præcavent mala, neminemque acceptant ære alieno gravatum.

CAPUT XVI.

De compenſatione occulta. Probabiliſmi peregrina inventa recenſentur.

I. FUſe hanc diſpexi controverſiam *Lib. IX. in ſeptimum Decalog. mand. cap.* VI. Ne actum agam, illuc te remitto. Ancipitem me & ambiguum ibi reperies ſuper licito occultæ compenſationis uſu. Urgent ex una parte rationes quæ omnem occultam compenſationem damnant; ex altera parte ſtat Theologorum non Probabiliſtarum modo, verum etiam graviorum auctoritas. Promiſeram ibi, ex inſtituto, & fuſius hanc controverſiam hic me diſcuſſurum. At, ut ingenue fatear quod verum eſt, nihil novi excogitare potui, quo propoſitæ difficultati lucem afferrem. Rationum momenta quæ omnem occultam compenſationem damnant, mihi luculenta ſunt, quæ diſſolvere penitus ignoro. Ex altera parte auctoritas Theologorum non leve mihi faceſſit negotium. Ut in re tanti momenti tuto incedas, monita quæ *loco cit.* dedi, in memoriam revoco. Quandoquidem licet defendi abſolute poſſit, licitam eſſe compenſationem ſuis omnibus limitationibus munitam; tamen quia in praxi quam rariſſime conditiones omnes ſervantur, idcirco perquam raro compenſatio occulta licita in praxi eſt, etiam iuxta communem ſententiam. Quod itaque ad controverſiæ examen pertinet, nihil in præſentia addendum occurrit præter ea quæ *loc. cit.* dicta ſunt. In præſentia vero quæſtiunculas

las propono diſcutiendas, quas invexit modus opinandi a ſimplicitate evangelicæ alienus, ut Romana Sedes loquitur voce Alexandri VII. Dum modus iſte probabiliſticus, in ſua metaphyſica abſtractione innumerabilium diſtinctiuncularum præſidio obſeptus, propugnatur, vix, ut alias adverti, deformitatem ſuam prodit. Verum dum illos verborum anfractus & antra prætergreditur, dum in lucem, & ad morum regulas inflectendas erumpit, tum, larva captionum poſita, nativum vultum patefacit. Quæſtiones ergo Probabiliſmi velamine tectas, ipſorum Probabiliſtarum verbis referam, ne invidiam illis creare videar. Ex his colliges, quo uſque Probabiliſmus *occultæ compenſationis* doctrinam amplificaverit, dilataveritque.

II. Quæſt. I. *Petrus, cui denegatur legatum ei relictum ex teſtamento minus ſolemni, poteſt ne occulta compenſatione tantumdem ſurripere heredi ab inteſtato?* Reſp. Affirmant plures Probabiliſtæ, quos inter P. Leſſius *Lib. II. cap. XIX. dub. 3.* ubi fuſo calamo prius oſtendere nititur, teſtamentum deſtitutum conditionibus a iure poſitivo præſcriptis validum eſſe; atque ideo in foro conſcientiæ poſſe Petrum media compenſatione occulta ſurripere Paulo heredi ab inteſtato, cui iudex adiudicavit hereditatem, tantumdem legati ſibi relicti. Hæc ſunt verba P. Leſſii *num. 22.* ubi in margine hæc præmittit. *Si iudex adiudicet heredi ab inteſtato.* Deinde ſic definit. *Tertio, ſi heres ab inteſtato retineat hereditatem, & legata, poſſunt illi quibus aliquid per tale teſtamentum erat relictum, uti occulta compenſatione: nam revera res erat ipſorum. Sylveſter v. hereditas.*

III. Contraria opinio, quæ docet, teſtamentum minus ſolemne, conditionibus a lege præſcriptis carens, nullum eſſe, communior eſt. Quid inde? Audi. Poteſt Paulus heres ab inteſtato, vi iſtius opinionis probabilis uti compenſatione occulta contra Petrum legatarium, poſſidentem bona ex teſtamento minus ſolemni. Ne conflare odium videar Probabiliſmo, referam doctrinam P. Leſſii, faventem tum legatario, tum heredi, verbis ipſius P. Viva, qui ita ſcribit in ſuo *Curſ. theolog. Tom. I. par. III. quæſt. VI. art. 5. num. 12.* „ Tertio docent multi cum *Leſſio cap. XIX.* „ *dub. 3. Molina, & Granados*, & aliis, quod qui ex teſtamento minus ſolemni ha„ bere debet legatum, poſſit illud ſibi retinere, vel compenſationem facere, eo „ quod *probabilis ſit ſententia*, quod iure naturæ huiuſmodi teſtamentum ſit vali„ dum, atque adeo in foro conſcientiæ debeantur legata in eo facta, quamvis „ contraria opinio ſit ſatis communis, & probabilis.

„ Quarto docet *Leſſius ibidem* poſſe heredem ab inteſtato uti compenſatione oc„ culta contra eum qui bona defuncti poſſidet ex teſtamento minus ſolemni: quia „ *probabilis eſt ſententia*, quod ea bona debeantur heredi ab inteſtato: cui opinio„ ni poteſt ſe conformare." Verba P. Leſſii *loc. cit. num. 30.* hæc ſunt. *Tertio heres ab inteſtato poteſt illud retinere; & ſi alter poſſidet, repetere in iudicio. Quarto. Quod ſi non poſſit ob potentiam adverſarii, uti poteſt occulta compenſatione.*

IV.

Digitized by Google

IV. Audiſtin' miram efficacitatem modi opinandi, qui irrepſit, S. Sede dolente, in chriſtianam Theologiam? Tam *legatarius*, quam *heres*, vi contrariæ probabilitatis mutuo ſe furtis ſpoliare, ſeu compenſare valent. Hæc pugnantia paradoxa non Auctoribus, qui pia intentione ſcripſere, ſed ipſi opinandi modo, ſeu ſyſtemati, Chriſtianorum moribus ſane exitioſo, adſcribenda ſunt. Verum hæc duo quæ recenſui, ſunt prima conſectaria præfati modi probabiliſtici. Heinc enim, vel uti ex primis ſurculis, alii rami, & propagines conſequuntur; idcirco alia quæſtio proponitur.

V. Quæſt. II. *Ad licitam compenſationem ſat ne eſt debitum eſſe tantum probabile?* Reſp. P. Diana *Tom. VI. tract.* 111. *reſol.* 149. ut reſolvendæ huic quæſtioni viam ſibi paret, in medium adducit ſupra deſcriptam doctrinam P. Leſſii his verbis. „ Qui ex teſtamento minus ſolemni legatum debet habere, *cum ſit opinio pro-* „ *babilis* deberi in foro conſcientiæ ea legata, licet ſit ſatis communis, & *proba-* „ *bilis* contraria, poteſt tamen legatum detinere, vel de novo accipere, aut oc- „ culte compenſare, ut fatetur Granado, Molina, Leſſius.... addit, heredem ab „ inteſtato poſſe etiam uti *compenſatione occulta* contra eum qui bona defuncti „ poſſidet ex teſtamento minus ſolemni. *Quia contraria etiam ſententia probabilis* „ *eſt, cui ſe poteſt conformare.*

VI. Quis non manibus tangit, quam iniuſtæ ſint quorumdam Probabiliſtarum lamentationes, quibus vociferantur apud vulgus, nos acrius quam par ſit probabiliſticum modum opinandi inſectari? An hæ opiniones quæ mutuis furtis, fraudibus, rapinis viam aperiunt latiſſimam, ſeipſis horrorem non ingerunt? Porro ex his opinionibus alia conſectaria peiora colligunt alii. Nolo mihi fidem adhibeas. Audi P. Dianam, qui *loc. cit.* proponit hanc quæſtionem. *An in compenſatione occulta facienda debitum debeat eſſe liquidum & certum?* Et recenſitis aliis opinionibus pro ſententia quæ negat debitum debere eſſe *liquidum*, *& certum*, ſed ſat eſſe quod ſit *probabile*, hæc ſcribit *num.* 4.

VII. „ Ex his Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo propoſitam quæſtionem late „ pertractat *Tom. I. de iuſt. diſp.* XVI. *ſec.* 5. *a num.* 94. uſque ad *num.* 107. & nega- „ tivam cum diſtinctionibus ab ipſo adductis valide, & docte, ut ſemper ſolet, „ firmare conatur. Aſſerit itaque, quod quando opinio *probabilis æque*, vel *proba-* „ *bilior* favet creditori volenti facere compenſationem, quæ verſatur non circa fa- „ ctum, ſed circa ius, *videtur probabile* quod poſſit creditor, antequam res ad „ iudicium deducatur, poſitis aliis conditionibus ad licitam compenſationem ſupra „ requiſitis, ſibi compenſare occulte ſuum debitum. Hanc concluſionem probare „ videntur *argumenta ſupra facta*, & exempla ſupra adducta, in quibus exemplis „ Auctores ipſi compenſationem admittunt; cum tamen in iis *præcedat ſolum opi-* „ *nio probabilis*, *ut in compenſatione pecuniæ pro fama ablata*, & in legatario,

„ vel

„ vel herede ex teſtamento minus ſolemni, & ſimilibus. Ratio enim ſupra addu-
„ cta id videtur probare, quia in prædicto caſu, non obſtante poſſeſſione debito-
„ ris, iudex proferret ſententiam, vel certe proferre poſſet pro creditore, ample-
„ ctendo *ſententiam probabilem*, vel probabiliorem, quæ ipſi favet ..... Item
„ quando affert pro ſe *bonos Doctores*, *certificantes* quod in his circumſtantiis iura
„ ei favent, & reus debet condemnari, iam oſtendit iuxta illorum Doctorum ſen-
„ tentiam, cauſam ſuam non eſſe parem, ſed meliorem quam ſit cauſa rei. Cur
„ ergo ipſemet creditor, quando ſine incommodo gravi non poteſt ad iudicem re-
„ currere, non poterit amplecti eamdem ſententiam quam iudex amplecti debuiſ-
„ ſet, vel potuiſſet, *& compenſare ſibi debitum?*

VIII. Quam ſit doctrina hæc communi naturæ ſenſui repugnans, & humanæ ſocietati exitioſa, nemo non videt. Debitum incertum eſt, & ſolo probabilitatis colore veſtitum: & hac probabilitate fultus creditor furtum certum, compenſationis fuco tectum, perpetrare valet? Quænam comparatio, quænam proportio certi cum incerto? Obviam oppoſitionem ſentiunt vel ipſi Probabiliſtæ patroni iſtius opinionis. Sed hoc præbent reſponſum, quod his verbis continuo præbet P. Diana *num.* 5.

IX. „ Nec obſtat quod iniquum videtur, debitum certum cum debito incerto
„ compenſare: qui autem ſolum habet probabilitatem, quod ipſi aliquid Petrus
„ debeat, cui ipſe tantum certo debet, ſi compenſatione utatur, videtur iam de-
„ bitum certum cum incerto compenſare; atque ideo ſolutione incerta debitum
„ incertum extinguere. *Reſpondetur*, hoc idem argumentum, ſi aliquid probat,
„ probare non ſolum contra compenſationem, ſed etiam contra ſolutionem, quod
„ ſcilicet habens ius ſolum probabile ad petendam rem tibi debitam, non poſſes
„ petere, nec accipere illam a debitore: quia tunc etiam iniquum eſſet ſolutio-
„ nem certam & integram, ac rem certam pro debito incerto petere. *Unde neque*
„ *in iudicio liceret umquam agere, niſi cum evidenti iure. Sicut ergo licitum eſt pe-*
„ *tere debitum probabile, & a debitore ſolvente accipere; ſic licitum erit cum pro-*
„ *babilitate proxima, de qua locuti ſumus, facere compenſationem, & accipere rem*
„ *certam.* Ratio autem in utroque caſu eadem eſt, quod ſcilicet rationes *illæ pro-*
„ *babiles*, auctoritas Doctorum, & opinio illa, licet in ſe ſit probabilis, non ta-
„ men habet pro obiecto *probabilitatem*, ſed ſolutionem, vel compenſationem cer-
„ tam: non enim dicit debere, vel poſſe fieri ſolutionem, vel *compenſationem pro-*
„ *babilem*, ſed *probabiliter dicit* debere, vel poſſe fieri ſolutionem, vel compenſa-
„ tionem certam, quod ſufficit ad illam petendam, vel *faciendam*, ſicut in aliis
„ materiis. Sic enim *opinio probabilis* circa ieiunium, vel circa officii recitationem
„ facit *quod poſſis ſumere cibum non probabilem*, *ſed certum*, & ponere omiſſionem
„ certam officii divini. Ratio vero oritur ex principio ſupra poſito, quod ad ope-
„ ra-

Digitized by Google

„ rationem licitam ſufficit *probabilitas proxima* , *qua probabiliter* iudicas licitum „ eſſe taliter operari. Cum ergo habeas *probabilitatem proximam* , *qua probabiliter* „ *iudicas* te habere hic & nunc ius ad tantam pecuniæ ſummam, totam illam „ poteris accipere : quia non poteſt eſſe ius ad illam accipiendam, niſi ſit ius ad „ illam certo accipiendam.

„ Et hæc omnia , & plura alia pro hac firmanda ſententia adducit ubi ſupra „ Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo; licet poſtea in fine *num.* 106. ab ultimo iu- „ dicio circa illam abſtineat. “

X. Prolixa ſunt quæ tranſcripſi, ſed ad prodendam mirificam vim probabiliſtici fermenti , paſſim morum doctrinam corrumpentis , ſatis opportuna. Probabilitas hæc efficit ut debitum incertum certum evadat. Paucis perſtringamus ratiocinium Cardinalis de Lugo exſcriptum a Diana . Probabile eſt teſtamentum minus ſolemne validum eſſe in conſcientia. Ergo legatarius iure valet titulo compenſationis occultæ furari Paulo heredi ab inteſtato, cui iudex adiudicavit hereditatem, tantumdem legati relicti. Et quia probabile quoque eſt, teſtamentum minus ſolemne eſſe nullum, poterit Paulus heres ab inteſtato occulte furari Petro legatario tantumdem legati quod poſſidet. His exemplis animos reſumit Probabiliſmus, & ultra extendit ratiocinia, ac iura ſua. Ius ergo *probabile* ad legatum iuſtam reddit compenſationem occultam . Ergo debitum quoque *probabile* ius præbet ad compenſationem certam. Quid? Debitum ergo incertum & probabile evadet certum? Certum eſt quod accipis; incertum vero quod tibi debetur . Quænam autem æquitas, ut incerta certis compenſentur? Retuſo ingenio es, & mirificæ probabilitatis ignarus. Diſtinguas oportet probabilitatem iuris a probabilitate facti, & continuo difficultas evaneſcit. Probabilitas iuris tibi reddit debitum certum, quod erat tantum probabile probabilitate facti . Exemplo argumentatio coruſcabit. Probabile eſt te immunem eſſe a ieiunio. Hæc probabilitas tibi porrigit cibum certum. Quidni & pecuniam certam? An non accedis ad tribunalia, ut petas ſolutionem crediti quod tibi tantum probabiliter debetur? Eccur ergo non poteris , poſitis aliis conditionibus, ut iudex in propria cauſſa , tibi adiudicare compenſatione certa quod tibi tantum probabiliter debetur? Alterutrum ergo . Aut improbanda ſunt adducta exempla opinionum probabilium, quas propugnant graviſſimi Probabiliſtæ *Molina*, *Leſſius*, *Granado*, *Diana*, & alii; aut admittenda ſententia hæc, quæ defendit debitum probabile poſſe occulto, certoque furto compenſari. Aut deteſtandum ſyſtema probabiliſticum; aut probanda deſcripta ſententia. Sentiunt & ipſi Probabiliſtæ plures ex una parte vim ratiocinii contra modum opinandi probabiliſticum, & ex altera parte opinionis præfatæ abſurditatem, & immania quæ inde proficiſcuntur confectaria . Nam tribunalia de medio auferuntur , privati homines iudices in propriis cauſſis fiunt, ſocietates perturbantur, & omnia furtis, rapinis , fraudibus re-

replentur. Hæc, & plura alia ſunt illa opinionum portenta quæ modus opinandi probabiliſticus in humanum genus invexit.

XI. Quæſt. III. *Peccat ne mortaliter qui occulta utitur compenſatione, quando abſque gravi detrimento repetere in iudicio rem ſuam poſſit?* Reſp. Una ex conditionibus ad licitam compenſationem neceſſariis eſt quod compenſator nequeat in iudicio rem ſibi debitam repetere abſque detrimento, & quidem gravi. Nam conſueta tribunalium incommoda, expenſæ, dilationes, & cetera fori communia mala nequaquam licitam efficiunt compenſationem. Alioquin omnes litigantes dirimere lites poſſent mutuis furtis occultis.

XII. P. Diana tamen, ut Probabiliſmi confinia amplificet, hanc quoque conditionem reiicit, pluribus aliis Probabiliſtis faventibus. Inquit enim *loc. cit. reſol.* 150. „ Affirmativa ſententia eſt communis... Sed ego olim *probabiliter* negativæ „ ſententiæ adhæſi, quam tamen non videtur approbare Eminentiſſimus Cardinalis „ de Lugo.... Sed abſolute noſtram ſententiam tamquam probabilem videtur ad- „ mittere Machadus.... Et noviſſime, me etiam citato, Trullenchus. "

XIII. Hanc laxam Dianæ opinionem defendunt quoque Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* 1. *punct.* 19. *num.* 312. & præter citatos Auctores a Diana laudant *Baſſæum*, *Villalobosium*, & *Lugo*. Contendunt ergo iſti, licitam eſſe compenſationem, quoties *commode* apud iudicem repeti debitum nequeat. S. Thomas hanc laxam opinionem in anteceſſum labefactavit 2. 2. quæſt. lxvi. art. 5. ad 3. *Qui vero furtim accipit rem ſuam apud alium iniuſte detentam, peccat quidem, non quia gravet eum qui detinet (& ideo non tenetur ad reſtituendum aliquid, vel ad recompenſandum) ſed peccat contra communem iuſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat ſuæ rei iudicium, iuris ordine prætermiſſo.* Quam doctrinam omni iure tum profano, tum ſacro, & omnium Theologorum, ante natum Probabiliſmum, ſuffragiis confirmatam, ſic deludunt præfati Salmanticenſes num. 313. *Sed conditio a S. Doctore aſſignata intelligitur quando quis commode poteſt ſuum debitum per interpellationem iudicis, vel etiam petitionem recuperare.* Atqui numquam apud tribunalia *commode* repeti debita valent: innumera quippe incommoda, expenſæ, moleſtæ dilationes, rabularum fraudes fora comitantur. Ergo iuxta regulas Probabiliſmi de medio tollenda publica iudicia ſunt; & ſinguli erunt in ſuis cauſſis iudices. Et ecce turbata ſocietas, pax, & tranquillitas.

XIV. Quæſt. IV. *Utrum quis cum opinione probabili quod res ſibi debeatur, poſſit uti compenſatione occulta?* Reſp. Hæc quæſtio ſub aliis terminis diſcuſſa ſupra eſt. Verum quia materia iſta ſummi momenti eſt, quam innumeris propemodum captionibus implicant aliqui iuniores, idcirco nulla in hac controverſia prolixitas ſuperflua eſt reputanda. Perdocti Salmanticenſes fuſo calamo hanc quæſtiunculam verſant *loc. cit. §.* 3. *num.* 318. Et quia iſtorum auctoritas fucum imperitis facere va-

Digitized by Google

valet, ideo paucis rem iterum ſub examen inducere lubet. Fatentur Auctores iſti, omnes Theologos, præter unum ſolum, negare in communi, & abſolute, quod licita compenſatio ſit in caſu æqualis probabilitatis pro utraque parte. Ipſi tamen ſubdunt, in aliquibus caſibus licitam eamdem eſſe. Quod ut evincant, confugiunt ad illam probabilitatis *practicæ*, & *ſpeculativæ* diſtinctionem, quæ eſt familiare iuniorum aſylum, quamque huic controverſiæ prius aptavit Cardinalis de Lugo. Probabilitas, inquiunt, altera remota, & facti, quæ dicitur *ſpeculativa*; altera iuris, & proxima, vocaturque *practica*. Homo hac probabilitate practica non ſolum iudicat hoc vel illud eſſe probabile; ſed iudicat probabile eſſe licere cum tali probabilitate operari. Exemplo diſtinctionem exornant. Probabile eſt hoc vel illud eſſe meum, vel mihi debitum. Hæc eſt probabilitas facti, remota, & ſpeculativa, quæ non ſufficit ad operationem honeſtam. Requiritur inſuper probabilitas iuris practica, & proxima, qua ego iudicem probabiliter mihi licere alienum accipere cum opinione probabili facti de eo quod eſt meum, aut mihi debetur. Hactenus *Salmanticenſes*. Quam doctrinam a Cardinali de Lugo acceperunt. Si Terillum, alioſque iuniores Probabiliſtas legiſſent, duobus verbis, probabilitatis *directæ*, & *reflexæ*, rem confeciſſent omnem.

XV. Hac diſtinctione præmiſſa, inferunt Salmanticenſes *num.* 320. non licere in omnibus caſibus compenſationem occultam, licere vero in aliquibus. Quænam diſcriminis ratio? Quia, inquiunt, tametſi in omnibus caſibus inveniatur probabilitas facti, ſeu ſpeculativa; non tamen invenitur probabilitas iuris, & practica. Cur? Quia Auctores negant primum, & adfirmant ſecundum. Egregia ſane ratio. Vix credent lectores, hanc a viris alioquin perdoctis proferri ratiocinationem. Et tamen veritas facti manifeſta eſt. Referunt tria exempla iſtius probabiliſticæ compenſationis. Primum de eo qui poteſt occulta compenſatione pecuniaria ſibi famam læſam refarcire. Alterum de illis qui, cum mutuo ſe infamarint, mutuo ſe compenſare valent. Tertium de teſtamento minus ſolemni, de quo ſupra dictum eſt. In his tribus caſibus Auctores citati, quos graviſſimos vocitant, defendunt, vi ſolius probabilitatis licitam eſſe compenſationem. Ergo probabilitas efficit ut etiam in aliis quibuſdam caſibus licita occulta compenſatio ſit; licet debitum non ſit liquidum & certum, ſed tantum probabile.

XVI. Sentiunt & docti viri iſtius ratiocinii futilitatem: ideo *num.* 322. ſibi opponunt hoc pacto. „ Sed ecce difficilis obiectio: quia ſi in hoc caſu particulari, „ & in illo licet talis compenſatio: ergo in omnibus erit licita: quia a ſingula- „ ribus ad univerſale valet inductione argumentatio. (Et poſt pauca reſpondent.) „ Hac obiectione (me iudice) probatur recte, quod loquendo per principia in- „ trinſeca, vel eſt dicendum, quod in omnibus caſibus in quibus datur probabi- „ litas facti, quod res debetur, eſt licita compenſatio; & ſic dari probabilitatem

„ iuris, & proximam : vel eſt negandum in caſibus particularibus ; & ſic merito „ Eminentiſſimus Cardinalis Lugo dixit, Auctores inconſtanter, & inconſequenter „ procedere. “

XVII. Tandem poſt pauca, quæ brevitatis gratia omitto, ſic concludunt. „ Fateor me non capere diſparitatem. Sed non inficior, apud viros ſic doctiſſimos „ eſſe aliquas ſpeciales rationes ob quas moverentur ad id aſſerendum in uno „ caſu, & non in alio: & quæ apud me latent, apud illos pateſcere : & ideo „ aſſero, quod *probabilitate extrinſeca*, *deſumpta ex Doctorum auctoritate*, licitum „ eſt in caſibus illis in quibus dantur Auctores claſſici ſufficientes ad efficiendam „ opinionem probabilem, compenſatione uti cum probabilitate debiti. “

XVIII. Cedo. Doctiſſimi ne erant Auctores iſti? Dubio procul. Perſpectam ergo habuerunt argumentationem a particularibus ſufficienter enumeratis ad univerſale. Clarius. Aut deprehenderunt vim paritatis, aut ſecus. Si primum, illorum erat diſcriminis rationem aſſignare. Si alterum, paullulum dormitarunt Homeri iſti. Hæc dicis gratia. Ceterum in quod malum abripit vis illa incredibilis *modi opinandi probabiliſtici?* Dum principia intrinſeca, ſeu rationes luculentiſſimæ evincunt iniuſtitiam occultæ compenſationis debiti incerti, vi probabilitatis proximæ & remotæ, iuris & facti larva tecti, confugiunt ad auctoritatem Doctorum *de Lugo*, *Trullenchi*, *Villalobοſii*, *Malderi*, *Dianæ*. Hi ne, aut his ſimiles, tantæ auctoritatis, ut in illorum obſequium renuntiare ſenſui communi debeamus? Errarunt illi, ad hoc quod attinet, ſicut errare ceteri valent homines. Eorum nunc ego, alii meos corrigent lapſus : quod ut præſtent, & quidem ſeveriſſime, enixe rogo, atque obteſtor. Eidem quippe menſuræ qua metimur alios, libentiſſime ſubiacere cupimus, ut alias ſæpe dixi, & ſæpe repetam.

XIX. Ceterum recenſita paradoxa non tam doctis viris, quam modo opinandi probabiliſtico tribuenda ſunt. Si Ariſtoteles, ſi Plato, ſi Socrates, ſi ſapientum ſapientiſſimi *modo probabiliſtico* ratiocinati fuiſſent, ſimilia peperiſſent paradoxa. Non eſt quod Salmanticenſes dicant, doctiſſimos iuniores arcanas habuiſſe rationes, quæ nos lateant. Phantaſmata hæc ſunt, quæ, mea ſententia, doctrinæ theologicæ Tractatores haud decent. Quod ſubdunt laudati Salmanticenſes *loc. cit. num.* 325. ex Magiſtro Prado, licitam eſſe compenſationem, quando probabilius eſt rem eſſe debitam; minus quidem abſurdum eſt, at non propterea admitti debet. Dum Theologi docent, debere certum eſſe debitum, ut compenſationi ſubiaceat, certitudinem intelligunt quæ in diſputationem adduci nequeat. Quando in utramque partem diſputatur, utrum aliquid mihi debeatur, licet probabiliores rationes mihi faveant, non inde ſequitur me certitudinem ad compenſationem habere neceſſariam. Quoniam, ut dixi, extra diſputationis aleam ſit neceſſum eſt creditum illud cuius uti compenſatione valeam, mihi deberi. Utique iudex ſe-

cun-

Digitized by Google

cundum ſententiam probabiliorem adiudicare rem mihi valet. Quid inde? Propterea ne ego iudex in propria cauſſa ſedebo? Iudex liber præſumitur ab iis affectionibus quibus ego in cauſſa propria obnoxius ſum. Hæ animi cupiditates probabilius repræſentare valent rem mihi deberi; alteri vero oppoſitis affectibus ſubdito, minus probabile id oſtendent. Idcirco paritas iudicis, qui poteſt ſecundum magis probabilem iudicare, perperam adducitur, ut idem ego in cauſſa propria iudicare valeam.

XX. Quæſt. V. *Poteſt ne quis in compenſationem accipere rem quam debitor dono mittit ad alium?* Reſp. Hanc quæſtionem inſtituit P. Vaſquez *opuſc. de reſt. cap. v. ſ. 1. dub. 8. num. 4.* Et opinionem adfirmantem defendit: quia, inquit, licet nequeas per vim, & fraudem impedire donationem quam Petrus facere Paulo vult; tamen non propterea impediris uti iure tuo. Uteris autem iure tuo, dum occulte ſurripis quod eſt ſub dominio debitoris tui. Porro res dono deſtinata eſt donantis ante acceptationem donatarii. Addit enim P. Vaſquez, te ſurripere poſſe rem dono miſſam Paulo ante, non poſt acceptationem. Hanc opinionem recenſui, ut pateat, quomodo pedetentim iura compenſationis amplificentur. Nec tempus tero in illa refellenda. Compenſatio enim quæ in aliquo raro caſu licita eſſe poteſt, debet a damno tertii immunis eſſe. Licet autem ante acceptationem Paulus non habeat ius ad rem; ius tamen habet ne alter impediat bonum ſibi faciendum a donante. Quare ſi compenſatio facienda eſſet, alia bona accipi deberent. Quid, ſi graviſſima eſſet creditoris neceſſitas, & alia compenſandi via non pateret? Neceſſitas extrema legem non habet. In communibus vero neceſſitatibus perquam raro occurrunt omnes conditiones ad iuſtam compenſationem neceſſariæ.

XXI. Quæſt. VI. *Potes ne accipere in compenſationem pecuniam quam Petrus mittit Paulo in ſolutionem debiti?* Reſp. Quæſtionem verſat *Cardinalis de Lugo* vir acutus, & doctus; ſuaque ingenui ſubtilitate non raro probabilitatis velo æquo molliores opiniones tegit. Adfirmat ergo, te poſſe accipere hanc pecuniam a Petro miſſam Paulo ad debitum ſolvendum. Quoniam (inquit *Tom. I. de iuſt. diſp.* XVI. *ſec. 6. num.* 111.) licet P. Vaſquez hoc neget, tamen ex doctrina P. Thomæ Sanchez *Lib. IX. de matrim. diſp.* IV. colligitur oppoſitum. Siquidem pecunia præfata, antequam perveniat in manus Pauli, eſt ſub dominio Petri: ergo accipere iure vales: uteris quippe iure tuo. Fatetur tamen Lugo, te debere indemnem reddere Paulum, *ſi potes*. Hæc opinio omnia iura pervertit, & fraudibus, ac violentis furtis viam aperit; ideo reiicienda.

XXII. Quæſt. VII. *An qui ſe obligavit ad debiti ſolutionem ſub iuramento, poſſit uti compenſatione, non ſolvendo debitum?* Reſp. Caſus eſt, inquit P. Diana *reſ.* 151. *Tom. VI. tract.* 111. quotidianus. Audiſtin'? Quod debitores, iuramento dato ſolvendi debitum, utantur compenſatione ſine metu periurii eſt quotidianum. Tres

Digitized by Google

circa illud, ſubdit, invenio ſententias. Prima negat. Secunda ſententia affirmat: *& ideo aſſerit iurantem ſolvere pecuniam, poſſe compenſare ſine metu periurii*. Tertia diſtinguit. *Quid ego ſentiam, dicam* breviter. *Omnes iſtas tres opiniones exiſtimo probabiles.* Vin' amplius? Viæ directe oppoſitæ, quarum una tendit ad ſeptentrionem, altera ad meridiem, tertia ad occidentem, vi *Probabiliſmi reflexi* omnes ducunt ad orientem. P. Molina *Tom. II. diſp.* 560. Cardinalis de Lugo *loc. cit. num.* 117. tertiam amplectuntur opinionem, diſtinguentes. Si promiſiſti non uti compenſatione, addito iuramento ſolvendi debitum, non potes compenſatione uti; ſi vero abſolute iuraſti te ſoluturum debitum, uti poteris compenſatione. Quandoquidem, inquit Eminentiſſimus de Lugo, licet iuramentum additum promiſſioni novum obligationis vinculum inducat, *non tamen obligat ad aliud obiectum novum: ſolum enim confirmat promiſſionem: ergo ad id ſolum obligat quod erat obiectum promiſſionis. Promiſſio autem ſolvendi non excludit compenſationem. Nam qui compenſat, vere ſolvit*. Peregregie. Ergo qui accipit, dat? Qui furatur, reſtituit? Feſtiva hæc videntur, ſi vim dialecticæ ſpectes: ſi ſacroſancti iurisiurandi religionem conſideres, paradoxa lugenda mihi apparent. Executio promiſſionis veritas eſt, ceu materia iuramenti promiſſorii: ergo quoties hanc ſubtrahis materiam, ſeu veritatem, periurus evadis. Quare non modo in iuſtitiam, verum etiam in religionem peccat compenſator iſte.

XXIII. Quæſt. VIII. *Utrum valeas uti compenſatione præſenti pro debito futuro?* Reſp. Quæſo, ne mihi ſuccenſeas, quod paradoxa nimis inaudita diſputanda proponam. Nam docti iuniores acriter de hac re diſputant. Cardinalis de Lugo *loc. cit. ſec.* 5. *num.* 93. hæc ſcribit. „ Aliquando tamen licere creditori prævenire, & „ compenſare ſibi nunc pro eo quod Petrus nondum debet, ſed *debebit poſt menſem* v. g. & prudenter creditor timet non ſibi ſolvendum: affirmant Tannerus „ 2. 2. *diſp.* IV. *quæſt.* VI. *dub.* 14. *num.* 406. Diana *reſ.* XLVIII. " P. Diana lætatur, quod a tanto Cardinali in ſuffragium probabilitatis adducta ſit propria auctoritas: quare in nova ſua editione *Tom. VI. tract.* III. *reſ.* 150. *num.* 5. hanc opinionem ſecundis curis recognoſcens, ſcribit. *Ita ego olim docui, & noviſſime, me citato, docet Eminentiſſimus de Lugo, & etiam, me citato, Machadus*. Magnam vim probabilitatis deprehendit P. Diana in Tò *Me citato*. Cardinalis de Lugo opponit contra ſuam opinionem auctoritatem deſumptam ex *ff. de comp. l.* Cum militi, *§. ult.* Verum hoc ad forum externum pertinere aſſerit, inquiens. *Ceterum, quidquid ſit de foro externo, in quo lex illa procedere videtur, in foro interno probabilis videtur ſententia illorum Doctorum, ut poſſit creditor compenſare ſibi ante tempus pro debito FUTURO, duplici conditione poſita*. Prima conditio eſt, quod, ſi ob anticipatam ſolutionem aliquod emergens damnum, aut lucrum ceſſans adveniat debitori, teneatur compenſator reſarcire. Altera, quod periculum ſit morale, debitorem non ſoluturum debitum.

XXIV.

Digitized by Google

XXIV. Paradoxon iſtud præ ceteris aliis luculentius patefacit, quam ſit humanæ ſocietati exitialis Probabiliſmus. Etiam pro futuro debito præſentanea compenſatio licita eſt? Cuinam hæc veniſſent in mentem, niſi iuniores Probabiliſtæ eadem excogitaſſent? Nulla itaque eorum efficacior confutatio quam eorumdem ſincera expoſitio. Erunt qui dicturi ſint, nos acri ſtilo aliorum opiniones carpere. At ſpero fore ut ſapientes omnes qui harum opinionum abſurditatem expenderint, reſponſuri ſint, nos mitiſſima oratione veritatis cauſſam orare. Sed ultra pergamus.

XXV. Quæſt. IX. *An qui per occultam compenſationem ſibi compenſat, poſſit iurare ſe nihil accepiſſe?* Reſp. Adfirmant Probabiliſtarum plures. Brevitatis gratia tranſcribam verba P. Tamburini, qui hæc ſcribit *Lib. VIII. tract.* 11. *cap.* v. *ſ.* 1. *num.* 1. „ Non eſſe in conſcientia furem, nec peccare, nec in excommunicatio„ nem incidere, quæ forte ſit contra furantes impoſita, & *poſſe iurare etiam co*„ *ram iudice nihil accepiſſe*, intelligendo, quod ſibi non deberetur, certum iam „ *hodie* eſt apud omnes, etiamſi res quam uſurpat, fuerit ipſi in depoſitum a „ debitore conſignata. Vide *Molinam*, *Leſſium*, *de Lugo*, alioſque mox citandos, „ quibus adde *Dicaſtillum*." P. Tamburinus Probabiliſta ingenuus eſt. Suas opiniones candide promit. Fatetur recenſitam opinionem *hodie* eſſe certam penes Probabiliſtas plures, quos citat. *Ab initio autem non fuit ſic*. Et quia nos doctrinas quas ab initio Chriſtus Dominus docuit, amplectimur; ideo reiicimus iſtam quam *hodie*, ſeu nudiustertius excogitarunt Theologi iuniores. Iurare ſe nihil accepiſſe poteſt vir chriſtianus qui reapſe accepit? In caritatem ne peccabimus, ſi has opiniones ſcandali plenas eſſe dixerimus?

XXVI. Quæſt. X. *Qua via famuli compenſatione uti poſſunt poſt damnatam propoſitionem?* Reſp. Summus Pontifex Innocentius XI. inter propoſitiones proſcriptas quas *hodie* novus opinandi modus invexit, hanc damnavit: *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario quod recipiunt*. P. Didacus de la Fuente Hurtado *diſſert.* XXIII. *cap.* I. plurimos exponit caſus, & difficultates quibus obnoxia eſt hæc propoſitio, & poſtea *num.* 5. ſic inquit. „ Hæc omnia demonſtrant, quam confuſe, „ & indigeſte illa propoſitio fuerit tradita tot diverſos caſus comprehendens pari „ regula, cum ſint valde diſpares; & quantis additamentis, limitationibus, ful„ criſque indigeat, ut ad praxim ſecure revocetur." Si his loquendi formulis quas hic Probabiliſta adverſus S. Sedem adhibet, nos adverſus Probabiliſtas uteremur, acrimoniæ, & mordacitatis nos poſtularent reos. Quid? *Indigeſte* propoſita fuit opinio hæc? Indigeſtam ergo confuſamque ſententiam damnavit Innocentius XI.? Nihil ergo Pontifex damnavit. Scilicet, inquiunt. Quoniam nemo Probabiliſtarum, ſubdunt, ſic *indigeſtam* docuit ſententiam. Qui ergo illam docuere? Abiſſini, Ethiopes, Perſæ, Sinenſes?

Digitized by Google

XXVII. P. Dominicus Viva in Trut. Theolog. in hanc *prop.* 37. *num.* 7. hæc ſcribit. „ Quod in hac Theſi proſcribitur eſt, poſſe famulos occulte compenſare „ id quod *ipſi* iudicant ex iuſtitia ſibi deberi in ſalarium . . . Idcirco ad occultam „ hanc compenſationem faciendam requiritur iudicium viri docti ſimul & periti." At quis Confeſſariorum, vel Caſuiſtarum non doctus, non peritus? Abſit ut aliquem unum indoctum, imperitumve pronunties. Ut maledicum te, & detractorem improperandum propinabunt. Experti loquimur. Iudicium ergo Confeſſarii docti & periti ſat eſt ad famulorum licitam compenſationem? Confeſſarii ergo, & Caſuiſtæ periti iudices ſunt, deſtinati ad definienda pretia famulis debita? Iſti unt iudices inſtituti ad transferenda dominorum bona, iiſdem inſciis? Periti & docti Confeſſarii iudicium, ſententiamque pronuntiant iuxta ea quæ famuli, & famulæ repræſentant. Exaggerant iſti labores, operas, & induſtrias ſuas. Si iniuſta eſt famulorum narratio; iuſta ne erit Confeſſarii ſententia? Nequeunt famuli eſſe iuſti iudices. Ergo neque iuſti teſtes, ad quorum expoſitionem proferre Confeſſarius ſententiam debeat, parte altera inaudita. Neque enim ex aliis principiis peritus doctuſque Confeſſarius formare iudicium ſuum valet quam ex narratione famulorum. Ergo vi iuſti ratiocinii eadem eſt opinio *P. Viva*, ac damnata a Pontifice. En quam verum ſit plures iuniores Probabiliſtas aut deludere, aut extenuare pontificia decreta.

XXVIII. Quæſt. XI. *An famuli queant uti compenſatione, ſi plus laboris impendant quam conventum cum dominis ſit?* Reſp. Domini conducunt famulos ſæpe pro hoc aliove ſervitio. Ceteroquin in pluribus occupari ſolent quæ in contractu expreſſa non ſunt. Salmanticenſes hac de re ſic ſcribunt *tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 19. *ſ.* 2. *num.* 316. „ Similiter ſi dominus occupet famulum vel aliis horis, vel in „ aliis miniſteriis quam conventum eſt, poteſt famulus uti compenſatione, ſi a „ domino id non compenſatur: quia illud obſequium eſt pretio æſtimabile, ad „ quod famulus ex vi conventionis non obligatur. Navarra *cap.* XVII. & Caſtro- „ palaus *num.* 8." Hæc opinio non minus falſa eſt quam ſequens.

XXIX. Quæſt. XII. *Officiales qui minoris iuſto opera ſua locant, poſſunt ne compenſatione uti?* Reſp. Communis prætextus, & fucus quo officiales, ſive famuli qui inſerviunt dominis, Magnatibus, Principibus, furta compenſationis titulo honeſtant, eſt pactio ſtipendii minoris æquo ſtipulati ob neceſſitatem. Maiori ſtipendio digna eſſe opera ſua pro certo habent. Si quæras, cur convenerint cum dominis de minori pretio; reponunt: Inopia, neceſſitas, timor amittendæ occaſionis, & alia id genus ad conſentiendum pretio iuſto minori nos coegere. Quid ad hæc Caſuiſtæ? Reſpondet his verbis P. Patritius Sporer *Tom. II. tract.* V. *in 7. præcept. Decalog. cap.* V. *ſec.* 3. *ſ.* 4. *num.* 83. „ Famulus, vel officialis qui ob errorem, ne- „ ceſſitatem, vel *aliam ſimilem cauſam* operam ſuam minoris iuſto locavit, quia

„ ſal-

„ ſaltem *ſecundum quid* involuntarius fuit, adeoque animum donandi non habuit, „ poterit defectum ſtipendii iure exigere; & ſi aliter habere nequeat, *occulte com-„ penſare. Et dominus ſibi imputet.*" Ambæ duæ opiniones quas hic recenſui, falſæ ſunt; & in propoſitione damnata, ut mihi quidem videtur, evidenter continentur. Eas in medium adduxi, ut ab eiſdem incautus lector caveat. *Involuntarium ſecundum quid* ſat eſt ad iuſtam compenſationem? Frequentiſſime ſervi, officiales, miniſtri, locantes operas ſuas, illas maiori convento pretio dignas reputant; ſed egeſtate preſſi conſentiunt in pactum pretium. Vix unum invenies qui quadam animi repugnantia in pretii ſtipulati quantitatem non conſentiat. Si ergo *involuntarium ſecundum quid* ſat eſſet ad iuſtam compenſationem; vix officialis, miniſter, aut famulus foret qui uti licite compenſatione non poſſet. Sed faceſſat e medio Chriſtianorum hæc Caſuiſtarum doctrina, ſimileſque exulent opiniones, ab Eccleſia reipſa proſcriptæ.

XXX. Quæſt. XIII. *Miniſtri, famuli, officiales, exiguo ſtipendio contenti, ut dominorum gratiam obtineant ad conſequenda beneficia, uti ne compenſatione valent, ſi domini negligant iiſdem patrocinari?* Reſp. Multi inſerviunt Epiſcopis, Magnatibus, Cardinalibus, Principibus ſpe obtinendi eorumdem favore & patrocinio penſiones, gradus, beneficia: & ob hanc ſpem contenti ſunt minori ſtipendio. Diſputant iuniores Caſuiſtæ, num ſi domini negligant favorem illis præſtare, queant miniſtri, ſeu famuli tantumdem accipere in pecunia titulo compenſationis. P. Matthæus Moya *Tom. II. ſelect. Qq. tract.* VI. *Miſc. diſp.* IV. *quæſt.* III. refert *Doctorem Garſi* ſic loquentem. „ Quando famulus nihil petit ſtipendii, immo expreſſe „ reſpuit in ſuo corde omnem intentionem petendi, & ſervit ſperans a domino „ aliquod officium, vel beneficium ſibi procurandum; quando dominus id procu-„ raverit, etſi nihil obtinuerit, non poteſt quidquam petere, vel compenſare. Si „ vero dominus nihil procuraverit, quia vitandæ labis ſimoniacæ cauſa procura-„ re noluit, aut ob alias cauſas, poteſt petere ſtipendium more patriæ conſue-„ tum, *& ſi non det, licite ſibi conſulet honeſta compenſatione.* Ita Leſſius *cap. il-„ lo* XXIV. *dub.* 4. *num.* 26. prope finem . . . Secunda pars probatur: quia etſi ha-„ buerit intentionem non petendi quidquam, tamen cum ea intentio *non ſit vo-„ tum*, per eam non ademit ſibi poteſtatem acquirendi id ad quod ius habet." Opinio iſthæc adeo laxa eſt, ut nec ipſi P. Moya arrideat. Quid enim concipi abſurdius valet quam quod ſpes famulorum inducat in dominis debitum iuſtitiæ procurandi iiſdem beneficia? Modus opinandi probabiliſticus huc malorum trudit, ut ex ſola ſpe aliquid obtinendi vi alterius patrocinii ius oriatur compenſationis. Sed quid in abſurda refellenda opinione tempus prodigo?

XXXI. Quæſt. XIV. *An in debitis ex iuſtitia dari poſſit compenſatio cum bonis, vel obſequiis gratuitis?* Reſp. Hanc quæſtionem proponit P. Diana *loc. cit. reſol* 152.

Digitized by Google

152. & reſpondet affirmative. „ Quando volui (inquit) cum dono gratuito ſatiſ-
„ facere obligationibus ex iuſtitia, quas debere ſciebam. Sed difficultas eſt, an
„ quando præbui donum, vel obſequium, ignorabam debitum ex iuſtitia, an poſ-
„ ſim tunc facere compenſationem? Et affirmativam ſententiam *probabilem* eſſe
„ putat ex *Rodriquez Ægidius Trullench in Decal. Tom. II. Lib. VII. cap. IV. dub. 5.*
„ ubi ſic aſſerit. Ego debeo tibi ex iuſtitia centum aureos, & poſtea gratis præ-
„ ſto obſequium eiuſdem valoris, aut æquivalens tibi confero titulo donationis:
„ manebo ne exemptus ab obligatione iuſtitiæ? Reſpondeo, ſi quando contuli il-
„ lud donum, eram memor obligationis ex iuſtitia, & nolui per illam rem, ſeu
„ donum obligationi ex iuſtitia ſatisfacere, ſed gratis rem illam præſtare, certum
„ eſt me non ſatisfeciſſe obligationi ex iuſtitia, nec poſſe poſtea uti compenſatio-
„ ne: quia res illa ſcienter fuit gratis donata, & liberaliter . . . Quid, ſi quan-
„ do contulit obſequium, ignoraverit debitum ex iuſtitia? Rodriquez in *Summa*
„ *Part. II. cap. XLIX. concl. 2. non improbabiliter* aſſerit, poſtea, quando debiti ex
„ iuſtitia recordatur, poſſe facere compenſationem per rem illam donatam cum
„ tali ignorantia: quia præſumitur quod non fuiſſet tam liberalis, ſi debiti fuiſ-
„ ſet memor. At Sanchez *Lib. I. oper. moral. cap. XIII. num. 11.* & cum aliis Bo-
„ nacina *probabilius* cenſent contrarium . . . Nihilominus tamen, ut dixi, ſen-
„ tentia *Rodriquez* non eſt *improbabilis*, cui favet *Layman* citatus a nobis. Huc-
„ uſque *Trullenchus*. “

XXXII. Hæc totidem verbis reſcribere volui ex Diana, qui lectorum arbitrio eligendam, beneficio Probabiliſmi, tam laxam proponit opinionem. At Probabiliſtarum plures buccinabunt, nos non poſſe ſimiles opiniones deteſtari, quia libere diſputantur inter Catholicos. Verum nos pro Catholicorum honore pugnantes, dicimus, hæc eſſe opinionum portenta, quæ modus opinandi *probabiliter*, non *improbabiliter*, *minus probabile*, *magis probabile* in dies parturit, quæque docti Catholici omnes improbant. Quid, malum, monſtroſius excogitari valet? Favorem, gratiam, obſequium quis impertit, etiam immemor debiti centum aureorum: præſtito obſequio recordatur iſtius debiti: & tunc poteſt ſubſtituere hoc obſequium pro debiti ſolutione? Poteſt hoc debitum ex iuſtitia gratuito obſequio compenſare? Quod ſcandalum non ſubirent ingenui Chriſtiani, hæc ſi reſcirent?

XXXIII. Quæſt. XV. *An compenſatio ſit valida in foro conſcientiæ, etiamſi adſint creditores anteriores?* Reſp. Caſus iſte, inquit P. Diana, *multum practicabilis eſt*: & multi docti viri negative reſpondent. Sed ego, ſubdit, contrariam ſententiam *probabilem* exiſtimo, etiamſi debitor poſſideat rem in compenſationem accipiendam iure depoſiti. Quia, inquit, lex quæ vetat acceptionem depoſiti, forum externum ſpectat, ſecus internum. Verum hæc opinio communiter improbatur vel

ab

Digitized by Google

ab ipſo de Lugo. Quia creditor qui ſervat depoſitum debitoris, nullo titulo fruitur, cuius gratia præferri ceteris creditoribus anterioribus debeat. Nam ei non favet titulus poſſeſſionis: quia depoſita non poſſidet nomine ſuo, ſed nomine debitoris. Ergo nullus occurrit titulus cur anteferatur ceteris creditoribus, poſſitque cum eorum damno compenſatione uti.

XXXIV. Quæſt. XVI. *An compenſatio occulta locum habeat in celebratione Miſſarum?* Reſp. Sacerdos celebravit decem Miſſas iuſſu Petri pecunia credita. Petrus, debito non ſoluto, offert eleemoſynam pro aliis decem Miſſis. Poteſt Sacerdos ſibi retinere hoc ſtipendium pro compenſatione non ſoluti debiti, & alias Miſſas non celebrare. Ita docet P. Viva *Tom. I. part.* III. *quæſt.* VI. *art. 3. num. 9.* ubi citat Tamburinum, & Peierinum; dummodo tamen vitetur damnum tertii, videlicet animæ purgantis, aut infirmi. Si enim pro iſtis Miſſæ petantur, & non pro ipſo debitore, non videtur id licere; quidquid dicat, inquit Viva, P. Fuente Hurtado. Iſte Hurtado celebris Probabiliſta eſt, qui & ipſe valde extenuare ſtudet damnationem propoſitionum. Porro ea ſcribit de compenſatione occulta facienda a Sacerdotibus pro non ſolutis eleemoſynis, quæ ſatius iudico ſilentio præterire quam confutatione redarguere. Raro, immo rariſſime, & vix umquam in aliis contractibus licita eſt occulta compenſatio. In Miſſarum celebratione, diminuendo Miſſas celebrandas, numquam admittenda. Adeo ſancta, & ſublimis eſt iſtius & myſterii, & miniſterii ſanctitas, ut quamcumque fraudis ſpeciem deteſtetur.

XXXV. Quæſt. XVII. *An famulus Principis, cui ultra ſtipendium dabatur bordeum pro uno equo, valeat bordeum accipere, dum equum non habet?* Reſp. Hanc quæſtionem proponit Cardinalis de Lugo *diſp.* XVI. *ſect.* 5. *num.* 82. & narrat affirmative reſponſum eſſe a multis Magiſtris Salmanticenſibus. Eccur hoc? Quia, inquiunt Magiſtri Salmanticenſes, *bordeum non videbatur dari cum obligatione babendi equum, ſed ut poſſet babere equum.* Hæc ne præſumptio rationabilis? Principes belli ducibus ſtipendia dant pro tot militibus, non ut illos habeant, ſed ut poſſint habere? Pecuniæ ergo, non milites pugnabunt?

XXXVI. Quæſt. XVIII. *An ſartores magiſtri valeant retinere fragmenta veſtium in compenſationem maioris ſtipendii ſibi debiti?* Reſp. Adfirmant P. Thomas Sanchez *Lib. I. conſilior. cap.* VII. *dub.* 2. *num.* 4. & Cardinalis de Lugo *diſp.* XVI. *ſect.* 5. *num.* 84. Quin, addunt, hæc fragmenta retineri a magiſtris ſartoribus poſſunt, non modo quando ita parva ſunt, ut domini pro derelictis eadem habeant, nolintque illa ſibi reſtitui; verum etiam quando ſunt maioris valoris. Ratio eſt, inquit Cardinalis de Lugo, quia ſartores timoratæ conſcientiæ teſtantur, minus iuſto eſſe pretium quod a dominis ſolvitur. Nec obſtat, ſubdit acutus Cardinalis, hinc ſequi, quoslibet famulos poſſe uti compenſatione titulo ſtipendii minoris iu-

ſto

Digitized by Google

ſto illis ſoluti. Quoniam ſunt aliqui contractus in quibus pretium, alioquin iniuſtum, *iuſtificatur* propter aliquam conditionem quæ communiter ineſt iis contractibus, prout communiter fiunt. Domini ſciunt retineri communiter a ſartoribus fragmenta illa: idcirco diminutum pretium ſolvunt. Quod non contingit in aliis contractibus famulorum. Conſulenda tamen experientia eſt, & conſcientia ſartorum. Hæc eſt doctrina Sanchez, Lugo, & aliorum.

XXXVII. Hæc ſententia falſa eſt, &, ut ego quidem arbitror, in damnata famulorum propoſitione contenta. Fundamentum cui innititur, commentitium. Domini ſcientes a magiſtris ſartoribus fragmenta retineri, pretium diminuunt? Domini ergo ſponte conſtituunt ſartores iuſti pretii ſolvendi pro veſtium opificio iudices, & arbitros? Præſumi ne prudenter hoc poteſt? Ex doctrina *Sanchez*, *Lugo*, & aliorum ſequitur præſumendum eſſe, omnes dominos, omnes venditores minus pretium taxare, ut ſervi, officiales, emptoreſque pro arbitrio illud ad iuſtam normam augeant. Rationabilis ne præſumptio hæc? Quantumvis timoratæ conſcientiæ ſartores ſupponantur, ſemper tamen inſita cupiditas pretium ultra æquitatis confinia augere ſtudet. Nemo unus dominorum, ſartorum arbitrio pretii taxationem remittere intendit. Magiſtri ſartores nolunt ſe ſubiicere pretii quantitati definitæ a dominis: & domini libere conſentient ut ſartores hanc pretii quantitatem conſtituant? Nulla vel levis coniectura occurrit quæ id præſumendi fundamentum præbeat. Quare ut falſam præfatam reiicimus ſententiam.

XXXVIII. Quæſt. XIX. *Famuli ſartores poſſunt ne furari ſuis magiſtris ſartoribus partem fragmentorum in compenſationem exiguæ mercedis?* Reſp. Negant Sanchezius, & Villalobоſius: quia illud ſtipendium reputari iuſtum debet quod communiter dari ſolet. Si famuli invenire apud aliquos magiſtros ſartores maius pretium poſſent, profecto his ſuas locarent operas. Verum Eminentiſſimus de Lugo hos Auctores minus ſibi conſtare merito aſſerit *loc. cit. num. 85.* Quid? Magiſtri ſartores uti compenſatione poſſunt, quia minus iuſto pretium ſolvi a dominis ſolet. Eccur idem præſumi in ſartorum famulis non debet? Cur ſimiles prudentis præſumptionis in famulorum favorem coniecturæ occurrere nequeunt? Quemadmodum enim domini minus pretium ſolvere magiſtris ſartoribus ſolent, quod ſciant retinenda ab iſtis eſſe fragmenta in compenſationem iuſti pretii; ſic magiſtri ſartores minus iuſto pretium famulis ſuis ſolvunt, ſcientes quod iſti retineant partem fragmentorum compenſationis titulo. Quis hoc inficias iverit? Quare cum Lugo aſſerimus minus ſibi in doctrina conſtare laudatos Probabiliſtas, negantes compenſationis beneficium famulis ſartoribus, illudque concedentes magiſtris ſartoribus. Verum & contra eoſdem, & adverſus Cardinalem de Lugo dicimus, tam in primo, quam in ſecundo caſu iniuſtam eſſe quamcumque occultam compenſatio-

tionem. Furti rei ſunt tum magiſtri, tum famuli ſartores retinentes dominorum fragmenta.

XXXIX. At, inquiunt benigni iuniores, compenſationes ſartorum frequentiſſimæ ſunt. Accedunt iſti ad Confeſſarios, ſe ſe de his fragmentis acceptis accuſantes. Nullum emendationis propoſitum experimento inveteratæ iam conſuetudinis, nullum reſtitutionis faciendæ animum deprehendunt ex una parte Confeſſarii; ex altera vident fragmenta vilioris pretii haud eſſe, quæ pro derelictis a domino habeantur; immo tanti eſſe valoris agnoſcunt, ut domini pro reficiendis veſtibus habere eadem vellent. Quid quod ſartores paſſim conſulunt, curantque dominos aliquot palmos, vel ulnas panni non neceſſarii emere, ut compenſandi ſibi materiam habeant? His preſſi anguſtiis docti Confeſſarii quo ſe vertent? Cui viæ inſiſtent? Si magiſtros, vel famulos ſartores ad abſtinendum in poſterum a futuris furtis, & ad reſtituenda ablata adigant, denegentque abſolutionem, nil hæc reſtituere parati ſint, in deſperationis barathrum trudunt miſeros magiſtros ſartores cum ſuis famulis. Si abſolutionis beneficium impertiant, ſacrilegiis tum pœnitentes, tum ſacri miniſtri inquinantur. Quid ergo agendum? Ad inferna ne damnabimus tum Confeſſarios, tum pœnitentes omnes? Hæc ſunt amoris proprii præſtigia, & terriculamenta. Prævidebat Deus a paucis ſervandam fore legem ſuam: propterea ne eiuſdem laxavit rigorem? Sartorum aliquos hac de re examinavi ipſe, qui mihi teſtati ſunt, plurimos utique ſuæ artis eiuſmodi perpetrare furta, compenſationis velo tecta; ſecus illos qui vere Chriſtiani ſunt, ſuæque æternæ ſalutis ſinceri amatores. Si iſti, cur non illi abſtinére ab eiuſmodi furtis queunt? Artifices, mercatores, officiales, miniſtri, & communiter omnes qui civile commercium exercent, occultæ compenſationis allegare prætextum ſolent. Si his, cur non illis licita compenſatio erit? Quapropter, ut paucis rem totam concludam, horum nemini permittenda compenſatio eſt ob iniuſti pretii ſolutionem. Omnes quippe non coacti, ſed ſpontanei locant operas ſuas, tum magiſtri, tum famuli ſartores, pacto pretio. Si hoc iuſto minus eſt, cur contractum ineunt? Quia nolunt domini iuſtum perſolvere pretium? Cogentur ad iuſtum pretium, quando ſartores recuſabunt veſtes conficere. At, ſi ego recuſo locare operam, centum occurrunt qui leviſſimo pretio locant operas ſuas. Excuſatio hæc ineptiſſima eſt. Numquid quia alii ſures eſſe volunt, tu quoque latro eſſe vis? Non te deſpiciet divina providentia, ſi ob iuſtitiam ſervandam reſpuas iniuſtum pretium. Immo quo maior erit æquitatis tuæ fama, eo plures ad officinam tuam concurrent.

XL. Quæſt. XX. *An non ſolum in pecuniis, ſed etiam in famæ reſtitutione compenſatio licita ſit?* Reſp. Caius, & Sempronius mutuo ſe infamarunt. Caius reſarcire læſam Sempronii famam renuit. Poterit ne Sempronius omittere reſtitu-

tio-

tionem famæ faciendam Caio, atque adeo compenſatione uti? Diſputant in utramque partem docti iuniores. Negant illi, adfirmant iſti. P. Leſſius ſic reſpondet *Lib. II. cap.* xi. *dub.* 25. *num.* 133. „ Si tu alium iniuſte infamaſti, qui te antea infamaverat, non teneris ei ad reſtitutionem, ſi ipſe tibi reſtituere nolit; „ ſed potes uti compenſatione, ſervata tamen æqualitate, *quantum fieri poteſt.* " Si ergo Caius perſiſtat in obſtinatione non reſarciendi læſam famam, Sempronius in eadem poterit improbitate perſeverare? Non debent ergo hi duo infamatores mutuo ſe amore amplecti, ut ſalutem aſſequantur? Evangelica ne doctrina iſthæc? Quis dixerit, iſtos infamatores ſe viciſſim amare, uſquedum nolint mutuo læſam famam ſibi reſtituere? Et quia unus obſtinate renuit reſtitutionem exequi, ideo alter idem poterit agere? Aut ego nihil capio, aut Evangelio repugnat opinio hæc. Servanda eſt æqualitas, *quantum fieri poteſt?* Plus, minuſve nonne? Si fieri nequit ut ſervetur hæc æqualitas, non propterea omittenda compenſatio erit iuxta hanc opinionem. Difficillimum autem eſt æqualitatem ſervari, potiſſimum dum infamatio eſt in delictis diverſi generis. Porro inquit P. Viva III. Part. quæſt. vi. art. 3. *Nonnulli Doctores volunt, etiam in delictis diverſi generis licitam eſſe compenſationem.* Hæc omnia nos reiicimus.

XLI. Quæſt. XXI. *Utrum compenſari infamia poſſit occulta pecuniarum retentione, vel ſurreptione?* Reſp. Sempronius te infamavit, dixit, *Tu es curruca*, aut aliam gravem iniuriam tibi impegit. Diſputant iuniores, utrum, hoc infamatore renuente famam tuam redintegrare, tu poſſis tantum pecuniarum eiuſdem retinere, vel accipere, quantum tibi famæ abſtulit. Reſpondet P. Leſſius Lib. II. cap. xi. dub. 25. num. 136. „ *Probabile eſt* hanc compenſationem fieri poſſe: quia *probabilis* eſt ea ſententia quæ aſſerit, infamiam pecunia eſſe compenſandam, „ quando in ſuo genere non reſtituitur. " Quam opinionem pluribus ibidem explicat.

XLII. Verum luculentius præ ceteris hanc opinionem explicat P. Ludovicus Molina *de iuſt. & iur. Tom. IV. tract.* iv. *diſp.* xlix. *num.* 5. *pag.* 492. *edit. Colon. Allobrog.* his verbis. „ Quando unus alterum iniuſte infamavit, neque, ut tenebatur, vellet eam famam illi reſtituere; tunc iniuſte infamatus, qui damnum in „ fama alteri non dediſſet, poſſet in *pecunia* compenſare damnum famæ, in quo „ eſt, *idque non ſolum non ſolvendo* debitum antiquum occultum, quantum ad „ æqualitatem ſufficere iudicaretur ad competentem compenſationem famæ, in „ quo eſt; *ſed etiam occulte accipiendo de novo quantum ſatis eſſet ad eamdem* „ *compenſationem*, dummodo non interveniret ſcandalum, & aliter *commode* obtinere non poſſet reſtitutionem ſuæ famæ, & denique dummodo intervenirent „ conditiones omnes requiſitæ ut licite in conſcientiæ foro fiat occulta compenſatio debiti. " Conditiones requiſitæ ſunt ut infamia ſit certa, ut nequeas *commode*

Digitized by Google

modo alia via famæ reſtitutionem aſſequi, ut damnum tertii, & ſcandalum vitetur.

XLIII. Hæc opinio præ ceteris quas recenſui, mihi videtur cum Evangelio pugnare. Evangelium Chriſti nos docet orare pro perſecutoribus, & calumniatoribus noſtris. Contra novus opinandi modus nos inſtruit poſſe furari pecunias, ut læſam famam reſarciamus. En quam verum ſit id quod ſæpe diximus, nempe modum opinandi probabiliſticum paradoxa, & opinionum portenta parturire. Perdocti, & pii Theologi conſectaria quæ ex recenſitis opinionibus neceſſario proficiſcuntur, fortaſſe non præviderunt. Sed, admiſſis opinionibus quas reſcripſi, quæ furta, quæ fraudes, quæ rapinæ non conſequerentur? Horrorem mihi ingerit potiſſimum ultima. Nam famuli frequentiſſime a dominis improperia, & convicia ſuſtinent. Vix aliquis illorum famæ læſæ reſtitutionem implet. Poterunt ergo famuli tantum ſurripere, quantum ſat erit ad iniuriarum compenſationem? Clamabunt contra me Probabiliſtarum plures, quod nimis libere labefactare ſtudeam eiuſmodi paradoxa; quod eadem Probabiliſmi conſectaria eſſe definiam. Verum mirari illi modeſtiam, & æquitatem meam deberent, quod, ut excuſare pro viribus nitar Auctores, ipſum opinandi modum de medio auferendum ſuadeam. Ipſi fateri coguntur, ſolius Probabiliſmi beneficio recenſitas honeſtari a ſuis patronis opiniones. Continenter enim repetunt, *Probabile* eſt, *improbabile* non eſt. *Probabilis* eſt illa opinio: ergo *probabilis* eſt hæc altera. Hæ ſunt phraſes quæ paſſim inſonant. Rogo ergo, obteſtorque adverſarios ut ſerio perpendant, me contra opiniones quas falſas, & chriſtianæ ſanctitati contrarias exiſtimo, calamum acuere; venerari autem, officioque ſuſpicere earumdem Auctores, qui bona fide id ſcripſerunt quod humanæ imbecillitati ſanandæ ſuavius reputarunt. Alii me accuſabunt, quod nimis frequenter has excuſationes repetam. Sed malo nimius eſſe in obſequio præſtando quam vel remotam anſam præbere me traducendi tamquam iniurioſum doctis iunioribus.

DISSERTATIO III.

DE RESTITUTIONE IN PARTICULARI.

CAPUT I.

De reſtitutione propter homicidium, vel mutilationem.

I. PRincipia reſtitutionis generatim acceptæ hactenus expoſui. In hac diſſertatione quædam peculiaria capita, unde onus reſtitutionis proficiſcitur, declarabo. Et primum omnium quid ob homicidium reſtituendum ſit, explicandum eſt. De homicidii crimine ſatis dictum eſt circa quintum mandatum Decalogi. Nunc de onere compenſandi ea quæ tantum ſcelus conſequuntur, ſermo nobis erit. Homicidium aliud involuntarium, & a crimine immune, quale illud eſt quod ob neceſſariam defenſionem, & præter omnem intentionem, accidit: aliud voluntarium, & flagitioſum. Hoc, non illud, debitum reſtitutionis inducit.

II. Porro duo ſunt damna quæ ſpectari in quolibet homicidio voluntario debent. Primum ablatio vitæ, mutilatio membrorum perſonæ læſæ. Alterum eſt quod ex ipſa ſive vitæ ablatione, ſive membrorum mutilatione evenit aut ipſi læſo, aut eiuſdem filiis, familiæque. Qui alteri homini vitam aufert, aut membrum, contra iuſtitiam commutantem peccat. Vita autem ſemel erepta, aut membrum reciſum reſtitui nequeunt. Quid ergo agendum ut læſa iuſtitia reparetur? Primum, ſi iudex occiſorem, aut mutilatorem punit, nulla alia ſatisfactio neceſſaria eſt: quia iudex omnia quæ ex iuſtitia reparanda damna ſunt, iubet ut reapſe reparentur. Et cum nullum de hoc ſit diſſidium, ad alia pergo. Illud ergo in diſputationem vocatur, quid reſtituere occiſor, aut mutilator debeat tum ob vitæ, membrive ablationem, tum ob damna inde ſecuta. Ut argumentum clarius diſpiciatur, in ſequentes quæſtiunculas illud tribuo.

III. Quæſt. I. *Occiſor, vel mutilator tenetur ne compenſare iniuriam perſonalem bonis fortunæ?* Reſp. Ut indicavi, duo conſiderantur in occiſione, mutilatione, vel læſione, nempe ipſa iniuria perſonæ occiſæ, mutilatæ, aut læſæ inflicta; & damna temporalia quæ inde conſequuntur. Nunc primum, poſt ſecundum diſcutiendum eſt. De primo duplex opinio eſt inter Theologos. Prima adfirmat,

ipſam iniuriam perſonalem reſarciendam eſſe. Hanc defendunt Caietanus in *Sum. v. Reſtitutio*. Sotus de *iuſt. & iur. Lib. IV. quæſt.* VI. *art.* 3. *ad* 3. Aragon. 2. 2. *quæſt.* LXII. *art.* 2. Petrus Tapia *Lib. V. quæſt.* XXV. *art.* I. Azorius *III. Part. Lib. V. cap.* III. *quæſt.* IV. Valentia *Tom. III. quæſt.* V. *punct.* 5. *§.* I. Molina *Tom. IV. tract.* III. *diſp.* LXXXVIII. Prado *quæſt.* II. *§.* 2. & plures alii, qui evincunt ſuam opinionem primum auctoritate ſacræ Scripturæ. Siquidem Exodi XXI. hæc habentur. *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicaverint.... Si percuſſerit quiſpiam oculum ſervi ſui, aut ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit.*

IV. In hanc quoque ſententiam concedere S. Thomas videtur 2. 2. quæſt. LXII. art. 2. ad 1. *Dicendum, quod in quibus non poteſt recompenſari æquivalens, ſufficit quod ibi recompenſetur quod poſſibile eſt.... Et ideo, quando id quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliud æquale, debet fieri recompenſatio, qualis poſſibilis eſt; puta, cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare vel in pecunia, vel in aliquo honore, conſiderata conditione utriuſque perſonæ ſecundum arbitrium boni viri.*

V. Ratione inſuper evincitur ſententia hæc. Qui alterum occidit, mutilat, lædit, peccat contra iuſtitiam commutantem. Ergo iuſtitiæ tranſgreſſionem reparare debet ea via qua fieri poteſt. At quamvis poſſibilis non ſit reſtitutio vitæ, membri &c. poteſt tamen hoc malum bonis fortunæ compenſari. Eccur ergo præſtandum id non erit? Qui reſtituere mille debet, & non poteſt niſi centum, liber ne a reſtitutione iudicabitur huius partis, quia nequit reddere totum? Hoc verum eſt, inquies, quando creditum, & debitum ſunt eiuſdem, ſecus quando ſunt diverſi ordinis. Ita ne vero? Offenſa illata Deo per peccatum, eſt ſupremi ordinis; ſatisfactio vero pœnitentiæ inferioris: non eſt ergo Deo reddenda, quia non eſt eiuſdem ordinis? Quod ad quantitatem compenſationis attinet, non poteſt alia certa aſſignari regula præter eam quam S. Thomas conſtituit, nempe hoc prudentum arbitrio definiendum eſſe, omnibus conditionibus expenſis tum perſonæ læſæ, tum occiſoris, aut mutilatoris.

VI. Altera ſententia negat quidquam reſtituendum eſſe ob ſolius vitæ aut ablationem, aut læſionem: idque evincere contendunt *ff. de his qui effuder. vel deiecer. l. finali.* ubi hæc præſcribuntur. *Cum liberi hominis corpus, ex eo quod deiectum, effuſumve quid erit, læſum fuerit, iudex computat mercedes medicis præſtitas, ceteraque impendia quæ in curatione facta ſunt. Præterea operarum quibus caruit, aut cariturus eſt ob id quod inutilis factus eſt. Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æſtimatio: quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem.* Nec eſt, inquiunt benignioris Ethices patroni, quod reſpondeatur, hanc legem denegare actionem

Digitized by Google

in foro externo, ſecus in foro conſcientiæ. Quoniam lex abſolute definit nihil pro his damnis deberi, quod ſint ſupra omne pretium. Nihil frequentius reponunt Auctores iſti, dum honeſtare occultas compenſationes ſtudent, quam leges quæ eaſdem vetant, vim habere in externo, ſecus in interno foro. Quia vero iura civilia ipſis favere nunc videntur, in utroque foro vim habere clamant. Ratio quam pro ſua ſententia promunt, illa ipſa eſt quam iam indicavi. Vita, & membra hominis ſunt ſuperioris ordinis: ergo nullis fortunæ bonis reſarciri valent. Alioquin bona ſpiritualia reſarciri bonis terrenis deberent. Accedit quod vita, aut membra hominis non ſunt pretio æſtimabilia. Solve millia, decem millia aureorum pro hominis vita immo centum millia. Quid inde? Omnia hæc nullius ſunt pretii reſpectu humanæ vitæ ablatæ.

VII. Utraque ſententia ſua fruitur probabilitate, quia neutra evidens eſt. Prior tutior eſt, quia ſecurius proſpicit conſcientiæ homicidæ. Rationes quoque quibus nititur, validiores videntur. Nam potiſſimum fundamentum ſecundæ opinionis ſatis exile apparet. Quandoquidem licet vita, & membra humana ſint ſuperioris ordinis reſpectu bonorum fortunæ, tamen ſunt intra idem genus rei temporariæ. Et reipſa homines vitam ſuam locant ad laborandum, & ad ſervitutem. Vita humana ſuperat omne pretium. Sed quid inde infertur? Non ſane aliud niſi quod reſtitutio ad æqualitatem fieri nequeat. At non propterea elicitur, occiſorem liberum eſſe ab omni compenſatione. Spiritualia temporalibus compenſari nequeunt, quia non modo ſunt ordinis ſuperioris, ſed omnino diverſi, & diſparati; nullaque eſt inter illa & temporalia proportio.

VIII. Tandem, ad praxim quod attinet, vel ipſi adverſarii ſuadent Confeſſario ut homicida præter compenſationem tum lucri ceſſantis, tum damni emergentis, faciendam heredibus occiſi, aliquid largiatur pro vita ablata. Auctoritas legum quæ opponitur, nihil ſane concludit. Quoniam verum habet, vitam hominis eſſe omni pecuniarum pretio ſuperiorem. At propterea ne ruit luculenta S. Thomæ doctrina, quæ docet, id tunc reſtituendum eſſe quod poſſibile eſt? Rapuiſti theſaurum omne excedentem pretium. Ergo ab eo quod potes, reddendo liber eris? Stat itaque S. Thomæ doctrina; videlicet, in iis quæ omne pretium excedunt, ut eſt humana vita, id reſtituendum eſſe quod & hominum conditio, & circumſtantiæ permittunt.

IX. Prudens igitur Confeſſarius curabit ut homicida, præter damnorum compenſationem, de qua mox dicam, ſacrificia, eleemoſynas, & alia pia opera Deo offerat in ſuffragium animæ occiſi hominis. Deinde ut eiuſdem uxorem, filios, & univerſam familiam mæſtam afflictamque pro virili ſolari, adiuvare, protegere ſtudeat, pecunias etiam, prout facultas permiſerit, impertiendo. Sæpe occiſores procuratorum favore, obſequii, & pecuniarum præſtigiis iudicum mentes deludunt, ani-

Digitized by Google

animoſque inflectunt; & occiſi heredes qua minis, qua fraudibus ad condonandam iniuriam inducunt. Iuſtitia vindicante humana placata, nil amplius curant interfecti hominis viduam uxorem, filios, familiamque. At miſeri non recogitant ſe minime Dei iram evaſuros, quamvis vindicantis hominum iuſtitiæ pœnas declinaverint.

X. Quæſt.II. *Quæ damna compenſare interfector debet?* Reſp. Una omnium ſententia eſt, cuncta damna quæ interfector, vel mutilator, vel percuſſor ſua iniuſta actione parit, reſarcienda ab eodem eſſe. Siquidem quilibet iſtorum præter iniuriam perſonalem, videlicet vitæ privationem, membri abſciſſionem, aut læſionem, multa bona impedit, & plura damna inducit, quorum omnium compenſatio neceſſaria eſt. Et primo reſtituendæ ſunt expenſæ in curatione morbi factæ. Lucra quæ proxime conſequi arte, negotiatione, induſtria occiſus, aut mutilatus poterat, reſarcienda ſunt; dummodo filii, uxor, ſorores, aliique coniuncti ſint qui talia damna patiantur ex iniuſta actione occiſoris, aut mutilatoris. Si enim nemo ſit qui ex occiſione damna ſubeat, nulla eſt reſtitutio facienda. Plura autem conſideranda ſunt in metienda ſive lucri, ſive damni reſarciendi quantitate. Nam ſupputandæ ſunt expenſæ quas facturus fuiſſet occiſus, aut mutilatus; lucra, ut erant in ſpe, non reipſa: quoniam lucrum in ſpe, cum impediri pluribus modis valeat, minoris æſtimationis eſt quam lucrum in re. Quare omnibus ſerio perpenſis, loci, temporis, perſonæ, ætatis, habilitatis, aliiſque circumſtantiis definienda eſt lucri reſtituendi quantitas.

XI. Nonnulli Auctores, ut *Diana*, *Molina*, *Rebellus*, *Leſſius*, & alii, contendunt, habendam eſſe rationem laboris, moleſtiæ, & incommodi quod vulneratus, aut occiſus ſubire debebat in ſuæ artis exercitio, ut inde diminuatur iuxta laboris perferendi menſuram lucri reſtituendi quantitas. Ex qua opinione nihil reſtituendum conſequitur. Nam pretium iuſtum labori reſpondet. Si iuxta laboris æſtimationem diminuendum ſit pretium, nihil reſtituendum erit. Quicumque alium fraude, dolo, vi impedit ne laboret, pretium quod impeditus laborare aſſequi poterat, totum reſtituere aſtringitur. Ergo ſimiliter qui vulnerando artificem, mercatorem, & quemcumque alium ineptum reddit ad officium, artemve ſuam exercendam, totum compenſare tenetur quod ſua induſtria, labore, & arte lucrari poterat.

XII. Navarrus, Oſtienſis, & alii deſignant pretium reſtituendum ob damna occiſi hominis: illudque ad ſummam 50. aureorum reducunt. Idque aſſerunt nixi *l. 1. ff. de his qui deiecer. vel effud.* Sed falluntur: quia ibi ſolum taxatur mulcta qua plectendus occiſor eſt; ſecus pretium quo reſarcienda ſunt lucra, & damna occiſi. Alii diſputant, quantum temporis aſſignandum ſit vitæ hominis occiſi, ut colligatur quantitas pretii reſtituendi. Et plures docent, computationem inſtituen-

Digitized by Google

dam eſſe iuxta legem *Computationi ff. Ad legem falcidiam*, ubi vitæ humanæ curſus 60. annis circumſcribitur. Igitur, ſi occiſus ſit 25. annorum, computandi erunt 35. ſi 45. 15. ſi 55. 5. anni, ſi 60. nihil. Quæ opinio falſa eſt. Laudata lex pro alimentis definiendis, minime vero pro damnis occiſi compenſandis inſtituta fuit. Homo 60. annorum robuſtus eſſe valet, ab eiuſque induſtria, & arte univerſæ familiæ ſuſtentatio pendere. Quare communiter definiunt alii, computum hunc prudentum iudicio faciendum eſſe, valetudine, arte, robore, ætate, ceteriſque circumſtantiis ſpectatis. Si vero membrum recidatur, aut vulnus infligatur, non eſt habenda ratio vitæ ducendæ; ſed ſolvendum erit lucrum quod iuxta prudentum iudicium vulneratus ſibi comparaturus erat. Si occiſus proxime morte naturali moriturus fuiſſet, aut iuſte iudice imperante occidendus, nihil præter illud quod brevi tempore quo vixiſſet, lucraturus fuiſſet, reſtituendum foret. Contra, etiamſi iniuſte occidendus ab alio fuiſſet, quicumque occiſionem præveniret, compenſare ea omnia deberet damna quæ mortem conſequerentur. In hac facienda reſtitutione habenda eſt ratio communis conſuetudinis. Nam occiſiones inter nobiles nulla compenſari reſtitutione ſolent. Similiter quando occiſor, aut vulnerator eſſet in gravi neceſſitate conſtitutus, tum regulæ generales reſtitutionis ſervandæ forent. Expenſæ ſunebres reſtituendæ non ſunt, cum etiam in morte naturali faciendæ ſint. Denique ſi occiſor, aut vulneratus reſtitutioni obnoxius moriatur, ad reſtitutionis executionem eiuſdem heredes aſtringuntur.

XIII. Diſputant Auctores, utrum caſu quo homicida pœnam talionis ſubiret, eſſent heredes reſtitutioni obnoxii? Affirmant plures: quia licet fur pœnas luat, tamen reſtituere ablata debet. Rationabilius negant alii: quia, pœna mortis inflicta, omnia remiſſa cenſentur: & ita communis obtinet conſuetudo. Si alicubi oppoſitus mos vigeat, ſervandus eſt. Et ſane ſi heredes occiſi pauperes eſſent, & occiſoris ſucceſſores divites; tum naturalis æquitas dictaret ut prudentum iudicio aliqualis compenſatio fieret, maxime ſi iniuriam illatam chriſtiano animo condonaſſent: contra ſi ad iſtorum petitionem iudex ad talionis pœnam reum damnaſſet, nullum eſſet reſtitutionis onus.

XIV. Quæſt. III. *Quid reſtituere provocatus ad pugnam debet, ſi mors provocantis ſequatur?* Reſp. Nihil reſtituere debet, ſi ſervato inculpatæ tutelæ moderamine provocantem occiderit; immo etiamſi quidquam in moderamine ſervando exceſſiſſet. Si vero graviter limites moderaminis exceſſiſſet, tum reſtitutioni eſſet obnoxius. Minus tamen reſtituere aſtringeretur quam ſi nulla præcedente provocatione occiſionem perpetraſſet. Si mutuo ſeſe provocarunt ad pugnam, nihil ex occiſione reſtituendum eſt: quia uterque ceſſit iuri ſuo. Si unus alterum provocaverit cum iniuria, & notam ignaviæ, ac vilis animi inurendo, provocatus occiſor

non

Digitized by Google

non tenetur ad reſtitutionem, inquiunt iuniores plures: quia ſine dedecore reſpuere duellum non poterat. Hæc ratio pugnare cum Evangelio videtur. Quoniam gloriæ, & religioni ſibi vertere Chriſtianus debet talem reſpuere provocationem. Quamobrem laxa mihi videtur ſequens opinio P. Viva, qui *Tom. I. part.* III. *quæſt.* VII. *art.* I. *num.* 2. inquit: „ Quamvis aliquando non fugiendo peccet contra caritatem, ſi ſcilicet ſine diſpendio honoris fugere poterat; at non peccat „ contra iuſtitiam. Ergo non tenetur ad reſtitutionem." Aliquando ergo contra caritatem peccat? Quandonam? Quando *ſine diſpendio honoris fugere poteſt*. Si ergo periculum ſit honoris mundani apud vulgus perdendi, nullum perpetrat peccatum nec contra caritatem, nec contra iuſtitiam? Hunc nos peccare & contra caritatem, & contra iuſtitiam aſſerimus: quia fugam arripere, dum via patebat, aſtringebatur.

XV. Quæſt. IV. *An ex homicidio caſuali oriatur debitum reſtitutionis?* Reſp. Titius vulneravit Sempronium vulnere minime letali. Negligentia chirurgi, aut medici Sempronius moritur. Titius compenſare tenetur damna non quæ mortem, ſed quæ vulnus conſequuntur. Si tamen Sempronius ex vulnere, etiamſi ſua natura non mortifero, decedat, quia chirurgus non reperitur qui vulnus ſanet; tum reſtituere Titius vulnerator debet omnia damna quæ ex ipſa morte ſequuntur. Similiter nihil reſtituendum eſt ex homicidio per accidens, ſecuto ex actione ſive licita, ſive illicita. Clericus venationem vetitam exercet: omnem diligentiam adhibet, ut declinet quodlibet homicidium. Hoc ſi ſequatur, nihil reſtituere tenetur. Si tamen ita negligens fuiſſet in præcavendo homicidio, ut ex negligentia graviter culpabili homicidium ſequeretur, tum reſtituenda omnia damna eſſent. Heinc qui prævideret ſe ebrium, aut ſomniantem hominem læſurum, aut occiſurum, reſtitutioni eſſet obnoxius, niſi neceſſariam diligentiam adhiberet ad id præcavendum. Qui gravi iniuria affectus alterum occidit, aut vulnerat, liber a reſtitutione eſt ſecundum non paucos iuniores. Oppoſitum mihi videtur eſſe dicendum, ut iam ſupra innui: quia accepta iniuria ius non præbet ad vindictam ſumendam; ſed a legitimo iudice compenſatio petenda eſt.

XVI. Quæſt. V. *Quibus facienda compenſatio ſit damnorum quæ homicidium conſequuntur?* Reſp. Facienda eſt heredibus, non liberis, ſed neceſſariis. Quis occidit patremfamilias, qui ſuam domum, nempe parentes, uxorem, filios, nepotes alebat. Parentibus, uxori, filiis, & nepotibus compenſanda damna ſunt. Heredibus liberis, uti ſunt fratres, & conſanguinei, qui licet ſuccedant ab inteſtato, non tamen neceſſarii reputantur, nulla facienda eſt reſtitutio damnorum quæ ex morte ſuccedunt. Heredes quoque liberi, quibus nulla debetur reſtitutio, ſunt illi omnes quos occiſus ſua ſponte inſtituit. In damnis reſarciendis ex morte ſuccedentibus diſtinguenda ſunt debita realia contracta ab occiſore ante mortem occiſi, ut

ſunt expenſæ factæ in curatione vulnerum, aut ea quæ occiſor contraxit ob iniuriæ remiſſionem, & ſimilia, quæ quibuslibet heredibus, ſive liberis, ſive neceſsariis, ſolvenda ſunt. Quæ vero reſtitui debent heredibus neceſſariis, ſunt alimenta ſecundum conditionem ſtatus, perſonæ occiſæ. Ratio communis eſt: quia parentes, uxor, filii, nepotes ſunt una veluti perſona moralis cum homine occiſo. Aliqui iuniores contendunt, non teneri occiſorem compenſare hæc damna, quando heredes neceſſarii non indigent. Sed hæc opinio abſolute falſa eſt. Quoniam debitum reſtitutionis non fundatur in egeſtate heredum, ſed in reparatione iuſtitiæ commutantis, læſæ per iniuſtam occiſionem. Excipitur caſus in quo ipſi heredes neceſſarii nihil vellent ſibi reſarciri.

XVII. De fratribus, conſanguineis, familiaribus in varias partes diſputant Auctores. Aliqui contendunt, compenſanda eſſe ea omnia quæ occiſus ſubminiſtrare ſolebat ex liberalitate etiam illis qui non ſunt heredes neceſſarii, ſive conſanguinei ſint, ſive non; dummodo tamen probabilitas adſit quod occiſus, ſi viveret, iſtis etiam alimenta præberet. Quandoquidem iſti ius habent ne impediatur beneficium ſibi conferendum. Alii docent, homicidam debere, præter parentes, uxorem, filios, & nepotes, alere etiam fratres occiſi, ſi ab eodem iſti alimenta accipiebant; quia fratres actionem habent adverſus homicidam. Quæ ratio nihil evincit: quia omnes propinqui actionem habent ad petendam homicidæ pœnam; nec propterea hinc infertur reſtitutionis debitum.

XVIII. Probabilior ſententia docet, ut advertunt Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* II. *punct.* 8. *num.* 107. homicidam minime teneri ad reſtituendum ſive fratribus, ſive conſanguineis, ſive ceteris quibus ex liberalitate occiſus conferre bona conſueverat: ſiquidem fratres nec ſunt heredes neceſſarii, nec habent ius ad alimenta; ceteri vero conſanguinei, vel propinqui, aliique qui ex mera liberalitate beneficia accipiebant ab occiſo, nullum omnino ius habent ad compenſationem; quia hæc omnia per accidens iiſdem contingebant; cum occiſus ex iuſtitia non teneretur hæc illis conferre. In eo ſolum caſu homicida aſtringeretur hæc damna reſarcire in quo data opera, & pravo animo intendiſſet occidere benefactorem, ut hæc damna inferret. Tum enim cauſſa quæ per accidens erat, ratione huius pravi animi fit cauſſa moralis, influens in hæc mala. Ex quibus patet ſolutio ad argumenta prioris ſententiæ. Qui impedit vi, fraude, dolo ne aliquis beneficia accipiat, cauſſam ponit quæ directe hanc beneficiorum privationem inducit: ideo ad reſtitutionem tenetur. Homicidium vero perpetratum abſque animo inferendi damna, eſt cauſſa omnino per accidens, quæ natura ſua non influit in mala quæ contingunt heredibus non neceſſariis.

XIX. Quæſt. VI. *Homicida tenetur ne debita ſolvere creditoribus occiſi?* Reſp. Adfirmat prima ſententia, quando occiſor præviderit creditores ex tali occiſione amiſſuros ſua credita; ſecus ſi non præviderit. Altera ſententia abſolute docet, oc-

Digitized by Google

occiſorem teneri ad hæc debita ſolvenda, quando occiſus, ſi vitam duxiſſet, ſoluturus eadem fuiſſet. Communior ſententia abſolvit occiſorem ab hac ſolutione: quoniam nulla datur actio creditoribus adverſus occiſorem, aut mutilatorem in foro externo; immo nec in foro conſcientiæ communiter interrogari occiſor ſolet, num occiſus, aut læſus debita ſolvenda habuerit. Creditores enim ius dumtaxat habent in perſonam, & bona creditoris. Sublata perſona, bona ſubiacent ſolutioni. Et ideo ſoli heredes occiſi ſolvere illius debita tenentur, dummodo in hereditate bona ſint quibus ſolvi debita valeant. Hæc opinio videtur probabilior abſolute ſpectata. Circumſtantiæ tamen conſiderandæ ſunt, & ſapientum conſilia audienda, dum ſimilia facta occurrunt, ut in graviſſimis delictis quid ſecurius ſit definiri valeat.

XX. Quæſt. VII. *Si occiſus antequam decedat, remittat occiſori damna, liber ne is evadit a reſtitutionis debito?* Reſp. Primum certum eſt remiſſionem iniuriæ non inferre remiſſionem eorum quæ iniuriam conſequuntur. Vulneratus vi caritatis evangelicæ debet condonare iniuriam ſibi illatam: quæ tamen condonatio non impedit quominus iudex valeat reum plectere; immo ſæpe nequit abſque iuſtitiæ læſione id omittere, quamvis vulneratus enixe roget ut percuſſor immunis ab omni pœna evadat. Secundo communis ſententia eſt, occiſorem liberum omnino eſſe a reſtitutionis onere, ſi vulneratus remittat omnes expenſas, & damna omnia quæ ex morte ſua ſuccedent: quia hic pleno potitur iure præfata omnia remittendi. Si tamen filii, uxor, nepotes, parentes graviter indigerent; tum peccaret contra caritatem vulneratus, ſi cum tanto iſtorum præiudicio expenſas, & damna condonaret. Valida tamen, ut dixi, eſſet condonatio.

C A P U T II.

De reſtitutione ob flagitium perpetrati ſtupri, ſeu virginis defloratæ.

I. DE ſtupri crimine in ſextum Decalogi mandatum ſermo fuit: nunc de reſtitutione quæ illud conſequitur, agendum eſt. Duobus modis quis conſtuprare virginem poteſt. Primo quis vi, fraude, blanditiis importunis, pollicitationibus, aliiſque modis virginem ſeducit. Secundo illa conſentiente, vel etiam ſollicitante. Quando virgo ſponte conſentit, nullum eſt reſtitutionis debitum, ut communiter Auctores docent: quoniam domina eſt ſuæ integritatis violandæ aut copula matrimoniali, aut coitu flagitioſo, quantum attinet ad iuſtitiæ forum. Quare nec ipſi puellæ, nec eiuſdem parentibus quidquam reſtituendum eſt in conſcientiæ foro. Forum quippe civile defloratorem cogit vel dotare, vel ducere

Digitized by Google

in matrimonium ſtupratam virginem : quia leges civiles eam præſumunt aut vi, aut blanditiis illectam fuiſse & deceptam. Ceterum quando reipſa nulla intervenit fraus, dolus nullus, iuſtitia læſa non fuit; idcirco nullum conſequitur reſtitutionis onus.

II. Vera hæc ſunt, ſpectato iuſtitiæ rigore. Ceterum vix umquam in praxi abſolverem ſtupratorem virginis ab onere vel eam dotandi, vel ducendi in uxorem : quia vix eſt virgo quæ prodigat ſuam virginitatem, nulla ſpe allecta, nullis blanditiis, & munuſculis ſeducta. Et ſi qua eſt tanta percita libidine, ac dementia, ut ipſa virum aggrediatur; tunc vir illius ſtultitia commoveri, & a tanto naufragio eam ſubducere debet. Quod ſi ambo eodem furore abripiantur, & pereant, ambo ſe adiuvare tenentur, ut in tuto ſe collocent aut matrimonii vinculo, aut pecuniæ beneficio. Quare cauti ſint Confeſsarii, ne eiuſmodi defloratores abſolvant, niſi prius virginibus defloratis providerint. Si ſint diſparis ſtatus, expeditior, & ſecurior via erit, defloratorem eidem dotem præbere, qua vel matrimonium contrahere poſſit, vel ſe in aliquem pium locum (quod tutius ſane erit) recipere, ibique fletu, ieiuniis, & precibus amiſsæ virginitatis flagitium, & offenſam Deo, ac parentibus irrogatam expiare.

III. Plures autem circumſtantiæ conſiderandæ ſunt in eiuſmodi criminibus. Nam ſi defloratio eſt publica, minis, & fraude peracta; tum non ſolum compenſanda eſt corruptæ virginitatis macula, ſed etiam infamiæ nota parentibus & familiæ inuſta. Advertunt etiam Auctores, defloratorem non teneri integram conferre dotem; ſed eam quæ a parentibus debetur, augere. Virgini, antequam corrumperetur, a parentibus debebatur dos mille ducatorum (quæ ſumma ſat erat ad eam honeſte collocandam) &, contracta macula deflorationis, neceſsaria eſt dos ter mille ducatorum, ut poſſit honeſtum iniri matrimonium: hoc augmentum conferre deflorator tenetur. Si corrupta ſit ita pauper, ut nullam habeat dotem præter ſuam honeſtatem; tum integra dos danda a ſtupratore eſt. Si ſtuprator nobilem ſe finxit, cum non eſſet, dum vi, aut fraude decepit virginem; hæc non aſtringitur cum eodem nubere, ſi ipſa ſit nobilis; ſed ad dotem dandam cogi ille poteſt. Verum, ut dixi, regula generalis præſcribi non poteſt; ſed circumſtantiæ ſpectandæ ſunt.

IV. In dubio an virgo deflorata, fuerit nec ne antea conſtuprata, tutior pars eligenda eſt : quia nemo præſumitur malus, niſi probetur. Quare etiam in tali dubio compenſanda omnia damna ſunt. Quid, ſi reipſa virgo non erat, talis tamen reputabatur, & ſtuprator ſuo concubitu eam diffamavit? Etiam tum omnia damna quæ inde illa paſſa eſt, compenſanda ſunt, ideſt aut ducenda, aut dotanda, ſpectatis circumſtantiis. Si tamen ex tali coitu nullam paſſa eſt infamiam, nihil reſtituendum eſt. Quod dictum eſt de virgine, idem dicendum de honeſta vi-

vidua. Illud etiam advertendum occurrit, quod ſi virgo deflorata æque aut nubere, aut profiteri Religionem poſſit, ac ſi deflorata non fuiſſet, tunc ad nihil deflorator tenetur, niſi pactum præceſſiſſet dandi talem ſummam: quia in hoc caſu ratione promiſſionis ſolvendum debitum eſt, non ratione damnorum, cum nulla ſupponantur. Subdunt tamen Auctores, quod ſi nupta, cognito vitio defloratæ virginitatis, male a marito tractaretur, eiuſmodi damnum reſarciendum eſſet. Si virgo deflorata ante nubendi tempus moriatur, ad nihil deflorator tenetur, niſi aut iudicis ſententia, aut privato pacto obligatio dandæ dotis contracta fuiſſet: quo in caſu parentibus, ſeu heredibus ſolvendum eſſet id quod taxatum erat.

V. Quæſt. I. *Si vir ſolis precibus repetitis, munuſculis, promiſſis virginem pertrahat in conſenſum, ad quid tenetur?* Reſp. Ab omni reſtitutionis onere defloratorem hunc liberant communiter Auctores, niſi cum precibus iunctæ fuerint minæ, aut metus reverentialis; ut ſi deflorator eſſet dominus, aut vir ſummæ auctoritatis, cui reſiſtere virgo non auderet. Quoniam, inquiunt, eiuſmodi preces, munuſcula, promiſſa libertatem non adimunt. Si tamen preces adeo fuiſſent importunæ, & blanditiæ adeo aſſiduæ, ut violentiæ æquivalerent; tunc ad damna compenſanda teneretur. Verum quod mihi probabilius videtur, eſt defloratorem obnoxium eſſe compenſationi damnorum, etiamſi ſolis repetitis precibus, munuſculis, & blanditiis virginem ſollicitaverit, adduxeritque ad concumbendum. Utique hæc non tollunt libertatem abſolute; at, ſpectata maxima virginis fragilitate, & imbecillitate, adeo extenuatur libertas eius, & tam vehementi tentationum impetu obſidetur, ſtimuliſque urgetur illius animus, ut portentum redoleat, niſi labatur. Quid, ſi oſcula, ſi amplexus, ſi expreſſionum præſtigia illa acceſſiſſent quæ eiuſmodi amatorculi adhibere ſolent? Quis talem defloratorem a reſtitutionis onere liberaret? Tot excantationibus provocare, urgere, impellere virgines ad prodigendum omnium theſaurorum pretioſiſſimum iſti petulci, & libidinoſi homines ſolent, ut heroica opus eſſet virtute pro tanta inſidiarum victoria aſſequenda. Quare neminem ego iſtorum ab onere compenſationis abſolverem. Circumſtantias utique expendendas mature eſſe iam admonui; ſed verſutos quoque iſtos vafroſque virginum ſeductores compenſationis mulcta plectendos eſſe ſimiliter docui, niſi evidens ratio oppoſitum ſuadeat.

VI. Quæſt. II. *Qui ſub matrimonii promiſſione virginem violavit; ad quid tenetur?* Reſp. Quicumque ſub matrimonii promiſſione virginem defloravit, eamdem in matrimonium ducere aſtringitur, ſive ficte, ſive ſincere id promiſerit. Hæc quippe promiſſio contractus oneroſus eſt, utramque aſtringens partem. Ergo ſi ex parte virginis impleta eſt virginitatis violatæ conditio, ponenda eſt altera ex parte viri conditio matrimonii promiſſi. Quamvis enim contractus de re tur-

turpi, ut eſt virginitatis violatio, nullus abſolute ſit; tamen ſubeunda eſt admiſſi ſceleris pœna, qualis eſt obligatio virginis ducendæ. Si impedimentum dirimens ſuperveniat; ut ſi vir Religionem profiteatur, ſi ſacris Ordinibus initietur, ſi fiat affinis: tum damna omnia reparanda ſunt. Si puella matrimonium reſpuat, dum vir paratus eam ducere eſt; ad nihil tenetur. Liber quoque ab implenda promiſſione homo eſt, ſi puella alium hominem poſt promiſſionem cognoverit. Similiter ad nihil homo tenetur, ſi puella, virginem ſe ſe effingens, talem vir non reperiat, ſed defloratam experiatur. Non aſtringitur eam ducere: quia per priorem copulam femina cauſſam iuſtam dirimendæ promiſſionis poſuit, ut fuſius de matrimonio dicemus. Nec tunc compenſare damna vir tenetur: quia ſecunda copula iacturam non infert virginitatis; ſibique imputare mulier debet, quod virum deceperit, fingens ſe virginem eſſe. Debet tamen certo conſtare defloratam virginem fuiſſe: nec ſatis ſunt coniecturæ, & indicia. Quid, ſi puella virum non decipiat; ſed vir, putans eſſe virginem, promiſſione matrimonii data, eam cognoſcens, virginem non inveniat? Nulli tunc reſtitutioni obnoxium virum eſſe, docent Auctores communiter, nec ad eam ducendam teneri. Quod eam ducere non ſit obligatus, cum fornicatio ſolvendorum ſponſalium legitima cauſſa ſit, patet. A compenſatione vero damnorum liber eſt: quia nullum damnum ex illa copula ſecutum ſupponitur. Si tamen hæc ſecunda copula virginem diffamaſſet; tunc aut ducere, aut dotare eam vir deberet.

VII. Quæſt. III. *Qui ligatus caſtitatis, aut ingrediendæ Religionis voto virginem violavit, data matrimonii ineundi promiſſione, ad quid tenetur?* Reſp. Si compertum virgini viri votum fuerit, liber eſt vir ab ea ducenda: quia tum virgo libere ſe decepit, atque in flagitium conſenſit. Similiter quando virgo violata contenta eſt dotis acceptione, implere votum homo tenetur. De eo acriter Theologi diſputant, utrum teneatur vir matrimonium contrahere, quando virgo corrupta matrimonii ſpe, votum viri ignoraverit, reſpuatque dotem, & omnem aliam ſatisfactionem quam exhibere vir poteſt?

VIII. Adfirmat prima ſententia: quia votum non eſt iniquitatis vinculum. Eſſet autem huiuſmodi in caſu propoſito; cum obſervatio talis voti gravem virgini iniuriam inferret. Præterea votum obligare definit, mutatis circumſtantiis talibus, quæ votum ipſum inquinant, & vitioſum efficiunt. Porro hæ circumſtantiæ contingunt in hoc caſu. Obſervantia quippe voti graviter iuſtitiam læderet. Iuſtitiæ autem debitum prævalet religionis obligationi. Quamobrem qui vovit erogare pauperibus centum, non debet votum implere, ſi hæc eleemoſyna impediat ſolutionem debitam creditoribus. Ergo neque votum ingrediendæ Religionis implere tenetur ille qui debitum iuſtitiæ, ducendæ nempe in matrimonium corruptæ virginis, contraxit. Hanc opinionem defendunt Lugo, Leſſius, Candidus, Trullenchus,

Digitized by Google

chus, & alii. Diſſident vero iſtius ſententiæ patroni circa debitum petendæ diſpenſationis ab implendo voto, cum commode poſſit, nullumque in mora periculum ſit. Nam Leſſius, Candidus, Trullenchus defendunt, nullam eſſe impetrandæ diſpenſationis neceſſitatem: quia illicita evaſit voti executio, atque adeo eiuſdem obligatio ceſſavit: impetrationem tamen conſulunt, ut petere vir qui votum caſtitatis emiſit, debitum poſſit. Alii, ut Pradus, Baſilius, Lugo, docent neceſſario petendam diſpenſationem eſſe, quando impetrari commode poteſt: quia ſic facile utrique obligationi & voti, & matrimonii ineundi ſit ſatis.

IX. Contraria ſententia defendit, virum hunc implere votum debere, & violatam virginem dotare, eique meliori quo fieri modo poteſt, providere. Quandoquidem talis promiſſio futuri matrimonii nulla eſt, ratione voti eam præcedentis. Prior quippe eſt obligatio voti quam obligatio ineundi matrimonii, & iuxta regulam iuris in 6. *qui prior eſt tempore, potior eſt iure*. Porro promiſſio nulla nullam parit obligationem. Idque evidentius conſtat ex eo quod, ſi ſola promiſſio abſque virginis violatione interveniret poſt emiſſum votum, nulla eſſet omnibus fatentibus. Quod autem accedat virginis conſtupratio, hæc alia via compenſari debet. Neque hæc violatio aut voti promiſſionem infringit, aut poſteriorem promiſſionem quæ ſuapte natura nulla eſt, ut dixi, validam efficere poteſt.

X. Argumenta prioris ſententiæ ſolum evincunt, iuſtitiæ debitum ſolvendum eſſe: quod omnes fatentur. At negatur quod ſolo matrimonii contractu compenſari hoc debitum queat. Nam damnum irrogatum virgini defloratæ reſarciri media dote valet. Siquidem præfatus vir obſervare promiſſionem nullo modo aſtringitur, cum hæc promiſſio nulla ſit. Porro ſi nulla præceſſiſſet promiſſio, non teneretur deflorator determinate virginem ducere; ſed vel ducere, vel dotare. Ergo cum revera promiſſio non præceſſerit, quia data promiſſio poſt votum nulla eſt, conſequitur nullum eſſe matrimonii ineundi debitum. Tenetur ergo dumtaxat deflorator damnum illatum virgini defloratæ compenſare, eidem congruam dotem præbendo, qua aut nuptias celebrare, aut in pium locum ſe recipere poſſit. Hæc opinio abſolute mihi probabilior eſt. Si vero tales occurrerent circumſtantiæ in quibus nullo modo provideri virginis corruptæ decori, & honeſtati poſſet, niſi ſolo matrimonii ſacramento; tunc prudentum arbitrio impetrari emiſſi voti diſpenſatio poſſet pro nuptiis celebrandis. Sed hæc raro occurrunt.

XI. Quæſt. IV. *Ad quid tenetur deflorator, ſi filius ex corrupta virgine naſcatur?* Reſp. Si vi, aut fraude in flagitium ſtupri virginem homo pertraxit, tenetur expenſas ventris ſolvere, omnia ſecuta damna reparare, & filium nutrire ex iuſtitia uſque ad tempus quo filius aptus ſit neceſſarium ſibi alimentum comparare. Si virgine, ſeu vidua conſentiente, copula peracta fuerit, mater tribus primis

Digitized by Google

mis annis alere filium debet; poſtea vir, uſquedum filius queat ſibi de neceſſariis providere. Et hæc communia ſunt apud omnes.

CAPUT III.

De reſtitutione ob adulterium.

I. Crimen adulterii expoſui in commentario ſexti Decalogi mandati. Dictum ibi eſt, adulterium præter fornicationis malitiam includere iniuſtitiam ipſi matrimonio; & marito adulteræ irrogatam: uſurpat enim adulter rem alterius, cum uxor non habeat ſui corporis poteſtatem. Hæc tamen iuſtitiæ violatio non infert reſtitutionis debitum, niſi proles ſuccedat, ut communiter Auctores fatentur: nec adulteræ maritus pro ſola copula habita pecuniariam compenſationem exigit. Diſputatur itaque, quid adulter, aut adultera reſtituere in caſu ſuſceptæ prolis debeant.

II. Quæſt. I. *Quando adulterium partus conſequitur, quid reſtituere adulter debet?* Reſp. Quando ex certis ſignis evidenter conſtat prolem conceptam fuiſſe ex congreſſu cum adultero, vel quia maritus abſens, vel quia æger, vel quia impotens erat; tum compenſanda ſunt damna omnia quæ maritus paſſus eſt a tertio ætatis anno in puero alendo. Primo enim triennio mater, poſt uſque ad tempus quo providere ſibi filius poteſt, pater alere filium tenetur. Si vero dubium fuerit, cuius ſit proles, mariti, an adulteri; ad nihil reſtituendum teneri adulterum, docent *Caſtropalaus*, *Lugo*, *Sanchez*, *Lopez*, *Trullench*, *Leſſius*, *Tapia*, & alii, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *tract.* XIII. *cap.* III. *punct.* 2. *ſ.* 1. *numer.* 30. quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis: idque adfirmant Salmanticenſes, etiamſi ex coniecturis probabilius colligatur prolem eſſe adulteri.

III. Quæ mihi probabiliora videntur, ſunt ſequentia. Primo, quando adulter, & adultera mutuo conſenſu adulterium perpetrarunt, ambo tenentur prolem alere pro rata, & damna compenſare marito, aut heredibus legitimis. Si unus deficit, alter tenetur in ſolidum. Contra ſi adulter provocavit adulteram, eamque blanditiis, & munuſculis in copulam pertraxit; tum adulter ſolus, utpote cauſſa principalis, compenſationi obnoxius eſt. Deficiente tamen adultero, obligatur adultera: quia licet provocata & illecta, libere tamen conſenſit; & cauſſa, licet minus principalis, malorum fuit.

IV. Quando vero dubitatur, cuiuſnam ſit proles, adulteri, an mariti, in favorem matrimonii potius iudicandum eſt. Titulus poſſeſſionis eſt una ex coniecturis quæ iudicium favens matrimonio ſuadet. Idcirco dicitur: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*: quia poſſeſſio eſt titulus qui aliis coniecturis adiunctus melior m

efficit

efficit poſſeſſoris conditionem. Verum ſi, his non obſtantibus, adhuc æque probabiles, aut probabiliores rationes ſuaderent prolem eſſe ſpuriam, & adultero adſcribendam; tum exiſtimarem pro rata dubii compenſationem faciendam eſſe, ſalvo ſemper meliori iudicio: quoniam in iis verſamur quæ definiri certo nequeant. Idcirco facillime illorum iudicio aſſentimur qui ſapientiores ſunt, & prudentiores.

V. Quæſt. II. *Quando adultera duos admittit eodem tempore, ſi ignoretur cuiuſnam proles ſit, quiſnam iſtorum compenſationi obnoxius eſt?* Reſp. Utrumque liberant a reſtitutionis onere *Lugo*, *Lopez*, *Trullenchus*, *Villalobοſius*, *Sanchez*, *Sotus*, & alii, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *loc.) cit. numer.* 32. quia uterque dubitat de ſua obligatione: & quamquam mala fide acceſſerint ambo ad adulteram, ambo tamen bona fide ſua retinent. In dubiis vero melior eſt conditio poſſidentis. In foro ipſo externo, re non probata, reus abſolvitur. Cum ergo in propoſito caſu dubia res ſit, neuter obligatur ad alimenta, multoque minus ad alia damna. Nec eſt quod opponas iniquum eſse quod filius hoc in caſu parentum ſubſidio privetur. Quoniam licet certum ſit alterutrum eſse patrem, tamen ignoratur, quiſnam determinate ſit: & cum innocens pœnas luere non debeat, ambo liberi ab onere reſtitutionis ſunt. Suo itaque infortunio tribuere filius debet, quod ob patris incertitudinem alimentis careat. Hanc opinionem propugnat quoque Cardinalis Gotti *quæſt.* 11. *de reſt. dub.* 6. *§.* 2. *num.* 6.

VI. Recenſita ſententia falſa, & improbabilis mihi eſt. Quid? Certum eſt alterutrum eſſe parentem; ambo ex vi copulæ peractæ onus paternitatis ſuſceperunt: & ambo liberi erunt? Iniquum eſt ut innocens damnetur. Fateor. At quis iſtorum innocens, cum uterque adulterium perpetraverit? Si uterque homicidium intentaſſet, licet ignoraretur, quis illorum reipſa hominem occidiſſet, in quo foro uterque liber evaderet? En quam frequenter abutantur iuniores illa iuris regula: *Melior eſt conditio poſſidentis*. Itaque cum uterque actionem procreantem prolem exercuerit, uterque cauſſa damnorum eſt. Neuter innocens, licet unus ſolus filium genuerit; ſed ambo rei ſunt, cum quilibet id poſuerit quod ſat erat ad filium procreandum. Ergo uterque pro rata alere filium, & compenſare damna aſtringitur. Nec reſponſionem meretur contrariæ opinionis argumentum falſo ſuppoſito nixum. Nemo quippe iſtorum innocens eſt. At, inquiunt Salmanticenſes, & Gotti, ſi occiſus reperiatur in via, ignoreturque, an a Franciſco, vel a Paulo homicidium perpetratum fuerit, iniquum erit utrumque punire; licet certum ſit alterutrum criminis reum eſſe. Perperam hoc obtruditur: quia ſi certo conſtaret utrumque homicidio operam dediſſe, uterque puniretur iuxta prudentis æquitatis regulas. In caſu noſtro uterque cognovit adulteram: uterque periculo generandæ prolis, & ſuccedentium damnorum ſe ſe expoſuit. Ergo uterque pro rata alere

filium;

filium, & reſarcire damna debet. Quia duo ſunt rei, non unus; idcirco innocens filius neceſſariis privari alimentis debet? Communi humanitatis ſenſui hoc repugnat. Ambo ergo pro rata tenentur; & uno deficiente, alter in ſolidum aſtringitur.

VII. Quæſt. III. *Adulter certo ſciens ex adulterio procreatam prolem eſſe ſuam, quid reddere tenetur filiis legitimis?* Reſp. Diana, Henriquez, Sotus, Ledeſma, & alii propugnant, adulterum non teneri compenſare damna quæ ſubeunt filii legitimi in portione hereditatis, aut legatorum quæ accipit ſpurius reputatus legitimus, quando ille adulteræ non ſuaſit ſpurii ſuppoſitionem. Quæ ſententia communiter improbatur, & quidem merito. Communis enim opinio docet, adulterum non minus quam adulteram debere compenſare omnia damna quæ obveniunt filiis legitimis ratione filii ſpurii; tametſi adulter non ſuaſerit ſuppoſitionem. Ratio evidens eſt: quia uterque, tam adulter, quam adultera, fuit cauſſa cur ille filius reputetur legitimus. Per ſe quippe adulterinum coitum conſequitur, quod procreata proles mariti reputetur. Cuius enim, niſi mariti, uxoris filii credi debent? Cauſſa autem erroris tam adulter eſt, quam adultera. Ergo uterque cauſſa damnorum quibus ſubiacent filii legitimi; atque adeo ambo in ſolidum compenſare omnia damna aſtringuntur. Diſtinctio adverſariorum, qua cavillantur, ſi, adulter ſuaſerit ſuppoſitionem, tunc eumdem obnoxium eſſe compenſationi, ſecus ſi eamdem ſuppoſitionem non ſuaſerit, commentitia omnino eſt. Qua ſuaſione opus eſt ut filius ſpurius marito ſupponatur? Eo ipſo quod filius procreatus ſit ex adulterio, mariti reputatur. Neque uxor præſtare quidquam debet ut filium ſpurium ſupponat. Sed hæc ſuppoſitio neceſſario conſequitur coitum adulterinum. Immo non poteſt uxor hoc impedire, niſi ſemetipſam pandat, infametque. Ut quid ergo obtruditur ſuaſio in iis quæ vitari moraliter nequeunt? Tam adulter ergo, quam adultera in ſolidum tenentur compenſare damna quæ filiis legitimis undecumque obveniunt ob adulterinam prolem.

VIII. Quæſt. IV. *Quid præſtare tenetur adultera ob prolem ſuſceptam ex adulterio?* Reſp. Primum, omnem movere lapidem debet, nihilque intentatum relinquere ut legitimæ prolis damna evitet, dum id abſque diſpendio vitæ, vel famæ poteſt. Si habet bona paraphernalia, aut alia quæcumque libera; ea filiis legitimis dare debet. Tenetur expenſas, & ſumptus minuere, laborare, quantum proprii ſtatus conditio fert, ut pro viribus damna compenſet. Suadere filio ſpurio poterit ut Religionem amplectatur, ſi idoneus fuerit, atque in fratrum commodum hereditatem renuntiet. Difficillima hæc ſunt, & ſingulari prudentia opus eſt. Sæpe uxores adulteræ bonis carent quibus damna compenſent. Quid tum?

IX. Quæſt. V. *Debet ne adultera ſe prodere, ut filiorum damna evitet?* Reſp. Si adul-

Digitized by Google

adultera ſpem moraliter certam non concipiat præcavendi damna quæ filiis legitimis imminent ob prolem ex adulterio procreatam, non tenetur filio ſpurio crimen detegere; etiamſi illa compenſare damna nequeat: quia imprudenter prodigeret famam ſuam, dum prudenter dubitat ſui criminis manifeſtationem nihil profuturam. Nec eſt quod opponas, infamatorem debere cum ſuæ famæ diſpendio revocare quæ dixit, etiam dum dubitat ſuam revocationem non profuturam. Quandoquidem infamator proximum læſit in fama; & ideo in eodem genere debet cum ſuæ famæ diſpendio famam denigratam refarcire. At mater adultera non in fama, ſed in pecunia, damna intulit filiis. Quare dum in genere pecuniæ compenſare damna nequit, non videtur adſtringenda, ut cum famæ honoriſque diſpendio eiuſmodi damna reſarciat.

X. Quæſt. VI. *Filius adhibere ne fidem debet matri teſtanti ipſum eſſe ſpurium?* Reſp. Negant communiter Auctores, etiamſi mater cum iuramento adfirmaret, ipſum eſſe ſpurium: quia dictum unius teſtis non inducit neceſſitatem credendi. Idque maxime verum habet, dum teſtis propriam pandit turpitudinem cum præiudicio eius qui credere debet. Accedit quod filius, cum ſua, & communi perſuaſione reputetur legitimus, iure non poteſt hereditate privari, niſi certis teſtibus conſtet, & evincatur ipſum eſſe ſpurium. Porro teſtimonium matris adulteræ, quæ, ſicut marito fidem datam violavit cum tot damnorum periculo, ita fundamentum ſuſpicandi præbet, mendacium illam pronuntiare, ut alteri filio magis ſibi dilecto faveat, fidem non promeretur. Amore quippe, odioque mulieres, veluti furentis maris undæ, modo huc, modo illuc abripiuntur, & volvuntur. Occurrere tamen ſigna, & argumenta talia urgere valent, ut filius adhibere fidem quandoque cogatur. Si enim conſtaret maritum toto ventris tumentis intervallo abfuiſſe, aut graviter ægrotaſſe, aut carcere incluſum fuiſſe, aut alio manifeſto impedimento irretitum, non ob mulieris teſtimonium, ſed ob manifeſta argumenta fides præſtanda eſſet. Et quoniam regulæ adhibendæ, vel denegandæ fidei mulieri, tale teſtimonium perhibenti, præſcribi nequeunt, filii conſulere prudentes, doctoſque viros debent, ut poſſint, dum hæc accidunt, ſuæ conſcientiæ providerè. Serio ponderandæ ſunt matris qualitates, & tempus quo tale pandit flagitium. Si enim conſtaret mulierem probam eſſe, vitamque pœnitentem, modeſtam, pudicam poſt perpetratum crimen duxiſſe, ſacramenta frequentaſſe, a mendaciis alienam fuiſſe, & inſtante mortis articulo flagitium ſuum revelaret cum propriæ famæ iactura; ſi probus, doctuſque Confeſſarius mulieris teſtimonium confirmaret: non video cur filius fidem denegare matri poſſet.

XI. Quæſt. VII. *An mulier cum vitæ, famæque periculo teneatur filium ſpurium manifeſtare, quando hac via certo evitaret filii legitimi damna?* Reſp. Si mulier inferioris conditionis ſit, & exiguæ famæ, ingens vero hereditas a ſpurio capienda;

Digitized by Google

da; tunc fatentur communiter omnes, revelandum crimen eſſe. Mulier quippe parvæ famæ facile induci ad eiuſdem iacturam faciendam poteſt. Poteſt autem exigua eſſe illius fama, aut quia vilis eſt eiuſdem conditio, aut quia fama ipſa adducta eſt in diſcrimen, & in communi exiſtimatione valde dubia eſt. In his circumſtantiis adulteram mulierem debere crimen detegere, quando grave filiis legitimis damnum immineret, communiter Auctores docent. Similiter quando maritus, & filius prudentes probique eſſent; qui ſilentio cuſtodirent uxoris manifeſtationem proprii criminis, quin eam probris, aut contumeliis vexarent, pandere crimen deberet mulier, ſi præcavendi damna ſpes adeſſet. Sermo ergo eſt de uxore honeſta, quæ publica fama potitur, & ab omnibus ut talis reputatur.

XII. Communior opinio docet, feminam honeſtam, famaque claram non aſtringi cum vitæ, & famæ diſpendio crimen ſuum detegere abſolute loquendo, etiamſi ingens hereditas a filio ſpurio capienda eſſet: quoniam fama, utpote ordinis ſuperioris, præſtat pecuniis, boniſque naturæ. Dominicus Soto *Lib. IV. de iuſt. quæſt.* VII. *art.* 2. *ad* 2. concedit, non aſtringi plerumque mulierem cum vitæ, famæque diſpendio revelare crimen ſuum. At ſi principatus, vel regnum capiendum a ſpurio eſſet, tum cum vitæ diſcrimine docet debere mulierem pandere crimen ſuum, ſi certa ſpes adeſſet mali avertendi. Quam opinionem defendunt Paludanus, Ledeſma, Adrianus, Covarruvias, Molina, & alii. Quia, inquiunt, bonum inferioris ordinis poteſt eſse ita magnum, ut ſuperet bonum ordinis ſuperioris. Nec licet mulieri ſuæ famæ conſulere cum detrimento adeo ingenti legitimi heredis. At reponunt alii: ſi ingens foret hereditas, ut principatus, aut regnum, mater adultera Regina eſset, eiuſque fama excellens, & clariſſima; atque adeo non apparet evidens excesſus hereditatis ſupra mulieris famam, & publicam exiſtimationem. Quo enim maior hereditas eſt, eo magis creſcit mulieris fama & honor. Quare liberant hi feminam hanc a debito revelandi criminis cum vitæ, famæve diſpendio; licet ingens & ampla ſit hereditas, ut principatus, vel regnum capiendum a ſpurio. Hanc ſententiam defendunt Caietanus, Prado, Leſſius, Bannez, Trullenchus, Toletus, & alii, quos citant Salmanticenſes *loc. cit. numer.* 42. ubi quoque allegant S. Thomam 2. 2. *quæſt.* XLII. *art.* 6. *ad* 2. Sed nec verbum habet Doctor ſanctus ibi hac de re. Caſus propoſitus adeo rarus eſt, ut ſeveriore examine non egeat. Quoniam quis fidem Reginæ adulteræ, pandenti ſpurium, adhiberet, quando de regni translatione negotium ageretur? Quare abſolute ſubſcribimus ſecundæ opinioni, quod talis mulier non teneatur pandere crimen ſuum.

XIII. Advertunt tamen præfati Auctores, quod ſi immineret grave boni communis periculum, ut ſi filius ſpurius pravæ indolis eſset, qui in adminiſtrando regno,

Digitized by Google

gno, vel principatu ſubditos eſſet oppreſſurus, aut religioni præiudicium allaturus; tum deberet mulier adultera etiam cum vitæ, famæque diſpendio crimen manifeſtare, ut filius legitimus, & bonæ indolis regno adminiſtrando ſuccederet. Verum, ut dixi, regula generalis præſcribi nequit. Quandoque enim hereditas adeunda tanti pretii eſt, ut præſtet famæ mulieris; & interdum fama mulieris excedit hereditatis valorem. Quandoque ſpes adeſt mali avertendi, criminis manifeſtatione; & ſæpe ſpes iſta deeſt. Et vix omnia occurrunt quæ requiruntur ad criminis manifeſtationem cum vitæ, famæque diſpendio. Et ob iſtam circumſtantiarum varietatem diſſident Auctores. Quare maturo, & gravi ſapientum conſilio relinquenda deciſio eſt.

XIV. Quæ de famæ, honoriſque reſtitutione dicenda hic eſſent, iam explicuimus in expoſitione octavi Decalogi mandati. Similiter agendum eſſet de reſtitutione a Religioſis peragenda. Sed de paupertate Religioſorum duo integra volumina edidi. Quare ut repetitionis vitium declinem, ad præfata loca te remitto, ubi ea invenies quæ ad utriuſque argumenti enucleationem neceſſaria ſunt.

LIBER TERTIUS

DE IUSTITIA ET IURE,

ubi

DE CONTRACTIBUS

univerſe, & partite.

PRAELOQUIUM.

AD eas tandem iuris & iuſtitiæ præceptiones tradendas pervenimus quæ promiſſa, pacta, & contractus in hominum commerciis valde frequentes dirigunt, & moderantur. Sunt vero contractus veluti comparandarum divitiarum inſtrumenta, quibus diſponendis aptandiſque tota deſudat hominum cupiditas. Non abludam a veritate, ſi dixero, in his contractibus ſuam fixiſſe ſedem avaritiam, ſuaſque exercere vires omnes, quibus circumvenire leges, pervertere iura, fucare iniuſtitias, honeſtare fraudes incredibili verſutia pertentat. Videbis eumdem contractum ſola verborum diverſitate oppoſitas induere formas, alteram iuſtitiæ, fenoris alteram. Videbis alios contractus nominatos, alios innominatos, ut vocant, ita iuſtitiam obſidere, ut deprehendi eiuſdem nativa facies vix ab experrectioribus poſſit. Diſputatio de contractibus univerſe ſpectatis non adeo impedita eſt, ut magnum faceſſat negotium. Verum dum eoſdem ad praxim, hominumque ſocietates, & commercia redactos, diſpiciendos aggredimur, aqua hæret, undique difficultates, & quidem graviſſimæ, ac ſcopuli non infrequentes occurrunt, a quibus declinare vix conceſſum eſt. Quare ſi in via immunita, totque ſalebris plena aberrare non raro contigerit, facilius æqui rerum æſtimatores veniam dabunt. Ut mihi, & lectoribus, quoad fieri poteſt, caveam, operam dabo ne incerta, & obſcura decretorie definiam; ſed quoties lumen non affulſerit, doctiorum iudicio dirimendam ſubiiciam controverſiam. Nec enim in difficilioribus fateri ignorantiam meam pudebit, ne mei cauſſa ceteri errent. Siquidem Auctoris aberrationes in quacumque materia plurimum pernicioſæ

Digitized by Google

cioſæ ſunt; verum in iis quæ iuſtitiam commutantem ſpectant, maxima pariunt abſurda, & reſtitutionis debitum inducunt. Idcirco in eiuſmodi controverſiis peculiari opus eſt cautione & diligentia. Divitiarum augendarum cupiditate ardent homines. Cuiuſcumque Auctoris opiniuncula ſat illis eſt ut contractus quos lucro comparando idoneos reputant, pro iuſtis licitiſque habeant. Ne itaque lectoribus aberrandi anſa præbeatur, maiori qua fieri poteſt perſpicuitate contractuum iuſtitia exponenda eſt, & veluti ob oculos referenda. Quod ut præſtetur, divinum auxilium demiſſiſſimo animo implorandum eſt.

Digitized by Google

DISSERTATIO I.

DE CONTRACTIBUS UNIVERSE.

CAPUT I.

Contractus finitio, eiuſque cauſſæ, atque proprietates.

I. VArias contractus finitiones Theologi, & ICti exhibent. Gerſonius *II. Part. quaternario 3. conſiderat. 9.* ſitum contractum docet *in conformitate ad leges civiles*. Hanc finitionem Conradus *tract. 1. quæſt.* XVI. merito reiicit, eo quod omnes fere contractus iure gentium, non civium legibus, ſint introducti. Hanc alteram definitionem Conradus tradit. *Contractus eſt actus qui eſt re, litteris, verbis, vel conſenſu celebratus, quo transfertur res de uno in alium quoad aliquale dominium, vel uſum, vel etiam aliam ſpeciem iuris ſupra definiti: vel ſi debens transferre non transferat, obligatio ſuccedit ad intereſſe*. P. Paulus Comitolus S. I. celebris Theologus hanc Conradi definitionem, ut nimium verboſam, & redundantem, iure improbat.

II. Contractum bifariam conſiderant ICti, late, & preſſe acceptum. Illum pro pacto accipiunt, & ex Ulpiano *l. Labeo 2. ff. de verb. ſignif.* definiunt, quod ſit *duorum, vel plurium conſenſus, atque conventio*. Contractum preſſe acceptum ex eodem Ulpiano hac definitione explicant: *Eſt ultro citroque obligatio*. Cuius finitionis ſenſus non eſt, quod contractus ſit ipſa obligatio, quæ effectus eiuſdem contractus eſt; ſed quod ſit conventio inter duos, ex qua obligatio oritur. Si contractus perfectus ſit, & abſolutus, utrimque; ſi imperfectus, ex una tantum parte obligatio oritur. Contractus venditionis, emptionis, locationis, mutui, aliique abſoluti ſunt, & perfecti, utrimque obligantes. Contractus late accepti comprehendunt contractus gratuitos, alioſque, in quibus ex una dumtaxat parte obligatio datur; ut contingit in promiſſione, in donatione ante acceptationem, in depoſito, in pignore &c.

III. Ut contractuum naturam penitius inſpiciamus, eorumdem cauſſæ explicandæ ſunt. Harum porro princeps eſt, inquit P. Paulus Comitolus *Lib. I. cap.* IV. cauſſa finalis, quæ cauſſam effectricem excitat, provocatque ad procreandum effectum, mediaque paranda quibus finis obtineatur. Porro contractuum finis eſt civitatum, & humani generis bonum. Contractibus quippe ſublatis, civitatum,

&

Digitized by Google

& humani generis ſocietas concidit. Idque probat citatus Comitolus ex ipſo Ariſtotele, qui in *VII. Politic.* Reipublicæ optime ordinatæ formam exprimit, ſexque complectitur quibus carere civitas nequit, nempe alimenta, opificia, arma, habendæ, conflandæque pecuniæ facultatem, rei divinæ cultum, & ſacrificium. Valeant hæretici, inquit *P. Comitolus*, eoſque pudeat, dum in Eccleſia chriſtiana a Sacerdotio verum ablegant ſacrificium; cum ipſe ethnicus Ariſtoteles noluerit ſuam Rempublicam ſacerdotio carere, & ſacrificio. Ultimo loco iudicium requirit pro utilitate, & iuſtitia contrahentium.

IV. Ad hunc finem aſſequendum commercia inventa eſſe, ſodalitates, coniugia, & amicitias, ſubdit P. Comitolus ex eodem Ariſtotele *III. Polit. cap.* VI. Amicitiam omnibus civitatum bonis præfert Ariſtoteles *II. Polit. cap.* III. Nam amicitia civitates continet: & ſupervacanea eſſent iuſtitiæ tribunalia, ſi amicitia inter cives vigeret. Quandoquidem idcirco in civitatibus erecta tribunalia ſunt, quia aliorum bona alii invadebant, famam, & exiſtimationem vexabant, nec liberis, & uxoribus parcebant.: quæ mala, amicitia inter cives dominante, exulant. Hæc ſiquidem non modo aliena non rapit, ſed ſua liberaliter elargitur; nec ſolum alterum nulla afficit iniuria, ſed etiam de ſuis detrahit ornamentis, ut alienæ dignitatis, honoriſque opes augeat: concludit ex Ariſtotele Comitolus. Quæ ſane doctrina mirifice exaltat chriſtianæ Reipublicæ regimen mutuo amore nixum: ab hac quippe reciproca dilectione univerſam legem ſuam pendere divinus Legislator Chriſtus teſtatur. Porro qua ratione neceſſaria eſt inter cives amicitia, eadem neceſſarii ſunt contractus, quibus cives mutuas ſibi tradant operas, & auxilia, & neceſſario quodam æquitatis ac naturæ voluntario iure ſua inter ſe communicent; & ultro citroque datis & acceptis rebus tum ſingulorum, tum omnium, bono, & incolumitati proviſum ſit: inquit citatus P. Comitolus.

V. Cauſſa efficiens contractus eſt humana voluntas, duplici inſtructa dominio, rationis nempe, quod eſt liberum arbitrium; & rei, ideſt proprietatis. Alterutrum ſi deſit, contractus nullus eſt. Quamobrem contractus amentis, furioſi, infantis, rati non ſunt. Contractus enim actus humanus eſt, qui ab electione, ſeu libero arbitrio neceſſario dependet. Vi autem iſtius electionis, inquit S. Thomas *I. P. quæſt.* LXXXIII. *art.* 3. *ad* 3. domini ſumus noſtrorum actuum. Præter dominium rationis requiritur dominium rei, ſeu ius transferendi dominium rei cuius ſumus domini, in alterum aut in totum, aut in partem. Nemo enim transferre in alterum poteſt id quod ſuum non eſt.

VI. Notio igitur eſſentialis contractus eſt *duplicis voluntatis, dantis, & recipientis, de re quapiam agenda, vel non agenda, ſigno aliquo exteriori manifeſtata, deliberata conſenſio*. Quatuor igitur ſunt quæ in quolibet abſoluto perfectoque con-

contractu requiruntur. Primum eſt iſtius duplicis voluntatis declarata conſenſio; Prior voluntas appellatur offerens, provocans, & laceſſens. Poſterior recipiens, provocata, & laceſſita. Voluntas illius qui merces ſuas venales exponit, offerens eſt, & provocans, quia offert, & provocat voluntatem ementis; voluntas vero ementis recipiens eſt, & provocata: tametſi interdum e contrario accidat, ut nempe qui emit, offerat, & provocet. Alterum eſt conſenſus, ſeu duplicis iſtius voluntatis, provocantis, & provocatæ, copulatio & coniunctio. Tertium obligatio. Quartum actio efficax, qua uterque contrahens debitum ſuum explet. Contractus itaque prior eſt obligatione, & hæc actionem præcedit. Obligatio, & actio altera eſt civilis, naturalis altera. Civilis eget aut teſtium, aut tabularum, aut chirographi, vel ſingraphæ probatione. Naturalis mentis, & conſcientiæ teſtificatione contenta eſt. Duplex itaque in quolibet contractu conſiderari forma poteſt. Prima eſſentialis, quæ ſemper, & ubique apud omnes gentes comitatur. Altera adventitia, ſeu accidentaria, quæ in iure alicuius populi, aut Principis conſtituta eſt. Ex quatuor ergo recenſitis contractus prærogativis duæ primæ ad formam contractus pertinent. Nam contractus eſt de re aliqua agenda conventio. Sed homines convenire de re aliqua agenda, vel non agenda nequeunt, niſi mutua concordia ſigno aliquo exteriori declaretur. Hanc vero reciprocam voluntatum concordiam obligatio conſequitur, tamquam formalis effectus.

VII. Materia proxima contractus ſunt actus humani ad iuſtitiam attinentes. Conveniunt quippe homines contrahentes ſimul & conſentiunt aut de aliquo facto, aut de aliquo actu humano. Hinc omnes contractus ad hos quatuor quos innominatos vocant, eo quod proprio peculiari nomine careant, revocantur. *Do, ut des: Do, ut facias: Facio, ut des: Facio, ut facias*. Hi contractus, dum executioni mandantur, aliquam ſpeciem, ſeu formam determinatam induunt: quod apprime notandum eſt ad fraudes, & fenora præcavenda. Ut enim contractus aliquis ab iniuſtitia purgetur, & a mutui natura extrahatur, revocari ad aliquem contractum innominatum ſolet; ac ſi rerum genera abſque aliqua ſpecifica differentia executioni ſubeſſe poſſent. Verum de hoc infra.

VIII. Ex conſtituta doctrina hanc eruit P. Comitolus definitionem. *Contractus eſt minimum duarum voluntatum, provocantis, & provocatæ, quæ dominio rationis, & rei preditæ ſunt, legitima conſenſio ad rem aliquam agendam, vel non agendam, externo aliquo ſigno declarata, atque ad civitatum, humanique generis bonum inſtituta*. Finitio iſthæc, etſi collatata & diffuſa videatur, nihil tamen redundans, nihil non neceſſarium includit; ut contendit P. Comitolus, cui prorſus ſubſcribo: immo cum eodem aſſero, eas definitiones eſſe laudabiliores quæ lu-

luculentius rerum naturas patefaciunt. Porro definitiones quæ omnes rerum cauſſas exprimunt, rerum naturas declarant luculentius quam definitiones quæ ſolo genere, & differentia conſtant; ut ex ipſo Ariſtotele, qui in *VIII. Metaphyſic. tex. 6.* effert Architæ definitiones, eo quod in rebus definiendis neceſſarias cauſſas includebant, evincit citatus P. Comitolus.

IX. Præfatam contractus finitionem duodecim conſequuntur proprietates, quas idem P. Comitolus enumerat, ſuntque ſequentes. Neceſſitas, utilitas, libertas, contraria pactio, bona fides, ſoliditas, iuſtitia, honeſtas, benignitas, expreſſam, vel tacitam habens donationem, obligatio, actio, dominii translatio. Duæ primæ ex fine proficiſcuntur, qui eſt civitatum, & humani generis bonum. Neceſſe tamen haud eſt ut in quolibet contractu bonum publicum civitatum occurrat; ſed ſat eſt quod eidem contractus non repugnet. Ceteræ quæ proxime ſequuntur, ex cauſſa efficiente erumpunt, nempe ex duplici voluntate, laceſſente, & laceſſita, duplici dominio prædita, rationis, & rei. Sexta e materia emergit: ſiquidem contrahentes non de ficta & ſimulata, & mente tantum cogitata, ſed de re vera quæ in rerum natura exiſtat, aut exiſtere valeat, paciſcuntur. Poſtremæ ſex ex forma, ſeu ex reciproca conſenſione, ſigno exteriori manifeſtata, oriuntur. Proprietates iſtæ non eodem modo contractum afficiunt. Nam duæ primæ quæ finem ſpectant, extrinſecus accerſitæ ſunt; quæ tamen a contractu iuſto non ſunt diſtractæ. Quæ materiam, cauſſam efficientem, & formam conſequuntur, proxime attingunt contractus naturam.

X. Iſtarum proprietatum connexio, & convenientia ſatis aperta eſt. Et primum, quod eſt necesſarium, utile quoque eſt. Deinde quemadmodum id quod eſt valde difficile, impoſſibile fere reputatur ab Ariſtotele in *I. de cælo text. 3.* ubi duplex diſtinguit impoſſibile: alterum quod numquam erit; alterum, quod neque facile, neque cito, neque fiet: & M. Tullius in *partitionibus Oratoris* inquit; *Quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſæpe ſunt ac ſi effici non poſſint;* ſic quod eſt valde utile in hominum vita, reputari necesſarium debet, ut ibidem ſubdit Cicero: *Quod permagni intereſt, pro neceſſitate ſæpe habetur.* Utilitas rationem advocat actionum humanarum moderatricem. Rationi ineſt dominium in poteſtate deliberandi, & eligendi conſtitutum, cui dominio rationis iunctum eſt dominium rei. Libertas rationis comitem habet contrariam pactionem. Dicitur contraria pactio, quatenus contrahentes pacta adiicere contractui libere valent, oppoſita proprietatibus naturalibus, non intimis, quæ ab iuſtitia, & honeſtate contractus abeſſe nequeunt; ſed eis quæ ab ICtis naturales vocantur, quarumque ablatio neque iuſtitiæ, neque honeſtati, neque legibus repugnat, ut fuſius infra declarabitur. Sequitur bona fides, quæ nulla violari pactione debet. Ad bonam fidem ſiquidem attinet cavere ne quid in contrahendis rebus nequi-

ter fiat, neve ficta rei imago nullibi exiſtens commercio ſubiiciatur: idcirco bonam fidem rei contrahendæ ſoliditas comitatur. Porro cum res ſuas cum aliis commutare minime deceat, niſi ex præſcripto iuſtitiæ, & honeſtatis; ideo has duas proprietates iure humanum contractum afficere dictum eſt. *Convenit autem* (inquit Cicero Lib. I. offic.) *in omni re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, æquum & facilem eſſe*. Quamobrem in exercendis commerciis benignitas quædam, & facilitas, quæ disiuncta a donatione ſemper eſſe non debet, inventa eſt. Tandem cum iura omnia naturalia, divina, & humana ſervare iuſtas conventiones iubeant, merito tres extremæ proprietates poſitæ ſunt, obligatio, actio, dominii translatio. Hæc pauca ex præfato P. Comitolo delibavi, pluribus omiſſis. Integrum librum ipſe occupat in ſingulis proprietatibus exponendis; ſed inſtituti mei ratio orationem adeo prolixam non patitur. Quæ tamen maioris ſunt momenti, infra ſub examen inducam.

CAPUT II.

Contractuum partitiones variæ.

I. MUltiplices ſunt contractuum partitiones, quas pluribus capitibus exponit P. Paulus Comitolus *Lib. III.* ex quo celebriores hic tantum perſtringam. Contractus dividuntur primo ex parte cauſſæ finalis: & ſub hac ratione alius contractus eſt neceſſarius, alius non neceſſarius; alius utilis, alius non utilis. Quod ſi adeo inutilis ſit, ut lædat aut publicam, aut privatam utilitatem, nullus eſt. Ex cauſſa conficiente quidam contractus liber eſt, cui nulla vis, nullus metus extrinſecus allatus cauſſam dedit; coactus alius, quem extorſit probabilis & iuſtus metus, quo commoveri vir fortis & conſtans poteſt. Et quoniam voluntas alia eſt abſoluta, alia conditionalis; alia imperfecta, alia perfecta; ſeu alia deliberata, alia indeliberata: contractus quoque alius abſolutus, alius conditionatus; alius perfectus, alius imperfectus; alius deliberatus, alius indeliberatus. Ex forma, ſive mutuo conſenſu, ſigno exteriori declarato, manat partitio Ariſtotelis in *V. Ethic. cap.* II. ubi inquit. *Contractuum quidam ſunt voluntarii, quidam involuntarii. Voluntarii quidem ſunt hi, verbi cauſſa venditio, emptio, mutuum, fideiuſſio, commodatum, depoſitum, locatio, conductio. Voluntarii vero dicuntur, quoniam contractuum principium eſt voluntarium. Non voluntariorum autem quidam ſunt clandeſtini, ut furtum, adulterium, veneficium, ſervi alieni deceptio, aut corruptio, cædes dolo commiſſa, falſum teſtimonium. Alii violenti, ut verbera, vincula, mors, rapina, debilitatio corporis, maledicentia, contumelia*. Difficilis apparet hæc diviſio; cum contractus eſſe nequeat, iis quibuſcum contrahitur, non conſentientibus. Quis autem dixo-

Digitized by Google

dixerit, in cæde, in rapina, in veneficio conſenſum intercedere eius qui hæc invitus patitur? Ut partitionis clara habeatur intelligentia, ſciendum, contractum actionem eſſe iuſtitiæ commutantis, cuius natura in æqualitate dati, & accepti ſita eſt. Illi igitur contractus hoc nomine appellandi ſunt qui hanc tuentur æqualitatem: & in iſtis facile intelligitur amborum contrahentium ultro citroque conſenſio: qui contra ab hac æqualitate recedunt, præfatam excludunt conſenſionem. Numquid in nece violenta, quæ iniuſtæ mortis cum vita commutationem habet, morientis conſenſus reperitur? Merito itaque Philoſophus involuntarios contractus appellat, in quibus utraque pars conſenſum non præbet, ut ſapienter interpretatur S. Thomas *loc. cit. lect.* 4. At forte dices, ultimas quas enumerat actiones Philoſophus, nullo modo denominandas contractus eſſe. Sed falleris. Nam apud ICto[s] omnis obligatio pro contractu uſurpatur, ut perſpicue ſtatuitur leg. *Omnem obligationem* ff. de iudiciis, cuius legis verba hæc ſunt. *Omnem obligationem pro contractu habendam exiſtimandum eſt, ut ubicumque aliquis obligetur, & contrahi videatur, quamvis ex crediti cauſſa videatur.* Porro ex maleficio, cæde, & qualibet iniuria naturalis ſuboritur obligatio pœnæ ſubeundæ. Quam obligationem non conſenſus voluntarius delinquentis, ſed auctoritas legis vindicantis inducit. Quælibet autem obligatio pœnalis involuntaria eſt, ut docet S. Thomas *I. P. quæſt.* XLVIII. *art.* 5. cui omnes ſubſcribunt. Ex utraque igitur parte præfati contractus ſunt involuntarii, ut patet.

II. Ex parte materiæ finitimæ & proximæ emergit, ut alias dixi, partitio quatuor illorum contractuum qui proprio carent nomine: *Do, ut des: Do, ut facias: Facio, ut des: Facio, ut facias.* Ex parte materiæ remotæ oriuntur ceteri omnes contractus qui proprium nomen habent, ut *emptio, venditio, mutuum, permutatio ſingularis, cambium, commodatum, locatio, conductio, emphyteuſis, feudum, pignus, ſocietas* &c.

III. ICti partiuntur contractus in dividuos, & individuos. Ille eſt cuius materia dividitur, hic cuius materia diviſionem non patitur. Dupliciter autem res aliqua dividua, aut individua eſt: naturaliter, & intrinſecus; & civiliter ex legis ac iuris præſcriptione. Ad cognoſcendos autem contractus dividuos, aut individuos hanc tradunt regulam. Ea res civili ratione dicitur individua cuius pars non tantam adfert utilitatem pro ratione partis, quantum totum pro ratione totius. Quatuor vero modis docent contractus dici dividuos, aut individuos poſſe. Primo obligatione, & promiſſione: deinde diviſione, ſeu diſtributione inter heredes: poſt ſolutione: poſtremo liberatione, & ſolutione. In contractu qui omnibus his modis dividuus eſt, reperiuntur res quæ numero, pondere, & menſura conſiſtunt. Contractus omnino individui ſunt ſervitutes reales ruſticæ, ut iter, actus, via, aquæductus; ſervitus etiam urbana, ut ſervitus altius efferendi ædes. In his enim pars tantum ſervitutis

tutis deduci in obligationem nequit. Qui enim promittit iter per fundum ſuum, nequit itineris partem, ſed totum promittat neceſſum eſt; ut clare declaratur in l. *Via itineris* ff. de ſervitutibus, ubi hæc habentur. *Viæ, itineris, actus, aquæductus pars in obligationem deduci non poteſt : quia uſus eorum indiviſus eſt*. Notandum, magnum eſſe diſcrimen inter viam, actum, & iter. Nam iter eſt hominum, actus pecudum, via vehiculorum. Quare qui habet viam, etiam habet actum, & iter; & qui habet actum, habet quoque & iter. Aliam contractuum diviſionem tradunt ICti, penes quos alius eſt contractus qui re, alius qui rei interventu, alius qui verbis perficitur. Ii contractus re fieri dicuntur in quibus qualitas, & quantitas obligationis ex re ipſa perſpicitur; ut ſunt contractus mutui, commodati, depoſiti, aliique. Illi vero contractus rei interventu fieri dicuntur in quibus vis & pondus obligationis trahitur ex ſolo convento & pacto contrahentium. Contractus qui verbis celebratur, contractus eſt ſtipulationis.

IV. Ex tertia proprietate hæc oritur diviſio. Contractus alius eſt liber libertate conſilii, & electionis : alius libertate præditus eſt oppoſita vi, & metui : aliud vim habens, & metum. Quæ diviſiones ſunt effective a cauſſa efficiente, quæ eſt humana voluntas; a proprietate vero formaliter. Ab hac quoque ſequentes manant diviſiones. Contractus alius eſt doloſus, ſeu fraudulentus: alius per errorem, & inſcitiam factus : alius abſque errore, & inſcitia initus. A quarta proprietate hæc oritur diviſio. Contractus alius habet pactiones oppoſitas naturalibus proprietatibus : alius eaſdem non habet. Uterque autem poteſt eſſe iuſtus & ratus, ut ſupra explicatum eſt.

V. Quintam proprietatem hæc conſequitur partitio. Contractus alius bonæ, alius malæ fidei eſt : de qua diviſione fuſius infra. Sexta proprietas hanc comitem habet diviſionem. Contractus alius ſolidus & verus : alius adumbratus & ſimulatus : alius inanis & caſſus, cuius nullum in rerum natura extat fundamentum. Ad ſeptimam proprietatem hæ referuntur diviſiones. Contractus alius eſt legitimus : alius contra legem ſeu divinam, ſeu humanam, ſeu naturalem, qui contractus vi devinciendæ conſcientiæ caret : alius eſt rerum æqualitatem conſervans, alius ab eadem recedens : alius eſt cum ſeveritate iuris, alius cum lenitate initus : alius ſolemnitate iuris ornatus, alius eadem ſolemnitate carens. Ratione octavæ proprietatis contractus alius honeſtus, alius turpis, & improbus, cum morum honeſtate confligens, qui nullius momenti eſt. Benignitas, nona proprietas eſt, quæ tacitam condonationem, ſeu donationem comitem ſecum habet eius exuperantiæ quæ in æſtimatione, & pretio rerum ſita eſt, & contrahentibus ignorata, quamque ipſi libenter inter ſe largiuntur. Qui hanc largitionem alteri negaret, inhumanus eſſet & barbarus. Ex hac itaque proprietate contractus alius eſt humanus & benignus : alius inhumanus & barbarus.

VI.

Digitized by Google

VI. Ex obligatione, quæ eſt decima proprietas, alius contractus eſt proprius; alius improprius; alius maxime improprius. Proprius utrimque habet obligationem; uti emptio, venditio, permutatio, locatio, conductio, ſocietas &c. Alius improprius, qui ex altera tantum parte obligationem inducit; ut promiſſio acceptata ab eo cui facta eſt. Alius maxime improprius, in quo nulla eſt obligatio, ſed potius obligationis extinctio; ut in accepti latione. Ad undecimam proprietatem, quæ eſt actio, hæ referuntur diviſiones. Alius habet actionem in foro civili: alius in eodem foro actione privatur: alius qui in foro conſcientiæ, & Dei ius habet: alius qui in neutro foro iure potitur: alius qui in utroque, ut ſunt ii omnes in quibus legitimæ iuſtæque obligationis probationes adſunt. Ex duodecima & poſtrema proprietate, quæ in translatione dominii ſita eſt, hæ ſequuntur diviſiones. Contractus alius dominium actu transfert, alius ſecus. Transfert qui coniunctam habet traditionem: alius non transfert, qui hac caret traditione. Alius transfert dominium omnino & perfecte; ut is in quo transfertur proprietas, uſusfructus, uſus, & ius univerſum quod quis habet in re ſua. Alius imperfecte, in quo pars tantum dominii tranſit ad alterum; ut uſus, uſusfructus, poſſeſſio, habitatio.

VII. Ex multiplici iure aliæ ſequuntur diviſiones. Alius contractus eſt iuris naturæ; ut matrimonium, de quo ſuo loco. Fuerit ne alius contractus in ſtatu inviolatæ naturæ, res incerta eſt. In eodem fuiſſe, aut ſaltem potuiſſe eſſe, non improbabile videtur P. Comitolo, duos innominatos, & tres nominatos. Innominati erant, *Do, ut des*: ad quem revocabatur matrimonium. Alter innominatus potuiſſet eſſe, *Facio, ut facias*: qui contractus maxime inter viros & uxores obtinuiſſet tum in re domeſtica curanda, tum in educanda prole. Contractus nominati fuiſſent matrimonium, ſocietas, ſtipulatio. De matrimonio patet: de ſocietate etiam: & ſocietatem conſequitur ſtipulatio. Sed de his quiſque in ſuo ſenſu abundet.

VIII. Ex iure divino primus contractus eſt matrimonii. Alii ſunt contractus, etſi non inſtituti, probati tamen, & declarati, ſaltem confuſe, & generatim; ut colligitur ex Apoſtolo I. ad Theſſal. cap. IV. *Ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum*. Contractus mutui perſpicue probatur. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*: Luc. VI. Contractus locationis in parabola vineæ locatæ agricolis homicidis & flagitioſis, *Luc.* XX. & contractus conductionis in parabola de conductis operariis perſpicue indicatur. Contractus emptionis probatur *Gen.* XLVII. ubi Ioſephus emit AEgypti prædia, & eadem certa conventa mercede locavit AEgyptiis. Plures alii contractus emptionis, & venditionis recenſentur in divinis Scripturis.

IX. Ex iure gentium omnes fere contractus ſuam ducunt originem; ut habetur

Digitized by Google

tur in *leg.* 5. *de iuſt.* & *iur.* his verbis. *Ex hoc iure gentium introducta ſunt bella, diſcretæ gentes, regna condita, dominia diſtincta, agris termini poſiti, ædificia collata: commercium, emptiones, venditiones, conductiones, obligationes inſtitutæ, exceptis quibuſdam quæ a iure civili introductæ ſunt.* Ex iure civili, & canonico plures præſcriptæ ſunt leges pro contractuum celebratione. Contractus civiles vocantur diſtincti a contractibus ex iure gentium, qui ad præſcriptum earumdem legum celebrantur; ut ſunt contractus emphyteuticus, ſponſalitiæ largitatis, & alii. Contractus canonicus nuncupatur qui eſt ad normam legis eccleſiaſticæ. Alii contractus canonici ſunt non re, ſed ſanctione, quatenus Eccleſia leges præſcripſit ſervandas in horum contractuum celebratione, ne Chriſtiani errent, violentque iuſtitiam, ut ſunt cenſus, cambium, ſocietas, & alii. Denique alii contractus ſunt iurati, alii iniurati; alii impliciti, alii expliciti.

X. Hactenus diviſiones contractuum univerſe ſpectatas dedi ex citato P. Comitolo: nunc aſſignandæ ſunt diviſiones contractuum in ſuas extremas infimaſque ſpecies, quas Græci atomas appellant. Variæ ſunt de eiuſmodi diviſionibus Theologorum ſententiæ. Triginta ſpecies deſignat Conradus *quæſt.* XVII. Quam partitionem improbat Dominicus Soto *Lib. VI. de iuſt.* & *iur. quæſt.* II. *art.* I. ubi contractus nominatos in tres digerit ordines, & ad ſeptem ſpecies omnes revocat: Primus ordo eorum eſt quibus rei dominium transfertur. Secundus eorum quibus uſusfructus. Tertius eorum quibus uſus. In primo ordine collocat liberalem donationem, cambium, emptionem, venditionem, mutuum. In ſecundo emphyteuſim. In tertio commodatum, locationem, & conductionem, quas ſub unico contractu includit, ſicut venditionem, & emptionem. A ſpeciebus contractuum removet depoſitum, pignus, fideiuſſionem.

XI. P. Comitolus & ipſe peculiarem diviſionem contractuum in ſpecies ultimas tradit. Primo partitur contractus in gratuitos, & non gratuitos. Primi rem gratis in alium transferunt, nulla pacta mercede, ſeu pretio. Non gratuiti, ſeu oneroſi ſunt ii in quibus res pro re traditur, ſive res ſit rei proprietas, ſive uſus, ſive uſusfructus, ſive pecunia, ſive opera. Primi generis contractus benevolentia, amicitia, naturalique caritate nituntur. Secundi generis contractus iuſtitia qua res commutantur, & commercia moderantur, parit, in quibus æqualitas dati, & accepti requiritur. In primo genere duo ſunt in quibus transfertur dominium, donatio, & mutuum. In donatione transferri dominium poteſt vel in totum, vel in partem: concedi vel proprietas, vel uſus, vel uſusfructus rei donatæ valet. Gratuitum mutuum vocatur, non quia res data quæ uſu conſumitur, reddi non debeat; ſed quia gratis conceditur eiuſdem uſus, & ius eamdem pro libito adhibendi, ſeu conceditur liberum dominium ad tempus. In eodem primo genere duo ſunt in quibus uſus dumtaxat conceditur, nempe commodatum, & precarium.

Pri-

Digitized by Google

Primum a ſecundo diſcrepat, quia in illo uſus conceditur tempore præfinito; & antequam elabatur, revocari conceſſus uſus nequit. In precario nullum præſtituitur tempus; ſed revocari ad nutum concedentis poteſt. Ambo hi contractus verſantur in iis rebus quæ uſu non conſumuntur. In genere contractuum non gratuitorum ſunt permutatio, emptio, venditio, locatio, conductio, emphyteuſis, permutata commodatio. In permutatione transfertur dominium rei utilis pro dominio rei utilis. In venditione, & emptione dominium rei utilis dominio rei utilis commutatur. In ſocietate dominium, & uſus rerum communicantur, ſed non abdicantur; periculo tamen amittendi exponuntur. In locatione, & conductione pecunia, operæ, vel rerum uſus commutantur. In emphyteuſi uſusfructus rei immobilis, & corporeæ conceditur cum mercede certa ſolvenda. Emphyteuſis verbum græcum eſt, quod aliqui latine reddunt hac barbara voce *melioratio*. P. Comitolus græce doctus emphyteuſim inſitionem ſignificare aſſerit, quod fluat a verbo ἐμφυτεύω, quod eſt inſero, fortaſſe quia in eo qui emphyteuticariam poſſeſſionem habet, aut ius fructuum inſeritur, aut etiam dominium utile, ſi perpetuus eſt contractus. Permutata commodatio eſt, quando uſus unius rei alterius uſu commutatur; ut cum tibi commodo librum, ut tu quoque alium librum, aliamve rem mihi commodes. Ex hac diviſione undecim atomæ ſpecies contractus colliguntur. Quinque ſunt gratuitæ, donatio, mutuum, commodatum, precarium, depoſitum. Non gratuitæ ſex, permutatio, venditio & emptio, ſocietas, locatio & conductio, emphyteuſis, permutata commodatio. Venditionem & emptionem unum, locationem & conductionem alterum efficere contractum, cum Dominico Soto, & citato P. Comitolo aſſerimus: quia ſunt partes unius & eiuſdem contractus venditio & emptio, locatio & conductio.

XII. Depoſitum a ratione contractus extrahendum videtur; cum in eo nihil transferri appareat: non dominium, non uſus, non uſusfructus. Sed revera transfertur ius rei depoſitæ cuſtodiendæ, & eiuſdem poſſeſſio actualis: & hoc ſat eſt ad veram contractus ſpeciem. Opponi etiam poteſt, deſignatas contractuum ſpecies non eſſe atomas, ſeu ultimas; cum quilibet contractus verſetur in rebus ſpecie diſcrepantibus. Emptioni enim ſubiiciuntur agri, domus, equi, boves, vinum, triticum, & plura alia, quæ pluſquam ſpecie differunt. Inanis tamen eſt oppoſitio hæc: quia res recenſitæ, & aliæ recenſendæ non ſunt venditionis materia, ut naturales, & ſpecie differentes, ſed ut vendibiles. Porro eſſe vendibile induit unicam rationem ſpecificam cunctis rebus communem. Quare res præfatæ reſpectu venditionis differunt ſpecie materiali, ſecus formali. Specie itaque contractus differunt, non ex diverſitate materiæ quæ iiſdem ſubeſt, ſed ex modis diverſis quibus rerum transferuntur dominia, aut uſus.

Digitized by Google

CAPUT III.

Quomodo perficiantur contractus, & obligationem inducant.

I. Duplex in primis diſtinguitur in contractibus perfectio. Subſtantialis una, adventitia ſeu accidentaria altera. Habetur illa, quando ea omnia apponuntur quæ ad ſpeciem contractus neceſſaria ſunt. Sic venditio quantum ad ſpeciem, ſeu ſubſtantiam perfecta eſt, ſimul ac inter emptorem & venditorem conventum de pretio eſt: mercis autem traditione accidentaliter, & quantum ad integritatem contractus perficitur. Quatuor modis perfici ſubſtantialiter contractus ſolent. *Conſenſu*, ſigno exteriore declarato. *Verbis*, ſeu determinata verborum forma. *Scriptura*, quando neceſſario requiritur. *Rei traditione*, ſine qua aliqui contractus non conſiſtunt. Conſenſione, exterius declarata ſigno aliquo, perficiuntur illi contractus qui mutuam contrahentium conventionem ſignificant; ut ſunt emptio, venditio, locatio, conductio. Scriptura, ſeu inſtrumentum, quod poſt conventionem mutuam contrahentes conficiunt, non ad naturam, ſed ad probationem contractus requiritur. Alii contractus determinatam verborum formam poſtulant; ut in *ſtipulatione* fit, in qua uno interrogante, *Spondes mihi mille?* reponit alter, *Spondeo*: *Dabis mihi librum? dabo*. Quæ forma verborum, licet olim apud Romanos obtinuerit, nunc penitus obſolevit; & ſat eſt ut quibuslibet verbis conſenſus prodatur contrahentium. Scriptura perficiuntur emphyteuſis, aliique contractus, qui antequam a notario ſcribantur, vim non habent, ſic conſuetudine, vel lege obtinente. Poſſunt quoque contrahentes pro libito ſuſpendere in ceteris contractibus ſuum conſenſum, uſquedum Scriptura conficiatur. Rei traditione perficiuntur mutuum, donatio, commodatum, depoſitum, permutatio, pignus. Hi ante traditionem non reputantur perfecti, ſed nuda pacta.

II. Obligatio proprietas eſt, ut ſupra dixi, cuiuſque contractus perfecti. Contractus qui ſolo reciproco conſenſu perficiuntur, ita conſequitur obligatio, ut alter contrahentium ſine alterius conſenſu reſilire nequeat a conventione facta. Qui vero ſcriptura complentur, non ante, ſed poſt ſcripturam obligationem contrahentes obſtringentem inducunt. Idem dicendum de iis contractibus qui rei traditione perficiuntur. In omnibus tamen contractibus potiſſimum contrahentium conventio, & intentio ſpectanda eſt, & conſuetudo, ut inde eruatur obligatio quæ eoſdem devinciat. Quoniam, ut in explicatione quartæ proprietatis dixi, contrahentes expreſſe pactiones adiicere poſſunt reciproco conſenſu, oppoſitas communi

modo

modo contrahendi, quibus ſtandum eſt; dummodo turpes non ſint, & cum æquitate pugnantes.

III. Quid, ſi contrahens verbis externis celebraret contractum abſque interiore animo contrahendi? Adfirmant aliqui, contractum conſiſtere. Verum ſi interior animus deſit, contractus nullus eſt; cum libera voluntas neceſſaria ſit ad cuiuſque contractus ſubſtantialem perfectionem. In foro tamen exteriore deceptor ad contractum implendum merito adigitur, quia conſenſus præſumitur; immo plectendus decernitur, tamquam humanæ ſocietatis interturbator. Diſputant iuniores, an ille qui animum haberet contrahendi, ſecus ſe obligandi ad contractum implendum, devinctus maneret? Sed diſputatio vana eſt. Qui enim deliberate contractum vult, velle quoque debet obligationem quæ contractum neceſſario conſequitur. Mirifica eſt, & penitus vana diſtinctio quam P. Claudius La-Croix *Lib. III. part.* 11. *num.* 610. comminiſcitur, de voluntate directa, & reflexa: quam alibi refutabo velut inanem.

IV. Paucis in præſens explicabo eiuſdem obligationis naturam, variamque poteſtatem, & acceptionem. Obligatio itaque vinculum eſt quo quis ſeſe obſtringit ad aliquid præſtandum. Apud ICtos alia eſt antidoralis, rei honeſtate nixa, qua quis gratus eſt ſuo benefactori. Iſtius obligationis debitum morale nuncupatur, non ex iuſtitia præceptum. Alia obligatio fundatur in lege præcipiente; appellaturque debitum legale, quod oriri vel a caritate, vel a iuſtitia, vel a religione, vel ab obedientia, vel ab alia virtute poteſt. Sola obligatio ex iuſtitia erumpens parit onus reſtitutionis, ſi violetur. Hæc obligatio ex iuſtitia manans, alia naturalis tantum, quæ in foro conſcientiæ vim inducit; in foro vero exteriori non dat actionem, ſed exceptionem dumtaxat: alia ſolum civilis; ut quando quis ſecundum allegata & probata evincitur debitor, qui reipſa non eſt, & cogitur ad ſolvendum. Alia obligatio ſimul naturalis, & civilis eſt, quæ in utroque foro tum interno, tum externo devincit. Hæc ex contractu, aut quaſi contractu, ex delicto, & quaſi delicto proficiſcitur, ut alias dictum eſt.

C A P U T IV.

De contractu ex gravi metu celebrato.

I. PLures conditiones requiruntur ut metus dicatur gravis, qui ſuperare viri conſtantiam valeat. Prima eſt, ut malum quod imminere prævidetur, grave ſit. Altera eſt, ut adſint fundamenta probabilia, & non levia, timendi malum: vir quippe conſtans ex levibus rationum momentis non movetur. Tertia, ut metum incutiens poſſit, & ſoleat intentatas minas executioni mandare. Quarta,

ta, ut nequeat vir timore perculſus declinare mala vel per ſe, vel per alios, quæ ſibi imminere præcognoſcit. Quodnam autem grave dicatur malum, non una eſt Auctorum ſententia. Mala mortis, exilii, carceris, mutilationis, amiſſionis ſtatus, ſtupri ſive in viro, ſive in femina, penes omnes gravia exiſtimantur. Diſputant vero, num mala infamiæ, excommunicationis, & amiſſionis bonorum reputanda ſint ita gravia, ut incutiant metum moventem virum conſtantem. Negant plures; ſed maior pars affirmat. Famæ enim bonum præſtat divitiis multis, teſte Salomone Prov. XXII. *Melius eſt nomen bonum quam divitiæ multæ*. Si tamen aliqua via repelli infamia poſſet, non eſſet malum turbans conſtantem virum. Timor quoque excommunicationis iniuſte latæ, gravis, & aptus commovere virum conſtantem communius exiſtimatur: quia tametſi iniuſta excommunicatio non liget in conſcientia, ligat tamen in foro exteriori, removetque hominem a divinis officiis, a ſacramentis, a communicatione fidelium, ob ſcandalum vitandum; quod grave profecto malum eſt. Amiſſionem ingentium bonorum ſimiliter grave malum, quod commovet viri conſtantiam, iudicant graviores Theologi. Malum quod timetur, non modo abſolute, & in ſe, ſed etiam reſpectu illius qui timet, ſpectari debet. Quod enim leve eſt huic, grave malum eſt alteri. Iterum conſideratur metus ut a cauſſa naturali intrinſeca manans, ſicut a naufragio, ab infirmitate, ab incendio, & ſimilibus cauſſis. Ut mala hinc proficiſcentia homo evitet, libere ſibi imponit aliquod debitum exequendum: idcirco ab intrinſeco proveniens metus iſte dicitur. Ab extrinſeco vero nuncupatur, cum a libera cauſſa incutitur: & hoc evenire dupliciter poteſt: iuſte nempe, cum ob iuſtam cauſſam; vel iniuſte, cum abſque ulla ratione, ſed iniuria mera inicitur. Tandem poteſt metus incuti ad contractum extorquendum, aut ad alium effectum; & metum patiens contractum eligit ut medium quo malum declinet.

II. Quibus conſtitutis, Theologi acriter diſputant, utrum metus gravis, cadens in virum conſtantem, iniuſte incuſſus ad contractum extorquendum, nullum contractum reddat; etiamſi metum patiens internum conſenſum præbeat. Nam ſi conſentiat tantum ficte externis ſignis, intrinſecus animo renuente, ut invaſorem deludat, planum eſt contractum eſſe nullum. Diſputant autem, iure naturæ ſpectato. Nam quid poſitiva iura præſcribant, infra dicetur,

III. Prima ſententia nullum iure naturæ docet contractum præfatum. Quoniam ad contractus valorem liber conſenſus neceſſarius eſt. Metus autem gravis, cadens in virum conſtantem, libertatem aufert. Ergo contractum efficit nullum. Heinc qui metu cogitur ad promiſſionem, eidem implendæ non aſtringitur. Plures afferuntur leges quæ hanc poſitionem confirmant. l. 9. *Metum autem præſentem*, ſ. *Licet*. ff. *de eo quod metus cauſa*, ubi ſtatuitur, dominium non transferri ab eo qui vim patitur, his verbis. *Quia res in bonis eius eſt qui vim paſſus eſt*.

Digitized by Google

eſt. In contractu autem neceſſaria eſt dominii translatio. Hanc ſententiam propugnant Soto *de iuſt. & iur. Lib. VIII. quæſt.* 1. *art.* 7. *ad* 3. Rebellus *II. Part. Lib. VIII. quæſt.* v. Malderus *de iuſt. & iur. tract.* v. *cap.* 1. *dub.* 3. *quæſt.* 2. Molina *Tom. II. diſp.* cccxxvi. Sylveſter, Medina, Azorius, & alii non pauci.

IV. Validum, iure naturæ ſpectato, propugnat altera ſententia eiuſmodi contractum, ſive is gratuitus ſit, & lucrativus; ſive non gratuitus, ſeu oneroſus. Hanc ſententiam veram iudico, quia conceptis verbis eam tradit S. Thomas 1. 2. *quæſt.* vi. *art.* 6. ubi ſtatuit ea quæ fiunt ex metu, eſſe *voluntaria ſimpliciter, involuntaria autem ſecundum quid. Unumquodque enim ſimpliciter eſſe dicitur, ſecundum quod eſt in actu. Secundum autem quod eſt in ſola apprehenſione, non eſt ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Hoc autem quod per metum agitur, ſecundum hoc eſt in actu ſecundum quod fit.... Sic autem hoc quod fit per metum, eſt voluntarium, in quantum ſcilicet eſt hic & nunc.... Unde manifeſtum eſt quod ſimpliciter voluntarium eſt*. Quæ angelica doctrina patet evidentius in eo qui ex metu tranſgreditur aliquod divinum præceptum. Hunc ſane a culpa metus non purgat. Ergo evidens eſt metum non auferre libertatem neceſſariam ſive ad peccandum, ſive ad celebrandum contractum. Porro contractus a libera voluntate proficiſcens validus eſt.

V. P. Paulus Comitolus *Lib. III. Reſ. mor. quæſt.* 11. & *Lib. II. de contr. univerſ. cap.* x. defendit, contractus initos ex metu in conſtantem virum cadente, nullos eſſe iure conſcientiæ; validos vero iure civili, ſed reſcindendos officio & auctoritate iudicis. Reſcindendi ſunt iure civili: Ergo utroque iure tum conſcientiæ, tum civili validi ſunt. Quod enim non eſt, non reſcinditur. Reſcinduntur contractus iſti. Ergo antecedenter ad reſciſſionem conſiſtunt. Alioquin non reſcinderentur; ſed nulli ad ſummum declararentur. Mirum eſt, P. Comitolum, virum ceteroquin acutum, ceſpitaſſe in re adeo aperta. Solus tamen non eſt in hac ſententia; ſed plures ſocios tum ex Ictis, tum ex Theologis in eadem habet.

VI. Plures tamen contractus ſunt quos ius poſitivum declaravit nullos, quoties celebrantur ex metu cadente in virum conſtantem. Sunt autem ſequentes. Matrimonium, & etiam ſponſalia, profeſſio religioſa, dotis promiſſio, vel ſolutio, electio Prælati, tutorum auctoritas, promiſſio, aut traditio rerum eccleſiaſticarum, vota Deo facta ex metu incuſſo ab homine, iuriſdictio, aut prorogatio iniuſto metu extorta, abſolutio ab excommunicatione; quamquam de duobus ultimis diffideant nonnulli Theologi.

VII. Diſſidium quod inter Theologos de hac quæſtione verſatur, nullius fere momenti eſt, ſi praxis ſpectetur; ortumque ducit ex æquivoca libertatis intelligentia, ſeu ex confuſione libertatis cum iniuria, & iniuſtitia. Qui metum incutit, iniuriam irrogat patienti illam, quam & is repellere poteſt, & ille reſarcire

tenetur. Ceterum cum metus externus ſit, nequit voluntarium auferre; cum hoc internum ſit, & a principio intrinſeco manans. Evidens itaque eſt metum patientem libere contractum inire; atque adeo contractum libertate ad ſui valorem neceſſaria præditum eſſe. Verum quia metum incutiens iniuriam irrogat, & iniuſte inducit alterum ad contrahendum, licet ius acquirat in contractum, tamen quia eſt vi extortus, eidem cedere tenetur. Quare contractus eiuſmodi iudices reſcindunt tamquam iniuſte partos. Nec eſt operoſius hac de re contendendum. Quæ enim contrariæ ſententiæ patroni opponunt, ex iis quæ diximus, dehiſcunt. Metus extrinſecus incuſſus pugnat cum voluntario omnino libero, ſecus cum voluntario eſſentialiter libero. Et quia aliquid voluntarii adimit, ideo actio oritur in metum patiente ad contractum reſcindendum. Leges quæ reſcindendos contractus eiuſmodi decernunt, ſupponunt non eſſe nullos. Plures vero aſſerunt, eoſdem nullius momenti eſſe, quia reſcindibiles ſunt.

VIII. Quid, ſi metus levis ſit? Reſcindi ne tum contractus debent? Affirmant communiter Auctores. Quoniam etiam metus levis iniuriam infligit. Ergo qui iniuriam patitur, actionem habet ad contractus reſciſſionem poſtulandam: & qui iniuriam intulit, in conſcientia eamdem compenſare aſtringitur. In foro exteriori ad lites vitandas admitti actio non ſolet pro irritandis contractibus ex metu elvi celebratis. Si, celebrato contractu ex metu gravi iniuſte incuſſo, merx tranſierit ad tertium poſſeſſorem, poteſt qui metum paſſus eſt, rem ſuam in iudicio petere: quia eiuſmodi merx gravamine iniuriæ affecta eſt, ubicumque reperiatur. Qui tamen quemcumque metum incuſſit, ad compenſationem tenetur.

IX. Contractus matrimonii, & profeſſionis monaſticæ celebrati ex metu levi, ſunt ne reſcindibiles? Hos duos contractus ſemel initos reſcindi non poſſe, communiter Auctores docent. P. Comitolus *cit. Lib. III. Reſ. moral. quæſt.* 111. contendit cum aliis non inferioris ſubſellii Auctoribus, contractus omnes ex metu levi celebratos, iure naturæ nullos eſſe, illo principio nixus, quod iniuria parere ius nequeat. Qui incutit metum, iniuriam infert. Ergo ius indipiſci hac via nemo valet. Porro metum incutiens in genere libertatis lædit alterum. Ergo pro infecto habendum quidquid læſa libertate celebratum eſt. Quæ argumentatio ex dictis corruit. Negatur enim, libertatem ſimpliciter, & abſolute lædi. Utique iniuria ius non parit. Sed cum metum patiens libere abſolute contractum celebret, conſenſus iſte ſimpliciter voluntarius ius præbet, & dominium transfert: quo tamen iure privandus eſt ille qui metum incuſſit in pœnam iniuriæ irrogatæ, ut perſpicue docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 7. *ad* 3. Et reipſa Eccleſia ratum habet matrimonium levi metu contractum; ut clare colligitur ex cap. *Veniens* 2. de ſponſ. ubi ſolus metus in virum conſtantem cadens excipitur. Nec quidquam ad hanc Decretalem P. Comitolus reſpondet quod ſoliditatem

Digitized by Google

tem præferat. Quod dixi de matrimonio, & de profeſſione monaſtica dicendum eſt.

CAPUT V.

Dolus, error, blanditiæ, adulatio, importunæ preces efficiunt ne contractus irritos?

I. APud antiquos dolus bono in ſenſu etiam uſurpabatur; ſed temporis decurſu pro vitioſa animi actione cœpit intelligi, ut notavit Feſtus. *Doli vocabulo nunc tantum in malis utimur. Antiqui etiam in bonis rebus utebantur. Unde adhuc dicimus ſine dolo malo, nimirum quia ſolebat dici & bonus.* Ulpianus in *l. 1. ff. de dolo malo* inquit: *Veteres dolum etiam bonum dicebant; & pro ſolertia hoc nomen accipiebant, maxime ſi adverſus hoſtem, latronemve quis machinaretur.* In ſacris litteris ſæpe dolum, & doloſos deteſtabiles eſſe compertum eſt. *Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus:* Pſal. v. *Diſperdet Dominus univerſa labia doloſa:* Pſal. x. Ulpianus ex Labeone dolum hoc pacto deſcribit. *Dolus malus eſt omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita.* Calliditas concipitur animo, tacendo; ut ſi venditor ſciens rem quam vendit, eſſe alteri obligatam, taceat: fallacia ineſt mendacibus verbis: machinatio in verborum artificio. S. Auguſtinus *tract.* VII. *in Joannem* enucleans Chriſti Domini verba, *In quo dolus non eſt*, hæc de dolo ſcribit. *Dolum Dominus dicit; & omnis qui verba latina intelligit, ſcit quia dolus eſt, cum aliquid agitur, & aliud fingitur. Dolus fraus eſt, ſimulatio eſt: quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, dolus eſt, & tamquam duo corda habet.* Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* lv. *art.* 4. probat dolum peccatum eſſe, & aſtutiæ ſatellitem his verbis. *Ad aſtutiam pertinent aſſumere vias non veras, ſed ſimulatas, & apparentes ad aliquem finem proſequendum vel bonum, vel malum. Aſſumptio autem harum viarum poteſt dupliciter conſiderari. Uno quidem modo in ipſa excogitatione viarum huiuſmodi; & hoc proprie pertinet ad aſtutiam; ſicut etiam excogitatio rectarum viarum ad debitum finem pertinet ad prudentiam. Alio modo poteſt conſiderari talium viarum aſſumptio ſecundum executionem operis; & ſecundum hoc pertinet ad dolum. Et ideo dolus importat quamdam executionem aſtutiæ.* Luculentius iterum hæc omnia explicat 2. 2. quæſt. cxi. art. 3. ad 2. *Sicut ſupra dictum eſt, prudentiæ directe opponitur aſtutia, ad quam pertinet adinvenire quaſdam vias apparentes, & non exiſtentes, ad propoſitum conſequendum. Executio autem aſtutiæ eſt proprie per dolum in verbis, per fraudem autem in factis: & ſicut aſtutia ſe habet ad prudentiam; ita dolus, & fraus ad ſimplicitatem. Dolus*

Digitized by Google

autem, & fraus ordinatur ad decipiendum principaliter, & quandoque ſecundario ad nocendum. Unde ad ſimplicitatem pertinet directe ſe præſervare a deceptione: Fraudem in dolo eſſe, tamquam ſpeciem in genere, plures tradunt. Fraus tamen dolo deterior eſt; cum numquam in bono accipiatur ſenſu. Dolus autem aliquando ſano in ſenſu acceptum vidimus, vel in ipſis Scripturis ſanctis, Paulo teſtante II. Cor. XII. *Cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi*. Lege quæ de fraude docet Angelicus 2. 2. *quæſt.* lv. *art.* 5.

II. Dolus itaque in præſens accipitur pro fallacia, ſeu calliditate qua unus contrahentium alterum decipit. Dolus, ſive error (pro eodem enim nunc accipiuntur) afficere vel ſubſtantiam, vel adventitia rei de qua fit mutua conventio, poteſt. Afficit ſubſtantiam, quando una res loco alterius ſubſtituitur; ut ſi nubas Catharinæ, exiſtimans ducere Annam; aut ſi emas plumbum, putans emere argentum. Afficit adventitia, ſeu accidentaria, quando, ſalva ſubſtantia, accidentalia variantur; ut ſi in matrimonium ducas Lucretiam, quam credis divitem, aut virginem inviolatam, & eſt pauper, aut violata. Dupliciter quoque dolus, vel error influere in contractum valet, *concomitanter* nempe, & *antecedenter*. Primo modo non dat cauſſam contractui; ſed æque contraheres, deprehenſo ac cognito errore, dolove. Tum dicitur error *antecedens*, quando dat cauſſam contractui, ſeu quando in cauſſa eſt cur tu contractum celebres; quem ſi adverteres, a contractu abſtineres. Error iſte vel ab ignorantia, vel a fraude contrahentium, vel ab aliquo tertio proficiſci valet. His poſitis

III. Quæſt. I. *An error, ſive dolus antecedens irritet contractum?* Reſp. Communis ſententia eſt, errorem, ſive antecedentem, ſive concomitantem, ſi ſit circa ſubſtantiam rei, a quocumque, & quomodocumque oriatur, efficere contractum irritum, & inanem. Quoniam error, ſeu dolus eiuſmodi auſert omnino conſenſum voluntarium, & liberum, quem neceſſarium omnes affirmant ut contractus ſubſiſtat. Quare ſi vendas vitrum, putans eſſe gemmam, argentum, exiſtimans eſſe aurum, & quamcumque aliam mercem, in ſubſtantia diverſam ab ea quam vendere, aut emere intendis, contractus iure naturæ nullus eſt. Si igitur error ſit antecedens, nulla eſt difficultas. De errore concomitanti diſputandi anſam quis arripere poſſet. Quoniam error concomitans non dat cauſſam contractui; cum contrahens ſit ita diſpoſitus, ut etiam ſi ſciret defectum ſubſtantialem mercis, eam nihilominus emeret. Adeſt itaque in hac diſpoſitione habituali conſenſus interpretativus. Paucis verbis S. Thomas diſſolvit hanc difficultatem 1. 2. quæſt. VI. art. 8. *Concomitanter quidem, quando ignorantia eſt de eo quod agitur; tamen etiamſi ſciretur, nihilominus ageretur. Tunc enim ignorantia non inducit ad volendum, ut hoc fiat; ſed accidit ſimul eſſe aliquid factum, vel ignoratum: ſicut in exemplo poſito, ſcilicet cum aliquis vellet quidem occidere hoſtem, ſed ignorans occi-*

di:

Digitized by Google

dit eum, putans eſſe cervum. Et talis ignorantia non facit involuntarium, ut Philoſophus dicit : quia non cauſat aliquid quod ſit repugnans voluntati; ſed facit non voluntarium, quia non poteſt eſſe actu volitum quod ignoratum eſt. Nullus ergo actualis, ſive expreſſus, ſive interpretativus, conſenſus adeſt, cum rei ſubſtantia ignoratur; ſed ſolum adeſſet, ignorantia ſublata. Hic error concomitans non inducit involuntarium poſitivum, inquit Doctor Angelicus; ſed involuntarium negativum, ſeu non voluntarium. Ut vero contractus obligationem inducat, neceſſarium eſt voluntarium poſitivum actuale, ſine quo nullus contractus omnis eſt. Nihil quippe volitum quin præcognitum.

IV. Quæſt. II. *Dolus, ſive error concomitans circa rei qualitatem efficit ne contractum inanem?* Reſp. Negat communis ſententia. Quoniam; in hac poſitione habetur conſenſus voluntarius, & liber in ſubſtantiam rei de qua ſit conventio. Error enim circa qualitatem, quique contractui cauſſam non præbet, cum contrahens æque perficeret contractum, ſi qualitatis defectum ſciret, nullo modo lædit conſenſum voluntarium in contractus ſubſtantiam. Solummodo enim, habita qualitatis notitia, minueret mercis pretium; minime vero a contractu abſtineret. Puta, emis equum quinquaginta aureis, exiſtimans eſſe velocem & ſtrenuum: emeres quoque, etiamſi tardum, minuſque robuſtum agnoſceres, at minori pretio. Si ignorantia qualitatum quæ merces comitantur, nullos efficeret contractus, vix unus conſiſteret. Illud tamen verum eſt, quod ſi dolus ſit, & error in pretio ultra medietatem, tum qui dolum erroremve patitur, actionem habet ad compenſationem petendam, & ad reſcindendum contractum. Si deceptio ſit infra dimidium; actio in foro exteriori denegatur, ne tribunalia litibus repleantur. In foro vero conſcientiæ pretii quantitas ad æquitatis, legumque normam moderanda eſt.

V. Quæſt. III. *Dolus circa qualitatem, ſi cauſſam det contractui civili, nullum ne eumdem efficit?* Reſp. Negat communis ſententia: quia dolus, ſive error circa rei qualitatem non tollit conſenſum voluntarium in ſubſtantiam rei, ſeu contractus. Actus ergo ſimpliciter voluntarius eſt, atque adeo validus, & conſiſtens. Idque confirmatur ex eo quod ſi deceptio ſit a proxeneta, ſeu ab aliquo tertio, contractus validus eſt. Ergo ſimiliter, ſi deceptio ſit ab uno contrahentium.

VI. Hæc ſententia, tametſi inter iuniores valde communis, non leve mihi faceſſit negotium, & non levi æquivocatione laborare mihi videtur. Nam qualitas quæ rem afficit, tametſi in eſſe phyſico ſit quid adventitium, & accidentarium, in ordine tamen civili, ſeu morali ſubſtantiæ rationem induere reſpectu contrahentium poteſt. Itaque ſi dolus ſtructus ab alterutro contrahentium ſit, cauſſamque præbeat ut alter emat quod ſine dolo certe numquam emiſſet, contractum hunc nullum, & inanem ego reputarem. Nam eiuſmodi dolus improbe adiunctus ani-

animum eius qui dolo circumvenitur, & a ratione contrahendi, & ab obligatione prorſus avertit. Nam adverſarii in hac poſitione diſputant in qua dolus det cauſſam contractui. Porro dum cauſſam contractui dat, qualitas quæ in genere phyſico accidentaliter mercem afficit, in ordine civili rationem formalem induit reſpectu illius qui dolo circumvenitur: qua ratione ſublata, nullus contractus eſt ob liberi conſenſus defectum. Quid frequentius in commerciis quam quod qualitas huius aut illius mercis ſit cauſſa princeps, emptoris voluntatem permovens? Hac ſublata cauſſa, conſenſus voluntarius deficit. Ergo quoties error dat cauſſam contractui, licet error iſte ſit circa qualitatem phyſicam rei, nihilominus, ut mihi videtur, nullum efficit contractum civilem. De contractu matrimonii nihil in præſentia; ſed ſuo loco diſcutietur, quomodo error qui recidit in perſonam, impediat nec ne matrimonium, quod natura ſua indiſſolubile eſt.

VII. Adfirmant omnes, contractus civiles quibus conficiendis dolus cauſſam dedit, cum natura ſua reſcindibiles ſint, ad nutum eius qui dolo circumventus fuit, reſcindi debere, ſive dolus ab ipſo proficiſcatur, ſive ab altera parte. Si damna ſequantur, qui dolum ſtruxit, eadem compenſare tenetur. Si proxeneta doli auctor ſit, & cauſſa fallax contrahendi, valere contractum plures docent. At quando dolus cauſſa princeps ſit contrahendi, ut explicuimus, a quocumque dolus proficiſcatur, nullum eſſe contractum ego dicerem: perinde enim liberum conſenſum aufert dolus, ſive a proxeneta, ſive a contrahentibus manet. Quando contractus nullus eſt ratione doli, non ſolum qui dolum patitur, ſed etiam qui eumdem ſtruxit, reſilire a contractu poteſt. Quando vero validus contractus eſt, dolo circumventus petere reſciſſionem poteſt; ſecus doli auctor, qui ratum habere contractum debet, ſi ille qui dolum pertulit, ſtare eidem velit.

VIII. Quæſt. IV. *Dolus antecedens efficit ne nullos contractus tum bonæ fidei, tum ſtricti iuris?* Reſp. Hæc diſtinctio contractuum qui bonæ fidei, & ſtricti iuris nominantur, ex iuris meditullio erutam eſſe advertit P. Comitolus *Part. II. cap. v.* Bona fides pro ea virtute uſurpatur quæ fraudi, dolo, & mendacio oppoſita eſt. Quare dum reſpondentem ad prodendam ſincere veritatem urgere volumus, ſic compellare eum ſolemus: *Dic bona fide*: & italice: *Dì da fede di galantuomo*. Accipitur etiam pro bono nomine, & vulgo Itali dicunt *buona detta*, *buon pagatore*. Et ipſe M. Tullius dixit: *Ego hoc ſum aſſecutus, ut bonum nomen exiſtimer*: epiſ. lxiii. Sumitur tandem bona fides pro ea æquitate qua in nonnullis contractibus uti iudici permiſſum eſt, ſecus in aliis qui ſtricti iuris nuncupantur. Prolixam hac de diſtinctione texit Covarruvias diſputationem in IV. *Decretalium part. 2. §. 6.* ubi refellit commentum Zaſii, aſſerentis contractus bonæ fidei inde repetiiſſe originem quod in templo bonæ Fidei celebrarentur, nemine adſtante, niſi ipſa dea Fide. Ipſe vero hanc diſtinctionis præfatæ originem tradit. Prætor, qui Ro-

Digitized by Google

Romæ legum cuſtos erat, eiſque emendandis, temperandiſque operam dabat, quando iudicibus inferioribus cauſſas delegabat, interdum formam a ſe conceptam iudicandi tradebat, a qua nec tranſverſum unguem diſcedere fas erat: & hæc iudicia ſtricti iuris nuncupabantur. In ceteris, ipſis iudicibus ex æquo, & bono finiendæ controverſiæ poteſtatem faciebat. Poſtremum addit, ſtrictum ius ab I-ctis illud cenſeri quod eſt prædurum, exactum, aſperum, rigoris plenum, quod quidem æquitati, bono, & æquo opponitur, a quo non licet ne latum quidem unguem diſcedere, nihilque addi, aut detrahi poſſit quod ſcriptura loquitur: & hoc ſummum ius a veteribus nuncupatum fuit, de quo Cicero Lib. I. offic. *Exiſtunt etiam ſæpe iniuriæ calumnia quadam, & nimis callida iuris interpretatione: ex quo illud, Summum ius, ſumma iniuria, factum eſt iam tritum ſermone proverbium*. Ius iſtud ſummum, ſeverum, ſtabile, quod æquo, & bono opponitur, non eſt ius quo reguntur, & iudicantur contractus. Contractus bonæ fidei ſunt, inquit Comitolus Part. III. cap. v. *emptio, venditio, locatio, conductio, negotiorum geſtorum, mandati, depoſiti pro ſocio, tutelæ, commodati, pignoratitiæ, familiæ herciſcundæ, communi dividundo, præſcriptis verbis, quæ de æſtimato proponitur, & ea quæ ex permutatione competit, & hereditatis petitio; quæ ſunt ſeptem & decem actiones*. Iudicis eſt cognoſcere, & ſtatuere quid, quale, & quantum bona fides ſuadeat eſſe præſtandum in eiuſmodi contractibus; cum id ſæpe latere contrahentes poſſit. Siquidem res ipſæ, ut advertit P. Comitolus *loc. cit.* quæ contrahuntur, & id quod contrahentium intereſt, quanti ſit, quantamque habeat æſtimationem, nequaquam oſtendunt. Quare benigna iudicis, & æqui æſtimatoris interpretatio neceſſaria eſt. In eiuſmodi contractuum genere non ſolum ſervari id debet de quo peracta conventio expreſſa eſt; ſed etiam id quod æquo & bono conſentaneum iudici apparet. M. Tullius *orat. pro Cæcina* Scævolam iuriſperitorum Principem laudat tamquam Romanæ civitatis oraculum in his iudiciis ferendis. *Quintus quidem Scævola Pont. Max. ſummam vim eſſe dicebat in omnibus arbitris, in quibus adderetur ex fide bona: fideique bonæ nomen exiſtimabat manare latiſſime, idque verſari in tutelis, ſocietatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ ſocietas continetur. In his magni eſſe iudicis ſtatuere, præſertim cum in pleriſque eſſent iudicia contraria, quid quemque cuique præſtare oporteret*.

IX. His præmiſſis, ad id quod propoſui, reſpondendum eſt. Plures docent, dolum contractus ſtricti iuris non perimere, nullos vero reddere contractus bonæ fidei. Quod ſi iuri civili præduro & ſevero, de quo ſupra, ſtandum eſſet, defendi opinio poſſet. Ceterum mihi ſententia illorum arridet qui docent, omnes contractus bonæ fidei eſſe; & utrumque contractuum genus propter dolum, & fraudem irritum fieri. Siquidem dolus antecedens, & irruens in contractus ſtricti iu-

ris, quales eſſe contractus mutui, ſtipulationis, depoſiti, donationis, teſtamenti legati, emphyteuſis &c. plures aſſerunt, tollit conſenſum voluntarium non minus ac dolus antecedens in contractibus bonæ fidei. Ergo eodem modo utriuſque generis contractus perimit. Non nego tamen, in contractibus ſtricti iuris exactius inhærendum eſſe verborum, & expreſſionum formulis quibus expreſſus contractus eſt: ideo enim ſtricti iuris nuncupantur, quia verborum rigori ſtandum eſt, habito tamen ſemper reſpectu ad æquitatem, quæ anima eſt cuiuſcumque iuris.

X. Quæſt. V. *Num adulatio, blanditiæ, importunæque preces contractus irritent?* Reſp. Nihil tam facile mentes hominum corrumpit quam adulatio, inquit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* cxv. ubi duobus articulis vitii huius turpitudinem exponit. Peccatum grave eſt, dum caritatem lædit, dum alterius flagitium laudat, vel alteri inferre nocumentum intendit, eique delinquendi viam aperit. Tranſcribenda ſunt aurea verba M. Tullii ex dialogo de amicitia. *Sic habendum eſt, nullam in amicitiis peſtem eſſe maiorem quam adulationem, blanditias, aſſentationem... Aſſentatio vitiorum adiutrix procul amoveatur, quæ non modo amico, ſed ne libero quidem digna eſt. Cuius autem aures clauſæ veritati ſunt, ut ab amico vera audire nequeat, huius ſalus deſperanda eſt. Scitum eſt illud Catonis: multo melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri quam eos amicos qui dulces videantur: illos verum ſæpe dicere, hos numquam.... Sed neſcio quomodo verum eſt quod in Andria familiaris meus Terentius dixit: Obſequium amicos, veritas odium parit. Moleſta veritas eſt, ſiquidem ex ea naſcitur odium, quod eſt venenum amicitiæ; ſed obſequium multo moleſtius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri ſinit.... Benevolentiam civium blanditiis, & aſſentationibus colligere turpe eſt.*

XI. Ad quæſtiunculam itaque reſpondeo, quod aſſentationes, blanditiæque non impediunt, ſed contra illiciunt, prolectantque animos contrahentium. Concupiſcentia enim, inquit S. Thomas 1. 2. *quæſt.* vi. *art.* 7. non minuit, ſed auget voluntarium. Aſſentationes autem, & blanditiæ concupiſcentiam titillant, demulcent, provocantque. Sed duplex aſſentationum, & blanditiarum genus diſtinguendum eſt. Blanditiæ, & aſſentationes aliæ ſermonis comitate, geſtus lenocinio, vocum ſuavitate, falſitate & fraude excluſis, animos permulcent, atque delectant. Hoc aſſentationum, & blanditiarum genus non elidere contractus, convenit penes omnes. Blanditiæ aliæ verſutæ, malitioſæ, fraudibus, mendaciis, fallendique artibus inſtructæ, quæ animum & a virtute, & a veritate detorquent. Iſtarum vis, & efficacitas tanta eſt, ut multos quos nec minæ, nec terrores, nec capitis pericula, nec vitæ diſcrimina, nec cruciatus inflectere valuerunt, fractos blanditiis, & a veritate abductos legamus. Civiles contractus hoc blanditiarum, & aſſentationum genere perimi nemo inficiari iure valet, quando contractui cauſſam dent;

cum

Digitized by Google

cum voluntarium omnino tollant. Num vero eiuſmodi doloſæ blanditiæ matrimonium vitient, in eiuſdem tractatu explicabitur.

XII. De precibus importunis plura Auctores diſputant, quæ in præfato de matrimonio commentario ſuam habent ſedem propriam. Ad præſens inſtitutum quod attinet, dico primum, preces importunas ſuapte natura non efficere contractus inanes. Numquid pro infectis, aut non impetratis habemus quæ importunis precibus a Deo ipſo obtinemus? An divinæ Scripturæ nos non admonent, Deum ipſum precum aſſiduitate, & importunitate molliri, noſtro intelligendi modo ſpectato? Quid quod fere omnes ſe rogari, & repetitis precibus commoveri cupiunt, ut rogatoribus impetrata concedant? Si vero quis ad preces importunas compoſita addat mendacia, conſutoſque dolos, ut alteri auctor ſit ineundi contractus; tum contractum creari nullum, patet ex iis quæ hactenus dicta ſunt.

CAPUT VI.

De contractibus initis ſub cauſſa, modo, demonſtratione, conditione.

I. QUæſt. I. *Quid ſignificat inire contractum ſub cauſſa?* Reſp. Tum *ſub cauſſa* celebrari contractus dicitur, cum cauſſa proditur qua quis inducitur ad contrahendum. Cauſſa duplex: finalis una, impellens altera. Finalis ita permovet contrahentem, ut, illa ſublata, non contraheret. Impellens allicit contrahentem, ut facilius contrahat; contraheret tamen, etiam illa ſublata. Sempronius paupertate preſſus effingit ſe tuum eſſe conſanguineum, ut ad ſecum contrahendum de aliqua merce te inducat. Eo animo contrahis, ut ſi ſcires Sempronium haud eſſe talem, abſtineres omnino a contractu. Hæc cauſſa finalis nuncupatur: quia permovet, & inducit ad operis executionem. Si vero, etiam conſanguinitate non exiſtente, contractum inires, quamvis non ita facile, diceretur cauſſa impulſiva. Valet in poſteriori, nullus in priori caſu contractus eſt. In dubio præſumendum eſt cauſſam fuiſſe impellentem, non finalem.

II. Quæſt. II. *Quid ſit modus contractui additus?* Reſp. Modus contractui adiectus, onus quoddam eſt, implendum ab eo qui contractum ſuſcipit, & acceptat. Modus iſte non ſuſpendit, ut conditio, ſed perfectum contractum ſupponit. Peccas tamen iuxta impoſiti oneris gravitatem, niſi id præſtes quod tibi impoſitum eſt. Modus exprimi his particulis ſolet, *ut*, *pro*, *ne*, aliiſque id genus. Lego tibi mille aureos, *ut* conſtruas mihi domum, vel *pro* reficienda domo, aut *ne* tibi pecunia deſit ad eleemoſynam erogandam. Modus maximam cum conditione propin-

Digitized by Google

pinquitatem habet. Diſcrimen utriuſque ex diſponentis mente eruendum eſt. Si de mente diſponentis ambigitur, ſub conditione interpretanda diſpoſitio eſt.

III. Quæſt. III. *Quid ſit demonſtratio in contractu?* Reſp. Contractus *ſub demonſtratione* celebratur, quando aliquid indicatur vel rei de qua fit diſpoſitio, vel eius cum quo contrahitur; ut ſi dicatur: Vendo tibi equum, quem emi Patavii, tui gratia. Tecum contractum ineo, quod amicus meus ſis.

IV. Quæſt. IV. *Quomodo circumſtantiæ iſtæ vitient contractum?* Reſp. Præfatæ circumſtantiæ communiter contractum non vitiant: quia contractui cauſſam non dant. Ut enim dicatur, aliquam circumſtantiam dare cauſſam contractui, non ſufficit quod contrahens abſtinuiſſet a contractu, ſi talem agnoviſſet circumſtantiam: alioquin omnes fere contractus nulli eſſent; cum frequentiſſime, peracto contractu, aliquid in merce deprehendatur quod ſi cognitum antea fuiſſet, abſterruiſſet contrahentem a contractu ineundo. Pauperes oſtiatim ſtipem petentes, maiorem qua premuntur paupertatem ementiuntur; nec propterea ad reſtitutionem tenentur: quia licet eleemoſynam non erogaſſet dives, cognita minori egeſtate; tamen cauſſa princeps movens non fuit illa ficta maior egeſtas, ſed caritas. Quare, ut diſtinguatur cauſſa finalis a cauſſa impellente, circumſtantiæ ſpectandæ ſunt. Et potiſſimum hæc diſtinctio ab agentis voluntate pendet, qui poteſt ſibi præſtituere pro cauſſa finali id quod reſpectu alterius eſt tantum cauſſa impulſiva.

V. Quæſt. V. *Quomodo interpretandus eſt contractus ad diem, & ſub disiunctione?* Reſp. Si dies deſignatus determinate ſit, eodem præſtituto die celebrandus contractus eſt. Debitor non tenetur illum ante præfinitum diem complere, nec poſt illum diem eumdem procraſtinare valet. Si dies non præfinitus, ſed incertus ſit conditioni annexus; tum expectanda conditio eſt. Si nulla adiecta conditio fuerit, arbitrio prudentum præfigi tempus determinatum debet, circumſtantiis inſpectis. Disiunctio poteſt comprehendere diverſas ſpecies; ut ſi dicas, Promitto tibi equum, vel quinquaginta aureos; ambæ ſpecies ſub obligatione manent, ſed diſiunctive; & electio in arbitrio eſt promiſſoris, ut habetur in regul. 70. iur. in 6. *In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimplere.* Una ſpecie pereunte, alteram quæ ſupereſt, exhibere debitor tenetur. Si promiſiſti bovem, vel equum, pereunte equo, bovem dare aſtringeris; nec pretium ſubſtituere vales, renuente creditore. Si alternativa afficiat eamdem rem ſecundum magis vel minus, plus aut minus temporis; ut ſi dicas, Promitto quinquaginta, vel quadraginta, hoc, vel altero anno danda; tum quod minus eſt, eligere debitor valet, ut ſtatuitur *l.* 109. *ff. de verbor. ſignifi.* ubi hæc habentur. *Si ita ſtipulatus fuero, Decem, aut quindecim dabis, decem debentur.* Item, ſi ita: *Poſt annum, aut biennium dabis; poſt biennium dabis: quia in ſtipulationibus id ſervatur, ut quod minus eſſet, quodque lon-*

Digitized by Google

longius eſſe videretur, in obligatione deductum intelligatur. Quod ſi per errorem maius datum fuerit, reſtitui debet.

VI. Quæſt. VI. *Quomodo obliget contractus conditioni illigatus?* Reſp. Conditio contractui adiecta ſpectat tempus aut præteritum, aut præſens, aut futurum. Conditio quæ duo priora tempora reſpicit, non eſt propria conditio; cum non ſuſpendat contractum, ſed abſolutum efficiat. Quia aut conditio impleta eſt; & tum contractus perſectus eſt: aut conditio non fuit poſita; & tum nullus eſt contractus: ut ſi dicas: Do tibi quinquaginta aureos, ſi negotium meum peregiſti: ſi peractum negotium eſt, valet; ſi ſecus, nullus contractus eſt. Conditio igitur proprie accepta futurum tempus ſpectat.

VII. Porro conditionum aliæ neceſſariæ ſunt vel natura ſua, ut Si cras ſol ſit exoriturus; aut ex divina præfinitione, ut Si iudicium univerſale futurum ſit. Aliæ generales, quæ omnes comitantur contractus, ut Si vixerimus, ſi conſenſerimus. Aliæ ſunt impoſſibiles vel ex ipſa rei natura, ut Contractum tecum inibo, ſi volaveris ad cælum; vel ex iure poſitivo, ut Contraho tecum, ſi clauſtrali licet abſque Superioris facultate contractum celebrare. Aliæ ſunt impoſſibiles ex ipſo facto; ut Contraho tecum, ſi virgo ſis, quam corruptam agnoſcit. Aliæ tandem ſunt contingentes. Et harum aliæ ſunt honeſtæ, aliæ turpes, quæ impleri abſque peccato nequeunt.

VIII. Conditiones intrinſecus neceſſariæ non ſuſpendunt contractum, quando ut tales cognitæ a contrahentibus ſunt. Aliquando conditiones eiuſmodi ponuntur pro temporis deſignatione; & tunc differtur contractus executio uſque ad tempus deſignatum; ut ſi dicas: Contraho tecum pro tempore quo cras oriturus ſol eſt. Quando conditiones non cognoſcuntur a contrahentibus ut neceſſariæ, ſuſpendunt contractum, quia illis ſunt contingenter futuræ. Idem dicendum de conditionibus ex divina præfinitione determinatis. Similiter conditiones generales quæ omnibus inſunt contractibus, eoſdem non ſuſpendunt: quia reputantur, ac ſi non eſſent adiectæ. Conditiones impoſſibiles, cognitæ a contrahentibus, contractum nullum efficiunt, etiam matrimonii, quando deliberate apponuntur. Quia tum nolunt reipſa contrahere. Quando tamen non conſtaret contrahentes ſcienter & deliberate voluiſſe contractum illigare conditioni impoſſibili; in contractu matrimonii, & ultimis voluntatibus reiiciuntur eiuſmodi conditiones ex ſpeciali iuris diſpoſitione, ut ſuo loco explicabitur; quemadmodum in his duobus contractibus turpes conditiones pro non adiectis habentur. Conditiones vero turpes, & impoſſibiles, ceteris adiectæ contractibus, eoſdem in utroque foro nullos reddunt. Conſenſio quippe ſub conditione quæ aut impoſſibilis eſt, aut apponi ſine peccato nequit, nulla eſt. Et ſi conſenſus eſt nullus, contractus ſimiliter nullus evadit. Conditiones contingenter futuræ, & honeſtæ contractum ſuſpendunt uſque ad earum eventum,

tum, quando adiectæ ſunt ab alterutra parte ante, vel in ipſa contractus celebratione; aut ſi etiam poſt initum contractum adiiciantur ex reciproco contrahentium aſſenſu. Sicut enim poſſunt ex mutuo aſſenſu contractum civilem reſcindere; ita valent pro arbitrio conditiones apponere. Excipitur matrimonium; quod ſemel peractum nec poteſt mutuo conſenſu diſſolvi, nec conditionibus gravari.

IX. Diſputant Auctores, utrum contractus conditione honeſta contingenter futura ſuſpenſus, ſtatim perficiatur ac conditio advenit, ſine novo conſenſu. Plures requirunt novum conſenſum. Alii affirmant, ſufficere priorem iam datum. Mihi probabilius eſt, novum requiri conſenſum. Quoniam prior conſenſus non fuit abſolutus, & perfectus. Contractus vero abſque abſoluto, & perfecto conſenſu non valet. Neque eventus conditionis perficere priorem conſenſum valet; cum actus voluntatis ſit iam elapſus. Quid quod conditio, exterior cum ſit, nullo modo efficere valet ut interior voluntatis conſenſus liber, & voluntarius abſolute evadat? Verum de hoc fuſius in tractatu de matrimonio. Si conditio tempore præfinito appoſita non fuerit, nullus ipſo facto contractus eſt.

CAPUT VII.

De iis qui valide, & licite inire contractus valent: & de ſolemnitate iuris ad contractus neceſſaria.

I. Omnes, & ſoli qui uſu rationis, & bonorum ſuorum libera adminiſtratione præditi ſunt, inire contractus abſolute valent. Heinc infantes ante rationis diluculum, amentes, furioſi, ebrii, dormientes, omneſque rationis luce deſtituti ad contractus celebrandos inepti ſunt. Similiter prodigi, pupilli ante decimum quartum annum, minores ante vigeſimum quintum ſine reſpective curatorum, & tutorum aſſenſu contrahere nequeunt. Ad hoc tamen ut prodigus ineptus ſit ad contrahendum, neceſſe eſt ut iudicis ſententia declaratus prodigus ſit. Hac iuridica declaratione facta, prodigus eo ipſo, abſque novo decreto, ineptus ad contractus celebrandos evadit. Servi naturalem obligationem ſubire valent; quamvis in foro civili non aſtringantur; at in foro conſcientiæ implere promiſſa debent quæ abſque domini præiudicio exequi poſſunt. Servi, & domini mutua obligatione naturali ſeſe aſtringere poſſunt. Quare valent, lege naturali ſpectata, inter ipſos conventiones, & pacta libero conſenſu peracta. Similiter obligatione naturali Princeps implere contractus cum ſubditis initos aſtringitur; quamvis cogi civiliter a nemine poſſit. Declarari tamen & Princeps a iudice poteſt aſtrictus ad

id

Digitized by Google

id præſtandum quod ex contractu tenetur. Tutores, & curatores nequeunt, durante cura & tutela, cum minoribus, pupilliſve contrahere; ut pluribus legibus definitum eſt. Tandem executores teſtamentorum nequeunt emere res defuncti, aut de eiſdem contractus inire, abſque iudicis, aut aliorum omnium executorum voluntate. Neque advocati emere clientum bona, de quibus lites agunt, valent; ut plura iura decernunt. Uxores nequeunt de dote, eiuſque fructibus, de bonis familiæ contrahere, maritis invitis: quoniam horum bonorum liberam non habent adminiſtrationem. De aliis bonis quæ præter dotem ſecum detulerunt, diſponere valent, ut alibi fuſius explicatum eſt.

II. Quæſt. I. *An pupilli, & minores de aliquibus bonis, inconſultis tutoribus, & curatoribus, diſponere valeant?* Reſp. *Pupillus* dicitur annum pubertatis (qui in maſculis eſt quartusdecimus, in feminis duodecimus) non aſſecutus. AEtas proxima pubertati in maſculis eſt annusdecimus uſque ad quartumdecimum, in puellis eſt annusnonus cum dimidio uſque adduodecimum. *Minores* autem nuncupantur qui annum vigeſimumquintum non impleverunt: poſt vocantur *Maiores*. Ad quæſitum reſpondeo, pupillos, & minores, quando ſunt doli capaces, poſſunt contractus inire de bonis quorum ipſi liberam habent adminiſtrationem, qualia ea ſunt quæ ipſis vel a parentibus, vel a tutoribus, amiciſve conferuntur, ut pro ingenio & libertate iiſdem utantur. Icti tamen communiter etiam pro hac bonorum diſpoſitione requirunt ætatem proximam pubertati: quod profecto & mihi probatur: quia non ita frequenter ante hoc tempus rationis uſu pro ineundis cum hominibus callidis & verſutis contractibus potiuntur: nam eiuſmodi commercia plus luminis, & rationis requirunt quam plura alia hominum officia.

III. Bona vero immobilia, aut mobilia, quæ ſervando ſervari poſſunt, diſtrahere minores, & pupilli nequeunt abſque iudicis facultate; quæ ſine iuſta cauſſa concedi non poteſt. Nullam itaque obligationem, ſive civilem, ſive naturalem, pupilli, & minores contrahunt implendi promiſſa de præfatis bonis facta, etiam cum licentia tutorum, & curatorum, ſi iudicis ſententia deſit: quia ita iura ſanxerunt l. *Quæ tutores* 22. *C. de adminiſtratione tutor.* De bonis mobilibus minor contrahere poteſt, ſi curatore careat; & uti beneficio reſtitutionis in integrum, ſi lædatur; ſecus pupillus: quia huic interdicta eſt bonorum adminiſtratio. Valet tamen in ſui commodum alium ſibi devincire. Habita vero curatoris, & tutoris facultate, tam minor, quam pupillus poſſunt de bonis mobilibus quæ ſervando ſervari nequeunt, contrahere, & obligationem tam civilem, quam naturalem ſubire. Illa bona mobilia dicuntur *ſervando ſervari poſſe* quæ ultra triennium poſſunt conſervari; ut aurum, gemmæ, & cetera eiuſmodi. Quæ vero triennium non durant, dicuntur *ſervando ſervari non poſſe*. Si autem abſque facultate obtenta contrahant, civiliter ſaltem devincti non manent.

IV.

Digitized by Google

IV. Quæſt. II. *An pupilli, & minores contrahentes, abſque tutoris, & curatoris licentia, de iis de quibus cum eorumdem facultate contractus inire valent, maneant ſaltem naturaliter obligati?* Reſp. Sermo eſt de bonis mobilibus non pretioſis, quæ ſervando ſervari nequeunt, & alienari cum tutoris, & curatoris aſſenſu: ſiquidem de immobilibus, aut mobilibus pretioſis, quæ ſervando ſervari valent, neque cum facultate tutoris, & curatoris pupilli, & minores diſponere queunt; ut iam dictum eſt. Pro licita, & valida harum rerum diſpoſitione iudicis decretum neceſſarium eſt.

V. Duplex occurrit hac de re ſententia. Prima ſuſtinet, pupillum, & minorem contrahentes de præfatis bonis, inconſultis tutoribus, & curatoribus, naturali lege, & in foro conſcientiæ obligatos eſſe, tametſi liberi ſint in foro civili. Hinc qui cum iiſdem contractus inivere, non tenentur ante iudicis ſententiam data accipere, contractuſque reſcindere. Quoniam, inquiunt Auctores iſtius ſententiæ, pupillus proximus pubertati, & minor vigintiquinque annorum doli capaces ſunt, liberumque præbere conſenſum valent. Contractus autem libero, mutuoque conſenſu nixus, valet. Accedit quod plures leges hanc naturalem obligationem pupillorum, & minorum declarant. Tandem fideiuſſor minoris obligatur tum civiliter, tum naturaliter, ut communis ſententia fert. Ergo ſupponit obligationem minoris: quia fideiuſſor non aſtringitur, quando principalis nullo modo devinctus eſt. Hanc ſententiam defendunt Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* I. *punct.* 5. *num.* 45. ubi citant Sanchez *Lib. VI. de Matrim. diſp.* XXXVIII. Rebell. *II. Par. Lib. I. quæſt.* VIII. Lugo *diſp.* XXII. *ſec.* 10. Leſſium *Lib. II. cap.* XVII. *dub.* 8. *num.* 61. Caſtropalaum *diſp.* I. *punct.* 4. *§.* 3. Filliucium *tract.* XXXIII. *cap.* III. *quæſt.* IV. Dianam *Part. II. tract.* V. *reſol.* 44. Layman, Tannerum, & alios.

VI. Contraria ſententia mihi probabilior eſt. Fatentur adverſarii, in foro civili nullos eſſe eiuſmodi contractus, initos a pupillis, & minoribus abſque curatorum, & tutorum licentia. Cur invalidi? Ex aliqua præſumptione? Minime. Cur ergo? Quia leges civiles conceptis verbis decernunt, eiuſmodi pupillorum contractus nullos eſſe. Hæc enim habentur *I. Inſt. §.* Quibus alienare non licet. *Neque pupillum, neque pupillam, ullam rem ſine tutoris auctoritate alienare poſſe . . . . . . Nec debitum ſolvere ſine auctoritate tutoris poſſe: quia id quod ſolvunt, non fit accipientis; cum ſcilicet nullius rei alienatio eis ſine tutoris auctoritate conceſſa ſit.* Item *Lib. II. §. de acquir. rer. domin.* hæc habentur. *Pupillus quantum ad acquirendum non indiget tutoris auctoritate; alienare vero nullam rem poteſt, niſi præſente tutore auctore.* Plures alios textus prætereo brevitatis gratia. Leges civiles legitimæ iuſtæque obligant in conſcientia. Præfatæ leges irritos declarant recenſitos pupillorum, & minorum contractus, peractos inconſultis tutoribus, & curatoribus. Ergo nulli ſunt etiam in foro conſcientiæ. Nunne, ut quis in foro

con

conſcientiæ valide contrahat, requiritur libera bonorum diſpoſitio? Sed hac pupilli, & minores carent. Ergo nulli ſunt in utroque foro tum interno, tum externo recenſiti contractus. Quid quod adverſa ſententia in nihilum amandat leges omnes civiles? Alterutrum ergo concedere adverſarii coguntur: aut leges civiles non obligare in conſcientia; quem manifeſtum errorem numquam ipſi admittent: aut ſi concedunt recenſitas leges obligare in foro externo, ultro concedant neceſſum eſt, eaſdem obligare quoque in foro interno. Fatentur, pupillorum, & minorum contractus nullos in foro civili eſſe. Ergo nulli quoque ſunt in foro conſcientiæ. Poſſem ſententiam noſtram confirmare ex pluribus antilogiis, quibus ſe conficiunt adverſarii. Sed non eſt operæ pretium. Vanum, & falſum eſt quod reſpondet P. Viva *quæſt. 1. art. 5. num. 2.* nempe leges civiles prohibere, non autem irritare eiuſmodi contractus. Quod ut evincat, allegat l. *Marcellus ff. de fideiuſſoribus*. Sed hæc lex perperam omnino obtruditur; cum ibi non examinentur contractus pupillorum, & minorum. Leges quas nos allegavimus, abſolute contractus iſtos, & reipſa in foro civili irritos, ac nullos declarant. Ergo interpretatio P. Viva eſt arbitrarium commentum.

VII. Adverſæ ſententiæ fundamenta nullius ſunt roboris. Ad primum enim dicitur, utique pupillos proximos pubertati, & minores, doli eſſe capaces, præditoſque libertate ad contrahendum, niſi leges civiles obſtarent, quæ illorum contractus irritos decernunt. Ad ſecundum dicitur, aliquas leges civiles obligare pupillos contrahentes ſine tutore in iis in quibus facti ſunt ditiores, ſeu quatenus facti ſunt ditiores. Ad tertium dicimus, quod fideiuſſores pupillorum, cum ſciant pupillos nulla facultate pollere ad contrahendum abſque vel iudicis, vel tutorum voluntate, dum pro ipſis fideiubent, principalem perſonam contrahendi induunt; ideoque implere quod ſpondent, aſtringuntur. Nam ipſi, cum fideiubent, ſciunt ſe vel a iudice, vel a tutoribus, prout opus fuerit, obtenturos facultatem valide contrahendi: idcirco ipſi fideiubent tamquam perſona principalis. Tenentur ergo qui cum pupillis contrahunt abſque licentia tutorum, ante iudicis ſententiam reſtituere quod acceperunt.

VIII. Penes omnes convenit, pupillos pubertati proximos poſſe in proprium commodum ſine auctoritate tutoris cum maiore contrahere; non autem in ſuum incommodum. Hoc quippe privilegio iura teneram pupillorum ætatem donarunt, quo ſcilicet iiſdem in proſpere geſtis non nocerent, & in adverſis ſuccurrerent. Quamobrem ſi pupillus aliquid emit, inconſulto tutore, nequit venditor pupillum cogere ad pretium ſolvendum; ſed ſolum ad mercis reſtitutionem. Contra, ſi pupillus ſtare contractui velit, urgere civiliter poteſt venditorem ad mercem pro conſtituto pretio tradendam. Idemque dicendum de minore. Si pupillus, aut minor accipiat pecuniam mutuam in uſus utiles, aut neceſſarios expendendam,

&

& ex ea factus ſit ditior; ad reſtitutionem tenetur; ſecus vero, ſi mutuo acceptam pecuniam prodegerit, & in uſus ſuperfluos ac inutiles conſumpſerit. Si tamen mutuator pecuniam dedit bona fide, exiſtimans pupillum eam in uſus utiles conſumpturum; naturali æquitate pupillus reſtitutioni obnoxius eſt.

IX. Quæſt. III. *Quæ iuris ſolemnitas ad contractuum valorem neceſſaria eſt?* Reſp. Duplex iuris ſolemnitas. Altera eſt accidentaria, quæ non ſubſtantiam, ſed quaſdam formulas in contractibus ſervandas ſpectat; ut ſunt proclamationes in matrimonio, quibus etiam deficientibus, matrimonium valet, ſicut & ceteri conrractus omnes validi ſunt abſque accidentaria ſolemnitate celebrati. Alia eſt ſolemnitas ſubſtantialis, quæ eſſentiam ipſius contractus reſpicit, & qua deficiente contractus nullus eſt. Si autem perconteris, unde colligi diſcrimen poſſit inter ſolemnitatem accidentalem, & ſubſtantialem, reſpondeo ex legum diverſitate. Nam alia lex prohibet, alia irritat contractum. Lex quæ tantum prohibet aliquem contractum abſque hac aut illa formula, modo, conditioneve, non irritat eo ipſo contractum. Quare communi fere proverbio circumfertur: Multa prohibentur fieri quæ facta tenent. Lex quæ nedum prohibet, ſed etiam irritat contractum, niſi ſub præſcripto ritu celebretur, reddit contractum nullum, ſi præſcripta iuris ſolemnitate deſtitutus ſit.

X. Quæſt. IV. *Contractus qui abſque iuris ſolemnitate ſubſtantiali celebratus, in foro exteriori nullus eſt, valet ne in foro conſcientiæ?* Reſp. Convenit penes omnes, contractus matrimonii, & profeſſionis monaſticæ nullos in utroque foro eſſe, ſi abſque ſolemnitate ſubſtantiali celebrentur. De aliis contractibus Auctores diſputant in utramque partem. Prima opinio adfirmat, contractus celebratos abſque ſolemnitate ſubſtantiali, quique in foro exteriore nulli ſunt, validos eſſe in foro conſcientiæ. Quoniam leges irritantes contractus fundantur in præſumptione doli, vel fraudis. Leges autem, eiuſmodi præſumptione nixæ, ceſſante dolo, & fraude, non obligant in conſcientia. Siquidem, ceſſante fine legis, ceſſat lex. Finis harum legum eſt declinatio fraudis, doli, & fallaciarum. Ergo dum hæc omnia ceſſant, contractus validi ſunt. Tandem quod lege naturæ validum eſt, infirmari poſitiva lege nequit. Quiſque autem naturæ lege valet in aliorum dominium ea transferre quorum ipſe dominus eſt. Ergo dum contrahentes permutant merces quarum domini ſunt abſoluti, eorum contractus in conſcientiæ foro, ſublata omni iuris ſolemnitate, validi ſunt. Heinc teſtamenta ad pias cauſſas valent, etiamſi deſint iuris ſolemnia. Hanc opinionem defendunt Sotus *Lib. IV. de iuſt. & iur. quæſt.* v. *art.* 5. Bannez 2. 2. *quæſt.* lxii. Pradus *cap.* xxvi. *quæſt.* vi. Serra 2. 2. *quæſt.* lxvi. *art.* 2. *concluſ.* 2. Sanchez *Lib. IV. conſil. cap.* 1. *dub.* 14. Filliucius *tract.* xxxiv. *cap.* vii. Reginaldus *Lib. XXV. num.* 105. Leſſius, Lugo, Salmanticenſes, qui licet oppoſitam tueantur ſententiam, docent de more utramque

eſſe

Digitized by Google

eſſe probabilem. Quo probabiliſtico principio admiſſo, alterutrum pro arbitrio ſeligere poteris.

XI. Nos, qui non probabilitatem, ſed veritatem inveſtigare pro viribus nitimur, recenſitam ſententiam ut falſam reiicimus; & oppoſitam ut veram, ſeu veritati propinquiorem, ampleɛtimur, eamque hoc pacto evincimus. Omnia ſubditorum bona in ordine ad publica commercia peragenda ſupremarum poteſtatum directioni & regimini ſubiacent. Ergo ſupremæ poteſtates formam, & ritus præſcribere valent ad quarum normam celebrari contractus debeant, & quibus non ſervatis irriti ſint. Porro hæc poteſtas ſuprema ea præſcribendi quæ publicis commerciis, & ſocietati prævidentur opportuna, non modo bono publico & communi expedit, ſed apprime neceſſaria eſt. Societas autem, & bonum publicum commerciis potiſſimum, ac negotiationibus nititur. Ergo Legumlatorum maxime eſt eas præfinire, & ſtatuere regulas quibus commercia, & negotiationes ordinentur, & regantur, prout opportunius bono communi conferunt. Error ergo manifeſtus eſt, ſocietati humanæ, & publico bono infeſtus, aſſerere, quod ſubditi in conſcientiæ foro iſtarum legum obſervationi aſtricti non ſint. Error eſt a divinis Scripturis, præſertim a S. Paulo Apoſtolo improbatus, his verbis. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi a Deo. Quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt... Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. Ad Rom. XIII.

XII. Catholicorum nemo aperte, & recta ſeſe opponit doctrinæ Apoſtoli. Nemo inficiari audet, ſupremas poteſtates facultate inſtructas eſſe ad ſubditorum conſcientias iuſtis legibus adſtringendas; ſed per cuniculos & anfractus adverſus eiuſmodi leges machinantur non pauci. Argutantur, leges iuſtas & abſolutas utique conſcientias urgere ſubditorum. At leges contractus irritantes, abſolutæ non ſunt; ſed præſumptione doli & fraudis, in contractibus occurrentium, nituntur. Fraudibus ergo ſublatis, leges conſcientiam non devinciunt: quia ceſſante fine legis, ceſſat lex. Quo principio conſtituto, in ſumum occidunt leges omnes. Sophiſtica cavillatio ſeipſa corruit, ſi advertas, legumlatores experimento cognoſcentes quam frequenter fraudes in commerciis ſerpant, regulas & formulas præſcripſiſſe, abſolute in omni contractu ſervandas: & quamvis in hoc aut illo contractu reipſa nec fraudes, nec doli occurrant; tamen ob bonum commune abſolute decernunt, nullum eſſe quemcumque contractum præſcripta ſolemnitate deſtitutum. Quilibet obtrudere poſſet, in hoc aut in illo contractu ceſſare legis finem, nullam adeſſe fraudem; atque adeo validum eſſe. Heinc leges maximam inveherent confuſionem. Siquidem iidem omnino contractus, ſolemnitate legum carentes, eſſent, & non eſſent nulli; eſſent, & non eſſent validi iuxta varia hominum commenta, qui pro ingenio, & commodo leges eluderent, & in propria

Digitized by Google

ſenſa detorquerent. Quare ſapientes Legiſlatores, ut & turbulenta legum interpretamenta, & humanæ ſocietatis confuſionem tollerent, abſolutas leges rogarunt, quæ ritus & conditiones in contractuum celebratione ſervandas præſcribunt. Nonne ſinguli contrahentes ex arbitrio, mutuoque conſenſu conditiones, & formulas honeſtati & naturæ iuri non repugnantes ſtatuere valent, in contractu ineundo exequendas, quibus fractis, inanis contractus ſit? Et quod privati præſcribere valent, id vetitum ſupremis poteſtatibus erit?

XIII. Ex iis quæ dixi, corruunt adverſæ ſententiæ fundamenta. Leges non fraudis, dolive præſumptione nituntur; ſed ſcientia periculi, & fraudum, quæ reipſa occurrunt, & occurrere poſſunt. Quod periculum abſolute ſemper conſiſtit; tametſi iſtius periculi effectus in hoc aut in illo caſu non accidat. Leges quod per ſe & natura ſua accidere ſolet reſpiciunt; & ideo abſolute aut vetant, aut præcipiunt quod bono communi congruit. Nec ſolemnitates a legibus præſcriptæ iuri naturali obſunt; ſed ad eiuſdem cuſtodiam, & ſecuriorem obſervantiam inſtitutæ ſunt. Eo quippe pertinent eiuſmodi leges ut a fraudibus & dolis ea quæ iuris naturæ ſunt, inviolata conſiſtant. Quod ultimo loco opponunt adverſarii, falſo laborat ſuppoſito, ut dicitur. Nam teſtamentum ad pias cauſſas legum ipſarum beneficio exemptum eſt ab iis ſolemnitatum ritibus quibus ſubiacent alii contractus: idcirco validum eſt.

XIV. Quoniam opportuna occaſio ſeſe ſponte offert patefaciendi lectori meo quæ ſit vis modi opinandi probabiliſtici, qui per univerſam chriſtianam Theologiam graſſatur, tranſcribo conſectarium quod Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* I. *punct.* 6. *num.* 52. ex utriuſque opinionis probabilitate colligunt. Quod antequam præſto, te monitum velim, conſectarii ſaxitatem non tam perdoctis, probiſque viris, quos ego magnopere colo, ſuſpicioque, adſcribendam eſſe, quam ipſi modo opinandi probabiliſtico, quem neceſſario conſequuntur abſurdiſſimæ laxitates, quæ morum integritatem pervertunt. Serio perpende quæ laudati Theologi ſcribunt, & tu te iudex eſto.

XV. „ Cum ergo utraque dicta ſententia *probabilis* ſit, qui *primam ſequi vellet*, „ poterit, ſi heres, aut legatarius inſtituatur teſtamenti minus ſolemnis, heredi- „ tatem, vel legatum procurare, & ſi adipiſcatur, retinere; & idem *eſt de aliis* „ *contractibus*. Et ſecundum noſtram ſententiam, poterit heres ab inteſtato non „ dare hereditatem, aut legatum teſtamenti minus ſolemnis: quia ſecundum il- „ lam invalidum manet teſtamentum etiam in foro conſcientiæ; ideoque ſuccedit „ heres ab inteſtato, ac ſi confectum non eſſet. Sed quia probabiliorem diximus „ hanc ſententiam, poterit dictus heres uti occulta compenſatione, ſi legatarius, „ aut heres inſtitutus aliqua via legatum, aut hereditatem adierit: quia, ut di- „ ximus (*tract.* XIII. *cap.* I. *punct.* 19. *§.* 3.) datur locus compenſationi, quando „ eſt

Digitized by Google

„ eſt probabilior ſententia, quod ſibi talia bona debentur. Sed hoc non poterit „ heres, aut legatarius facere, ſi heres ab inteſtato nolit reddere quod in teſta„ mento minus ſolemni redditum eſt, etiamſi conformare ſe velit alienæ opinioni „ niſi eam iudicet probabiliorem: quia, eo quod ſit probabile aliquid deberi, lo„ cus compenſationi non datur, ut ibidem *ſ. 3. num. 319.* probavimus. *Sed adhuc* „ *poſſe, utramque ſequendo opinionem ſolum ut probabilem, tenent Villalobos, & Leſ*„ *ſius.*"

XVI. Quæ non implerem folia, ſi omnia perſequi vellem furta, fraudes, rapinas, & ſcandala, quæ inevitabiliter præfatum opinandi modum conſequuntur? Verum hæc omnia brevitatis ſtudio prudenti lectori perpendenda remitto. Quid refert quod eiuſmodi opinatores iudicent aliquam opinionem probabiliorem, ſeu veritati conformiorem eſſe; ſi ſimul concedunt, tibi licitum eſſe amplecti alteram contrariam, quam cognoſcis a veritate remotiorem: & iuxta hanc opinandi contrarietatem te poſſe teſtamenta, legata, contractus, negotia, commercia ordinare, dirigere, merces dare, retinere, latrocinari, ſeu occulte te compenſare, & alia id genus quæ neceſſario inde proficiſcuntur? Præfatus opinandi modus damnatus ab Eccleſia eſt, dum de controverſiis ad iuſtitiam ſpectantibus ferenda iudicia ſunt: & Probabiliſtæ eiuſdem uſum etiam in eiuſmodi argumentis adhibendum prædicant. Verum de hoc alias. Nunc collige dumtaxat quas in commercia, in ſocietatem perturbationes, quæ furta invehat Probabiliſmus, cuius uſu heredes ab inteſtato, & heredes inſtituti, legatarii, & contrahentes omnes poſſunt quæ ſibi magis favet opinionem eligere, & iuxta opinandi diverſitatem clam & occulte bona ſibi mutuo ſurripere. Ultro fateor, frequenter veritatem latitare, & Theologos in contrarias partes abire. At ſemel poſito quod poſt diligens examen agnoſcas opinionem veritati propinquiorem, oppoſita minus probabilis improbanda eſt, & unica incedendum eſt ſemita; cum una ſit via quæ ad vitam ducit. Et illi qui per oppoſitas ambulare vias contendunt, vereor ut portum ſint aſſecuturi.

CAPUT VIII.

Quomodo iuramentum confirmet contractus iure naturæ, vel poſitivo irritos.

I. IMpedita eſt quæſtio propoſita, ideo diligenter enucleare illam debemus, & quæ certa ſunt, ab incertis ſeiungere. Et primo omnes hæc duo diſtinguunt, nempe iuramenti valorem, & contractus confirmationem. Iuramentum validum eſt, quando invocatur divinum teſtimonium in veritatis confirmationem; ſervan-

Digitized by Google

dumque eſt religionis titulo, etiamſi is cui iuratur, nullum ius acquirat. Confirmat contractum, quando contractus validus eſt; & tum non modo religionis, verum etiam iuſtitiæ debitum inducit, quod tranſit ad heredes. Iuramentum, ſive confirmet contractum, ſive ſecus, validum eſt, quoties impleri ſine peccato, & damno alterius poteſt. Idcirco obſervandum, quod dum confirmat contractum, diſpenſationem non excipiat ob tertii damnum; admittit vero eam, iuſta occurrente cauſſa, dum contractum non firmat.

II. Excipiunt tamen aliquos caſus Auctores in quibus iuramentum non firmat contractum, & ſervari ſine peccato poteſt, nec tamen obligat. Primus eſt renuntiatio Novitii, inconſulto Epiſcopo, vel eius Vicario, facta & iurata intra duos menſes proximos profeſſioni. Quoniam Tridentinum *ſeſſ.* XXI. *cap.* XXV. *de Reg.* irritat tum renuntiationem, tum iuramentum. Secundus caſus quem producunt, eſt, cum quis promiſſionem facit, eamque iurat in favorem tertii abſentis, vel præſentis, qui promiſſum non acceptavit: quia iuramentum ſequitur naturam actus cui adiicitur. Si promiſſio facta ob defectum acceptationis nulla eſt, nullum quoque iuramentum eſt eam comitans. Ita docent Salmanticenſes *loc. cit. punct.* 7. *num.* 59. ubi pro eadem opinione citant Sanchez, Leſſium, Bonacinam, Trullenchum: qui duo ultimi addunt, promiſſionem hanc revocari poſſe, etiamſi promiſſor iuraverit ſe illam non revocaturum.

III. Sed hanc opinionem ego reputo falſam: quia, ut in tractatu de iuramento dixi, veritas iuramenti promiſſorii eſt executio rei promiſſæ. Ergo quoties promiſſio non impletur, periurum evadit iuramentum. Revocari utique promiſſio non acceptata valet, ordine iuſtitiæ ſpectato. At iurata cum ſit, ad vitandum periurium impleri debet. Tum ſolum revocari promiſſio non acceptata, etiamſi iurata, poſſet, quando promiſſor iuramentum adieciſſet, reſpectu habito ad acceptationem promiſſarii. Ceterum ſi abſolute iuravit ſe velle promiſſionem non acceptatam implere, ſervandum eſt iuramentum. Si tibi rigida hæc doctrina eſt; tu ex illis es qui incauta, & ſine neceſſitate multiplicata Chriſtianorum iuramenra defendunt. Non iurent iſti niſi neceſſitate urgente; & omnis doctrinæ rigor ceſſabit. Familiarem iſti habent continenter iurandi corruptelam. Deinde cum incommoda illis eſt iuramenti obſervantia, non erubeſcunt contendere, ut Theologi opiniunculam inveniant, qua a ſervando iuramento liberentur. Abſurdiſſima eſt opinio *Bonacinæ*, & *Trullenchi*, aſſerentium, revocari promiſſionem poſſe, etiamſi promiſſor iuraverit ſe illam non revocaturum. Ecqui fieri poteſt ut hoc in caſu periurium vitetur?

IV. Quæſt. I. *An iuramentum vel dolo, vel metu extortum, quamvis contractum cui adiicitur, non confirmet, validum ſit, & ſervandum?* Reſp. Aliqui confundunt iuramentum dolo extortum cum iuramento ex metu facto. Quando dolus, ſeu error

Digitized by Google

error verſatur circa ſubſtantiam rei, auſert omnino voluntarium, libertatemque conſenſus. Ideo iuramentum per errorem, ſeu dolum circa ſubſtantiam rei extortum, nullum ſuapte natura eſt defectu voluntarii conſenſus, Simili quippe promiſſioni per errorem extortæ ineſt natura ſua conditio, niſi deceptio occurrerit: neque iuramentum aſtringit ultra iurantis intentionem. Qui autem deceptus iurat, nullo modo ſe ſe obligare intendit. Tota ergo diſputatio eſt de iuramento metu extorto.

V. Vera ſententia, quam propugnandam ſuſcipio, validum iuramentum metu extortum aſſerit. Eam conceptis verbis Angelicus docet 2. 2. quæſt. lxxxix. art. 7. ad 3. *In iuramento quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio. Una quidem qua obligatur homini cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per coactionem: quia ille qui vim intulit, hoc meretur ut ei promiſſum non ſervetur. Alia autem eſt obligatio qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen eius promiſit: & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ: quia magis debet damnum temporale ſuſtinere quam iuramentum violare. Poteſt tamen repetere in iudicio quod ſolvit, vel Prælato denuntiare, non obſtante quod contrarium iuravit: quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum: eſſet enim contra iuſtitiam publicam.* Hæc S. Thomæ doctrina pluribus iuris decretis confirmata eſt. Siquidem *cap.* Debitores *de iure iurando* ſtatuitur, iuratas uſuras ſolvendas eſſe vi religionis iuramenti; quamvis is qui accipit ſolutionem, reſtitutioni ſit obnoxius. Plura alia iura præterea, & rationem quam Angelicus adducit, paucis perſtringo. Iure naturæ aſtringimur verum efficere id cuius teſtem Deum invocamus; ut vitemus iniuriam ſummam quæ infinitæ Dei maieſtati irrogaretur, ſi teſtem falſi Deum induceremus. Ex alia parte iuramentum, metu licet extortum, voluntarium eſt, atque adeo validum. Hanc S. Thomæ doctrinam defendunt Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxix. *art.* 7. Sotus *Lib. VIII. de iuſt. & iur. quæſt.* 1. *art.* 7. Suarez *de Relig. Tom. II. Lib. II. cap.* xi. Salmanticenſes *tract.* xiv. *cap.* 1. *punct.* 7. *§.* 1. *num.* 62.

VI. Quæſt. II. *Utrum iuramentum contractum nullum efficiat validum?* Reſp. Primo certum eſt, iuramentum non firmare contractum iure naturæ nullum: quia contractuum naturam, & ſubſtantiam mutare, vel ſupplere iuramentum nequit. Quod ad contractus iure poſitivo irritabiles pertinet, dum ius irritat, aut reſcindibilem contractum declarat in creditoris odium; tum iuramento contractum non firmari certum eſt: quia tum ius privat creditorem quacumque actione adverſus iurantem. Sic ſi quis iurat latroni, uſurario, aliiſque quibuſcumque ex metu gravi ſolvere centum; hæc promiſſio iuramento rata non ſit, nec valida; nullumque latrones, feneratores, ſimileſque creditores ius acquirunt adverſus iurantem promiſſorem. Iuramentum tamen ob divini nominis maieſtatem, & reverentiam eidem debitam ſervandum eſt. Quando contractus reſcindibilis a iure decernitur ob bonum publicum,

communemque utilitatem, ſimiliter iuramento non firmatur; quia tum contractus eſt illicitus, & nullus. Iuramentum autem vinculum non eſt rei illicitæ & pravæ. Nec privatus aliquis renuntiare id poteſt quod in bonum commune cedit. Et tale iuramentum nullum eſſet; ſicuti nullum eſt iuramentum quo Clerici renuntiant proprio foro; & iuramentum quo confirmatur matrimonium metu extortum: quia hæc ob publicam utilitatem vetita ſunt. Quando vero contractus irritabilis, & reſcindibilis decernitur in favorem ipſius contrahentis, ſeu iurantis, directe & per ſe iuramentum adiectum contractui eumdem confirmat, Quoniam quiſque cedere iuri ſuo poteſt, ſeu ei quod in proprium illius commodum introductum eſt. Porro iuramentum naturam contractus ſequitur. Contractus præfatus natura ſua validus eſt, ſoloque iure poſitivo reſcindibilis. Huic iuri renuntiare iurans valet; cum directe & per ſe illius commodum reſpiciat. Ergo iuramentum adiectum firmat contractum natura ſua validum. Heinc iuramento confirmantur donationes inter patrem & filiumfamilias, inter maritum & uxorem, & quæ fiunt a minorenis abſque curatoris voluntate. Quando vero contractus quos ius civile irritat, fiunt nulli etiam in foro conſcientiæ, ut contractus rerum immobilium minorum, & pupillorum abſque iudicis decreto, & contractus prodigi declarati, & ceteri contractus omnes in quibus ſolemnitas ſubſtantialis non ſervatur: eiuſmodi contractus, iuramento etiam adiecto, non confirmantur. Plures aliæ difficultates reſolutæ ſunt in tractatu de iuramento.

C A P U T IX.

De reſtitutione in integrum, & de iis quibus hoc beneficium competat.

I. Communis finitio reſtitutionis in integrum eſt *priſtini ſtatus redintegratio, iudicis auctoritate facta*. Beneficium inſtitutum eſt potiſſimum in favorem minorum; & tunc locum habet, quando contractus, iuris forma ſpectata, validus ratuſque fuit; ſed in eo læſus minor eſt ante completum annum XXV. Idcirco iudicis auctoritate in priorem ſtatum revocatur. Hæc in priorem ſtatum reſtitutio fit aut contractum reſcindendo, aut pretium, in quo læſus minor fuit, augendo, etiamſi infra dimidium læſio contigerit. Si minor ante XXV. annum completum læſus fuit, durat hoc beneficium quadriennium poſt præfatum tempus, nempe uſque ad annum XXIX. ut colligitur ex *Cod. de tempor. in integr. l. ultim.*

II. Quæſt. I. *Quibus in caſibus petere minor poſſit beneficium reſtitutionis in integrum?* Reſp. Primo certum eſt ad iſtius beneficii uſum neceſſariam eſſe læſionem in

Digitized by Google

in notabili quantitate. Quandoquidem ſi prudenter contractus celebratus ſit, læſioque parva fuerit, hoc privilegium locum non habet: quia levis læſio in iure pro nihilo computatur. Gravitas autem, vel parvitas læſionis colligenda eſt tum ex damno emergente, tum ex lucro ceſſante, tum ex tota quantitate negotii quo de agitur. Inſuper læſio vi ipſius contractus, non aliunde, derivetur oportet. Hæc revocatio in ſtatum priorem, aut pretii compenſatio fieri auctoritate propria nequit, ſed tantum iudicis ſententia. Quibus delibatis, ad quæſitum reſpondeo, locum habere hoc privilegium primo in venditionis contractu, ſi in eo læſus minor ſit, vel quia nempe iuſto minoris vendidit, aut quia rem vendidit quam vendere non debebat; & hoc in caſu adverſus quemcumque agere poſſeſſorem poterit, ut eamdem recuperet. Secundo ſi minor pecuniam mutuo accipiat, eamque prodigat, non tenetur reſtituere, niſi id in quo factus locupletior eſt. Tertio ſi debitor pecunias minori ſolvat, inconſulto curatore, ſolutio civiliter nulla eſt. Quare ſi minor eam amittat, inutiliter conſumat, ſi denique non duret aut in ſpecie, aut in æquivalenti, nempe in utilitatem minoris converſa, debitor liber non manet, & cogi per iudicem poteſt ad novam ſolutionem. Quarto ſi in contractu gratuito ſit minor graviter læſus, præfato gaudet privilegio; ut dum rem magni valoris donat abſque rationabili cauſſa. Si enim prudens donatio fuerit, & ob honeſtam rationem, puta ad remuneranda obſequia accepta, quæ remuneratione digna ſunt, vel nuptiarum intuitu, perſonarum qualitate ſpectata, quibuſcum intercedat conſanguinitas, aut alia peculiaris circumſtantia; valida eſt, & a privilegio reſtitutionis in integrum immunis. Poſtremum ſi læſus minor ſit in quaſi contractu, vel quia imprudenter lucroſam hereditatem repudiavit, vel perniciosam acceptavit, vel deteriorem partem elegit, reſtitutionis in integrum privilegio perfruitur. Heinc collige, quam cauti, & circumſpecti eſſe debeant qui cum minoribus contrahunt.

III. Quæſt. II. *Quibus in caſibus carent minores privilegio reſtitutionis in integrum?* Reſp. Si contractus celebratus ſit iuxta iuris formulas, & æquitatis regulas; ut ſi rem quam vendere minor valet, iuſto pretio vendat; reſtitutioni in integrum locus nullus eſt, etiamſi merx pereat. Similiter ſi contractum iniit in quo æqualiter lucrari ac damnum pati valet, uti dicto privilegio nequit: quia prudenter initus contractus fuit. Item ſi contractum in minori ætate celebratum factus maior ratum habuerit, aut ſi in minori ætate iuramentum contractui adiecerit, privilegio dicto caret.

IV. Quæſt. III. *Reſtitutio in integrum comprehendit ne fructus perceptos ex merce vendita, aut donata?* Reſp. Si bona alienata ſint contractu gratuito, aut irrationabili donatione, reſtitui percepti fructus omnes debent, detractis in iiſdem colligendis expenſis. Contra ſi contractu non gratuito, ſed oneroſo, nempe iuſta ven-

Digitized by Google

ditione, alienata bona ſint; nulla fructuum reſtitutio facienda eſt. Diſputant tamen hac de re ICti: nam plures contendunt reſtituendos eſſe fructus, dum alienatio fundi perniciosa minori eſt. Qua de re iudicium meum ſuſpendo; cum hoc ex fori conſuetudine plurimum pendeat. Ceterum abſolute loquendo, ſi reſtituendus fundus ſit, quia detrimentoſa fuit minori venditio; ſatis congruum videtur quod fructus quoque reſtitui debeant. Qua de cauſſa dictum eſt, ſummopere circumſpectos eſſe debere illos qui cum minoribus contractus ineunt.

V. Quæſt. IV. *Minor cui ſolutio illegitime facta eſt, uti ne tuta conſcientia poteſt privilegio reſtitutionis in integrum?* Reſp. Adfirmant communiter Auctores. Quia lex concedens hoc privilegium non fundatur in fraudis præſumptione, ſed in periculo fraudum; atque adeo bonum commune, & univerſale ſpectat. Porro cum iuſta lex ſit, eadem pro libito uti minores poſſunt. Semper tamen etiam in his æqui & boni regulæ ſpectandæ ſunt, atque circumſtantiæ.

VI. Quæſt. V. *Sunt ne alii quibus præter minores conceſſum privilegium ſit reſtitutionis in integrum?* Reſp. Sunt Eccleſiæ, monaſteria, hoſpitalia, & alia pia loca. Hæc loca quadriennio a celebratione contractus privilegio præfato uti valent; immo ſi Eccleſiæ enormiter læſæ ſint, ultra quadriennium extendunt privilegium non pauci: qui tamen advertunt, frui eodem privilegio non poſse Eccleſiaſticos in ſuis privatis contractibus quos in proprium commodum celebrant.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

PRAELOQUIUM.

QUAE hactenus de contractibus in communi diximus, levioris momenti ſunt, ſi cum iis comparentur quæ de contractibus ſigillatim, & in particulari dicturi ſumus. Idcirco ieiune & breviter de illis, fuſe & diſtincte de iſtis ſermo nobis erit. Et primum contractus quos oneroſos, ſeu non gratuitos vocant, enucleabimus. Hos inter venditioni & emptioni, quæ ſunt duæ reciprocæ unius contractus partes, primum locum tribuimus: ſunt enim illæ quibus humanum commercium, & negotiationes potiſſimum perficiuntur. Iſtius origo perſpicue exponitur *ff.* 18. *tit.* 1. *l.* 1. his verbis. *Origo emendi, vendendique a permutationibus cœpit. Olim enim non ita erat nummus: neque aliud* merx, *aliud* pretium *vocabatur: ſed unuſquiſque ſecundum neceſſitatem temporum, ac rerum, utilibus utilia permutabat, quando plerumque evenit ut quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quia non ſemper, nec facile concurrebat, ut cum tu haberes quod ego deſiderarem, invicem haberem quod tu accipere velles, electa materia eſt cuius publica, ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubveniret: eaque materia forma publica percuſſa, uſum, dominiumque non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex quantitate; nec ultra* merx *utrumque, ſed alterum* pretium *vocatur.*

§. 1. Sed an ſine nummis venditio dici hodieque poſſit, dubitatur, veluti ſi ego togam dedi, ut tunicam acciperem. Sabinus, & Caſſius eſſe venditionem, & emptionem putant: Nerva, & Proculus permutationem, non emptionem hoc eſſe. Sabinus, Homero teſte, qui exercitum Græcorum ære, ferro, hominibuſque vitam emere refert illis verſibus:

Hinc quidem vinum emebant comati Achivi,
Alii quidem ære, alii autem ſplendido ferro,
Alii vero pellibus, alii autem ipſis vaccis,
Alii autem mancipiis....

Sed hi verſus permutationem ſignificare videntur, non emptionem; ſicut illi:

Hinc rurſus Glauco Saturnius mentes exemit Iupiter,
Qui cum Tydide Diomede arma mutavit.

Ma-

Digitized by Google

Magis autem pro hac ſententia illud diceretur quod alias idem Poeta dicit :

. . . . Emit poſſeſſionibus ſuis.

Sed verior eſt Nervæ , & Proculi ſententia : nam ut aliud eſt vendere, *ſic aliud eſt* pretium , *aliud* merx . *Quod in permutatione diſcerni non poteſt, uter emptor , uter venditor.*

§. 2. Eſt autem emptio iuris gentium : & ideo conſenſione peragitur ; & inter abſentes contrahi poteſt, & per nuncium, & per litteras.

Hanc huius contractus originem indicat S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxvii. *artic.* 1. Nec in ea explicanda diutius immorandum; ſed contractus natura, & proprietates explicari diligenter a nobis debent.

CAPUT I.

Notiones contractus venditionis, & emptionis. Quomodo vi huius contractus rerum dominium transferatur.

I. PLures huius contractus notiones exhibent ICti, & Theologi. Communiores hæ ſunt. *Emptio eſt pactio determinati pretii pro merce dandi. Venditio eſt pactio mercis dandæ pro determinato pretio.* Hi duo partiales contractus in unum coaleſcunt, ut dixi ſupra, qui definiri hoc pacto valet. *Contractus oneroſus mutuo conſenſu peractus dandi mercem pro pretio determinato, & pretium determinatum pro merce determinata.* Oneroſus, & non gratuitus, dicitur contractus: quia viciſſim obligatio oritur, in vendente dandæ mercis, in emente pretii ſolvendi. Mercis nomine veniunt bona mobilia, & immobilia, iura, & actiones, quæ vendi poſſunt. Pretium eſt numiſma, ſeu pecunia Principis auctoritate impreſſa. Determinatum ſit pretium neceſſum eſt: alioquin ſi indefinitum ſit, ſi voluntati emptoris determinandum relinquatur, nullus contractus eſt, uſquedum determinatum ſit, ut omnes leges conſtituunt. Sicut pretium determinatum, ita & merx eſſe determinata debet. Sat autem eſt quod voluntate, licet non re, determinata ſit; ut quando emitur retis iactus, fructus percipiendi, & venationis præda, fructus agrorum, partus pecorum. Hæc omnia ſunt pretio æſtimabilia, & mutua voluntate determinari queunt. Mutuo denique conſenſu utriuſque contrahentis perficitur quantum ad ſubſtantiam contractus hic, ut iam ſupra declaratum eſt; ita ut conſenſu mutuo præſtito, reſilire neutra pars valeat. Rei autem, pretiique traditione ultimum complementum contractus accipit. Celebrari hic contractus inter abſentes poteſt vel per epiſtolam, vel per procuratorem; cum ſolo conſenſu contrahentium eiuſdem natura, & ſubſtantia conſiſtat.

II. Solent contrahentes arrham dare in teſtimonium, & ſecuritatem celebrati con-

Digitized by Google

contractus. Diſputant Auctores, liceat ne reſilire a contractu cum eiuſdem arrhæ iactura. Reſpondent communiter, id a conſuetudine pendere. Si enim uſus ſit ut cum ſolius arrhæ iactura reſilire a contractu partes poſſint; tum conſuetudo declarat, dantem arrham nullam aliam obligationem contraxiſſe præter arrhæ iacturam. Inter *ciſios*, vulgo *vetturini*, videtur hic obtinere uſus locandi vecturam, arrha data, ut eam perdant, niſi inito conductionis contractui ſtent. Verum abſolute dari arrha ſolet in maiorem initi contractus ſecuritatem. Quare niſi expreſſe contrahentes pateſaciant ſe nolle aliam ſubire obligationem præter arrhæ iacturam, dicendum videtur, arrham datam contractæ obligationis, & devinctæ conſcientiæ teſtimonium eſſe.

III. Quæſt. I. *In contractu venditionis, & emptionis transfertur ne ante rei traditionem dominium?* Reſp. Adfirmant aliqui, ſi ius gentium ſpectetur: vi quippe iſtius iuris, celebrato contractu, transferri dominium contendunt ante traditionem. Negant communiter alii, iure poſitivo nixi. Siquidem hæc habentur ſ. *Utique* Inſtit. de empt. & vendit. *Qui nondum emptori tradidit rem, adhuc ipſe dominus eſt.* Emptor igitur ante traditionem ius ad rem emptam habet, ſecus eiuſdem dominium. Quare ſi ante traditionem ſecundus emat, & res tradatur, hic dominium acquirit, nec rem priori emptori reddere aſtringitur. Ut itaque dominium transferatur, & traditio rei, & pretii ſolutio requiruntur. Si alterutra ex his duabus conditionibus deſit, dominium non transferri, communiter aſſerunt Auctores C. *de rei vendit.* l. *Quoties*. Quamobrem ſi emptor rem alienaverit, pretio non ſoluto, ius venditor retinet eam, ubicumque invenerit, repetendi. Si tamen venditor rem emptori fidat, habeatque pretium pro ſoluto; tum dominium translatum eſt.

IV. Quæſt. II. *Merx vendita duobus emptoribus, cuinam tradenda eſt?* Reſp Communis ſententia eſt, quod ſi nemini tradita fuerit, debeatur primo emptori, qui cum fuerit prior tempore, etiam iure potior ſit oportet. Si vero uni fuit vendita, licet priori, & alteri vendita, atque tradita; huic debetur: quia prior ius tantum ad rem, ſecundus ius in re, eiuſque dominium poſſidet. Si tamen prior emptor ſit privilegiatus, ut pia loca, Eccleſiæ, civitates; tum primo emptori debetur, etiamſi tradita ſecundo eſſet: quia tunc hic ſecundus emere non poterat, attento privilegio. Eadem ſententia eſt, quando emptori datum pignus eſt in maioris ſecuritatis teſtimonium. Hic enim ſimplici emptori præferendus eſt. Si tamen emptores privilegiati, aut quibus tradita res ſit, fide mala contrahant, quia nempe conſcii ſunt prioris venditionis; tum ob fraudem præferendus prior emptor eſt.

V. Quæſt. III. *Res vendita, ſed nondum tradita, cuinam perit?* Reſp. Venditori perire certum eſt, cum ad eius dominium pertineat: res enim domino perit.

Ant:

Ante traditionem ad dominium pertinet venditoris. Ergo eidem perit. Si contra tradita emptori ſit, eidem perit, ſi pretium habeatur pro ſoluto. Diſtinguunt Iđ rem venditam determinatam in individuo, ut hic equus, hoc vini dolium; vel determinatam in genere, ſeu in ſpecie, ut tot oves de grege, tot tritici modii de horreo. Diſtinguunt pariter venditionem ad corpus; ut quando aliquid determinatum venditur unico pretio; puta dum vendis tuum prædium quingentis aureis: & venditionem ad menſuram, quando non unico pretio res venditur, ſed cuilibet menſuræ pretio aſſignato; ut dum vendis horreum tritici quinque ducatis pro ſingulis modiis, vendis agrum centum iugerum ſeptem ducatis pro quolibet iugero.

VI. Leſſius *Lib.II. cap.*XXI. *num.*96. & 97. docet, peracto contractu venditionis rei determinatæ, emptori perire mercem: quia iure gentium, celebrato contractu, mercis dominium transfertur in emptorem: & quamvis ius civile iſtius dominii translationem impediat, non tamen effectus illius, nempe non impedit quin commoda, & incommoda rei venditæ pertineant ad emptorem ante mercis traditionem. Si tamen culpa venditoris res detrimentum ſubeat, aut ſit in mora tradendi; ipſi perit, & deterior ſit.

VII. Si vero merx indeterminata ſit in individuo, ut dum emis decem modios tritici ex horreo, aut ex meſſe, tot oves ex grege; vel ſi emis rem determinatam, ſed ad menſuram, puta totum acervum frumenti tribus ducatis pro quolibet modio; tum periculum iacturæ totum pertinere ad venditorem, concedit & ipſe Leſſius cum aliis. Quia quando res determinata ad menſuram emitur, tum conditio intelligitur, ſi res tradatur. Periculum tamen pretii, & valoris rei indeterminatæ, vel venditæ ad menſuram, ad emptorem pertinet. Quare ſi melior merx fiat, aut deterior abſque venditoris culpa, ad emptorem commodum, aut incommodum attinet: quoniam venditor onus tantum ſubivit rei tradendæ talis ſpeciei, illamque emptor emit, quatenus tempore contractus erat. Ideo illi pretium creſcit, aut decreſcit, ſecus venditori; dummodo non ſit in mora. Plura de hoc Sylveſter, verb. *Emptio*.

VIII. Quæſt.IV. *Ad quem pertineant fructus rei venditæ, antequam pretium ſolvatur?* Reſp. Si fructus pendeant ex plantis, tempore rei venditæ, certum eſt pertinere ad emptorem, quia tum ſunt pars rei venditæ. Diſputatur ſolum de fructibus futuris, & antequam ſolvatur pretium. Si enim res tradita ſit, pretiumque ſolutum; nemo ambigit quin futuri fructus emptoris ſint. Pretium autem dupliciter ſpectari poteſt. Primo quando habetur pro ſoluto; cum nempe venditor concedit emptori definitum tempus pro ſolutione: & tunc fructus pertinere ad emptorem certum eſt: quia hic iam acquiſivit dominium rei emptæ; res autem fructus parit domino ſuo. Secundo conſideratur pretium promiſſum

Digitized by Google

ab emptore, continuo, aut tali tempore ſolvendum, ita ut venditor pretium iſtud non habeat pro ſoluto. Diſputant Theologi, ad quem pertineant tunc fructus.

IX. Prima ſententia defendit, fructus pertinere ad venditorem: quia hic ſolus eſt dominus rei venditæ, antequam pretium vel ſolvatur, vel habeatur pro ſoluto. Altera ſententia defendit, pertinere fructus eiuſmodi ad emptorem: quia leges civiles quarum ſupra meminimus, quæque negant transferri dominium ante pretii ſolutionem, abrogatæ ſunt iure canonico, vetante omnem uſuram. Sed facile utraque ſententia conciliatur. Nam poſito quod celebrato contractu, & tradita re emptor fiat dominus rei, antequam pretium ſolvat, tum certum eſt fructus ad emptorem pertinere. Porro tum dominium transferri intelligitur reipſa quando res tradita perit emptori, eiuſque commodo, & incommodo ſtat res tradita. Et licet ſit in mora ſolvendi, non propterea fructus attinent ad venditorem: quia culpa hæc dilatæ ſolutionis non exuit emptorem ſuo acquiſito dominio; ſed ſolum efficit ut teneatur compenſare damnum quod ex tali mora ſecutum fuerit, nullo ad fructus reſpectu habito. Et quia reipſa in præſens, celebrato contractu, & tradita re, emptor evadit dominus; ideo ad eum fructus pertinent, etiamſi pretium non ſolverit, ſitque in mora ſolvendi: & ſolum ad compenſandum damnum quod ob dilationem culpabilem intulit, tenetur.

X. Quæſt. V. *Poſſunt ne contrahentes pactum inire ut emptor fructus rei, aut eorumdem pretium reddat venditori, donec pretium ſolverit?* Reſp. Adfirmant Molina *diſp.* CCLXVIII. *num.* 9. Bonacina *diſp.* III. *quæſt.* II. *punct.* 7. *ſ.* 1. Angelus verb. *Emptio*, P. Dominicus Viva *quæſt.* II. *art.* 6. quia venditor, inquiunt, non tenetur cum ſuo incommodo vendere. Ergo in pactum deducere valet ut emptor ſolvat intereſſe pro fructibus percipiendis.

XI. Præfata ſententia falſa eſt: quia fenebre eſt pactum iſtud, mutuumque pallio fucatum. At, inquit *P. Viva*, emptor non ſolvit propter dilationem ſolutionis, ſed propter lucrum quod ceſſat venditori ratione protractæ ſolutionis. Effugia hæc ſunt. Si venditor damnum patitur, exigat pretii ſolutionem, aut rei traditionem differat, uſque dum pretium ſolvatur. Conventio ſolvendi intereſſe, donec pretium pependerit, ſeipſa uſuræ pravitatem indicat. Si venditor tempus concedit pro pretii ſolutione, nequit hoc ipſo tempore proventum exigere. Si, elapſo tempore, moroſus in ſolvendo emptor fuerit, tum illius quod patitur damni compenſationem exigere venditor iure valet.

XII. Quæſt. VI. *Cuiuſnam ſunt fructus medio tempore percepti, quando venditionis contractus diſſolvi contingit?* Reſp. Quatuor modis diſſolvi contractus poſſe, Auctores docent. I. quando celebratur contractus cum pacto adiectionis in diem; ut ſi hoc modo contrahas: Vendo tibi domum hoc pacto ut ſi intra annum melior

mihi

Digitized by Google

mihi occurrerit conditio, domus libera ſit: vel ſi adiicias pactum legis commiſſoriæ, puta, ſi dicas: Vendo tibi domum, ut intra annum pretium ſolvas, alioquin contractus nullus erit. II. ſi venditio celebretur cum pacto retrovendendi; ut ſi hoc modo contrahas: Do tibi pecunias, ut domum mihi vendas ea lege ut quoties pecunias reddideris, domum tibi iterum vendam. III. ſi mutuo conſenſu poſt annum reſcindatur contractus. IV. ſi contractus ſit conditionatus; & conditio non impleatur. Quibus poſitis, reſpondent Leſſius, Bonacina, Salmanticenſes: Si contractus venditionis cum pacto adiectionis in diem, aut legis commiſſoriæ ſit expreſſis verbis tali modo celebratus, ipſo facto nullus eſt: ideoque fructus pertinent ad venditorem, quemadmodum ſi venditio celebrata non eſſet. Addunt tamen præfati Auctores, quod ſi contractus celebratus ſit verbis obliquis & indirectis, quibus indicetur, contractum initum eſſe validum, ſed in poſterum irritandum, tum fructus medii temporis ad emptorem pertineant. Quia in hoc caſu contractus validus eſt, & ſolum reſcindendus tempore quo melior occurrerit conditio, aut pretium non ſolvatur. Similiter ſi conventio ſit affecta pacto retrovendendi, medii temporis fructus, producti a celebratione contractus uſque ad tempus quo reſcinditur, ad emptorem pertinent. Qui vero retrovenditionis tempore colliguntur, ad venditorem attinere docent. Quia, inquiunt, a tempore venditionis uſque ad redemptionem emptor eſt dominus rei emptæ. Fructus autem ad dominum ſpectant. Si venditio mutuo conſenſu diſſolvatur; ad emptorem pertinent fructus ob eamdem rationem, quia contractus ante diſſolutionem validus erat, atque adeo emptor dominus rei emptæ eſt. Si denique venditio fuit ſub conditione; hac impleta, pertinent fructus ad emptorem; ſi non impleatur, ad venditorem: quia in ſecundo caſu contractus ſemper fuit nullus; in primo caſu contractus reputatur validus a die peractæ venditionis, quando conditio caſualis, & fortuita eſt, atque a voluntate contrahentium non pendens; ut ſi contrahas hac conditione, Si naves ſalvæ ex India redierint. Secus dicendum, ſi conditio ſit poteſtativa, ut dicitur, quæ a ſola voluntate contrahentium pendeat. In hoc caſu fructus debentur venditori: quia hæc voluntaria conditio adiicitur a venditore, ut emptor moveatur ad celerius contractum perficiendum. Quare ante conditionem hanc liberam ſuſpenſus contractus creditur. Ceterum unica horum ratio eſſe videtur voluntas contrahentium, qui hoc, & non alio modo ſe devincire mutuo intendunt.

C A-

Digitized by Google

C A P U T II.

De iis qui vendere, & emere iure valent: & quæ ſint res venales. An PROBABILISMUS ſit materia venditionis, & emptionis.

I. OMnes qui apti ſunt ad contractus celebrandos, vendere, & emere iure valent. Plures tamen ſunt qui contrahere abſolute poſſunt, & nihilominus ob leges poſitivas hos aut illos celebrare contractus nequeunt: & de his dictum eſt *differt.* 1. Tutores, & curatores vendere nequeunt res pupilli, & minoris, nec executores teſtamentorum emere res defuncti. Circa ea quæ iudices, miniſtri, ceterique officiales emere in propria iuriſdictione poſſunt, leges cuiuſque provinciæ decreverunt. Monachi ſine conſenſu communitatis, pupilli ſine conſenſu tutoris, minores ſine curatoris voluntate, prodigi declarati ſine auctoritate iudicis vendere nequeunt; ut diximus *loc. cit.*

II. Quæſt. I. *An quis cogi ad rei ſuæ venditionem poſſit?* Reſp. Negant abſolute omnes. Quoniam contractus ex libero contrahentium aſſenſu pendet. Excipiuntur aliqui caſus. I. Tempore famis cogi poſſunt, & debent a publica poteſtate ſubditi ad vendenda frumenta, vinum, & cetera neceſſaria ad victum. II. Ad vendendum ea quæ ad commune civitatis decus conducunt, cogi ſubditi poſſunt.

III. Quæſt. II. *Quæ vendi, & emi licite valent?* Reſp. Reſponſum ad quæſitum iſtud habetur *ff. de contrahenda emptione, tit.* 1. *l.* 34. *§.* 1. ubi hæc leguntur. *Omnium rerum quas quis habere, vel poſſidere, vel perſequi poteſt, venditio recte fit: quas vero natura, vel gentium ius, vel mores civitatis commercio exuerunt, earum nulla venditio eſt. §.* 2. *Liberum hominem ſcientes emere non poſſumus.* Lege ibi plura. Ratio patet ex iis quæ dixi. In venditione, & emptione dominia transferuntur. Ergo ea vendi, & emi valent quorum dominia acquirere, & transferre poſſumus. Heinc vendi, aut emi res ſpirituales nequeunt, aut quæ ſpiritualibus annexæ ſunt, ut beneficia, ius patronatus, olea ſancta, Sanctorum reliquiæ, & cetera eiuſmodi, quæ in tractatu de Simonia fuſius exponentur. Res itaque corporeæ, & incorporeæ, ut actiones, & bona tum præſentia, tum futura vendi queunt. Vetitum eſt omnia donare, ne quis inteſtatus maneat; at liberum eſt omnia vendere, quia quiſque teſtari de pretio valet. Interdicta quoque eſt venditio hereditatis ante mortem teſtatoris, & bonis moribus contraria reputatur. Talis quippe venditio aperire viam poſſet ad inſidias teſtatori ſtruendas, eiuſque mortem tentandam. Inſuper talis venditor hereditate privatur, ut habetur *ff. de*

his

Digitized by Google

bis quibus ut indignis l. 2. Licita vero venditio eſt morte teſtatoris ſecuta, vel ante mortem, illo conſentiente, & ſciente. Bona publica, ut forum, viæ, plateæ, a nulla vendi privata perſona queunt, ſed ſolum a ſuprema poteſtate, quæ in hæc bona dominium habet.

IV. Quæſt. III. *Quæ pecuniis alienis emuntur, fiunt ne emptoris, an pecuniarum domini?* Reſp. Quandoque fiunt emptoris, & interdum pecuniarum domini. Fiunt emptoris, quando hic ſuo nomine aliena pecunia emit, nulla obſiſtente lege; ut colligitur ex *Cod. de rei venditione, l. 6.* ubi ſtatutum eſt, eum qui pecunia apud ſe depoſita ſibi poſſeſſiones comparavit, earumdem dominum fieri. Quando vero bona emuntur pecuniis pupillorum, militum, Eccleſiarum, minorum; tum emptores non ſibi, ſed Eccleſiis, militibus, minoribus, pupillis præfata bona acquirunt: quia ſic leges ſtatuunt, & Auctores communiter adfirmant.

V. Quæſt. IV. *Valida ne ſit rei alienæ venditio?* Reſp. Quantum ad translationem dominii pecuniæ in venditorem, validam aiunt communiter Auctores: quia *ff. de contrahenda emptione, l.* 28. hæc præſcribuntur. *Rem alienam diſtrahere quem poſſe nulla dubitatio eſt. Nam emptio eſt, & venditio. Sed res emptori auferri poteſt.* Lex iſta locum habere nequit niſi in transferendo pecuniæ dominio. Emptor quippe pecuniæ ſuæ dominium habet. Ergo illud transferre in alium poteſt. Hinc ſi latro tibi rem alienam vendit, pecuniæ tuæ dominium acquirit. Eam tamen reſtituere, & damna inde tibi obvenientia compenſare aſtringitur. Qui vero bona fide rem alienam vendit, id ſolum in quo locupletior factus eſt, reddere tenetur. Invalida autem eſt quantum ad dominii translationem. Quoniam id transferre venditor nequit quod non habet. Rei autem alienæ dominio non potitur. Ergo transferre illud in alium nequit. Quamobrem dominus repetere rem ſuam, ubicumque invenerit, poteſt; niſi præſcriptionis tempus elapſum fuerit reſpectu poſſeſſoris bonæ fidei. Doctrina communis.

VI. Quæſt. V. *Utrum licita ſit venditio earum rerum quæ adhibentur in pravos uſus?* Reſp. Quædam natura ſua mala ſunt, ut maleficia, libelli famoſi, annuli quibus illigata dicuntur dæmonia, & id genus cetera. Quod eiuſmodi vendi abſque peccato nequeant, manifeſtum eſt: quia peccandi ceteris occaſionem præbent.

VII. Quæſt. VI. *Quæ pœna lata eſt in eos qui conficiunt, aut evulgant libellos famoſos?* Reſp. Libellus famoſus, ſeu infamatorius, ut alias dixi, eſt ſcriptura continens alicuius infamiam, ut fiat publica. Qui crimen occultum, tametſi verum, deducit medio ſcripto in publicum, ut de illo Superior inquiſitionem inſtituat, dicitur auctor libelli famoſi. Inter auctores libelli famoſi etiam recenſentur illi qui cornua ad ianuam, aut feneſtram alienæ domus appendunt, ut uxorem adulteram indicent. Qui evulgant libellos famoſos contra Papam, aut contra

Digitized by Google

tra Cardinales, aut contra Religioſos Mendicantes, excommunicationem incurrunt. Auctor libelli famoſi contra laicos pœna capitis multatur. *Cod. de lib. fam. l.* 1. Iure canonico cædendus eſt virgis. Cap. *qui in alterius*. Inventorem libelli famoſi peccare mortaliter Auctores docent, niſi eum laceret, comburatve: & reputatur tamquam cooperator, & fuſtibus punitur. At quis dixerit peccare eum qui non laceraret libellum famoſum typis editum? Tunc enim nihil huius aut illius exemplaris laceratio iuvat. Peccant vero qui eiuſmodi libellos famoſos typis imprimunt, & bibliopolæ qui eos divendunt. Maieſtatis læſæ reus eſt qui contra Principem libellum famoſum conficit. Lege conſtitutionem S. Pii V. quæ incipit, *Romani Pontificis providentia* &c. anno MDLXXII. editam, ubi plura invenies contra ſcribentes, retinentes, & non lacerantes libellos famoſos.

VIII. Quæſt. VII. *Peccant ne qui venena, fucos muliebres, chartas aleatorias, idola, & cetera id genus divendunt?* Reſp. Venenum non eſt ita ad malum uſum determinatum, ut aliis rebus admixtum nequeat bono uſui inſervire. Quare qui venena abſolute divendunt; nullo emptorum reſpectu habito, graviter peccant, & puniri, tamquam humanæ ſocietatis perditores, debent. Aliena enim manu homines occidunt. Quando vero ex emptoris conditione colligitur prudenter, in bonum uſum venenum emi; tunc licita venditio eſt.

IX. Fucos mulierum vendi poſſe docent Salmanticenſes *tract.* XIV. *punct.* 3. *num.* 32. Et pro hac opinione immerito citant S. Thomam, qui 2. 2. *quæſt.* CLXIX. *art.* 2. *ad* 2. hæc ſcribit: *Mulierum fucatio de qua Cyprianus loquitur, eſt quædam ſpecies fictionis, quæ non poteſt eſſe ſine peccato.* Decretoria hæc verba ſunt. Cyprianus loquitur de feminis quæ ad ementiendam, & oſtendendam pulchritudinem fucos adhibent. Hæc pulchritudinis fictio ſine peccato eſſe nequit. In doctrinæ ſuæ confirmationem S. Auguſtini auctoritatem adducit S. Thomas. *Fucari pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia eſt; qua non dubito etiam ipſos maritos ſe nolle decipi, quibus ſolis* (ſcilicet maritis) *permittendæ ſunt feminæ ornari ſecundum veniam, non ſecundum imperium.* Hæc Auguſtini verba allata a S. Thoma, referuntur, adiectis aliis, *canon.* Fucare *de conſecr. diſt.* V. P. Carolus Billuart *Tom. III. diſs.* III. *art.* 8. cum aliis ſine hæſitatione licitam hanc fucorum venditionem obtrudit. Addit ibidem Doctor S. *Sciendum tamen eſt, quod aliud eſt fingere pulchritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex aliqua cauſa provenientem, puta ægritudine, vel aliquo eiuſmodi: hoc enim eſt licitum: quia ſecundum Apoſtolum I. ad Cor.* XII. *Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus.* Licitum eſt feminis occultare deformitatem, puta gibbam, cicatricem, & cetera eiuſmodi. At vultuum mulierum deformitates, ſi quæ ſunt, fucis non occultantur. Fuci paſſim & communiter adhibentur ad pulchritudinis larvam ementiendam. Hic eſt communiſſimus

uſus fucorum in feminis. Pallor, fuſcus color non ſunt deformitates. Mulieres, quæ loco horum colorum rubicundiores, & candidiores mediis fucis ſe produnt, facto mentiuntur, & peccant. Quod ad fucorum venditores attinet, damnandi abſolute non videntur. Si enim eos fucos vendant quorum uſus indifferens ſit & ad occultandas deformitates, & ad pulchritudinem fingendam; illicita venditio non eſt, niſi ex ementium perſonarum conditione conſtet in poſteriorem, non vero in priorem finem adhiberi. Contra vero dicendum, ſi fuci ex eorum genere ſint qui ſolummodo ad pulchritudinem ementiendam conferre poſſint: tunc enim licite vendi nequeunt. Idcirco circumſtantiæ ſpectari debent.

X. Aleas, ſeu taxillos, & chartas aleatorias vendi licite poſſe, docent laudati Salmanticenſes, P. *Billuart*, & paſſim iuniores Probabiliſtæ. Oppoſitum docet S. Antoninus III. Part. tit. III. cap. XXIII. §. 13. *Videtur dicendum de factoribus, vel venditoribus alearum, taxillorum, chartarum, quod quia in pluribus homines utuntur his ad peccatum mortale propter avaritiam, ideo non videntur tales poſſe excuſari a mortali: unde nec abſolvendi, niſi talia dimittant. de pœnit. diſt. v. can. Falſas, & can. Fratres, & can. Negotium, can. Epiſcopus diſt. v.* Quid itaque dicendum? Omnes ne alearum, taxillorumque venditores damnabimus? SS. Thomas, Raymundus, Bonaventura, Antoninus, ceterique ſancti, gravioreſque antiqui Doctores damnant gravis culpæ ludos fortuitos alearum, & chartarum in illis qui ex inſtituto eiuſmodi ludis operam dant. Ceterum plures ſunt chartarum ludi qui ab induſtria & arte pendent, quique recreationi capiendæ inſerviunt. His abſque culpa vacare laici poſſunt. Taxilli ipſi in ludis qui ab induſtria, & arte pendent, adhiberi poſſunt. Damnare igitur abſolute non poſſum gravis culpæ eos qui præfata vendunt; ſed hortandi, & ſuadendi ſunt ut talem dimittant mercaturam, & caute tales merces vendant, nempe ſpectata emptorum conditione. Nam frequentiſſime hæc ad pravos uſus emuntur; & quando hoc prævident, evitare prudenter venditionem debent. Rigida hæc ſunt, inquies. Fateor. Sed rigida, & arcta eſt via quæ ducit ad vitam. Illi vero qui domos, cubicula, chartaſque paratas tenent, locantque illis qui ex inſtituto fortuitis ludis vacant, dubio procul peccant mortaliter, & ut impœnitentes, dimittendi ſunt, niſi reipſa omittant tam pravam occaſionem; ut conceptis verbis docet S. Carolus Borromæus in Inſtruc. Conf. cap. v. *Nec eos abſolvant qui cum peccatis mortalibus ſimul etiam occaſiones vitare plane non proponunt, ut ſunt qui domum tenent in hunc finem aliis paratam, ut tabellis chartaceis, vel aleis ludant.* Oppoſitum docent non pauci iuniores; ſed ſanctos Epiſcopos Deus Magiſtros conſtituit, & Doctores Chriſtianorum.

XI. Falſa, & laxa mihi videtur doctrina quam ex pluribus iunioribus docet P. Dominicus Viva *Tom. I. part.* IV. *quæſt.* II. *art.* 2. *num.* 2. his verbis. „ Quare lici-

„ tum

Digitized by Google

„ tum eſt vendere aleas, & taxillos, *quamvis advertam* emptores iis male uſu-„ ros: poſſum etiam vendere Iudæis agnum, & flores: poſſum vendere fucos, „ & ornamenta meretricibus, cibos iis quos *ſcio* violaturos ieienium.“ Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* II. *punct.* 3. *num.* 33. docent, peccare mercatorem vendentem res indifferentes iis quos prævidet eiuſmodi rebus abuſuros; ſed poſtea concedunt non peccare eum qui vendit idolum Gentili, vel agnum *Iudæo ad immolandum*. Addunt utique ex rationabili cauſſa. Sed quænam hæc rationabilis cauſſa? Lucrum, commodum proprium. Ecquis mercatorum idola, agnos, fucos, ornamenta vana vendit, niſi lucri, & commodi cauſſa? Perinde ergo eſt dicere, omnes mercatores indiſcriminatim præfata omnia vendere abſolute poſſe; cum numquam illorum venditio ſit abſque hac rationabili cauſſa. S. Raymundus *Lib. II. de negotiis ſæcularibus §.* 6. hæc docet. *Ille peccat, quando ex qualitate perſonæ, vel temporis cognoſcit, vel probabiliter dictat ſibi conſcientia quod ille non quærit rem niſi ad malum perpetrandum: tunc enim non deberet illi vendere contra talem conſcientiam.* Quamquam ergo venditio alearum, idoli, agni, & ſimilium ſit abſolute indifferens, dum tamen prudenter venditor agnoſcit futurum abuſum emptorum, abſtinere a venditione, ut ego cum viris ſanctis arbitror, debet. Nec lucrum ex venditione capiendum rationabilis cauſſa eſt quæ honeſtare venditionem poſſit. An, urgente gravi neceſſitate, licita eiuſmodi venditio ſit, alibi dicam.

XII. Quæſt. VIII. *Utrum* Probabiliſmus *ſit materia venditionis?* Reſp. Ne ſuſpicio oriatur me ad conflandam *Probabiliſmo* invidiam hanc proponere quæſtionem ſane feſtivam, admonere lectorem mea intereſt, P. Thomam *Tamburinum* hanc diſputare controverſiam *Lib. VIII. in Decal. cap.* VII. *§.* 3. *num.* 13. ubi hunc proponit titulum. *Venditio ſententiæ probabilis*. Et his verbis expoſitam propoſitionem diſcutit. „ Occurrit hic non abſimilis difficultas ac in iudice. Supponamus proba-„ bilem eſſe eam opinionem de qua late dixi *Lib. I. cap.* III. quam præter ibi ci-„ tatos, ſequitur *Dicaſtillus Lib. II. de iuſt. tract.* I. *d.* 5. *dub.* 7. licere iudici ex dua-„ bus *opinionibus æque probabilibus* unam eligere, & iuxta illam proferre ſenten-„ tiam. Iam inquiro, licite ne, & iuſte accipiet iudex pecuniam, ut potius illam „ eligat quæ mihi favet, quam illam quæ meo adverſario?“

XIII. Reſpondet ſe improbaſſe hanc opinionem *loc. cit. Eam tamen* (ſubdit) *legat qui velit apud Leſſium Lib. II. cap.* XIV. *dubit.* 9. *num.* 64. *Valentiam* 2. 2. *quæſt.* LXIII. *art.* 4. *d.* 5. *quæſt.* VII. *p.* 4. *Salon.* 2. 2. *quæſt.* LXII. *art.* 4. *contr.* 2. Porro P. Leſſius *loc. cit.* præter Valentiam, Salonem, Dianam, & plures alios, hanc propugnat opinionem, quod nempe iudex pecuniam accipere iure valeat pro ferenda ſententia iuxta unam opinionem probabilem potius quam iuxta aliam, his verbis. „ Dubitari poteſt, utrum contra iuſtitiam peccet, ſi aliquid accipiat (iu-„ dex) ut hanc potius quam illam in iudicando ſequatur. Videtur non peccare...

Digitized by Google

„ Quia non tenetur ad alteram determinate ; ſed liberum ei eſt ſequi quam maluerit. Ergo ſi aliquid accipiat, ut hanc ſequatur potius quam illam, non facit ulli iniuriam. Conſequentia patet. Quia cum res non eſt debita, non eſt contra iuſtitiam (ſi ſolum ius naturæ ſpectemus) exigere pro ea pretium, ſi alioquin pretio ſit æſtimabilis. Tertio, quia non accipit pretium pro iuſtitia ſententiæ ; ſed quia in hac cauſa hanc opinionem præfert iſti, ad quod nullo modo tenebatur. Hoc autem eſt pretio æſtimabile : tum quia utiliſſimum eſt parti ; tum quia ſequendo hanc opinionem amittit favorem alterius partis, cui potuiſſet gratificari. "

XIV. Vin' meliora ? *Probabiliſmus* docet, liberum eſſe ex duabus opinionibus probabilibus alterutram ſeligere. Quando occurrunt duæ opiniones probabiles, poteſt iudex ſententiam ferre iuxta illam quæ magis ſibi placuerit. Porro quod hanc præ alia ſeligat, pretio eſt æſtimabile. Ergo vendere hanc unius præ alia opinionis prælationem iure poteſt. Ergo *Probabiliſmus* eſt materia venditionis, & emptionis. Quid itaque mirum, ſi merx adeo pretioſa tanto diſputationis æſtu defendatur? En quam verum ſit oraculum Alexandri VII. modum nempe hunc opinandi eſſe omnium malorum caput. Inſtitui alia quæſtio poſſet, utrum idem præſtare poſſit iudex fori interioris. Sed patet hunc non poſſe: quia ſimoniæ crimen perpetraret.

C A P U T III.

De negotiatione, & de iis quibus ea vetita, vel quibus permiſſa eſt. Plures quæſtiunculæ de Religioſo negotiatore a Caſuiſtis excitatæ.

I. FRequens uſurarum, fraudum, avaritiæ, & iniuſtitiæ ſcopulus negotiatio eſt. Triplex diſtingui negotiatio ſolet. Prima, qua emuntur ad victum neceſſaria, & quæ ſuperſunt, venduntur. Secunda, qua emitur materia, puta ligna, metalla, & cetera plura, ex quibus artis labore ea conficiuntur quæ vel ad ornatum, vel ad vitæ neceſſitatem conducunt. Tertia, qua merces emuntur, ut eædem immutatæ carius vendantur. Duæ primæ lato, & minus proprio ſeuſu negotiationis nomen ſubeunt. Tertia vera negotiatio eſt, de qua nobis in præſentia ſermo erit. Hanc dolis, fraudibus, periuriis, mendaciis obnoxiam aſſerunt Scripturæ divinæ, & SS. Eccleſiæ Patres. Dicitur enim Eccli. xxvi. *Duæ ſpecies difficiles & periculoſæ mihi apparuerunt : difficile exuitur negotians a negligentia : & non iuſtificabitur caupo a peccatis labiorum.* Difficile mercator negligentia exuitur in æternæ ſalutis negotio : quia augendarum divitiarum cupiditate faſcinatur

Heinc

Digitized by Google

Heinc continuo ſubdit Eccleſiaſticus cap. xxvii. *Propter inopiam multi deliquerunt, & qui quærit locupletari, avertit oculum ſuum. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, ſic & inter medium venditionis, & emptionis anguſtiabitur peccatum.* Venditores, emptoreſque mendaciis, periuriis, dolis ita iniuſtitiæ peccata arctant, obſidentque, ut evadere nequeant. Rationem prodit S. Paulus I. ad Timoth. vi. *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge, ſectare iuſtitiam.* En detectam radicem malorum omnium. Cupiditas rerum temporalium, quæ ceteris appetitionibus ſaturandis conducunt, vitiorum origo eſt. Incredibili æſtu erga divitias rapiuntur homines: quia his veluti inſtrumentis libidinem, ambitionem, ſuperbiam, avaritiamque explent. Hinc eſt quod adeo ſevere adverſus divites invehitur Redemptor noſter divinus, qnorum difficiliorem in paradiſum ingreſſum ait quam cameli tranſitum per acus foramen. Divitibus æternas minatur calamitates. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris quæ advenient vobis. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt.... Aurum & argentum veſtrum æruginavit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus.* Epiſ. Iac. cap. v. Tandem Matth. cap. xix. *Iterum dico vobis, facilius eſt camelum per foramen acus tranſire quam divitem intrare in regnum cælorum. Auditis autem his diſcipuli mirabantur valde dicentes: Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* Hæc eadem repetit Marc. cap. x. *Et circumſpiciens Ieſus ait diſcipulis ſuis: Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!* (Meditare Chriſti admirationem, exclamationemque.) *Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis eius. At Ieſus rurſus reſpondens ait illis: Filioli, quam difficile eſt confidentes in pecuniis in regnum Dei introire? Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire quam divitem intrare in regnum Dei. Qui magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos: Et quis poterit ſalvus fieri? Et intuens illos Ieſus, ait: Apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum.* Hæc ſola Chriſti IESU doctrina plus inſtructionis, plus luminis pro mercatorum conſcientiis moderandis affert quam omnium voluminum quorumdam Probabiliſtarum lectio. Idcirco hæc pauca ex Scripturis ſanctis delibavi, ut ſacri Paſtores præſto habeant divina documenta, quibus inſtruere gregem ſuum, & ſemetipſos experrectos efficere in negotiationis periculis, & dolis detegendis valeant.

II. Patres adeo periculoſæ aleæ mercaturam agnoſcunt, ut quaſi illicitam deteſtentur. Plura de negotiatione ſcribit S. Auguſtinus in Pſal. lxx. conc. I. *Audiant negotiatores, & mutent vitam. Et ſi fuerint, non ſint, non cognoſcant, quod fuerunt,*

runt, obliviſcantur. Poſtremo non approbent, non laudent, improbent, damnent, mutentur, ſi peccatum eſt negotiatio. Explicat autem qua ratione peccatum dicatur negotiatio, ſubdens continuo: *Hinc enim aviditate neſcio qua acquirendi, o negotiator, quando damnum paſſus fueris, blaſphemas... Quando autem pro pretiis rerum quas vendis, non ſolum mentiris, verum etiam falſum iuras, quomodo in ore tuo tota die laus Dei?... Sed ait mihi negotiator: Ecce ego affero quidem ex longinquo merces ad ea loca in quibus non ſunt ea quæ attulero, unde vivam, tamquam mercedem laboris mei, peto, ut carius vendam quam emerim. Unde enim vivam, cum ſcriptum ſit*: Dignus eſt operarius mercede ſua? *Sed agitur de mendacio, de periurio. Hoc vitium meum eſt, non negotiationis. Neque enim non, ſi vellem, poſſem agere ſine iſto vitio. Non ergo culpam auctor ad negotium transfero; ſed ſi ego mentior, non negotium. Poſſem enim dicere: Tanto emi, tanto vendam: ſi placet, eme. Non enim iſtam veritatem audiens emptor repelleretur, & non omnes potius accurrerent? Quia plus fidem quam mercem diligerent. Hoc ergo, inquit, me mone, ne mentiar, ne periurem; non ut abiiciam negotium, unde me tranſigo. Quo enim vocas, quando hinc revocas? Forte ad aliquem? Ero ſutor, calceamenta faciam hominibus. Mendaces enim & ipſi non ſunt? Periuri, & ipſi non ſunt? Nonne locatis ab alio calceamentis, cum acceperint ab alio pretium, dimittunt quod faciebant, & ſuſcipiunt alteri facere, & fallunt eum cui promiſerant cito ſe facturos? Nonne ſæpe dicunt, Hodie facio, hodie impleo? Deinde ipſa factura tantas fraudes non faciunt? Faciunt iſta, & dicunt iſta. Sed ipſi mali ſunt, non ars quam profitentur.... Quomodo ergo revocas a negotiatione? An, ut agricola ſim, & adverſus Deum tonantem murmurem, ut grandinem timens ſortilegium conſulam, ut quæram quid faciam contra cælum, ut optem pauperibus famem, ut hoc poſſim vendere quod ſervavi? Ad hoc me adducis? Sed non ea faciunt, inquis, agricolæ boni: nec illa negotiatores boni. Quid enim? Etiam & filios habere malum eſt: quia quando eis caput dolet, malæ & infideles matres ligaturas ſacrilegas, & incantationes quærunt. Iſta hominum, non rerum peccata ſunt. Poteſt hoc mihi dicere negotiator. Quære ergo, Epiſcope, quemadmodum intelligas negotiationes, quas legiſti in Pſalterio, ne forte non intelligas, & me a negotiatione prohibeas. Mone ergo, quemadmodum vivam. Si bene, bene mihi erit. Unum tamen ſcio, quia ſi malus fuero, non negotiatio mihi facit, ſed iniquitas mea. Quando verum dicitur, non eſt quod contradicatur*. En quam perſpicue S. Auguſtinus negotiationem probet, oſtendatque nullam eſſe artem tam honeſtam, & innoxiam quæ hominum pravitate non poſſit in malos uſus detorqueri. Alia proinde interpretatione exponit illum Pſalmi verſiculum, *Quoniam non cognovi litteraturam*, ideſt, ut alii codices habent, *negotiationem*.

III. Vehementius in mercatores S. Ioannes Chryſoſtomus invehitur, cuius verba refert S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxvii. *art.* 4. *in* 1. *arg.* Sed omnium Patrum do-

ctri-

Digitized by Google

ctrinam mira perſpicuitate ediſſerit Doctor Angelicus ibidem, cuius verba huc tranſcribere lubet. *Dicendum, quod ad negotiatores pertinet commutationibus rerum inſiſtere. Ut autem Philoſophus dicit in I. Polit.... duplex eſt rerum commutatio. Una quidem quaſi naturalis, & neceſſaria, per quam ſcilicet fit commutatio rei ad rem, vel rerum & denariorum propter neceſſitatem vitæ: & talis commutatio non proprie pertinet ad negotiatores, ſed magis ad œconomicos, vel politicos, qui habent providere vel domui, vel civitati de rebus neceſſariis ad vitam. Alia vero commutationis ſpecies eſt vel denariorum ad denarios, vel quarumcumque rerum ad denarios, non propter res neceſſarias vitæ, ſed propter lucrum quærendum: & hæc quidem negotiatio proprie videtur ad negotiatores pertinere, ſecundum Philoſophum.... Prima autem commutatio laudabilis eſt, quia deſervit naturali neceſſitati; ſecunda autem iuſte vituperatur, quia, quantum eſt de ſe, deſervit cupiditati lucri, quæ terminum neſcit, ſed in infinitum tendit. Et ideo negotiatio ſecundum ſe conſiderata quamdam turpitudinem habet, inquantum non importat de ſui ratione finem honeſtum, vel neceſſarium. Lucrum tamen, quod eſt negotiationis finis, etſi in ſui ratione non importet aliquid honeſtum, vel neceſſarium, nihil tamen importat in ſui ratione vitioſum, vel virtuti contrarium. Unde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem neceſſarium, vel etiam honeſtum: & ſic negotiatio licita reddetur: ſicut cum aliquis lucrum moderatum quod negotiando quærit, ordinat ad domus ſuæ ſuſtentationem, vel etiam ad ſubveniendum indigentibus; vel etiam cum aliquis negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne ſcilicet res neceſſariæ ad vitam patriæ deſint; & lucrum expetit non quaſi finem, ſed quaſi ſtipendium laboris.*

IV. In reſponſo ad primum argumentum doctrinam Chryſoſtomi interpretatur de mercatoribus qui ultimum finem in lucro conſtituunt. Inſtruantur ergo negotiatores, ut iuſte, & ſobrie artem ſuam exerceant. Singulæ artes, natura ſua indifferentes, depravari hominum malitia poſſunt. Facilius delinquunt mercatores, quia lucra, & divitiæ quas parere negotiatio ſolet, fortius cupiditatem accendunt, mentemque excæcant. Idcirco negotiatores præ ceteris abundare operibus bonis, eleemoſynis, precibus, ieiuniis debent, ut Deum propitium habeant, eiuſque gratiam implorent, qua mendacia vitare, & fraudes valeant.

V. Quæſt. I. *Sit ne Clericis, & Religioſis vetita negotiatio?* Reſp. Plurimi ſunt canones qui ſub excommunicationis pœna Clericis, & Religioſis negotiationem prohibent. Cap. *Secundum: ne Clerici, vel Monachi*: ubi hæc habentur. *Sub interminatione anathematis prohibemus ne Monachi, vel Clerici cauſa lucri negotientur.* Item cap. *Conſequens* 88. diſt. Clementina 1. *de vita & honeſtate Clericorum*. Cap. *Canonum* 14. *quæſt.* IV. Pœnæ impoſitæ per hos canones ſunt excommunicatio, & ſuſpenſio, quas innovavit, quibuſque alias adiecit Tridentinum

S iiij *ſeſſ.*

ſeſſ. XXII. *cap.* 11. Communiter Auctores docent, has pœnas non eſſe latas, ſed ferendas, quas nemo, niſi poſt iudicis ſententiam, incurrit. Leges iſtæ comprehendunt omnes Clericos in ſacris conſtitutos, immo etiam in minoribus, ſi Beneficiarii ſint. Iuniores excipiunt ab hac prohibitione Clericum ſæcularem, minoribus tantum ordinibus inſignitum; immo probabile id reputant *Salmanticenſes* cum aliis, etiamſi Beneficiarius Clericus eiuſmodi ſit. Sed gratis, & ſine ullo fundamento: ubi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Omnes adfirmant, Clericos, & Religioſos præfatas leges violantes peccare mortaliter; cum ſint leges iuſtæ, & de re graviſſima. Super hac lege de more iuniores plurimas inſtituunt quæſtiones, quarum præcipuas paucis reſolvam.

VI. Quæſt. II. *Peccant ne mortaliter Clerici, vel Monachi qui ſemel & iterum negotiantur?* Reſp. Caietanus, quamquam communiter ſanioris ſit doctrinæ vindex, in præceptis tamen eccleſiaſticis interpretandis ea fuit perſuaſione deceptus, quod hæc, ſublato contemptu, & contumacia, non obligent ſub mortali. Quare in Summula ſua verb. *Clericus* reſolvit, non peccare Clericum illa operantem quæ iure tantum eccleſiaſtico ipſi vetita ſunt. Quæ opinio & falſa eſt, & abſurdis viam aperit latiſſimam. Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* 11. *punct.* 4. *§.* 1. *num.* 38. ſuſtinent, Clericum, aut Monachum non peccare mortaliter, ſi bis, vel ter negotiationem exerceat, ſecluſo ſcandalo. Quoniam qui bis, vel ter negotiatur, non dicitur exercere negotiationem, neque eidem inſiſtere. Et pro hac opinione citant *Dianam*, *Lugo*, *Malderum*, *Villalobosium*, *Filliucium*, & alios. Qui hominem peccati mortalis damnat, illum æterno ſupplicio infernali ſubiicit. Quis vero, niſi culpa evidens ſit, in æternas flammas fratrem detrudet? Quis contra innocentem eum pronuntiabit, ſi dubia culpa ſit? Recenſitas leges ſub letali culpa obligare, fatentur omnes communiter Theologi, Caietano, Michaele de Palao, & Rodriguez exceptis. Porro qua ratione aſſeritur, quod bina, aut terna tranſgreſſio legis graviter obligantis non ſit mortalis? Cur quarta tranſgreſſio letalis erit, & non tertia? Cur quinta, & non quarta? Quia repetiti actus habitum inducunt? Soli ergo qui ex habitu leges violant, letaliter peccant? Illis gratulor qui in promptu has peccati mortalis, & venialis trutinas habent. Eaſdem me ignorare fateor, quando res explorata non eſt. Lex graviſſima eſt, ut fatentur omnes. Sit ne parva, an gravis materia, una & altera tranſgreſſio, me latet. Unum certo ſcio, legis tranſgreſſionem eſſe peccatum; ſed huius peccati gradus ignoro. Quare ſuper hac, & ſimilibus controverſiis non aliud pronuntiare ego ſoleo, niſi quod ſervanda lex ſit: & ſi Clericus qui ſemel legem violaſſet, ad me accederet, non abſolverem, niſi promitteret, ſe in poſterum non negotiaturum.

VII. Quæſt. III. *Licitum ne Clericis, aut Religioſis eſt negotiationem exercere neceſſi-*

ceſſitate urgente? Reſp. Adfirmant communiter Theologi: quia nullum præceptum eccleſiaſticum in urgente neceſſitate obligat. Doctrina vera eſt, dummodo neceſſitas vera ſit, non quæſita; dummodo neceſſitatis prætextu conquirendis divitiis, & augendis non detur opera. P. Molina, & Cardinalis de Lugo *diſput.* XXVI. *ſect. 3. num. 37.* docent, Religioſos in Braſilica (vulgo *Braſile*) miniſterio apoſtolico fungentes, poſſe mittere in Hiſpaniam merces, ut illarum pretio comparent ſibi neceſſaria ad victum; cum pecunias quas mittant, minime habeant. Et hoc, inquit Lugo, ſaltem *per epicheiam* licitum eſt. Difficile apparet quod in ampla regione Braſilica ea deſint quæ apoſtolicis Miſſionariis alendis, & induendis neceſſaria ſunt. Si verum eſt quod hiſtoriæ perhibent, nempe aliquos iſtorum Miſſionariorum ſuas habere naves mercatorias quas mittunt in Hiſpaniam, neſcio an beneficio epiikiæ excuſari iſti a pœnis in Clericum negotiatorem latis valeant. Sed hæc diſcutere ad nos non attinet. Videant illi quorum intereſt.

VIII. Quæſt. IV. *An Clerici, vel Monachi negotiari ſin per ſe, ſaltem per alios poſſint?* Reſp. Peccant Monachi, & Clerici, ſi propriis manibus negotiationi pecunias exponant; ſecus ſi has pecunias dent mercatoribus, qui propriis eas immiſceant, & negotientur, & lucra cum Clericis dividenda aſſequantur. Ita docent Molina *Tom. II. tract.* 11. *diſp.* CCCXLII. Leſſius *Lib. II. cap.* XXI. *dub.* 1. *num.* 26. Rebellus *Lib. IX. quæſt. ult. ſect.* 2. Lugo *diſp.* XXVI. *ſect.* 3. *num.* 36. Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* 11. *punct.* 4. *§.* 1. *num.* 40. & alii, qui ibi citantur. Ratio iſtorum eſt: quia ſacri Canones prohibent negotiationem Clerico a ſeipſo peragendam (hoc enim indecentiam præfert, & diſtractionem animi ſecum adfert) ſecus quando Clerici, & Monachi totam curam alteri relinquunt, & aliorum miniſterio mercaturam exercent.

IX. Niſi hæc circumventio legis ſit, quænam erit? Prohibentis legis finis, &, ut ita dicam, ſpiritus eo tendit ut Clericos, & Monachos Deo ſacratos a congregandis divitiis avellat, ut divino cultui totos ſe dedant, ut Deum & ſibi, & populo propitium reddant. Aliquid indecentiæ exterioris detrahitur, quod aliorum opera Clerici negotientur; ſed cupiditatis & avaritiæ pravitas tota viget, alieno induta pallio. Quare præfata opinio falſa mihi eſt, & circuitionis plena. Immo nec verba legis ſervant citati Theologi: abſolute quippe leges vetant Clericis negotiationem. Diſtinctiuncula invecta per ſeipſos, & per alios, arbitrarium commentum eſt ad legem eludendam, quodque cum legis ſpiritu hoſtiliter pugnat. Quid quod dum Clerici, vel Monachi mercatorum induſtria negotiantur, continuis perplexitatibus, curis, ſollicitudinibus anguntur? Hinc ſuſpiciones, ne debito lucro defrandentur. Hinc timor iacturæ, illinc ſpes ingentis lucri animos exagitant, menteſque perturbant, ſæpe fortius quam ſi per ſe ipſos negotiationem

Digitized by Google

nem exercerent. Quid quod vel ipſi celebriores opulentioreſque inſtitores, non ſeipſis, ſed miniſtrorum induſtria negotiationem exercent? Quid, amabo te, diſcriminis hos inter & Clericos, Clauſtraleſque qui mercatorum induſtria ſuas negotiarentur pecunias?

X. Quæſt. V. *Utrum omnis negotiatio etiam non rigoroſa vetita Clericis, & Monachis ſit?* Reſp. Negant communiter Theologi. Illam ſolam negotiationem iiſdem vetitam aſſerunt qua lucrandi animo aliquid emitur, ut carius vendatur, re immutata manente; aut quæ cum hac affinitatem habeat. Cardinalis de Lugo plurima enumerat quæ exerceri a Clericis, & Monachis poſſint, quin legem tranſgrediantur. Et primo infert *loc. cit. num.* 29. licitum iiſdem eſſe emere animalia, ſuorum prædiorum paſcuis alenda, ut ſaginata poſtea, & mutata vendantur. Hoc enim aliud non eſt niſi propria paſcua vendere, & fructus propriorum agrorum. Addit, Clericos, & Monachos habere greges poſſe, ut lac, lanam, & fetus vendant. Et hoc conſuetudo quotidiana confirmat. Negat tamen emere eoſdem licite poſſe alienos agros, ut fructus vendant. Quia licet non ſit proprie negotiatio, eſt tamen illis ſpecialiter prohibita a Concilio Carthaginenſi *I. & IV.* relatis XXI. *quæſt.* III. *cap.* I. & II. Similiter prohibitum iiſdem eſt conducere ſalinas, & greges, ut ſal, & lac, caſeum, & lanam vendant. Hæc omnia & mihi vera videntur.

XI. Infert ſecundo, non eſſe negotiationem Clericis vetitam, ſi ferrum ex propria vena etiam per miniſtros laicos conficiant, ut vendant. Quid, ſi fodinam in hunc finem emant, ut ex ea laicorum labore metallum conficiant? Negant aliqui licitum id eſſe. Sed Molina *diſp.* CCCXLII. cum aliis, quibus accedit ipſe Lugo, licitum hoc adfirmant, quando cum vena ſimul prædium emitur. Papæ! Opulentior tum erit negotiatio. Cauſſa itaque negotiandi licet emere & fodinas, ut laicorum ſudoribus metalla extrahantur, & ſimul prædia, ut fructus vendantur? Quidni? Reſpondet Lugo. Si prædium cum fodina ex teſtamento obtineant Religioſi, nonne poſſunt laicorum opera omnia vendere quæ inde extrahunt? Quid diſcriminis eſt inter rem emptam, & ex teſtamento habitam? Nullum plane, reſpondet Lugo. Ego contra reputo maximum. Nam cum in finem negotiandi hæc emuntur, lex manifeſte violatur. Teſtator fundos Monaſteriis donat, non ut Religioſi negotientur, ſed ut alant aut ſeipſos, aut pauperes; ſecus ut theſaurizent, & divitias congregent, quarum vi imperare ceteris, & mundum devincire ſibi valeant.

XII. Infert tertio, non eſſe negotiationem prohibitam, ſi procurator Conventus in principio anni emat pro uſibus Conventus, ſeu Collegii 1000. pecora v. g., vel centum dolia vini, ne periculo ſe exponat emendi poſtea *carius*, ſi forte, prout evenire ſolet, aliqua hiberno tempore moriantur, vel aliqua dolia vi-

ni

Digitized by Google

ni aceſcant. Quod ſi hæc mala non contingant, poterit ſuperflua vendere, & *quidem*, inquit, *cariori pretio: quia pecora meliorata ſunt*; & *vinum etiam vetus pluris venditur*. Facienda tamen hæc ſincero animo, ſubdit. Illa autem ſpes vendendi carius ſuperflua non eſt, inquit, finis directus, ſed removens prohibens, quatenus, niſi illam ſpem haberet, non emeret fortaſſe plura, ne maiores ſumptus faceret ſuperfluos de præſenti, ſine ſpe recuperandi illos. Fortaſſe Procurator domus non percipiet vim illius diſtinctionis, nempe quod ſpes vendendi carius ſuperflua pecora, & dolia vini ſit finis, *non directus*, ſed *removens prohibens*. Severius hæc diſcutere non vacat. Si negotiationis finis abeſſet; poſſet vinum vetus, cum melius ſit, a Religioſis potari, & novum ordinario pretio vendi. Verum hæc a circumſtantiis pluribus pendent. Ideo iudicium ſuſpendo. Illud ex Scripturis ſanctis, & ſacris Canonibus ſcio, cavendum Religioſis ſummopere eſſe vel ab ipſa mercimonii ſpecie, & umbra.

XIII. Proponit deinde idem Cardinalis de Lugo hunc caſum. Habet domus religioſa Romana pecunias ex propriis reditibus in regno Neapolitano. Nequit eaſdem Romam, ubi iiſdem indiget, adferre ſine detrimento: quia moneta Neapolitana minus Romæ quam Neapoli valet. Experrectus Romanæ domus procurator ad declinandum hoc detrimentum curat ut pecunia Neapolitana emantur Neapoli merces, Romæ vendendæ pretio eodem, & fortaſſis maiore. Ut perſpicue reſpondeat propoſitæ quæſtioni, diſtinctione utitur. Si pecunia Neapolitana non æquivaleret Romanæ, videtur eſſe negotiatio illicita; ſecus, ſi Iulius Neapolitanus æquivalet Romano Iulio. Tum enim procurator non emit, ut carius vendat. Emit enim Neapoli 100. Iuliis Neapolitanis, qui ibi æquivalent 100. Iuliis Romanis. Et quamquam procurator ſciret merces illas carius vendendas Romæ, non propterea illicita ei negotiatio eſſet: quia intentio procuratoris non reſpicit maius illud lucrum, ſed ſuam indemnitatem a iactura. Et quod maiori pretio vendat, *per accidens eſt*. Si intentio ſola honeſtam Clericis negotiationem efficit; vix erit mercatura quam exercere licite nequeant. Diſtinctio adducta arbitraria mihi videtur. Finis intentus a lege prohibente negotiationem Clericis, & potiſſimum viris religioſis ſtrictiori vinculo Deo conſecratis, eſt ne ſæcularibus negotiis ſe ſe immiſceant, ne augendis divitiis operam dent, ne a divino cultu diſtrahantur. Porro hæc omnia, & alia plura quæ prætereo, eveniunt, ſive Iulii Neapolitani minoris valeant quam Romani, ſive Romanis æquivaleant; ſive procurator intentionem habeat lucrandi, ſive ſervandi ſe ab iactura indemnem. Quare ſophiſticæ imbecillitati meæ apparent eiuſmodi diſtinctiunculæ, ad leges eludendas invectæ.

XIV. Quæſt. VI. *Quot modis negotiatio fiat illicita etiam laicis?* Reſp. Quamquam licita abſolute laicis ſit negotiatio, tamen pluribus modis iiſdem quoque illi-

illicita evadere poteſt. Et 1. ſi finis eiuſdem ſit lucrum ſolum, tum illa præfert quamdam turpitudinem. 2. Si fraudes, mendacia, periuria, monopolia eidem immiſceantur. 3. Si materia vendibilis non ſit, ut res ſacræ, aut merces quæ vendi infidelibus prohibentur, ut arma, ferrum, & alia quæ in Bulla Cœnæ numerantur. 4. Si mercatura aut diebus ſacris, aut in loco ſacro exerceatur.

XV. Quæſt. VII. *Qui mercaturæ artem exercent, licite ne vendere carius merces valent quam ii qui negotiationem non exercent?* Reſp. Affirmant omnes: quoniam mercatorum profeſſio Reipublicæ neceſſaria eſt; & hac profeſſione vivere, ac plura gravamina ſuſtinere iſti debent, a quibus liberi ſunt qui mercatorum artem non exercent. Conſueti tamen pretii limites excedere nequeunt. Nec eſt quod opponant, carius ſe emiſſe merces, pluresque feciſſe expenſas. Quoniam pluribus ex cauſſis decreſcere pretium ſolet, vel ob mercium copiam, vel ob emptorum penuriam; ſicut e contrario creſcere propter oppoſitas cauſſas poteſt. Et quemadmodum in hoc ſecundo caſu aucto pretio licite vendunt, ita in priori caſu diminuto pretio vendere quoque debent. Et hinc eſt quod negotiatio & iacturæ, & lucro ſubiecta eſt.

XVI. Quæſt. VIII. *Licita ne ſit mercatura qua frumentum emitur, dum minus valet, ut carius poſtea vendatur?* Reſp. Communiter vel ipſi benigniores Caſuiſtæ defendunt, vetitam eſſe iure tum naturali, tum poſitivo negotiationem iſtam. Et quod naturæ legi repugnet, ex eo patet quod eiuſmodi frumenti accumulatio, a divitibus facta, pauperibus, & ipſi Reipublicæ ſit perniciosa. Nam heinc ſequitur quod cives, & pauperes comparare ſibi impediantur merces victui neceſſarias tempore quo minus valent; & cogantur ab iſtis avariſſimis negotiatoribus altiori pretio eaſdem alio tempore emere. Sunt proinde mercatores iſti civium, pauperumque oppreſſores, qui ex aliorum penuria, & calamitate augere divitias ſtudent. Iure autem poſitivo, non modo communi cap. *Quicumque* 14. *quæſt.* IV. ſed peculiari cuiuſque fere regni, talis negotiatio prohibita eſt.

CAPUT IV.

De monopoliis licitis, & illicitis.

I. MOnopolium Græcum nomen eſt, a vocabulo *Monos*, quod ſignificat unum, & verbo *Poleo*, quod ſignificat vendere. Deſcribi communiter ſolet quod ſit conventio, ſeu conſpiratio qua plures deliberant de tali merce non vendenda, niſi hoc aut illo pretio ab ipſis deſignato. Alii quatuordecim, alii duode-

decim modos peragendi monopolii enumerant; preſſius alii ad quatuor genera omnia revocant. Primum, quando unus, aut plures merces conquirunt, & emunt, ut, inducta inopia, ceteri cogantur ab iiſdem emere cariori pretio. Alterum, quando unus a Principe privilegium aſſequitur, vi cuius ipſe ſolus, ceteris excluſis, vendere tales merces poſſit. Tertium, quando plures impediunt ne merces exteræ invehantur in civitatem, ut ipſi ſuas, ex propriis prædiis perceptas, aut aliunde conquiſitas, diſtrahere caro pretio queant, cum boni communis damno. Poſtremum monopolii genus eſt, quando mercatores una conſpirant, ſtatuuntque, merces tanti, & non minoris vendendas eſſe; aut contra, quando emptores eamdem conſpirationem ineunt, non pluris merces ſolvendi.

II. Monopolium primi generis omnes improbant. Secundum probant, quando privilegium a Principe obtentum iuſtum ſit, & bono publico conſentaneum. Si enim privilegium arte mala, dolis, & fraudibus obtentum eſſet, & in præiudicium ſubditorum cederet; tum iniuſtum foret, eiuſque uſus illicitus. Iuſtas conceſſionis cauſſas expendere ad Principem attinet, minime ad privatos. Si privilegium venditionem mercium quæ neceſſariæ ſunt ad communem, & neceſſarium vitæ alendæ uſum, ſpectat; tum pretii quantitatem taxari a Principe debet. Si ad pompam, ornatum, luxum, merces attineant; tum artificum, & mercatorum iudicio relinqui pretii quantitas poteſt. Tertium monopolii genus omnes damnant, tamquam iniuſtum; & monopolas illud exercentes reſtitutioni ſubiectos aſſerunt. Quare qui annonæ præſunt, ſi introductionem vini, tritici, olei, & aliarum mercium quæ ſunt ad victum neceſſariæ, impediant, ut ipſi reditus ſuos carius vendant, aut ut mercatoribus avaris, a quibus in hunc finem munera acceperunt, indulgeant, iuſtitiam lædunt, & ad reſtitutionem tenentur. Si tamen ex ingreſſu exterarum mercium vileſcerent domeſticæ, tum ratio boni communis principatus, vel civitatis, oppidive poſtularet ut propriarum mercium venditio procuraretur, & impediretur exterarum mercium acceſſus. Duo habere præ oculis debent qui rem annonariam moderantur, nempe pauperum, & civium commodum, ac proprii territorii mercium venditionem. Duo quippe civitati cuique neceſſaria ſunt, merces, & pecuniæ. In id incumbere Rectores debent, ut his duobus civitas abundet, extremis declinatis. Aliqui in hoc errant, quod nimiam exterarum mercium copiam invehi ſinant, ut vili pretio comparare pauperes victum queant; nihilque curent quod e civitate tota exhauriatur pecunia, & domeſticæ vileſcant merces: quod ſane extremum perniciosum eſt, licet nimio pauperum amore tectum. Quoniam, cum divites reditus ſuos congruo vendere pretio nequeant, pecuniaque careant, operarii, artifices, & pauperes ipſi languent: locare enim operas ſuas nequeunt. Plures in aliud declinant extremum. Exterarum mercium introductionem plus æquo prohibent, ut cariore pretio reditus ſuos di-

divendant, magno pauperum damno. Ut ambo hæc extrema declinentur, ſumma opus eſt vigilantia, æquitate, & boni communis zelo, quo ita temperetur mercium copia, ut evitetur pecuniarum caritas.

III. Quæſt. I. *Licitum ne venditoribus eſt conſpirationem inire non vendendi merces niſi pretio ſummo?* Reſp. Duplex viget ſententia. Altera adfirmat, negat altera: & utraque in hoc convenit quod pretium ſummum debeat eſſe intra limites iuſti pretii. Sententia adfirmans hoc nititur fundamento. Venditores ius habent ad vendendas pretio ſummo, ceteroquin iuſto, merces ſuas; & ſi minori pretio vendunt, liberaliter, & gratis id faciunt. Porro ſi quis iiſdem ſuaderet abſque vi, & fraude ne minori quam ſummo pretio merces ſuas venderent, nulla foret iniuſtitia. Porro non aliud præſtant monopolæ ſe exhortantes ne quiſquam illorum merces vendat minori quam pretio ſummo. Quare licet eiuſmodi conventio ſit illicita, quia vetita; non tamen eſt iniuſta, reſtitutionis debitum inferens. Hanc ſententiam defendunt Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* 11. *punct.* 5. *num.* 56. Tapia *Lib. V. quæſt.* XVI. Lugo *diſp.* XVI. *ſec.* 13. Leſſius *Lib. II. cap.* XXI. *n.* 145. Petrus Navarra *Lib. III. de reſt. cap.* 11.

IV. Contraria opinio mihi vera eſt, ſeu veritati conformior. Quoniam licet pretium ſummum ſit intra confinia iuſti pretii; conventio tamen, ſeu conſpiratio non vendendi niſi pretio ſummo, & non emendi niſi pretio infimo, iniqua eſt, & Reipublicæ detrimentoſa. Excluſa enim hac perverſa conſpiratione, plures mercatores & venderent, & emerent pretio modo infimo, modo medio, modo ſummo: quod in magnum Reipublicæ commodum cederet. Ergo conſpiratio quæ hunc perturbat ordinem, & quæ hanc utilitatem, commodumque aufert, iuſtitiam lædit; atque adeo reſtitutionis debitum infert. Contrariæ ſententiæ fundamentum nullum eſt. Ius habent mercatores vendendi pretio ſummo; at iure carent iniquam conſpirationis legem ſtatuendi qua omnia pretia præter ſummum excludantur.

V. Quæſt. II. *Conſtituto ſemel monopolio a mercatoribus vendendi merces pretio ſummo iniuſto, alii qui monopolii iſtius participes non fuerunt, peccarent ne contra iuſtitiam, ſi præfato pretio nunc currente ſuas venderent merces?* Reſp. Hæc eſt deciſio Salmanticenſium *tract.* XIV. *cap.* 11. *punct.* 5. *num.* 57. & pro eadem citant *Dianam*, *Bonacinam*, *Reginaldum*, & alios. „ Verior autem eſt ſententia negans peccare tales venditores; etiamſi non ignorent incrementum pretii ortum habuiſſe „ ex iniuſta conventione: quia iſtud pretium eſt commune currens, & vulgare. „ *Quod autem adauctum ſit ex iniuſtitia aliorum, mihi per accidens eſt.* “

VI. Hæc ſententia mihi falſa eſt, & laxa. Quod pretium ſit iniuſtum, *tibi per accidens eſt?* Iniuſtitiam ne pretium iſtud exuit, propterea quod nunc commune ſit? An non peccant monopolæ tale iniuſtum pretium exigentes? Ais. Cur ergo non pec-

peccabunt ceteri qui iniuſte conſtitutum pretium agnoſcunt? Quid *Tò per accidens* confert ad iniuſtitiam depellendam? Hæ ſunt diſtinctiunculæ quæ frequenter iuſtas morum regulas pervertunt. Plura alia monopolia ad hoc genus revocantur; ut monopolium quo artifices conſpirant ne opera ab uno inchoata ab aliis perficiantur; ne operas ſuas locent niſi hoc aut illo pretio. Quid de illis impoſtoribus qui navium ſubmerſionem falſo evulgant, aut litteras confingunt quibus ſubmerſionis rumorem ſpargunt, ut mercium pretium augeant? Iſti raptores ſunt, & prædones. Iſtis ſimiles illi ſunt qui vel vendentes ſub haſta fictos licitatores prodire curant qui pretium augeant, ut veri emptores carius emant; vel ementes ſub haſta ceteros ab emendo avertunt, ut ipſi vili pretio merces obtineant. Iuniores aliqui docent, nullum eſſe peccatum, ſi ementes ſub haſta abſque vi, & fraude, ſed ſolis precibus rogent alios ne in publica licitatione plus certa quantitate offerant, ut ipſi infimo iuſto pretio mercem obtineant. Sed hæc mihi non probantur. Quoniam, cum mercium pretium taxatum non ſit, ipſi emptores fiunt pretii infimi iudices. Porro quis in propria cauſſa iuſtus iudex? Fides, & ingenuitas in his licitationibus neceſſaria eſt; & quiſque offerre pretium ſuum debet, ceteris libertate facta offerendi quod iiſdem iuſtum viſum fuerit, precibus, blanditiis, & quacumque arte ſublatis.

VII. Audiant, & meditentur benigni iuniores quod ſcribit ethnicus M. Tullius *Lib. III. Offic. cap.* VII., „ Si vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia, & fame, ſummaque annonæ caritate; „ ſi idem ſciat, complures mercatores Alexandria ſolviſſe, naveſque in curſu frumento onuſtas petentes Rhodum viderit; *dicturus ne ſit id Rhodiis*, *an ſilentio* „ *ſuum quam plurimo venditurus*? Sapientem, & bonum virum fingimus: de eius „ deliberatione, & conſultatione quærimus qui celaturus Rhodios non ſit, ſi id „ turpe iudicet; ſed dubitet, an turpe non ſit. In huiuſmodi cauſis aliud Diogeni Babylonio videri ſolet, magno, & gravi Stoico; aliud Antipatro diſcipulo „ eius homini acutiſſimo. Antipatro omnia patefacienda, ut ne quid omnino „ quod venditor norit, emptor ignoret; Diogeni venditorem, quatenus iure civili conſtitutum ſit, dicere vitia oportere, cetera ſine inſidiis agere: & quoniam „ vendat, velle quam optime vendere. Advexi, expoſui, vendo meum non plu- „ ris quam ceteri, fortaſſe etiam minoris, cum maior eſt copia: cui fit iniuria? „ Exoritur Antipatri ratio ex altera parte. Quid agis? Tute, cum hominibus „ conſulere debeas, & ſervire humanæ ſocietati, eaque lege natus ſis, ut ea habeas principia naturæ quibus parere, & quæ ſemper ſequi debeas; ut utilitas „ tua communis utilitas ſit, viciſſimque communis utilitas tua ſit; celabis homines quid iis adſit commoditatis, & copiæ? Reſpondebit Diogenes fortaſſe ſic: „ Aliud eſt celare, aliud tacere: neque ego nunc te celo, ſi tibi non dico quæ

„ na-

„ natura deorum ſit, quis finis bonorum: quæ tibi plus prodeſſent cognita quam „ tritici utilitas. Sed non quicquid tibi audire utile eſt, id mihi dicere neceſſe „ eſt. Immo vero (inquit ille) neceſſe eſt: ſi quidem meminiſti eſſe inter ho„ mines natura coniunctam ſocietatem. Memini (inquit ille) ſed num iſta ſocie„ tas talis eſt, ut nihil ſuum cuiuſque ſit? Quod ſi ita eſt, ne vendendum qui„ dem quicquam eſt, ſed donandum."

VIII. Habes utriuſque partis expoſitas rationes, quas acutius urgere Probabiliſtæ ipſi neſcirent. Quid reſolvit M. Tullius? Audi illius reſponſum cap. VIII. *Quæ diiudicanda ſunt: non enim ut quæreremus, expoſuimus, ſed ut explicaremus. Non igitur videtur frumentarius ille Rhodius celare emptores debuiſſe. Neque enim id eſt celare quicquid reticeas; ſed cum quod tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſa velis eos quorum interſit id ſcire. Hoc autem celandi genus quale ſit, & cuius hominis, quis non videt? Certe non aperti, non ſimplicis eſt, non ingenui, non iuſti, non viri boni; ſed verſuti potius, obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri. Hæc tot, & alia plura, nonne inutile eſt vitiorum ſubire nomina? Quod ſi vituperandi ſunt qui reticuerunt; quid de iis exiſtimandum qui orationis vanitatem adhibuerunt?* Aliam venditionem ſane vafram & callidam narrat ibidem Cicero, inter Pythium & Canium peractam, quam brevitatis cauſſa prætereo. Erunt fortaſſe qui *Rigoriſmi*, & *Tutioriſmi* incuſabunt & Antipatrum, & Ciceronem. Erunt qui laudibus celebrabunt Diogenem, tamquam benignum, & ſuavem Caſuiſtam, qui tam acute rationes excogitaverit libertati indulgentes. Sed omnes qui recte ſapiunt, intimo ſenſu tangentur, recogitantes ſinceritatem, ingenuitatem, æquitatem, ceteraſque virtutes quas ethnici Philoſophi in negotiatione ſervandas proponunt. Sit nec ne Ciceronis doctrina ex neceſſitate ſuſcipienda; nemo ſaltem inficias iverit, eam evangelicæ perfectioni quam maxime accedere, & ſplendidiſſimam præſeferre æquitatis imaginem. Hæc ſublimis Ethnicorum Philoſophia perfundere non levi pudore deberet non paucos Caſuiſtas, qui in explicanda noſtra a Deo revelata Theologia longius a via iuſtitiæ, ſinceritatis, & æquitatis abeunt. Uberiorem huius quæſtionis diſcuſſionem ſi cupis, conſule *quæſt. IX. ſeq. cap.*

C A-

Digitized by Google

CAPUT V.

De venditione, & emptione cum pacto retrovendendi, & retroemendi; & de contractu mohatra.

I. PActum retrovendendi, aut redimendi adiici poteſt vel in favorem venditoris, vel in favorem emptoris, aut in favorem utriuſque ſimul. Fit in favorem emptoris, quando pactum ſeu onus imponitur venditori; ut ſi emptor ſtatuat: Emo a te librum hoc pacto, ut tempore a me præſtituto tu illum a me redimas. Tum vero conditio additur in favorem venditoris, quando onere retrovendendi gravatur emptor; ut ſi dicas: Vendo tibi hunc librum hac conditione, ut tempore ſtatuto illum mihi revendas. Denique in favorem utriuſque pactum adiicitur, cum utrique facultas relinquitur a contractu reſiliendi.

II. Licitum eſt eiuſmodi pactum in favorem ſolius venditoris, quando conditiones mox aſſignandæ ſerventur. Hoc patet ex Levit. cap. xxv. *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea eſt, & vos advenæ, & coloni mei eſtis. Unde cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur.* Ratio quoque ſuffragatur: quia onus conditionis adiectæ in favorem venditoris compenſari poteſt pretii diminutione. Pactum adiectum in favorem ſolius emptoris, in praxi ſaltem tutum non eſt. Et ad illius æquitatem tot neceſſariæ eſſent conditiones quæ ſervari reipſa ab hominibus lucri avidis vix umquam ſolent. Do exemplum iſtius contractus. Si tu a me vineam emis pretio determinato, hoc pacto, ut ego pro tuo libito eam redimam eodem pretio. Tu ex ea colligis fructus, & poſtea ego redimere vineam debeo. Tunc enim fructus vineæ tu haberes pro pretio, puta centum aureis, quos mihi mutuo dediſti. Similiter contractus cum pacto retrovenditionis in favorem utriuſque, emptoris nempe, & venditoris, licet abſolute licitus ſit, tamen in praxi vix permitti debet.

III. Prima conditio neceſſaria in his contractibus eſt, ut iidem bona fide celebrentur cum ſincero animo vendendi, & emendi, excluſa omni uſura palliata. Uſura palliata dicitur, quando ſub alterius contractus pallio occultatur. Emit fenerator domum tuam mille aureis, pacto adiecto, ut poſt unum, duos, aut tres annos tanti redimas: interim tibi eamdem locat quinquaginta aureis in ſingulos annos. Latitat hic mutuum fenebre ſub pallio contractus emptionis, & venditionis.

IV. Secunda conditio eſt, ut pretii quantitas moderetur iuxta conditionem adiecti gravaminis. Iuſtum enim pretium ſervandum eſt in omni contractu. Porro merces quæ abſolute valent decem, pacto retrovendendi gravatæ, minoris valent; pluris vero, quando pactum adiicitur in favorem emptoris. Quare tantum

Digitized by Google

pretii augendum, aut detrahendum eſt, quantum iuxta prudentum exiſtimationem reputatur gravamen adiectum.

V. Conditio tertia eſt, ut res vendatur pretio currenti tempore retrovenditionis. Quare iniuſtum foret pactum adiectum, ut eodem pretio retrovendatur quo empta merx fuit: quia merx quæ nunc venditur cum pacto retrovenditionis, minoris valet quam ſi venderetur abſolute, ſublato pacto. Merces ergo retrovendi debent pretio quod valent tempore retrovenditionis: quidquid in oppoſitum ſcribant Leſſius, Bonacina, & alii.

VI. Quarta conditio eſt, quod periculum rei venditæ, aut commodum reiiciatur in venditorem, & quod ſervetur identitas rei venditæ; ut ſi vinea vendita cum fructibus ſit, cum fructibus pariter retrovendi debeat.

VII. Quæſt. I. *Licitum ne eſt retractus gentilitius?* Reſp. Retractus iſte italice vocatur *ius di ricupera*, gallice *Retrait lignager*. Eſt autem ius conceſſum conſanguineis venditoris reſcindendi intra præfinitum tempus contractum venditionis rei immobilis. Mobilia enim, quantumvis pretioſa, retrahi nullo modo poſſunt. Ius autem retrahendi, ſeu recuperandi fundos venditos, omnium nationum moribus, & Principum legibus firmatum, familiarum conſervationem, & perpetuitatem ſpectat. Hic autem in hoc contractu ordo ſervatur. Pretium quo empta res fuit, ſolvi emptori debet. Iſtius recuperationis ius conceſſum eſt conſanguineo proximiori, & gradatim ceteris. Si proximior conſanguineus cedat huic iuri, aut ſi negligens fuerit, ſuccedit propinquior. Qui hoc ius impedit dolis & fraudibus curando ne conſanguinei venditoris revocent ad ſe res venditas, peccat contra iuſtitiam. Peccant conſanguinei, dum fundos retrahunt, ſeu recuperant in favorem amicorum, a quibus pecuniam neceſſariam ad recuperandum accipiunt. Item quando retrahunt, ut maiori pretio vendant. Peccant emptores qui, data opera, pretium augent eo fine ut impediant recuperationem. Quælibet natio ſuas habet peculiares leges conſulendas, & ſervandas.

VIII. Quæſt. II. *Licitus ne eſt contractus mohatra?* Reſp. Contractus *mohatra* agitur, cum quis, indigens pecunia numerata, emit a mercatore merces quibus non eget, pretio ſummo, puta 106. pacto adiecto a mercatore, ut illi retrovendantur ab emptore pretio infimo, puta 100. Contractus iſte dupliciter celebrari poteſt: aut cum pacto expreſſo, vel tacito; aut abſque omni pacto, ſive explicito, ſive implicito; aut cum eodem, aut cum diverſo mercatore. Primo modo feneratitius eſt, & damnatus ab Innocentio XI. Pontifice ſummo in hac prop. 40. *Contractus mohatra licitus eſt, etiam reſpectu eiuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.* Duplici ratione reiiciendus eſt contractus iſte cum pacto ſive implicito, ſive explicito celebratus. Et primo quia mutuum fenebre aperte continet: mercator enim ſub pallio ficti contractus venditionis, & emptionis

Digitized by Google

nis dat mutuo 100. ut accipiat 106. Aurifices vendunt aurea, vel argentea vaſa pretio ſummo, computato artis labore, deinde ſtatim redimunt pretio infimo, nulla habita ratione ad pretium operis, & induſtriæ. Sic vas quod ratione metalli, & operis artificioſi valet 200. hoc pretio vendunt; & poſtea, detracto pretio operis induſtrioſi, & conſiderato dumtaxat argenti, aurive valore, redimunt 180. pecunia numerata. Obtenditur verbis contractus venditionis, & emptionis; ſed reipſa contractus uſurarius eſt, atque adeo improbus. Accedit quod etiamſi intra confinia iuſti pretii ſummi, & infimi merx venderetur, onus tamen impoſitum retrovendendi eamdem mercem, gravamen eſt pretio æſtimabile, quod iniuſtum contractum efficit. Quamobrem in præſens omnes Theologi hunc contractum reprobant.

IX. Cardinalis de Lugo *Tom. II. de iuſt. diſp.* XXVI. *ſec.* 13. *num.* 208. licet communi ſententiæ adhæreat, fibulas tamen dilatat. Docet enim, venditorem habere licite poſſe intentionem mercis redimendæ, & inſuper hanc intentionem ſuam patefacere emptori. *Infertur*, inquit, *tertio*, *neque reddi iniuſtum hunc contractum ex natura rei per hoc quod venditor ſuam intentionem manifeſtet emptori*, *dicendo*: *Ego libere tibi credito vendo has merces*; *ſi tamen volueris eas poſtea viliori pretio vendere ad habendam pecuniam præſentem*, *ego paratus ſum ad eas emendas*. Quis dixerit, hunc non eſſe contractum *mohatræ* larvatum, & delicatioribus fucis depictum? Adeſt animus redimendi mercem pecunia numerata, & viliori pretio. Animus proditur emptori. At, inquis, non imponitur emptori onus retrovendendi. Immo continuo ſubdidit citatus Auctor: *Dum tamen aliquod pactum implicitum ſub hac manifeſtatione non includatur*. Hæ ſunt conſuetæ antilogiæ, quibus benigniores Probabiliſtæ iugulare non raro ſe ſolent. Ut patentem laxitatem quoquomodo temperent, adiiciunt clauſulam aliquam quæ pugnat cum facto quod ut licitum proponunt. Quid eſt pactum? Conventio inter duos. Mercator aperte dicit: *Vendo tibi hanc mercem*; *ſi tamen volueris eam mihi revendere viliori pretio*, *emam*. Aſſentitur emptor neceſſitate pecuniæ obtinendæ aſtrictus. Quid ultra requiritur reipſa ad pactum ineundum? Nihil ſane. Sed, ut verborum involucro res implicetur, mera vox pacti excluditur, & pactum reipſa conceditur expreſſum, nedum implicitum. Eſt pactum, dicent, ſed liberum, non oneroſum, non neceſſarium. Phyſice verum eſt. At in civili commerio, & moraliter loquendo, totum adeſt quod ad damnatum contractum *mohatræ* requiritur. Nec feneratores facultate potiuntur cogendi mutuatarios ad ineundos contractus fenebres. Offerunt pecunias mutuo, libertatem iiſdem relinquentes eaſdem accipiendi, aut reſpuendi. Quare, ut minus, tamquam periculi plena, improbanda eſt Cardinalis de Lugo ſententia. Laxius hoc de contractu ſcribit P. Leſſius *Lib. II. cap.* XXI. *dubit.* 16. *num.* 131. ubi contractum mohatræ damnatum docet, inquiens. „ Adverte

Digitized by Google

„ tamen, hunc modum contrahendi ſæpe non carere culpa in mercatore, qui ex „ COMPOSITO ita vendit, ut pretio infimo redimat. Nam primo peccare poteſt contra caritatem; ut ſi cogat miſerum aliquem hominem emere merces „ quibus non eget, magno illius diſpendio, cum poſſit illi facile, & abſque ſuo „ incommodo mutuum dare. Secundo peccare poteſt præbendo malum exemplum. Nam contractus ille habet ſpeciem mali, & ſuſpicionem uſuræ. Tertio „ ſeipſum, & ſuos infamando. *Non tamen tenetur ad reſtitutionem, ut inquit Navarrus: quod intellige non teneri ex iuſtitia.* " Mercator ergo qui ex compoſito cogit miſerum homulum ad emendum pretio ſummo merces quibus non eget, ut eaſdem ſibi retrovendat pretio infimo, non peccat contra iuſtitiam? Si emptor iſte ſit dives mercator, non peccabit neque contra caritatem. Si autem abſit ſcandalum, nullo modo peccabit. Hæc porro doctrina damnata eſt.

X. Diſputant vero Theologi, an, excluſo omni pacto tum implicito, tum explicito, tum ſcandalo, & periculo infamiæ, quæ ex notitia eiuſmodi contractuum contingere ſolet, licitus præfatus contractus ſit? Adfirmant communiter: quia nulla hic iniuſtitia apparet. Mercator enim vendit utique pretio ſummo, ſed iuſto; emptor revendit pretio infimo, ſed iuſto. Ergo non eſt unde colligi talis contractus iniuſtitia poſſit. Hanc ſententiam defendunt Salmanticenſes *tract. xiv. cap. 11. punct. 7. num.* 70. & citant pro eadem *Toletum*, *Palaum*, *Leſſium*, *Reginaldum*, *Navarrum*, *Bonacinam*: & reipſa communiter illam docent ceteri Theologi.

XI. Quod ipſe ſentio, paucis prodo. Si prædictæ conditiones revera concurrerent, talem contractum iniuſtitiæ nec ego poſtularem: Difficillimum tamen, immo impoſſibilem reputo huiuſmodi conditionum in praxi concurſum. Nam qui fieri poteſt ut ſcandalum abſit, & periculnm infamiæ contrahendæ? Nonne inter duos contractus iſte celebratur? An ſcandalum emptor non patitur, dum neceſſitate pecuniæ obtinendæ merces emit eidem mercatori revendendas? Quomodo impediri poteſt ne notitia horum contractuum evulgetur? Homines, ad malum ſuſpicandum proni, intentionem contrahentium non vident. Pactum non præceſſiſſe ignorant. Ne multa. Contractum mohatræ materialem vident, cetera quæ abſolute malitiam abſtergere poſſunt, ignorant. Ergo, moraliter loquendo, vix peragi in praxi contractus iſte poteſt, quin ſcandalum, & infamia interveniant. A ſpecie autem mali Chriſtianis cavendum eſt. Quidquid igitur ſit de iuſtitia contractus abſolute ſpectati, in praxi ego numquam illum permitterem. Quid quod tam mercatores, quam emptores, egentes pecunia, deſcriptam Theologorum doctrinam ſcientes, poſſe nempe licite eiuſmodi contractum peragi, excluſo pacto tum implicito, tum explicito, talem contractum peragunt reipſa? Nec eſt quod opponas, poſſe mercem ſummo pretio emptam vendi alteri mercatori pretio

Digitized by Google

tio infimo : quoniam hinc nullum oritur ſcandalum, nullumque infamiæ periculum. Tandem fallit nos cupiditas noſtra, & ſæpe nobis fucum facit. Teſtari extrinſecus poſſumus nullum nos habere animum ineundi talem contractum; at dum reipſa eumdem exercemus, quis certos reddere nos poteſt, vacuos omnino talis animi eſſe, nullamque in intimis amoris proprii receſſibus latitare pravam intentionem? Quare & ob internas animi noſtri inſidias, & ob ſcandalum quod fere neceſſario conſequitur, permittendus talis contractus in praxi non eſt, ut ego quidem ſentio. Unum, quod alias dixi, in mentem revoco, ne ſcilicet te decipi ſinas cavillatoriis ratiunculis quibus iſtius contractus *mohatrici* patroni fucum facere imperitis ſolent. Quid mali præfert merces vendere? Quid criminis olet merces emere? Sophiſticæ argutationes eiuſmodi ſunt, quæ morum regulas abſtractas a circumſtantiis proponunt, & explicant. Hac enim via plura honeſtari ſcelera poſſent. Quid mali prodit pecunias tuas tangere? Quid mali præfert eaſdem manu complecti? Quid criminis diſcedere a tuo ſcrinio? Verum ſi omnia ſimul coniungas, furti ſcelus videbis. At de his pluſquam ſatis.

XIII. Quæſt. III. *Qui merces vendendas a domino ſuſcipiunt, aliquid ne ſibi retinere valent, ſi pluris vendant quam fuit a domino præſcriptum?* Reſp. Aliqua penes omnes certa ſunt. Si iſti quos *Rigattieros* vocat S. Antoninus *III. Part. tit.* VIII. *cap.* III. iuſti pretii limites excedant in venditione, exceſſum reſtituere emptori debent. Similiter dum merces propria induſtria ad meliorem ſtatum revocant, incrementum pretii quod propriæ induſtriæ reſpondet, retinere ſibi valent Denique ſi dominus præfinit pretium mercis, & expreſſe dicat proxenetæ, Si pluris vendideris, tuum erit; iuſte retinere is augmentum poterit, dummodo limites iuſti pretii non exceſſerit.

XIV. Quibus poſitis, dico, ſi eiuſmodi proxenetæ, ſeu internuntii, quibus a domino merces vendendæ præbentur, ſupra pretium taxatum a domino vendant merces, intra confinia tamen iuſti pretii; totum incrementum domino reddere aſtringuntur. Nullo quippe titulo ſibi tale incrementum retinere poſſunt. Non ratione mercis, quia domini eſt; non ratione induſtriæ, quia hanc aut ſponte, aut pacto pretio domino locarunt. Nec eſt quod opponas, dominum deſignaſſe pretium. Quoniam is deſignavit tanti vendendam eſſe mercem, ne viliori pretio vendatur; ceterum numquam eius intentio fuit ne pluris venderetur, ſi occaſio occurreret. Bona ergo fide rem domini agere internuntii debent, & eam adhibere diligentiam qua in proprio uterentur negotio. Si vendere mercem pretio medio, aut ſummo poſſunt; iuſtitia ſemper ſervata, negligere hoc non debent.

XV. Quod dictum de venditione eſt, idem dicimus de emptione. Interdum miniſtri, famulive emunt pro domino merces pretio infimo, aut medio; & eas domino computant pretio ſummo. Ut hoc vero latrocinium honeſtent, dicunt, mer-

Digitized by Google

mercatores in eorum gratiam, & favorem pretium diminuiſſe. Qui prætextus futilis eſt, & inanis. Quoniam rem domini agere iſti tenentur. Quare fures ſunt ſartores, dum pannos ad veſtes conficiendas ex commiſſione domini ementes, aliquid ſibi retinent, obtentu quod vilius emerint, aut quod ceſſaverint a labore, & damnum lucri ceſſantis paſſi ſint tempore inſumpto in emptione. Nam ſponte obtulerunt domino propriam illam induſtriam. Nec verum, ſed falſum reputo quod docent Salmanticenſes cum aliis *tract.* XIV. *cap.* 11. *punct.* 8. *num.* 76. videlicet ſartores qui, diligentia adhibita, non inveniunt pannum niſi pretio ſummo, puta 40. & mercator amicus diminuit octo, aut decem, ut in poſterum ad ipſum empturi accedant, infideliter quidem agere, detractum pretium retinendo, minime vero peccare contra iuſtitiam, quia mercator donavit. Falſum, inquam, reputo hanc recenſitam opinionem: quia prætextus iſte donationis commentitius eſt. Communiter mercatores aiunt ſe diminuere pretium, ut alliciant emptores; ceterum infra limites iuſti pretii numquam diminuunt. Et ſi domini ipſi loco ſartorum adirent mercatores, eodem ac ſartores pretio emerent. Quandoquidem mercatores non in ſartorum, ſed in numeratæ pecuniæ gratiam aliquando aliquid pretii detrahunt. Accedit quod præfata opinio viam fraudibus, & furtis aperit. Sartores rem dominorum agunt, illorum pecunias expendunt. Ergo nullum heinc lucrum comparare ſibi iure valent.

CAPUT VI.

De iuſto rerum pretio; & de peccatis, ac fraudibus quæ in eiuſdem exceſſu committi ſolent.

I. Uncta quæ in mundo ſunt, propter hominem Deus creavit. Idcirco ea quæ magis minuſve hominis utilitati, & commodo inſerviunt, pluris aut minoris valent. Pretium ergo, non a mercium natura, ſed ab earumdem utilitate quam homini afferunt, deſumendum eſt, ut optime obſervat S. Thomas V. Ethic. lect. IX. *Non enim appretiantur ſecundum dignitatem naturæ ipſarum; alioquin mus quod eſt animal ſenſibile, maioris pretii eſſet quam una margarita, quæ eſt res inanimata: ſed rebus pretia imponuntur, ſecundum quod homines indigent eis ad ſuum uſum.*

II. Pretium iuſtum duplex eſt. Aliud *legitimum*, Principis lege taxatum; & hoc individuum eſt, quodlibet incrementum, aut decrementum excludens. Aliud *naturale*, quod iuxta rectam rationem, omnibus circumſtantiis ſpectatis, iuſtum cenſetur; & appellatur *vulgare*, quia communi hominum exiſtimatione tale reputatur. Hoc dividuum eſt in tres gradus, *pium*, *moderatum*, & *rigoroſum*, ſive, *inſi-*

Digitized by Google

infimum, *medium*, & *ſupremum*. Omnes fatentur, difficile confinia latitudinis iſtius iuſti pretii deſignari poſſe. Hanc dumtaxat regulam tradunt, alioquin obviam. Quo res vilior eſt, eo arctior eſt latitudo; pretioſior vero ampliorem latitudinem habet. A iudicio ergo prudentum, & a communi æſtimatione repetenda eſt pretii iuſtitia. Si medium alicuius rei vilis pretium ſit 5. infimum erit 4. & ſupremum 6. & ſic erit latitudo tantum duorum. Si rei pretioſæ medium pretium ſit 100. infimum erit 95. & ſupremum 105. & tunc latitudo erit 10. Neque ob hoc iuſtitia medio rei caret: quia medium iſtud indiviſibile non eſt, ſed præfatos gradus excipit. Quando pretium legitimum non eſt præfinitum, vendi merces debent pretio naturali, ſeu vulgari.

III. Quæſt. I. *Qui rerum pretia augent, vel diminuunt, ſunt ne reſtitutioni aſtricti?* Reſp. Antequam propoſito quæſito reſpondeam, doctrinam S. Thomæ tranſcribo, quæ in univerſa hac controverſia præ oculis habenda eſt. Quatuor quippe capita continet, quibus plurimæ reſolvuntur difficultates. Hæc autem ſtatuit Doctor ſanctus 2. 2. quæſt. lxxvii. art. 1. *Dicendum, quod fraudem adhibere ad hoc quod aliquid plus iuſto pretio vendatur, omnino peccatum eſt; inquantum aliquis decipit proximum in damnum ipſius. Unde & Tullius dicit in Lib. III. de offic.... Tollendum eſt igitur in rebus contrahendis omne mendacium. Non licitatorem venditor, nec qui contra ſe licitetur, emptor apponat.*

Si autem fraus deficit, tunc de emptione, & venditione dupliciter loqui poſſumus. Uno modo ſecundum ſe: & ſecundum hoc emptio, & venditio videtur eſſe introducta pro communi utilitate utriuſque; dum ſcilicet unus indiget re alterius, & e converſo; ſicut patet per Philoſ. in I. Polit. . . . Quod autem pro communi utilitate inductum eſt, non debet eſſe magis in gravamen unius quam alterius: & ideo debet ſecundum æqualitatem rei inter eos contractus inſtitui. Quantitas autem rei quæ in uſum hominis venit, menſuratur ſecundum pretium datum; ad quod inventum eſt numiſma, ut dicitur in V. Ethic. . . . . Et ideo ſi vel pretium excedat quantitatem valoris rei, vel e converſo res excedat pretium, tolletur iuſtitiæ æqualitas. Et ideo carius vendere, vel vilius emere rem quam valeat, eſt ſecundum ſe iniuſtum, & illicitum.

Alio modo poſſumus loqui de emptione, & venditione, ſecundum quod per accidens cedit in utilitatem unius, & detrimentum alterius; puta, cum aliquis multum indiget habere rem aliquam, & alius læditur, ſi ea careat: & in tali caſu iuſtum pretium erit, ut non ſolum reſpiciatur ad rem quæ venditur, ſed ad damnum quod venditor ex venditione incurrit. Et ſic licite poterit aliquid vendi plus quam valeat ſecundum ſe, quamvis non vendatur plus quam valeat habenti. Si vero aliquis multum iuvetur ex re alterius quam accepit, ille vero qui vendit, non damnificetur carendo re illa, non debet eam ſupervendere: quia utilitas quæ

Digitized by Google

alteri accreſcit, non eſt ex vendente, ſed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri quod non eſt ſuum; licet poſſit ei vendere damnum quod patitur. Ille tamen qui ex re alterius accepta multum iuvatur, poteſt propria ſponte aliquid vendenti ſupererogare; quod pertinet ad eius honeſtatem.

IV. Primo ergo docet, eum qui fraude pretium auget, proximum decipere, peccatumque perpetrare. Secundo, etiam ſecluſa fraude, plus iuſto vendere, aut vilius emere quam res valet, eſt peccatum contra iuſtitiam. Tertio licitum eſt vendere ſupra iuſtum pretium commune, quando venditor damnum patitur, dum tali ſe merce privat in favorem emptoris. Quarto, dum venditor damnum non patitur, licet emptor magnum commodum percipiat ex emptione, non propterea licitum eſt pretium augere.

V. Diſputant iuniores, utrum quando unus decipit alterum contrahentem intra latitudinem iuſti pretii, teneatur ad reſtitutionem? Vendis mercem pretio infimo, aut medio: poteris ne emptorem decipere accipiendo ſupremum? Adfirmarunt Ioannes Medina, & Petrus Navarra, qui poſtea ſe retractavit. Opinio hæc falſa omnino eſt. Quamvis enim contrahentes ante conventionem poſſint, ſublatis mendaciis, & dolis, pretium augere uſque ad gradum ſummum, vel diminuere uſque ad infimum, & quiſque ſuum commodum promovere; nequeunt tamen, conventione facta, quidquam augere, vel diminuere. Latitudo pretii intra tres indicatos gradus abſolute iuſta eſt; at, deſignato mutuo conſenſu uno ex tribus gradibus, licitum minime eſt vel tantillum ab eodem recedere. Obvia itaque reſponſio ad quæſitum eſt, peccare contra iuſtitiam, & reſtitutioni obnoxium eum eſſe qui auget, aut diminuit iuſtum pretium, ſive legale, ſive naturale, taxatum ab ipſis contrahentibus.

VI. Advertendum, in foro exteriori non cogi ad reſtitutionem, nec dari actionem niſi contra eum qui aut ultra dimidium vendiderit, aut infra dimidium iuſti pretii emerit. In foro vero interiori, quidquid ultra iuſtum pretium augetur, vel diminuitur, reſtituendum eſt.

VII. Quæſt. II. *An qui fraude, mendaciiſve inducit aliquem ad emendum maiori pretio quam emiſſet, licet intra latitudinem iuſti pretii, peccet, & teneatur ad reſtitutionem?* Reſp. Iurat mercator, tanti ſibi ſtare mercem; quod falſum alioquin eſt. Iurat emptor, tanti potuiſſe mercem emere; quod verum non eſt. Tam vendentes, quam ementes utuntur his mendaciis, & fraudibus, ut quiſque inducat alterum ad pretium ſummum. Sublatis autem eiuſmodi mendaciis, nec ille emiſſet niſi pretio medio, aut infimo; nec hic vendidiſſet niſi pretio ſupremo. Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* 11. *punct.* 9. *§.* 1. *num.* 84. docent, hos peccare peccatum mendacii, aut periurii; ſecus violare iuſtitiam: quia *hæc*, inquiunt, *ſunt communia mendacia vendentium, & ementium; & homines communiter norunt*

runt hæc eſſe ſtratagemata negotiatorum, quibus fidem non præſtant; & ſi fidem incaute præſtent, ſibi imputent, quia faciles ſunt ad credendum. Et citant pro hac opinione Trullenchum, Bonacinam, & Rebellum. Quia ergo communia ſunt mendacia, periuria, & fraudes inter vendentes & ementes, quibus hi ſe mutuo pertrahere tentant ad ſolvendum pretium illud quod alioquin, veritate patefacta, non ſolviſſent; ideo non peccant contra iuſtitiam? Multitudine ergo peccantium iniuſtitia defenditur? Opinio mea eſt peccare iſtos contra iuſtitiam, & reſtitutioni eſſe obnoxios. Quoniam quiſque ius habet ne fraude pertrahatur ad pretium augendum, ad damnum ſuſtinendum, ad lucrum amittendum. Sibi imputare Chriſtianus debet, ſi fidem iuranti fratri adhibet? At clamat S. Paulus I. ad Theſſal. IV. *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum . . . . ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum. Quoniam vindex eſt Dominus.*

VIII. Quæſt. III. *Sunt ne cauſſæ aliquæ ob quas licitum ſit aut pluris vendere, aut minoris emere quam merx abſolute valeat?* Reſp. Communis opinio docet, mercem pluris vendi poſſe quam valeat ſecundum ſe, quando venditio damnum venditori adfert, aut eum aliqua commoditate & utilitate privat: quoniam iuſtum rerum pretium, ut dixi, non taxatur per comparationem ad mercem abſolute ſpectatam, ſed circumſtantiis veſtitam. Porro incommodum quod venditor patitur, & utilitas qua privatur ob talem venditionem, ſunt pretio æſtimabilia, & cadunt ſub dominio venditoris. Ergo ſunt iuſtæ augendi pretii cauſſæ. Communiter quoque augendi pretii iuſtam cauſſam afferunt lucrum ceſſans, & damnum emergens; ut ſi venditor eſſet conſervaturus merces in tempus futurum, quo probabiliter pluris vendendæ eſſent, aut periculo exponeretur pretii amittendi. Quod verum eſt, inquiunt, tametſi pretium eſſet a Principe taxatum: quia poteſtas ſuprema pretium definit, merce ſpectata ſecundum ſe, & circumſtantiis præciſis. In his tamen caſibus manifeſtare emptori venditor debet augendi pretii cauſſas. Advertendum inſuper, tunc venditorem poſſe augere pretium ob indicatas cauſſas, quando eumdem emptor ſollicitat, & urget ad venditionem; ſecus, ſi venditor ipſe ultro mercem ſuam vendendam offerat: quia tunc emptor non eſt cauſſa cur venditor patiatur incommodum, amittat lucrum, ſubeatque periculum aliquod ob talem venditionem.

IX. Affectus peculiaris quo venditor afficitur erga mercem vendendam, ſufficiens cauſſa augendi pretii communiter reputatur. Tapia tamen contradicit: quia ob talem affectum merx non adfert aliquod commodum emptori; ſed neque damnum emergens venditoris utile eſt emptori. Cauſſa augendi pretii non eſt emptoris utilitas, ſed venditoris incommodum, moleſtia, privatio mercis amatæ. Ut vero affectus iſte iuſta augendi pretii cauſſa ſit, debet eſſe rationabilis.

Tum

Digitized by Google

Tum vero rationabilis exiſtimatur, quando res vendenda aliquibus prærogativis ornata eſt reſpectu venditoris; ut ſi dono accepta ſit a Principe, ſi ſit antiqua, ſi ſit paterna domus &c. Debet tamen pretium iſtud moderatum eſſe iuxta prudentum æſtimationem. Sæpe venditores affectum hunc enormi pretio vendere ſtudent, dum ab emptoribus neceſſitate preſſis ſollicitari ſe ſentiunt. Et ſæpe coniungunt, atque confundunt cum proprio affectu commodum, & neceſſitatem emptoris. Atque tunc graviter peccant, & ad reſtitutionem tenentur. Ut mox dicemus, nec tantillum augeri pretium iure poteſt ob emptoris commodum, aut habendæ mercis neceſſitatem. Solum ergo proprium affectum rationabilem erga peculiarem mercem vendentes ſpectare debent; & iuxta prudentum iudicium, non iuxta immoderatam cupiditatem augendum pretium eſt. Venditores ergo aut negent in his caſibus mercis venditionem; aut prudentum arbitrio ſe ſubiiciant in pretio augendo: alioquin & iuſtitiam lædent, & reſtitutioni obnoxii erunt.

X. Quæſt. IV. *An liceat pluris vendere mercem, quia emptori eſt valde utilis, grata, vel neceſſaria?* Reſp. Negat communis, & vera ſententia: quia hæc omnia non cadunt ſub dominio venditoris; ſed emptorem afficiunt. Iniuſtitia autem manifeſtam eſt vendere id quod proprium ſuumque non eſt. Revocanda ob oculos ſunt verba S. Thomæ ſupra allata. *Si aliquis multum iuvetur ex re alterius, quam accepit; ille vero qui vendit, non damnificetur carendo illa; non debet eam ſupervendere: quia utilitas quæ alteri accreſcit, non eſt ex vendente, ſed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri quod non eſt ſuum, licet poſſit vendere ei damnum quod patitur.* Qui ergo agrum contiguum, domum contignam pluris vendunt, quia id perutile emptori eſt, peccant contra iuſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem.

XI. Quæſt. V. *Picturæ, & ſtatuæ ſingularis artificii, gemmæ pretioſæ, aves raræ, & aliæ ſimiles merces quæ ad victum, commerciumque humanum haud ſunt neceſſariæ, quæque pretium definitum non habent, vendi ne, aut emi quocumque arbitrario pretio poſſunt?* Reſp. Adfirmant plures, & non ignobiles Theologi contendentes ſimilia vendi quocumque, quantumvis exceſſivo, & emi quocumque pretio, tametſi viliſſimo, poſſe. Mulier cantatrix, aut ſaltatrix, inquiunt, muſicus excellens poſſunt pretio ad libitum ingenti locare operas ſuas, nempe cantum, ſaltationem &c. Picturæ antiquæ, ſtatuæ, uniones, & ſimiles merces, cum nullum habeant, ſive vulgare, ſive legale, determinatum pretium, poterunt, inquiunt, vendi pretio convento inter partes contrahentes, ſive exiguo, ſive ſummo, nullo præſtituto limite, iuxta illud axioma: *Tantum valet res, quantum vendi poteſt*: ff. *Ad Senat. Conſult.* l. 1. Siquidem merces iſtæ, cum non ſint neceſſariæ humanæ vitæ, qui vult eas emere excedenti pretio, libere dat

Digitized by Google

dat quod alter exigit; & qui eaſdem vendit pretio vili, libere donat plus illud quod valent.

XII. Oppoſita ſententia probabilior eſt. Quandoquidem etiam recenſitæ merces, aliæque ſimiles ſuum pretium habent, peritorum æſtimatione taxandum. Licet enim neceſſariæ non ſint ad humanam vitam, pertinent tamen ad ornatum, & decorem familiarum, & civilis ſocietatis. Immo reipſa ſunt artis periti qui talium mercium pretia definire ſolent, ſpectatis circumſtantiis raritatis, vetuſtatis, artificii, & pretioſitatis earumdem. Illud advertunt omnes, merces quæ vili pretio veneunt apud unam nationem, apud alteram ſummo pretio emi. Vitra, cryſtalla, ſpecula, & plura alia pretioſa reputantur apud Iapones, aliaſque orientales gentes. Taxandum ergo pretium iuxta prudentum exiſtimationem peritorum illius regionis in qua merces venduntur. Omnes tamen fateri debent, iſtarum mercium pretia latiora habere confinia quam merces ceteræ quæ ſunt neceſſariæ humanæ vitæ.

XIII. Quæſt. VI. *Quæ in ſubhaſtatione exponuntur venalia, emi ne, aut vendi poſſunt quocumque pretio, ſive vili, ſive ſummo?* Reſp. Communis Auctorum ſententia eſt, merces quæ ſub haſta præconis voce venales exponuntur, cum nullum pretium determinatum habeant, poſſe vendi, & emi quocumque pretio de quo inter partes conventio fiat. Quia publica poteſtas, quæ hoc forum inſtituit, ſimul decernit illud pretium eſſe iuſtum quod in emptorum concurſu oblatum fuerit. Quare ſi emptores vilius emant, aut carius ſolvant merces, pretium exceſſus in hoc ludo, ſeu certamine, ultro, citroque remitti, & condonari cenſetur. In hunc enim finem publica hæc licitatio inſtituitur, ut maiori quo fieri poteſt pretio merces vendantur: & concurrentes minori, quoad poſſunt, emere ſtudent: & ex emptorum frequentia ac multitudine pretium augetur, & ex eorumdem paucitate diminuitur.

XIV. Omnes advertunt, iuſtum eſſe hoc inter contrahentes pretium, dummodo fraudes abſint. Plures enim committi fraudes ſolent in eiuſmodi licitationibus, potiſſimum dum venduntur ſacrorum montium oppignoratæ merces. Siquidem modo emptores monopolium ineunt non offerendi niſi tantum pretium, ut venditores cogantur vilius vendere; modo venditores & proxenetæ eo tempore merces vendendas proponunt quo ſciunt paucos emptores concurrere ad emendum, ut amicis faveant, & quibus voluerint, vendant: & ipſi poſt venditionem munuſcula accipiunt, & amicos ſibi faciunt de mammona iniquitatis. Aut contra, ut carius vendant licitatores, apponere, ſeu immittere fictos emptores ſolent, qui pretium ſimulate offerant, provocentque emptores veros ad pretium augendum: aut defectus rerum occultos patefacere negligunt. Omnes fraudes iſtæ, & ſimiles vitiant contractum, & ad reſtitutionem obligant. Si quis emptorum alios hortetur

tur ne plus iuſto offerant, nullum peccatum eſt; dummodo ſincere, & fraude ſublata id fiat.

XV. Quæſt. VII. *Unde deſumatur pretium vulgare, ſeu naturale; & quænam ſint illius augendi cauſſæ?* Reſp. Iam diximus ſupra, pretium iſtud communi hominum æſtimatione conſtitui; & latitudinem excipere infimi, medii, & ſupremi. Quæ tamen latitudo non ſemper conſtans eſt; ſed variationem admittit propter varias circumſtantias temporum, locorum, & perſonarum. Et quod ad tempus attinet, hoc aut præſens eſt, aut futurum. Si merx præſens vendatur, pretio tum obtinente vendi debet; ſi merx futura vendatur, ut fructus naſcituri, habenda eſt ratio pretii quod curret tempore traditionis: quia tum res ſuam habet utilitatem, cum exiſtit. Quare qui emunt triticum menſe Februario pretio tunc vigente, tradendum poſtea menſe Iulio, aut Auguſto, quo creditur pluris vendendum, peccant contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem tenentur. Definiendum ergo eſt pretium iuxta valorem quem merx habet tempore quo tradenda eſt.

XVI. Altera circumſtantia loci in quo merx eſt, ſpectari debet. Si exiſtens Venetiis habeat merces Ferrariæ; pretio quo Ferrariæ, non quo Venetiis valent, vendi debent. Si tamen Venetias eſſes eaſdem aſportaturus, detractis expenſis, pretium quo hic valent, exigere potes: aut ſi tuo periculo, & expenſis in locum ubi pluris valent, conducere velis, eiuſdem loci pretio vendere illas licet. Hinc mercatores ementes merces vili pretio in loco uno, poſſunt vendere pretio currente, tametſi altiore, in loco in quem illas transferunt. Augere tamen iſtius loci commune pretium nequeunt, etiamſi ingentes expenſas, & gravia pericula ſubierint, etiamſi carius emerint quam valeant in loco venditionis, etiamſi magna damna graſſatorum, aut piratarum paſſi ſint. Nulla horum habenda ratio eſt; ſicuti nulla habetur, quando viliſſimo pretio emerunt, & exiguis expenſis merces aſportarunt. Negotiatio enim ſorti ſubiecta eſt: idcirco licitum eſt lucrum. Quamobrem mercatores, ſive carius, ſive vilius emerint, pretio currente in loco in quo merces traduntur, vendere illas debent; ut communis Auctorum ſententia docet. Si vero determinatum pretium, ſive legale, ſive vulgare, non ſit in loco in quo venduntur; tunc haberi ratio poteſt in pretio conſtituendo expenſarum, & periculorum quæ mercatores paſſi ſunt.

XVII. Tertia circumſtantia perſonarum ſufficiens eſſe cauſſa poteſt pretii augendi. Perſonæ iſtæ ſunt mercatores, qui ob Reipublicæ utilitatem, & commodum ex variis locis merces humanæ vitæ neceſſarias conquirunt. Hac iſti profeſſione, ſeu arte victum ſibi comparant. Quare merces in mercatorum manibus pluris quam ſi ab aliis privatis vendantur, valent ratione artis quam ob commune bonum exercent. Pretium tamen a lege conſtitutum nec iſti excedere poſſunt: quia qui

qui pretium taxarunt, ob oculos habuere mercandi artem, ceteraſque circumſtantias. Igitur circumſtantiæ iſtæ temporis, loci, officii, rationes ſunt cur pretium ſive legale, ſive vulgare augeri poſſit. At ſemel pretio ſive legali, ſive vulgari conſtituto, illius prætergredi limites nequeunt mercatores. Immo alii quoque privati idem ac mercatores exigere pretium poſſunt; quamquam communiter iſti minoris vendant, quia expectare vendendi opportunitatem negligunt, & ultro merces offerre ſolent, ſciuntque emptores minoris iſtos vendere merces poſſe; cum liberi ſint ab expenſis, & incommodis quibus ſubiecti ſunt mercatores. Emptorum multitudo, & mercium penuria cauſſæ quoque ſunt cur augeri pretium poſſit.

XVIII. Quæſt. VIII. *Quænam ſint circumſtantiæ in quibus rerum pretia decreſcant?* Reſp. Primo ob emptorum paucitatem, & mercium affluentiam minui pretia ſolent, quando non ob aliquam conſpirationem iniquam, ſed ob varios naturales eventus accidit aut mercium affluentia, aut emptorum paucitas. Secundo minoris quam abſolute merx valet, emi poteſt, quando in gratiam venditoris ultro mercem offerentis emitur, quæ alioquin non emeretur: quia tunc adeo utilis, & commoda merx non eſt emptori; quemadmodum carius venditur, quando in gratiam emptoris venditur id quod alias non venderetur. Caute tamen modus adhibendus eſt, & in his circumſtantiis ob oculos habenda eſt ſancta fraternitatis regula: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Nemo ex fratris egeſtate ditecere debet. Minui, vel augeri pretium pro circumſtantiarum varietate licite poteſt; at ſemper modus rectus ſervandus. Quando ergo venditores rogant ut merces emantur, aut eas per vicos, & plateas per proxenetas vendendas mittunt, minui dubio procul pretium, & vilius emi poſſunt; at ſemper ſervatis tum in venditione, tum in emptione æquitatis, & caritatis regulis. Tertio ratione donationis factæ vel a venditore, vel ab emptore, minui, aut augeri pretium contingit. Sed hæc donatio maxime inter emptores & venditores extraneos præſumi non poteſt, niſi urgens, & manifeſtum id præſumendi ſignum occurrat. Inter amicos, & conſanguineos aliquando id contingere poteſt. Quarto aliqui Caſuiſtæ cum Diana diminui pretium poſſe contendunt ob venditoris neceſſitatem: quia, inquiunt, ex hac neceſſitate evenit quod merces ſint ultroneæ; atque adeo pro media, vel tertia parte vileſcant. Sed hæc opinio falſa, & ſcandali plena eſt. Tunc ſolum neceſſitas eſt ratio augendi, vel diminuendi pretium, quando eſt communis & univerſalis, ob quam merces abſolute ob copiam, aut raritatem creſcunt, aut decreſcunt. Ceterum perſonalis neceſſitas vendentis, vel ementis numquam ratio legitima eſſe poteſt ob quam pretia rerum varientur: alioquin carius pauperibus vendendæ merces eſſent, quia neceſſitate coacti emunt: quod iniuſtitiam, & inhumanitatem præfert.

XIX.

Digitized by Google

XIX. Quæſt. IX. *Poſſunt ne mercatores pretio currenti merces vendere, dum ſciunt brevi mercium copiam ſuperventuram, atque adeo earum pretium diminuendum?* Reſp. Similem fere caſum ſupra ex M. Tullio de mercatore frumentario Alexandrino enarravi. Mercatores ex epiſtolis acceptis ſciunt copiam mercium brevi futuram: ſciunt merces iam eſſe in civitate, ſed clauſas & occultas, brevi tamen exponendas: ſciunt legem a Principe brevi ferendam pro pretii diminutione. Et quæſtio quæ de venditore proponitur, eadem eſt de emptore. Prima opinio negat, in his caſibus vendi pretio currenti merces poſſe: quia revera minus valent tunc, quamvis ab omnibus non ſciatur. Quare emptores per errorem emunt. Si enim ſcirent brevi diminuendum eſſe mercium pretium, non emerent. Ergo ſi emunt, involuntarie, & per errorem decepti ſolvunt pretium quod nunc currit. Siquidem iuſtum rerum pretium ex prudenti peritorum iudicio ſumitur, ſpectatis omnibus circumſtantiis præteritis, præſentibus, & futuris. Porro quod in præſentia merces tanti vendantur, ex errore futuræ circumſtantiæ, non ex prudentum iudicio evenit. Ergo iuſtum non eſt reputandum pretium quod nunc obtinet.

XX. Secuna opinio defendit, licitam iuſtamque eſſe venditionem pretio currenti in præfatis circumſtantiis, ſi abſque fraude, & dolo id contingat. Fraus autem, & dolus intervenirent, ſi mercatores mendaciis allicerent emptores ad emendum, ſi proxenetas inducerent ad perſuadendum emptoribus, pretium brevi augendum eſſe, ut ſic ad emendum concurrerent. His, & ſimilibus dolis ſublatis, licitam eſſe dictam venditionem pretio currenti, hæc opinio docet. Probant id. nonnulli ex *cap.* xli. *Geneſ.* ubi narratur, Pharaonem Ioſephi conſilio tempore ubertatis in ſua horrea frumenta congregaſſe. At minus opportune auctoritas divinæ Scripturæ hic adducitur. Quoniam, non ut pretium augeret, vel ut divitias inde compararet, Pharao frumenta in horrea ſua collegit, ſed ut futuræ populi penuriæ provideret. Ratio autem vera iſtius ſententiæ eſt, quod rerum pretia, ſicuti conſtituuntur communi prudentum iudicio, ita eodem iudicio variantur. Contra, ſicuti privatorum iudicium iuſti pretii limites non præſcribit, ita privatorum notitiæ hos limites non mutant. Accidentarium omnino eſt, & penitus extrinſecum quod hic aut ille mercator præſciat futuram mercium copiam, pretiique diminutionem. Si ex privatorum notitiis variari pretia deberent, innumeræ ſuccederent mutationes, & publicum perturbaretur commercium. Iuſte igitur mercatores currenti pretio merces ſuas vendunt, tametſi privatim ſciant futuram earum diminutionem. Hanc ſententiam perſpicue tradit S. Thomas 2. 2. quæſt. lxxvii. art. 3. ad 4. *Unde venditor qui vendit rem ſecundum pretium quod invenit, non videtur contra iuſtitiam facere, ſi quod futurum eſt, non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio ſubtraheret, abundantioris eſſet virtutis; quamvis ad hoc non videatur*

tur

tur teneri ex iuſtitiæ debito. Eamdem omnino difficultatem diſpicit hic Angelicus quam ſupra retulimus ex Cicerone, ut patet ex argumento quod ſibi obiicit: & ſolvit, doctrinam Ciceronis ad virtutis perfectionem attinere, ſecus ad iuſtitiæ debitum. Rem Chriſtiano dignam aget mercator qui emptorem admonebit futuræ mercium copiæ. At ad id manifeſtandum iuſtitiæ vinculo non aſtringitur. Angelici doctrina evidentius confirmatur. Mercator præſciens pretium auctum iri, carius vendere nequit. Ergo quamvis præſentiat imminutum iri, minoris vendere non cogitur. Præterea, quando ambo contrahentes ignari ſunt futuræ copiæ frumentariæ, nullo modo iuſtitiam lædunt, ſi frumentum vendant pretio quo vendi tunc ſolet. An occurrere circumſtantiæ tales poſſint ob quas ſaltem caritatis titulo debeat interdum mercator emptorem monere, abſolute definiri nequit. Nam ſi emptor in præfatis circumſtantiis integram ſuæ pecuniæ ſummam in mercium emptione inſumere paratus eſſet, ut vel in annum ſibi provideret, vel ut eaſdem alio aſportaret, cauſſa aliquid lucrandi ad ſuæ familiæ ſuſtentationem; idque ſciret venditor, prævideretque gravem eiuſmodi emptorem paſſurum iacturam ex tali emptione; ſi ſileret, non videretur hoc ſilentium cum caritatis lege componi poſſe. Abſolute ergo venditores ex debito iuſtitiæ, ut ſapienter Angelicus docet, non aſtringuntur manifeſtare futuram mercium copiam, pretiique diminutionem. An vero ex caritate ad id quandoque urgeantur, circumſtantiæ conſulendæ ſunt, & regula evangelica: Alteri fac quod tibi faciendum in ſimili eventu cuperes. Argumenta quibus prior opinio ex debito iuſtitiæ aſtrictum mercatorem evincere contendit, ut moneat emptorem, vel ut minuat pretium, ex iis quæ dixi, diluta remanent.

XXI. Quæſt. X. *An is qui lege Principis monetam interdictum iri, aut minuendam eius æſtimationem præſcit, queat ante promulgationem ſuam diſtrahere pecuniam?* Reſp. Ex iis quæ diximus in antecedenti quæſtione, patet hoc licitum eſſe, dummodo fraus abſit, & dolus, quo illiciantur ceteri mercatores, aliive ad pecunias accipiendas. Hanc eamdem quæſtionem proponit, & defendit P. Comitolus *reſ. mor. Lib. III. quæſt.* XXXII. ubi hunc narrat caſum. Venetias ſcripſit ad amicum ex orientis terris mercator ut emeret ingentem aromatûm copiam ob caritatem imminentem. Venetus mercator lectas litteras concerpſit, proiecitque. Alter epiſtolæ fruſtula collegit, copulavit, & negotio intellecto, undique aromata conquiſivit, & corraſit. Id cum facere mercator vellet, ad quem datæ epiſtolæ erant, deprehendit ſe præventum in emptione ab alio eſſe. Sero ſuæ inconſiderantiæ ſe pœnituit, viditque alterum ex inope divitem factum. Communis opinio nihil hunc contra ius egiſſe decernit.

XXII. Alterum proponit caſum ibidem. Quidam litteras ad familiarem fictas dat, eum monens ut lanæ, ſerici, aliarumque mercium, quantum poteſt, compa-

Digitized by Google

paret, earumdem impendentem caritatem falſo prænuntians. Is fictionis conſcius, expectata opportunitate, litteras haſce ſibi excidere ſinit, eo fine ut ab eo legantur cui nocere ſtudet. Legit ille, & fidem litteris adhibens, ingentem mercium vim coemit, iacturamque ſubit non levem. Duas opiniones ſuper hac quæſtione refert Comitolus, & neutram præeligit. Primam, quæ ab omni reſtitutione liberat litterarum ſimulatores. Alteram, quæ eoſdem reſtitutioni obnoxios aſſerit. Primam falſam, ſecundam veram ego reputo. Quid? Si inſidias, ſi laqueos ex compoſito fratri tuo parares in quos incideret; immunis ne a damnorum compenſatione eſſes? Cur ergo liber a reſtitutione eris, dum ex animi ſententia litteras ſimulas & fingis, ut frater tuus iacturam gravem patiatur? Nimis credulus ille fuit, minuſque cautus, dum fidem epiſtolis adhibuit. Verum habet. Quid inde? Semper verum eſt te fuiſſe damni cauſſam, & quidem iniquam, quia ex animo nocendi præconceptam. Ergo reſtitutioni obnoxius es. Qui enim cauſſa damni eſt, ad eiuſdem reparationem aſtringitur.

XXIII. Quæſt. XI. *Quæ notanda, & ſervanda ſint circa pretium publica poteſtate definitum?* Reſp. Penes omnes convenit ſupremas poteſtates ius habere determinandi rerum pretia: quia ad has pertinet proſpicere, & invigilare communi bono. Si enim mercatorum arbitrio relinqueretur facultas pretia definiendi, cum avaritia, & cupiditate nimium abripiantur, frequenter iniuſta pretia eſſent. Porro Principes, & ſuperiores omnes qui hoc officio funguntur, ſerio conſiderare debent omnes circumſtantias, nempe mercium copiam, vel penuriam, emptorum paucitatem, vel multitudinem, expenſas, pericula, induſtriam mercatorum, & iſtorum moderatum lucrum, ceteraſque circumſtantias, non poſſibiles, ſed quæ occurrere probabiliter ſolent. His omnibus mature expenſis, poſſunt etiam rebus variationi ſubiectis determinatum affigere pretium ob commune bonum. Similiter certum eſt, iuſtum reputandum eſſe pretium illud quod ſuperiores determinant, niſi evidenter oppoſitum conſtet. Neque privatorum eſt iudicia in ſuperiorum leges ferre. Quare licet merx abſolute pluris valeat, ſpectata eiuſdem natura, & intimo valore; tamen ſuperiores poteſtates ob varias circumſtantias poſſunt pretium diminuere, vel augere, prout bono communi expediens viſum fuerit. Pretium a Republica taxatum, indiviſibile eſt, ut dixi. Nullo modo licet illud vel diminuere, vel augere: & qui taxationem hanc publicam prætergrediuntur, iuſtitiam lædunt, & ad reſtitutionem tenentur; niſi aliquæ peculiares circumſtantiæ adſint.

XXIV. Diſputant Theologi, expediens ne ſit rerum pretia a Principe taxari. Negat Navarrus in *Manual. cap.* XXIII. *num.* 88. quem plures ſequuntur. Iſtorum rationes eo ſpectant, ut evitentur plura peccata quæ ob talium legum tranſgreſſiones perpetrari ſolent. Has quippe leges multæ frandes conſequuntur. Quæ

ra-

Digitized by Google

ratio nullius momenti eſt. Numquid infinita peccata non perpetrantur contra Dei legem? Supprimere ne Deus debuit legem ſuam, ut futura hominum peccata impediret? Condita lege qualibet, hominum malitia fraudes excogitat. Rationes Navarri, & aliorum evincunt legem omnem de medio tollendam eſſe.

XXV. Dicendum ergo, quam maxime expediens eſſe Principes leges ferre, rerum pretia taxantes. Hoc evincitur luculentiſſima ratione S. Thomæ 1. 2. quæſt. xcv. art. 1. ad 2. *Dicendum, quod, ſicut Philoſophus dicit I. Rhet. . . . melius eſt omnia ordinari lege quam dimittere iudicum arbitrio. Et hoc propter tria. Primo quidem quia facilius eſt invenire paucos ſapientes, qui ſufficiant ad rectas leges ponendas, quam multos, qui requirerentur ad recte iudicandum de ſingulis. Secundo quia illi qui leges ponunt, ex multo tempore conſiderant quid lege ferendum ſit; ſed iudicia de ſingularibus factis ſiunt ex caſibus ſubito exortis: facilius autem ex multis conſideratis poteſt homo videre quid rectum ſit, quam ſolum ex aliquo uno facto. Tertio quia legislatores iudicant in univerſali, & de futuris; ſed homines iudiciis præſidentes iudicant de præſentibus, ad quæ afficiuntur amore, vel odio, aut aliqua cupiditate: & ſic eorum depravatur iudicium. Quia ergo iuſtitia animata iudicis non invenitur in multis, & quia flexibilis eſt; ideo neceſſarium fuit, in quibuſcumque eſt poſſibile, legem determinare quid iudicandum ſit, & pauciſſima arbitrio hominum committere.* Hæc doctrina altius memoriæ commendanda eſt, & ſuperioribus omnibus ſummopere meditanda. Hi ſiquidem faciles ſunt in diſpenſandis, ſeu relaxandis legibus. Porro difficilius eſt æquum relaxandæ quam condendæ legis iudicium formare. Si igitur ad legem condendam exquiſita & conſummata prudentia opus eſt; hinc collige quam prudentes, quam circumſpecti ſint oportet ſuperiores omnes qui ſunt legum cuſtodes, quam ſerio expendere omnia debeant, antequam legem aliquam relaxent. Sed hæc obiter, & per tranſennam.

XXVI. Ex S. Thomæ allata doctrina clare patet, conſentaneum eſſe Principes taxare mercium quæ humanæ vitæ neceſſariæ ſunt, pretia. Siquidem ſapientes, & prudentes pauci ſunt: faciliuſque eſt multitudinem, & eos quorum intereſt pretium augeri, errare quam ſupremas poteſtates. Superiores pretia definire ſolent in commodum aut venditoris, aut emptoris, aut utriuſque. In commodum emptoris aſſignantur limites, quos prætergredi venditores nullo modo poſſunt, ſolumque minuere infra illos pretium valent: quia hoc pretium eſt individuum ſolum penes exceſſum. In gratiam venditoris pretium aſſignatur, infra quod non licet merces vendere. In favorem utriuſque pretium taxatur, quando nec pluris vendere, nec minoris emere permittitur; ut in taxatione carnis, piſcis, & vini contingit. Quando tamen taxatum pretium eſt penes magnitudinem in favorem emptorum, hi minoris emere valent; ſicuti quan-

do taxatio reſpicit parvitatem in gratiam venditorum, iſti pluris vendere queunt. Quando tamen merx inferioris conditionis eſt, non poteſt venditor taxato pretio illam vendere; ſed ita minuere pretium debet, ut æquet mercis defectum. Taxatio quippe facta eſt, poſito quod merces habeant communem valorem, & non ſit deterioris conditionis. Inſuper qui rerum pretiis definiendis præſident, debent taxatum pretium pro mercium penuria, vel abundantia mutare. Et quando negligentes in hoc eſſent, & taxatio communi iudicio evidenter iniuſta eſſet, non obligaret in conſcientia. Non eſt tamen cuiuſque privati iudicium ferre circa legis iuſtitiam, vel iniuſtitiam. Tunc vero taxatio facta ceſſare intelligitur, cum a maiore Reipublicæ parte non ſervatur, ſciente Principe, & non obſtante, cum facile obſtare queat. Præterea obſervandum, ſæpe ſuperiores, & ipſas ſupremas poteſtates multa diſſimulare, & tolerare, ut peiora evitent. Quare quod plurimi tranſgrediantur legem, non arguit tacitum Principis conſenſum. Aliæ, & quidem graves, circumſtantiæ occurrere debent, ut colligatur Principis conſenſus. His legibus omnes ſunt ſubiecti, tam Laici, quam Eccleſiaſtici.

XXVII. Quæſt. XII. *Qui vendit triticum pretio taxato, poteſt ne emptori onus imponere ut vendat eidem bordeum, vinum, aliamque mercem eodem pretio?* Reſp. Si merx emptoris eiuſdem valoris, ſive naturalis, ſive legalis eſt, ac merx venditoris; proculdubio iuſta eſt commutatio. Si vero maioris pretii ſit merx emptoris; tum iniuſte cogeretur emptor ad ſuam mercem commutandam cum merce venditoris, niſi pretii exceſſus compenſaretur.

XXVIII. Quæſt. XIII. *Venditor cogere ne emptorem poteſt ut taxatum pretium ſolvat tali pecunia aurea, argentea &c.?* Reſp. Adfirmant aliqui, quorum opinionem non improbabilem reputant Salmanticenſes. Sed nos falſam illam iudicamus. Quoniam hæc obligatio onus eſt pretio æſtimabile, ſupra iuſtum pretium impoſitum. Pretium autem taxatum a lege augeri, & gravari nequit.

XXIX. Quæſt. XIV. *Licitum ne eſt vendere ultra pretium taxatum merces exquiſitioris bonitatis?* Reſp. Probabilior mihi opinio eſt, quod ſicuti merces viliores, & deterioris conditionis, licet eiuſdem ſpeciei cum mercibus quarum pretium taxatum eſt, vendi debent non pretio taxato, ſed inferiori; ita merces quæ notabiliter excedunt communes in bonitate, vendi ultra pretium taxatum poſſint. Duo tamen ſunt neceſſaria. Primum, ut exceſſus perfectionis ſit evidens, & notabilis. Secundum, ut augmentum pretii reſpondeat maiori perfectioni mercium. Taxatio pretii reſpicit merces quæ communiter ſunt eiuſdem plus minuſve conditionis: nec enim quilibet exceſſus ſat eſt ad pretium augendum. Igitur vinum vetus duorum, & trium annorum, ſanum, & generoſum vendi pote-

Digitized by Google

poterit ſupra taxationem conſtitutam pro vino communi unius anni. Idem dicendum de tritico ſelecto, puro, & notabiliter commune triticum in perfectione ſuperante. Sicut enim taxatio pretii non comprehendit merces viliores, & deteriores; ſic non includit optimas, & exquiſitioris bonitatis.

XXX. Quæſt. XV. *An exquiſitioribus mercibus immiſceri viliores poſſint, & taxato pretio vendi?* Reſp. Certum penes omnes eſt, ſi vilius triticum optimo immiſceas, & ex tali mixtione coaleſcat triticum inferius illo quod communiter venditur, te non poſſe taxato pretio illud vendere; ſed minuendum eſſe pretium, & æquandum cum mercis conditione. Diſputant igitur iuniores, num quando merces perfectiores per talem mixtionem reducuntur ad æqualitatem cum mercibus quæ communiter venduntur taxato pretio, poſſint hoc eodem pretio vendi præfatæ merces mixtæ. Adfirmans ſententia communis fere eſt: quia poſito quod frumentum optimum, immixtum viliori, ſit æque bonum ac frumentum quod communiter venditur, non eſt cur eodem pretio vendi nequeat. Verum hypotheſis difficilis, & rara eſt, puta quod vinum generoſum aqua mixtum non evadat deterioris conditionis, ac vinum purum vulgare. Accedit quod mixtio hæc fraudibus, & dolis viam aperit, & periculi plena eſt. Quare improbandas ego cenſeo omnes eiuſmodi mixturas, tamquam ſinceritati, bonæ fidei, & civili commercio pernicioſas. Si emptor ſciret frumentum, quantumvis optimum, immixtum data opera eſſe tritico viliori, & vinum, licet generoſum, aqua dilutum eſſe; nequaquam iſta emeret. Si optimum eſt triticum, ſi generoſum eſt vinum, pretium potius augeatur. At difficilior eſt venditio, inquis. Et ideo mercis pretium decreſcit, repono ego. Ut facilius ergo merces optimas vendas, eas immiſces vilioribus, ut inde lucrum captes. Media ſiquidem mixtione reipſa ultra commune pretium mercem optimam vendis: quoniam merces viliores inferiori pretio diſtrahere debuiſſes, ſed optimis immixtas communi pretio vendis. Quamobrem eiuſmodi mixtiones omnes, tamquam fraudulentæ, & ab ipſa divina Scriptura improbatæ, vitandæ ſunt.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De pretii augmento ob dilatam, vel anticipatam ſolutionem rei venditæ.

I. QUæſt. I. *Mercator poteſt ne mercem carius vendere ob dilatam pretii ſolutionem?* Reſp. Omnes fatentur, uſuram larvatam committere mercatorem qui credito merces vendens ob dilatam pretii ſolutionem pretium auget: idque pluries ſacri canones definiere. Urbanus III. *cap.* VI. *&* X. de uſuris hæc ſtatuit. *Conſuluit nos tua devotio, an . . . quaſi uſurarius debeat iudicari . . . negotiator qui merces ſuas longe maiori pretio diſtrahit, ſi ad faciendam ſolutionem prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam ſi ei in continenti pretium perſolvatur. Verum quid in his caſibus tenendum ſit, ex Evangelio Lucæ manifeſte dignoſcitur, in quo dicitur: Mutuum date, nihil inde ſperantes.* En quomodo ex textu evangelico caſus reſolvit Pontifex ſummus. Si ſincero affectu ſervandæ legis, difficultates diſcuterentur, communiter omnes ex divinis Scripturis decidi poſſent. Rationem aſſignat S. Thomas 2. 2. quæſt. LXXVIII. artic. 2. ad 7. *Dicendum, quod ſi aliquis carius velit vendere res ſuas quam ſit iuſtum pretium, ut de pecunia ſolvenda emptorem expectet, manifeſte uſura committitur: quia huiuſmodi expectatio pretii ſolvendi habet rationem mutui. Unde quicquid ultra iuſtum pretium pro huiuſmodi expectatione exigitur, eſt quaſi pretium mutui; quod pertinet ad rationem uſuræ. Similiter etiam ſi quis emptor velit rem emere vilius quam ſit iuſtum pretium, eo quod pecuniam ante ſolvit quam poſſit ei res tradi, eſt peccatum uſuræ: quia etiam iſta anticipatio ſolutionis pecuniæ habet mutui rationem, cuius quoddam pretium eſt quod diminuitur de iuſto pretio rei emptæ. Si vero aliquis de iuſto pretio velit diminuere, ut pecuniam prius habeat, non peccat peccato uſuræ.*

II. Plures titulos allegant communiter Auctores, vi quorum iuſte augere pretium mercatores poſſunt. Celebres ſunt duo tituli, lucri ceſſantis, & damni emergentis: de quibus infra fuſius ſermo erit. Horum vi augeri pretium iuſte poſſe, communis ſententia docet, ſervatis tamen pluribus conditionibus ſuo loco explicandis, ob quarum defectum paſſim tituli iſti fictitii ſunt. Alter titulus augendi pretii ſunt expenſæ quas probabiliter facturus mercator eſt in recuperando pretio ſolvendo ob merces credito venditas; ut ſi emptor ſit moroſus debitor, ſi ſit abſens, aut dubiæ fidei. Reputant expenſas iſtas tamquam damnum emergens; quod iuxta omnes compenſandum iure eſt. Admonendum tamen de hoc

em-

Digitized by Google

emptorem docent, cum quo ineundus veluti novus contractus eſt, in quo illius aſſenſus eſt neceſſarius. Advertunt etiam, quod periculum expenſarum, moleſtiæ, laboris ſuſtinendi in recuperando pretio debeat eſſe prudenter, & probabiliter impendens, non confictum ab avaritia venditoris.

III. Diſputant præfati Auctores, an periculum amittendæ pecuniæ in totum, vel in partem, titulus ſit legitimus pretii augendi. De hoc periculo infra *differt. ſeq. cap.* x. nobis ſermo erit: ideo nunc ab hac quæſtione dirimenda ſuperſedemus. Diſputant quoque, num liceat minoris emere anticipata ſolutione, ſi merces traditionis tempore minoris valituræ credantur; & contra, carius vendere ob expectatam ſolutionem, ſi credatur quod tempore tradendi pretii merces pluris valebunt? In utroque caſu adfirmant communiter Auctores, dummodo mercatores ſervaturi merces fuiſſent uſque ad tempus quo pluris valituræ erant. Negant vero, hac conditione deficiente. Hinc inferunt, licitum eſſe emere frumentum menſe Ianuario anticipata ſolutione, tradendum menſe Auguſto, pretio, non currente menſe Ianuario, ſed quod recurret menſe Auguſto. Similiter licitum eſſe carius vendere vinum, tradendum menſe Decembri, ob dilatam ſolutionem ad menſem Maii, inquiunt Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* II. *punct.* II. *§.* I. *num.* 146. Idque evincunt ex cap. *Naviganti*, ubi hæc habentur: *Qui dat decem ſolidos, ut alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, utrum plus, vel minus ſolutionis tempore ſint valituræ, veriſimiliter dubitatur, non debet ex hoc uſurarius reputari. Ratione huius dubii etiam excuſatur qui pannos, grana, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius quam tunc valeant, in certo tempore recipiat pro eiſdem, ſi tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.* Ratio etiam videtur manifeſta. Nam merces tum utilitatem, & commodum pariunt, cum traduntur, cum in uſum adhibentur, non cum perficitur contractus. Si ergo minoris valebunt merces tempore quo traduntur, pluris vero valeant nunc dum perficitur contractus; licitum erit eaſdem emere non pretio maiori quo valent nunc cum celebratur contractus; ſed illo minori quo valebunt tempore traditionis. Hinc iniuſtitia manifeſta foret viliori pretio emere ob anticipatam ſolutionem merces quæ pluris tempore traditionis valebunt. Et hac eadem ratione licet carius vendere mercem ſervandam uſque ad tempus quo pluris creditur valitura: quia tunc mercatori, ſeu venditori utilis, & commoda erit mercis venditio. Detrahendum tamen eſt de pretio, quanti valent expenſæ, moleſtiæ, labores ſuſtinendi in conſervatione mercium uſque ad illud tempus. Habenda quoque ratio eſt periculi mercis corrumpendæ, vel amittendæ, conſervationis tempore. Debet quoque emptorem admonere mercator, ſe uſque ad tale tempus ſervaturum merces, damnumque ſe pati, ſi vendat merces ſuas pretio nunc currenti. Si vero mercator ſervaturus merces non erat in aliud tempus, currenti pre-

Digitized by Google

pretio vendere eas debet: quia in hoc caſu nullum ipſe patitur damnum, vi cuius augere pretium poſſit.

IV. Quæſt. II. *Licitus ne contractus eſt quo in Hiſpania, & alibi certæ merces communiter credito venduntur maiori pretio quam vendi pecunia numerata ſoleant?* Reſp. Celebris eſt contractus iſte in Hiſpania. Illuc naves onuſtæ mercibus Indicis adveniunt. Merces iſtæ pecunia numerata vendi nequeunt omnes: & quæ venduntur pecunia numerata, minori pretio vendunt, Caſum diſpiciunt fuſo calamo omnes fere Theologi Hiſpani, quos inter Navarrus, Guittierez, Medina, Corduba, Molina, Cardinalis de Lugo, Salmanticenſes, & alii. Illorum placita ego referam. Cardinalis de Lugo *Tom. II. diſput.* XXVI. *ſec.* 7. *ſ.* 2. aliqua præmittit penes omnes certa, ſuntque eiuſmodi. Poſſunt mercatores intra limites iuſti pretii vendere pretio infimo pecunia numerata, & credito pretio ſummo: quia utrumque pretium iuſtum eſt. Similiter licitum eſt carius vendere merces minutatim quam dum venduntur in magna copia. Et hæc eſt communis emptorum, ac venditorum praxis: quoniam in minuta venditione multas moleſtias, & incommoda mercator ſuſtinet, a quibus liber eſt in copioſa venditione. In venditione ad creditum augeri poſſe pretium ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, adfirmant communiter. Omnes vero negant, augeri poſſe pretium ob ſolam dilatam ſolutionem, ut advertit Sylveſter verb. *Uſura ſ.* 2. contra quemdam, inquit Lugo, *Raphaelem Tornaſium*, de quo reipſa ſcribit Sylveſter: *Magiſter Raphael de Tornaſio in iſto caſu periculoſe conſuluit.* Mirum non eſt *Tornaſium* iſtum in re uſuraria laxa docuiſſe, ſi adeo laxa ſcripſit de paupertate monaſtica.

V. Quæſtio itaque eſt, utrum, ſublatis omnibus titulis extrinſecis, vendi poſſint ad creditum præfatæ merces maiori pretio quam venderentur pecunia numerata? Negant Navarrus *in Man. cap.* XXIII. *num.* 82. Guittierez *Can. Q q. cap.* XXXIX. Valentia 2. 2. *diſp.* V. *quæſt.* XX. *punct.* 2. *ſ.* 8. Garcias *Lib. I. de contr. cap.* XXIV. Medina *Cod. de Reſt. quæſt.* XXXVIII. *cauſ.* I. Corduba *quæſt.* LXXXIV. Bartholomæus a S. Fauſto *diſp.* VI. *quæſt.* XXIV. Rocaful *III. P. prax. præcep.* 7. *Lib. III. cap.* III. Pro hac opinione Lugo citat quoque Caietanum, Sotum, & Mercadum. Quoniam, inquiunt, pretii incrementum exigitur ob ſolam dilatam ſolutionem; quod iuxta omnes uſura eſt. Non enim eſt unde honeſtari hoc lucrum poſſit, nec ipſa ratione lucri ceſſantis. Quoniam niſi credito merces vendantur, numerata pecunia vendi nequeunt. Porro tum lucrum ceſſans habet locum, quando occaſione oblata vendendi pecunia numerata, eam venditor relinquit, & vendit credito emptori non habenti pecunias in promptu. Vix umquam hoc contingit in mercatoribus: & ideo vix umquam in eorum venditione ad creditum locum habet titulus lucri ceſſantis. Verum de hoc alibi. Quod ad præſentem quæſtionem attinet, omnes utriuſque opinionis Auctores controverſiam diſputant, præciſis

Digitized by Google

ſis omnibus titulis, ut dictum eſt. Urgent ſecundo Auctores citati. Si venditio ad creditum maiori pretio eſt iuſta, emptio minori pretio pecunia numerata erit iniuſta. Quandoquidem ſive pecunia numeretur in præſens, ſive in futurum, non efficit ut merces creſcant, vel decreſcant. Sed emptio, pecunia numerata eſt iuſta, ut concedunt adverſarii. Ergo venditio ad creditum maiori pretio eſt iniuſta.

VI. Alteram contrariam opinionem propugnant Bannez 2. 2. *quæſt.* LXXVII. *art.* I. Serra *ibi*. Rebellus *II. Part. quæſt.* XIV. Villalobosius *tract.* XXI. *diffic.* 7. Sotus *Lib. VI. de iuſt. quæſt.* VI. *art.* I. *ad* 4. Trullenchus *Lib. VII. cap.* XX. *dub.* 8. Lugo *diſp.* XXVI. *ſec.* 7. *§.* 2. Sanchez *Lib. II. conſil. cap.* VII. *dub.* 15. Leſſius *Lib. II. cap.* XXI. *dub.* VI. Palaus *tract.* XXXII. *diſp.* V. *punct.* 12. Diana *I. Par. tract.* VIII. *reſol.* 21. Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* II. *punct.* II. *§.* 2. *num.* 151. Pretia, inquiunt, non definiuntur vel ex numerata, vel ex credita pecunia, ſed ex communi hominum æſtimatione. Porro ſicut communis hominum æſtimatio efficit ut tale ſit pretium pecunia numerata, ita efficere valet ut maius ſit pecunia credita. Sed in venditione præfatarum mercium, ſeu in caſu præſenti introductum eſt ut carior ſit venditio pecunia credita quam pecunia numerata. Ex hoc quippe modo vendendi multiplicantur emptores; & ideo merces pretio creſcunt. Alioquin ſi pecunia tantum numerata venderentur, pauci, aut nulli emptores eſſent; & ſic merces vileſcerent. Ergo optime concluditur quod iuſtum ſit pretium minus numerata pecunia; & ſimul quoque iuſtum ſit pretium maius pecunia credita. Tunc igitur committeretur uſura, quando ſupra pretium quo communiter venduntur eiuſmodi merces ad creditum, aliquid exigeretur. Hæc eſt ratio quam explicant Lugo, Salmanticenſes, & communiter iſtius opinionis Auctores.

VII. Verum ex ratione iſta colligi videtur, in omni venditione ad creditum augeri pretium poſſe. Communiter enim mercatores pluris faciunt pecuniam numeratam quam pecuniam creditam. Si quæ ratio, ut ego quidem ſentio, hunc contractum honeſtat, ea eſt quam prodit Sotus *Lib. VI. quæſt.* IV. *art.* I. *ad* 4. quamque arceſſit ex natura & conditione emptionis factæ a mercatoribus talium mercium. Merces iſtæ de quibus ſermo eſt, ex India aſportantur plurimis maritimis periculis: & nequeunt niſi in magna copia traduci, quanta ſat eſt ad ingentes naves onerandas. Unde evenit quod inſtitores ipſi qui naves onerant, coguntur credito multas merces coemere. Porro ſicuti neceſſitas onerandi naves tanta mercium copia cogit ut plures credito emantur maiori pretio; ita neceſſitas exonerandi illico naves cogit ut magna ſaltem mercium quantitas credito vendatur maiori pretio. Peculiares ergo circumſtantiæ longinquæ regionis, ubi emuntur merces, & maritimæ navigationis, quæ cogit ad tantam mercium copiam emen-

 dam,

Digitized by Google

dam, quanta ſat eſt ad onerandas naves; unde neceſſario oritur quod nequeant in Hiſpania illico pecunia numerata vendi: peculiares, inquam, circumſtantiæ iſtæ efficere poſſe videntur ut carius vendantur pecunia credita; ſeu efficiunt, ut commune prudentum iudicium definire valeat, iuſtum eſſe pretium illud maius quod communiter ab omnibus exigitur pecunia credita. Quare concludit prudenter laudatus Sotus. *Verumtamen per hanc conceſſionem nullam cogitamus porrigere mercatoribus anſam, qui in civitatibus merces diſtrahunt. Quoniam tota ratio excuſans eſt neceſſitas vendendi, & emendi tam amplam mercium copiam, quæ nequit numerata pecunia vendi, ob idque venditur illis qui pretium inde ſunt collecturi. Citra hanc autem neceſſitatem debent res æſtimari pretio præſenti.* Quæ ideo tranſcripſi, ne plures Caſuiſtæ de more ex paritate iſtius contractus alios contractus præfatis circumſtantiis deſtitutos honeſtare præſumant.

VIII. Quæſt. III. *Licita ne emptio eſt mercium anticipata ſolutione viliori pretio quam valeant tempore traditionis?* Reſp. Abſolute omnes improbant talem emptionem; ſed peculiaris caſus frequens in Hiſpania diſputationi viam aperit. Emuntur ibi lanæ anticipata ſolutione pretio viliori quam valeant tempore traditionis. Diſputant, licita ne emptio iſta ſit ob peculiares circumſtantias eiuſdem. Negant Bannez 2. 2. *quæſt.* lxxvii. *art.* 4. *dub.* 1. *concl.* 1. & 2. Pradus *cap.* xxvii. *quæſt.* iii. La Cruz *in* 7. *præcep. quæſt.* v. *dub.* 7. Ioannes Medina *de reſt. quæſt.* xxxviii. *cauſ.* 6. Navarrus *cap.* xxiii. *num.* 82. Guittierez *Canonic. Qq. caſ.* 39. *num.* 43. Valentia *Tom. III. diſp.* v. *quæſt.* ii. *punct.* 2. *§.* 3. Rebellus *Part. II. Lib. IX. quæſt.* xi. *num.* 9. Mercatus *Lib. III. de contr. cap.* ix. Medica Dominicanus *Lib. I. Sum. cap.* xiv. *§.* 23. Evincunt illo principio ab omnibus admiſſo, nempe quod uſura manifeſta ſit emere vilius mercem ob ſolam anticipatam ſolutionem. Sed lanæ reipſa emuntur menſe Decembri, vel Ianuario 20. tradendæ menſe Maio quo valent 30. Ergo pretium minuitur ob ſolam anticipatam ſolutionem; quod omnes uſuræ damnant. Cur enim in anteceſſum pretium ſolvitur? Quod paſtores, dominique pecorum neceſſitate preſſi indigeant pecunia, qua ſolvant pretium herbarum, aliaſque expenſas faciant. Anne in anteceſſum lanas venderent viliori pretio domini, ſi pecunias haberent alendi paſtores, & ſatisfaciendi aliis? Nemo hoc dixerit. Ergo evidens quod vilius emuntur ob ſolam anticipatam ſolutionem. Nec ullus titulus occurrit quo honeſtari hoc vilius pretium poſſit: non periculum aliquod peculiare: non expenſæ faciendæ in lanis aſſequendis: ſed emuntur ſecundum eum ſtatum quem habebunt tempore traditionis. Ergo ut iuſta emptio ſit, ſolvendum eſt pretium illud quo valebunt traditionis tempore. Sed hoc pretium maius eſt. Ergo pretium minuitur ob meram anticipationem ſolutionis. Porro ſi iſte contractus honeſtatur, quidni honeſtari poterunt ceteri omnes contractus in quibus vilius emitur ob anticipationem, vel carius venditur ob dilatio-

nem

nem ſolutionis? Nullæ quippe circumſtantiæ peculiares hunc contractum præ aliis afficiunt.

IX. Oppoſitam opinionem defendunt Sotus *Lib. VI. quæſt.* IV. *art.* I. *ad* 4. Serra 2. 2. *quæſt.* lxxvII. *art.* I. *dub.* 4. Malderus *tract.* v. *cap.* II. *concl.* 2. Dicaſtillus *Lib. II. tract.* IX. *diſp.* II. *dub.* 6. Covarruvias *Lib. II. variar. cap.* III. Molina *diſp.* ccclvII. Lugo *diſp.* xxvI. *ſec.* 7. *§.* 3. Trullenchus *Lib. VII. cap.* xx. Caſtropalaus *diſp.* v. *punct.* 13. Sanchez *Tom. I. Conſil. Lib. I. cap.* vIII. *dub.* 15. Bonacina *diſp.* III. *quæſt.* II. *punct.* 4. Leſſius *Lib. II. cap.* xxI. *dub.* 7. Ledeſma *Tom. II. tract.* vIII. *cap.* xxxIII. Diana *I. Part. tract.* vIII. *reſol.* 22. Salmanticenſes *tract.* xIv. *cap.* II. *punct.* II. *§.* 2. *num.* 153. Ratio potiſſima quam Salmanticenſes cum aliis opponunt, eſt, quia, inquiunt, non eſt omnino condemnanda *praxis tam continua* in Hiſpania. Et *duriſſimum eſt condemnare multitudinem talium negotiatorum, qui emunt menſe Octobris, vel Novembris* 30. *aureis v. g. lanam, quæ menſe Maii, quo eſt tradenda, valet* 40. *ob anticipatam ſolutionem, qua indigent domini ad ſolvenda paſcua.*

X. En, chriſtiane lector, unum ex principiis, unde evangelicæ Moralis exitium proficiſcitur. Duriſſimum eſt condemnare talium negotiatorum multitudinem. Ergo uſura non eſt dicenda uſura, ne multi pereant. Humana commiſeratione metimur divinas leges. Lata & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem: & multi ſunt qui intrant per eam. Videmus fratres, amicoſque noſtros per hanc viam ambulantes. Illorum perditio nos commovet, terretque. Ut iiſdem humanitatis officia, & ſubſidia impendamus, viam latam dicimus viam anguſtam, anfractus, & abyſſus convertimus carnis affectu in vias planas. At numquid, clamat Auguſtinus, deſideria noſtra, commiſerationes noſtræ efficient ut quod falſum eſt, verum ſit; quod curvum eſt, rectum ſit; quod uſura eſt, uſura non ſit? Quid hic declamatoris perſonam induis? Quid tu rabula ſophiſticaris? Perge porro. Duriſſimum eſt eos uſuræ damnare qui non quinque, non octo, non duodecim, ſed pluſquam viginti in centum exigunt ob anticipatam ſolutionem. An non pluſquam iudaicum, fenus iſtud? Quæ natio tam fera, tam inhumana, ut tantum fenoris honeſtum habeat? Si enim ob 30. aureos numeratos menſe Novembri exigere 40. vales menſe Maio: altero quimeſtri adiecto exigere poteris 50. & ſic 20. immo 24. in annum ob ſolam ſolutionis anticipationem. Et hoc lucrum non eſt fenebre? Profecto fenebre dumtaxat non eſt, ſed inſuper inhumanum, crudele, & pluſquam iudaicum. Indigent domini pecorum pecunia anticipata, ut ſolvant paſcua, ut paſtores alant, ut expenſas ſuſtineant. Et mercatores ex iſtorum egeſtate, & penuria divitias cumulant? At mercatores lucrari ex arte ſua debent, & ſuæ artis proventibus familiam ſuſtentare. Bene habet. Sed hi lucrantur, dum aut lanas emptas aliis vendunt, aut pannos conficiunt, aut

ad

Digitized by Google

ad alias mittunt nationes. Mirum, quod Hiſpani, ingenio alioquin acri, & acuto præditi, nationis ſuæ pauperum ſanguinem exprimant, ut exteras, & etiam inſenſas nationes ditent. Ipſi lanas ſuas carminent, digitis torqueant, texant, tingant, pingant. Iſtæ ſunt fodinæ unde aurum, argentumque poſſunt extrahere. Hæc eſt mercatura, unde ingentes valent conquirere divitias. Numerent anticipata ſolutione pecunias pecorum dominis, ut valeant lanas colligere, illiſque vendere; ſed pretio quo traditionis, non paſtus tempore valent. Huc ſtudia ſua, miſſis tot diſputationibus de lana caprina, conferre debent.

XI. Si meum iudicium ferre licet in recenſitas duas opiniones, paucis dicam, prima probabilior & tutior eſt; ſecunda falſa mihi eſt, & penitus uſuraria. Ea admiſſa, nullum ſenus eſt quod honeſtari nequeat. Rationes quas illius patroni obtrudunt, omnes futiles & inanes, ut mea minima præſefert opinio, ſunt. Ipſi Salmanticenſes fatentur *num.* 152. *probabiliſſimam* eſſe, & ſecuriorem, *& omnino conſulendam* oppoſitam ſententiam, quæ ſola, & unica nobis vera eſt. Si enim per ipſos probabiliſſima eſt ſententia noſtra; ergo in huius conſpectu improbabilis eſt oppoſita. Hæc ſemper fuit legitima argumentatio ante natum Probabiliſmum. Sed beneficio huius modi opinandi, a ſimplicitate evangelica, & a Sanctorum Patrum doctrina alieni, probabilitatis fuco quælibet opiniuncula ab avaritia purgatur. Heinc eſt quod ipſi Salmanticenſes non audent vel proponere ut veram, vel veritati propinquiorem, hanc ſuam opinionem. Sed inquiunt: *Probatur huius ſententiæ probabilitas.* En modum opinandi. Sed quænam ſunt iſtius probabilitatis fundamenta? Quod domini ferre nequeant ſumptus paſcendi tam numeroſos greges, niſi præſens ſubſidium accipiant. Ideo conſuetudine invectum eſt ut pretium lanarum iuſtum ſit quod currit tempore ſolutionis anticipatæ, ut negotiatio tam utilis Reipublicæ conſervetur. Ecce unicum probabilitatis fundamentum. Lepida profecto & feſtiva ratio. Neque ruſtici poſſunt arare, occare, paſtinare agros, nec artifices texere lanas, neque feminæ illas nere, niſi anticipatum ſubſidium accipiant. Ergo licitum erit ob anticipatam ſolutionem 20. in centum accipere, ut negotiatio tam utilis Reipublicæ conſervetur? Pernicioſiſſima Reipublicæ eſt feneratoria negotiatio iſthæc. Idcirco omnino tollenda: & opinio quæ illam honeſtare contendit, penitus explodenda, ut ego quidem arbitror.

XII. Quæſt. IV. *Licitum ne eſt emere credita, ſeu chirographa minori pretio quam valeant, ob anticipatam ſolutionem?* Reſp. Etiam caſus iſte frequentiſſimus eſt ubique terrarum: circa quem de more ſunt duæ probabilitates, quas antequam refero, quæ penes omnes certa ſunt, paucis perſtringo. Habet ille chirographum exigendi a Principe, ſive alio debitore 100. poſt annum. Tu hoc emis pretio 95. vel 90. numerata pecunia. Adfirmant omnes, quod ſi debitum ſit ambiguum, & difficilis ſolutionis, ſi moleſtiæ, & ſumptus impendendi ſint in eiuſdem exactione,

ſi

ſi interveniat lucrum ceſſans, aut damnum emergens, tu potes viliori pretio ratione periculorum, moleſtiarum, & ſumptuum hoc creditum emere. Quid, ſi emptori facilis ſit crediti exactio, excluſis expenſis, omnique moleſtia? Etiam tum communiter adfirmant, emptionem minori pretio licitam eſſe. Quoniam crediti pretium, ſicut & cuiuſque mercis, ſumitur non ex utilitate perſonæ privatæ, ſed ex valore intrinſeco, & communi exiſtimatione. Utilitas quippe, & commodum emptoris non cadit ſub dominio venditoris, ut cum S. Thoma 2. 2.*quæſt.* lxxvii. *art.* 1. omnes docent. Videndum itaque quid creditum venale expoſitum valeat. Porro cum in propoſito caſu crediti exactio ſit obnoxia moleſtiis, ſumptibus, difficultatibus, in communi exiſtimatione minoris valet. Ergo hoc pretio communi exiſtimatione taxato emi creditum iure valet; & fortunæ emptoris vertendum quod abſque incommodo illud exigere valeat. Sicuti minori pretio emere equum ferocem, & indomitum quem alii communiter emere recuſant, tu emere potes; quamvis arte peculiari polleas illum facillime coercendi & moderandi. Hoc tamen negant Salas, Malderus, Molſeſius, & alii, ut advertit Lugo: quia debitum minus non valet, niſi ob damnum emergens. Si ergo reſpectu tui hoc damnum ceſſet, manere non videtur titulus cur diminui pretium poſſit. At ex doctrina ſuperius allata reſpondent alii, diminutionem pretii non fieri propter damnum emergens huic aut illi emptori; ſed propter difficultates, moleſtias, & ſumptus quos talis crediti exactio ſecum adfert. Per accidens autem eſt quod eiuſmodi incommoda ceſſent reſpectu huius aut illius creditoris; ſicuti patet in exemplo adducto equi ferocis & indomiti.

XIII. Convenit ſimiliter penes omnes quod debitor ipſe nequeat emere ſuum debitum minori pretio, quando ſolutionis difficultas ab eodem proficiſcitur, qui cum facile & ſponte ſolvere deberet, renuit ſine moleſtia, & ſumptibus creditoris; quamvis alii emere minoris valeant: quia iſti non ſunt difficilis ſolutionis cauſſa, neque difficultates ſolutionis removere tenentur, ſicuti aſtringitur debitor. Quare ſi iſte ſolvat 90. partem debiti ſolvit, non totum, ut debet. Si tamen debitum non eſſet certum, & liquidum, ſed dubium, & ſub lite; tunc & debitor ipſe tranſigere cum creditore poſſet, & conventionem inire, & illo pretio emere quo valere creditum in tali ſtatu conſtitutum prudentum iudicio reputatur.

XIV. Certum quoque eſt theſaurarios, & miniſtros Principis iniuſtitiam committere, & reſtitutioni obnoxios eſſe, quando Principis creditoribus ſolvere debita recuſant, ipſique minoris emunt, & integra ipſi a Principe accipiunt. Qua ſiquidem ratione nequit Princeps minoris ſua debita emere, eadem nequeunt eiuſdem miniſtri. Iniuſtitiæ quoque, & quidem nequiſſimæ, rei ſunt eiuſmodi miniſtri, dum difficiles ſeſe exhibentes in debitorum ſolutione, ſuggerunt amicis, ut minoris emant præfata debita, quibus in totum ſtatim ſolvent, diviſo talis emptio-

ptionis lucro inter ſemetipſos: quam vaſram verſutamque iniuſtitiam ipſe communis ſenſus execratur.

XV. Diſputant itaque, num licitum ſit emere minori pretio debitum liquidum, certum, & facilis ſolutionis ob anticipationem ſolutionis. Adfirmant Caietanus, Roſella, Diana, Sanchez, & alii. Probant vero, quia minus eſt habere actionem ad rem aliquam quam rem ipſam. Sed qui emit eiuſmodi chirographa, ſeu debita, non emit ipſam rem, ſeu pecuniam, ſed actionem ad illam habendam. Ergo minori pretio emi valet. Præterea debita iſta ſunt merces venales, quemadmodum aliæ, quæ habent ſuum pretium. Sed in communi hominum æſtimatione pretium talium debitorum de præſenti ſolutum minus eſt quam ſit ſumma ſolvenda in futurum. Ergo licitum eſt eadem emere minori pretio. Accedit quod ſi vitioſa eſset eiuſmodi emptio, eſset ratione uſuræ. Sed nulla hic uſura eſse poteſt; cum nullum ſit mutuum. Ergo immunis ab omni culpa eſt talis emptio.

XVI. Contraria ſententia communis eſt vel penes ipſos Probabiliſtas, qui damnant tamquam iniuſtam eiuſmodi emptionem: tum quia iniuſtum eſt pretium, dum pro centum ſolvuntur 95. tum quia intervenit mutuum virtuale. Quod iniuſtum pretium ſit, patet. Nam debitum liquidum & certum 100. aureorum non poteſt æquari niſi 100. aureis. Diſtinctio inter ius ad centum hos aureos & aureos ipſos ſophiſtica eſt, & fraudulenta in præſenti materia, ad uſuram fucandam invecta. Quod ut evincam, ponamus debitum 100. aureorum liquidum, certum, faciliſque ſolutionis, hodie, dum illud emis, eſſe exigendum abſque difficultate. Numquid tum pretium 90. eſſet æquale, & iuſtum? Nemo id dixerit. Ergo evidens eſt quod pretii inæqualitas, ſeu diminutio eſt propter temporis expectationem. Ergo pluris facis pecuniam præſentem quam pecuniam futuram. Hoc autem erroneum eſt, & ab Eccleſia proſcriptum. Inſiſtis. Communiter homines minoris æſtimant hanc debitorum mercem ſolvendam poſt annum quam pecuniam præſentaneam. Verum habet homines avaritia præventos, & pravis vulgi opinionibus occupatos hoc iudicare; ſecus homines præiudiciorum expertes, & naturali, divinoque iure imbutos. Quandoquidem ſi 100. reddenda poſt annum, non tanti valent, quanti 100. hodie numerata; quidni cogi poterit mutuatarius ut pro 100. acceptis hodie reddat 106. poſt annum? Aut ergo fatendum, pecuniam præſentem pluris valere quam valeat pecunia futura, atque adeo quod uſura ſit licita; aut concedendum, debita liquida, certa, faciliſque ſolutionis, tanti valere hodie, quanti valent poſt tres menſes, & poſt annum. Ex quibus conſtat hunc contractum eſſe iniuſtum, tum ob pretii inæqualitatem, tum ob mutuum virtuale, quod virtualiter in eodem includitur, tectum ſophiſtica diſtinctione inter ius ad debitum exigendum & pecuniam ipſam. Siquidem &

mu-

Digitized by Google

mutuator media hac diſtinctione dicere poſſet mutuatario : Emo a te ius ad 100. poſt annum ſolvenda pro 90. quæ tibi nunc numero. Nec eſt quod reponas, mutuatarium non poſſe vendere ius ad 100. poſt annum ſolvenda, quin ſe obliget ad pecuniam ipſam dandam; contra vero venditorem in noſtro caſu vendere ſolum ius, minime vero ſe obligare ad dandas pecunias ipſas. Hæc quoque diſtinctio merum effugium eſt. Siquidem & mutuum tegi ſimili fuco poſſet. Dicet & mutuatarius ſuo mutuatori : Vendo tibi ius ad 100. poſt annum reddenda pro 90. quæ nunc accipio. Pecunias autem non ego propria manu numerabo, ſed aliena; ſeu alius, nempe meus debitor, tibi illas tradet. Quis non videt, has eſſe meras legum circuitiones? Hanc ſententiam defendunt S. Antoninus *Part. II. tit.* 1. *cap.* VIII. *§.* 12. Sylveſter *verb.* Uſura 2. *quæſt.* XIV. Salas *de empt. dub.* 39. Bannez 2. 2. *quæſt.* LXXVII. *artic.* 4. *dub.* 5. Sotus *Lib. VI. quæſt.* IV. *artic.* 3. *ad* 3. Tapia *Lib. V. quæſt.* XVI. *artic.* 13. Malderus *tract.* V. *artic.* 2. *dub.* 5. *concl.* 2. Leſſius *Lib. II. cap.* XXI. *dub.* 6. *num.* 67. Lugo *diſput.* XXVI. *ſect.* 7. *§.* 1. Caſtropalaus *diſput.* V. *punct.* 13. Bartholomæus a S. Fauſto *diſput.* VI. *quæſt.* XXXI. Villaloboſius *tract.* XXI. *diff.* 8. *num.* 3. Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* 11. *punct.* 11. *num.* 160. Claudius La-Croix *Lib. III. part.* 11. *num.* 984. Henricus a S. Ignatio *Tom. II. Lib. IX. cap.* LXIV. Carolus Billuart *Tom. III. diſſ.* III. *artic.* 4. *§.* 3. Continuator Turnely *Part. II. de contract. cap.* 1. *ſect.* 3. *concl.* 2. Gabriel Antoine *de contract. cap.* V. *quæſt.* XII. Dominicus Viva *quæſt.* 11. *art.* 3. *num.* 8.

XVII. Plures alios iuniores laudare poſſem; ſed ſat eſt unus pro omnibus S. Thomas, qui conceptis verbis noſtram, & communem docet ſententiam opuſc. LXVII. *Ille qui ad certum tempus debet, ſi ante terminum ſolvat, ut ei de debito aliquid dimittatur, uſuram committere videtur : quia manifeſte tempus ſolutionis vendit. Unde ad reſtitutionem tenetur. Nec excuſatur per hoc quod ſolvendo ante terminum gravatur; vel quod ad hoc ab alio inducitur : quia eadem ratione poſſent uſurarii excuſari omnes.* S. Antoninus genuinum hoc S. Thomæ opuſculum reputavit, atque deſcriptam doctrinam ſic exponit II. Part. tit. 1. cap. VIII *§.* 13. *Sed B. Thomas in opuſc.* LXVII. . . . *dicit ſimpliciter hoc eſſe uſuram . . . . Aut debitor ex tali anticipatione ſolutionis damnum non incurrit, ſed ſolum quia prævenit tempus, vult ſibi illa remitti; tunc eſt uſura : & ratio eſt, quia vendit tempus, & mutuum eſt ibi implicitum cum lucro intento. Et in hoc caſu loquitur B. Thomas.*

XVIII. Cardinalis de Lugo *loc. cit. num.* 96. contendit, quæſtionem hanc ſpeculativam eſſe, non practicam, eo quod vix in praxi eiuſmodi debita ſint libera ab omni periculo, & moleſtia exactionis, aut lucri ceſſantis, vel damni emergentis. Idem docet P. Roncaglia *tract.* XIV. *cap.* IV. *reg.* 3. ubi ait, rariſſime accidere quod nequeant minoris emi hæc debita. Verum iſti, & alii plures Probabili-

biliſtæ id aſſerunt, quia fere pro libito lucrum ceſſans ſibi effingunt. Hunc vero titulum rariſſime occurrere, nos infra probabimus. Quare contra ego aſſero, rariſſime accidere ut licite hæc debita abſque iniuſtitia emantur. Quando emuntur Principis debita, quinam titulus verus hic occurrit? Ponamus emptorem non eſſe negotiatorem qui allegare valeat lucrum ceſſans, & damnum emergens. Quem titulum hic allegabit? Periculum, inquiunt, quod Princeps ob aliquem eventum non fuerit ſolvendo. Poteſt enim bellum aliquod oriri, ita ut ob ingentes impenſas exhauriantur æraria publica. Si revera prudenter emptores hoc periculum probabiliter futurum iudicarent; nullo modo hæc debita anticipata ſolutione minoris emerent. Sed emunt, quia periculum remotum, & fere vanu reputant. Ut vero fucare, & honeſtare lucrum valeant, hoc periculum exaggerant Theologis quos conſulunt, ut favens conſilium extorqueant. Quare cauti ſint Theologi, & Confeſſarii oportet in admittendis eiuſmodi titulis, qui ſimulari facillime poſſunt, perraro vero reipſa occurrunt.

XIX. Argumenta oppoſitæ opinionis nulla ſunt. Opponere textum ſolent ex l. *Minus ff. de reg. iur.* quo probare contendunt, pluris valere rem quam ius ad ipſam. Id utique verum eſt, quando rei conſecutio ſecum adfert aliquod periculum, vel moleſtiam pretio æſtimabilem; ſecus autem accidit in caſu noſtro. Aliam diſtinctionem, qua dicunt, non emi pecuniam, ſed ius ad ipſam, vanam eſſe, inter diſputandum palam feci.

CAPUT VIII.

De obligatione & venditoris pateſaciendi defectus mercium, & emptoris manifeſtandi earumdem bonitatem.

I. Sanctus Thomas perſpicue diſtinguit defectus mercis vendendæ 2. 2. *quæſt.* LXXVII. *art.* 2. his verbis. *Circa rem quæ venditur, triplex defectus conſiderari poteſt. Unus quidem ſecundum ſpeciem rei: & hunc quidem defectum ſi venditor cognoſcat in re quam vendit, fraudem committit in venditione: unde venditio illicita redditur. Et hoc eſt quod dicitur contra quoſdam Iſai.* I. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua. *Quod enim permixtum eſt, patitur defectum quantum ad ſpeciem.*

Alius autem defectus eſt ſecundum quantitatem, quæ per menſuram cognoſcitur: & ideo ſi quis ſcienter utatur deficiente menſura in vendendo, fraudem committit; & eſt illicita venditio. Unde dicitur Deuteron. XXV. Non habebis in ſacculo

lo diverſa pondera, maius, & minus: nec erit in domo tua modius maior, & minor: *& poſtea ſubditur:* Abominatur enim Dominus eum qui facit hæc, & averſatur omnem iniuſtitiam.

Tertius defectus eſt ex parte qualitatis; puta ſi aliquod animal infirmum vendat quaſi ſanum: quod ſi quis ſcienter fecerit, fraudem committit in venditione: unde eſt illicita venditio. Et in omnibus talibus non ſolum aliquis peccat iniuſtam venditionem faciendo, ſed etiam ad reſtitutionem tenetur.

Si vero, eo ignorante, aliquis prædictorum defectuum in re vendita fuerit, venditor quidem non peccat, quia facit iniuſtum materialiter; nec eius operatio eſt iniuſta . . . Tenetur tamen, cum ad eius notitiam pervenerit, damnum recompenſare emptori.

Et quod dictum eſt de venditore, etiam intelligendum eſt ex parte emptoris. Contingit enim quandoque venditorem credere rem ſuam eſſe minus pretioſam quantum ad ſpeciem; ſicut ſi aliquis vendat aurum loco aurichalci, emptor, ſi id cognoſcat, iniuſte emit, & ad reſtitutionem tenetur. Et eadem ratio eſt de defectu qualitatis, & quantitatis.

II. Mutua itaque eſt obligatio tam venditoris, quam emptoris, vitia, aut bonitatem mercium manifeſtandi. Si venditor vitium occultum mercis non revelat emptori, non ſolum pretii quantitatem, ſi pluris vendidit quam merx tali vitio affecta valebat, reſtituere tenetur; ſed etiam damna compenſare debet quæ paſſus inde emptor eſt. Triplex, inquit S. Thomas, poteſt in merce eſſe defectus. Primus circa ſubſtantiam; ut ſi argentum pro auro, vitrum pro gemma vendas. Ad hunc defectum revocatur mercium diverſæ ſpeciei mixtio; ut ſi frumento hordeum immiſceas, vino aquam infundas: *quia*, inquit Angelicus, *quod permixtum eſt, patitur defectum quantum ad ſpeciem*. Quam mixturam deteſtatur Iſaias Propheta cap. I. *Aurum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua*. Alii defectus ſpectant quantitatem, ut quando menſura minori merces venduntur, & maiori emuntur. Quam menſurarum diverſitatem Deus prohibet Deuteron. xxv. *Non habebis in ſacculo diverſa pondera, maius, & minus; nec erit in domo tua modius maior, & minor. Abominatur enim Dominus cum qui facit hæc*. Fraudes iſtas iterum deteſtatur Deus per Prophetam Amos cap. VIII. *Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando tranſibit menſis, & venumdabimus merces: & ſabbatum, & aperiemus frumentum: ut imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas, ut poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quiſquilias frumenti vendamus?* Semper fuerunt avaritiæ præda, & pabulum negotiatores plurimi. Clauſum in horreis ſervabant frumentum autumnali tempore, quia vilius tum pretium erat. Granaria aperiebant menſe octa-

Digitized by Google

octavo, nempe Martio, Aprili, & Maio, ut egenos, tunc alimento deſtitutos; altiori pretio opprimerent. Menſuras doloſas ſupponebant, & ipſas quiſquilias frumenti mixti palea, cicere, & avena pauperibus vendebant. Quot negotiatores ſimilia hac tempeſtate non peragunt? Tertium defectuum genus qualitatem mercis ſpectat, ut dum vendis animal infirmum tamquam ſanum, medicamentum vetus ceu recens, vinum Italicum pro Gallico, vel contra, pannum nimis aduſtum, & male textum, tamquam bonum.

III. S. Thomas *loc. cit. art. 3.* perſpicue declarat quid præſtare venditor debeat qui vitium occultum emptori non manifeſtat. *Venditor autem qui rem vendendam proponit, ex hoc ipſo dat emptori damni, vel periculi occaſionem quod rem vitioſam ei offert, ſi ex eius vitio damnum, vel periculum incurrere poſſit. Damnum quidem, ſi propter huiuſmodi vitium res quæ vendenda proponitur, minoris ſit pretii; ipſe vero propter huiuſmodi vitium nihil de pretio ſubtrahat. Periculum autem, ſi propter huiuſmodi vitium uſus rei reddatur impeditus, vel noxius; puta, ſi aliquis alicui vendat equum claudicantem pro veloci, vel ruinoſam domum pro firma, vel cibum corruptum, ſive venenoſum pro bono. Unde ſi huiuſmodi vitia ſint occulta, & ipſe non detegat, erit illicita, & doloſa venditio: & tenetur venditor ad damni recompenſationem.*

Si vero vitium ſit manifeſtum, puta cum equus eſt monoculus, vel cum uſus rei, etſi non competat venditori, poteſt tamen eſſe conveniens aliis, & ſi ipſe propter huiuſmodi vitium ſubtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifeſtandum vitium rei: quia forte propter huiuſmodi vitium emptor vellet plus ſubtrahi de pretio quam eſſet ſubtrahendum. Unde poteſt licite venditor indemnitati ſuæ conſulere, vitium rei reticendo.

IV. Quæ dicta ſunt de venditore, eadem applicat Angelicus emptori. Si is pretio iniuſto, puta vilius infimo, rem emeret, ſive mala, ſive bona fide, detecto vitio compenſare venditorem teneretur, æqualitatem pretii reſtituendo. Si mercem ut corruptam emeret, quæ revera erat ſana; ſi prædium hypothecatum, quod liberum erat; ſi aurum pro argento, gemmam pro vitro: hæc omnia venditori, aut ignoranti, aut oſcitanti, manifeſtare emptor debet, & pretium iuxta mercium valorem augere.

V. Si venditor taceat vitium mercis nullo modo noxium emptori, pretiumque diminuat pro vitii qualitate, & quantitate, nullam fraudem committit; dummodo emptor non interroget: quia, inquit S. Thomas, emptor forte plus quam iuſtum eſſet, vellet de pretio detrahere, vitio cognito. Si tamen emptor interroget, ſit ne in merce hic aut ille defectus; manifeſtare illum ſincere venditor debet. Immo ſi venditor prudenter prævideret emptorem non empturum mercem, vitio detecto, etiam pretii quantitate detracta; teneretur eumdem mone-

re

Digitized by Google

re. Sincere enim exercenda negotiatio eſt iuxta evangelicam regulam: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

VI. Quapropter non probo quod docent Salmanticenſes *tractat.* XIV. *cap.* II. *punct.* 12. *ſ.* I. *num.* 169. videlicet, ſi merx inutilis emptori ſit ad finem propter quem illam emit, poſſe venditorem tacere vitium occultum, & mercem inutiem emp tori vendere; dummodo pro vitii qualitate partem pretii detrahat, & merx ceteroquin ſit abſolute utilis ad fines ad quos communiter venditur. Addunt tamen, hoc intelligendum eſſe de fine extraordinario, intento ab emptore. Immo præfatam doctrinam retractare videntur, dum ſubdunt, quod, ſi ex circumſtantia perſonæ appareat, emptorem ad talem finem determinatum mercem emere, debeat venditor mercis defectum ob quem inutilis omnino eſt dicto emptoris fini, manifeſtare. Si venderet v. g. vaccam ad arandum emptam ab agricola, quæ inepta eſſet aratro, deberet monere agricolam inutilem eſſe vaccam ad arandum, quamvis opportuna macello foret. Itaque ſi venditores, & emptores chriſtiana ſinceritate negotiationem egerint, mutuo ſibi mercium, & pretii defectus pareſacient. Si avaritiæ æſtu perciti ſe circumvenire ſtudeant, fraudibus ſe mutuo implicabunt. Memoriæ commendanda eſt S. Ambroſii doctrina Lib. III. offic. cap. X. *In contractibus vitia eorum quæ veneunt, prodi iubentur, ac niſi intimaverit venditor, quamvis in ius emptoris tranſcripſerit, doli actione vacantur.* Quam doctrinam exemplo Raguelis illuſtrat, qui, ne falleret Tobiam, iuniorem illius filiam in uxorem petentem, *reſpondit, lege quidem ipſi eam deberi, tamquam propinquo; ſed dediſſe ſe eam iam ſex viris, & eos omnes eſſe mortuos.* Item ibi cap. XIV. *Quam breviter abſolvit omnes quæſtiones Philoſophorum. Illi de vitiis tractant domorum, tegenda, an prodenda a venditore videantur: hic nec filiæ vitia celanda arbitratus eſt.* Et quamvis puella amiſſæ virginitatis maculam celare poſſet amaſio volenti eam ducere, non propterea ſequitur, venditorem reticere emptori licite poſſe vitium mercis occultum: quia illa ſe diffamaret; iſte probum, & æquum virum ſe proderet. Non decido tamen, licite puellam defloratam poſſe conſenſum præbere amaſio honeſto, eam ducere volenti, occultata amiſſæ virginitatis macula, quando ex circumſtantiis prævideat fore ut honeſtus amaſius gravi dedecori & ignominiæ ſibi vertat detectam violatæ virginitatis notam. Utique diffamare ſe illa non aſtringitur; ſed neque decipere in re gravi proximum debet. Certo credit amaſius illam eſſe virginem: & ſi defloratam ſciret, nullo modo eam duceret. Aliunde maculam detegere ille nequit. Lugeat ergo amiſſam virginitatem puella, amaſiumque reiiciat, ſi pateſacere ſuum occultum vitium refugit. Ita nunc ſentio; ſed in tractatu de matrimonio ſerius ſub examen difficultatem hanc revocabo.

VII. Opponere quoque ſolent nonnulli. Emptor non tenetur manifeſtare ven-

Digitized by Google

ditori theſaurum latentem in campo: ergo neque venditor vitium latens in merce. Similiter qui faſciculum herbarum emit, non aſtringitur declarare venditori herbam medicinalem magni pretii occultam. Perperam tamen obtruduntur paritates iſtæ. Theſaurus non eſt campi pars, neque aliquid ad campum attinens; ſicuti neque herba rara in faſciculo incluſa, pluris valet, ſpectato uſu in quem venditur. Herba quippe in animalium pabulum venditur. Reſpectu autem iſtius uſus herba rara eiuſdem valoris eſt ac aliæ herbæ uſuales. Et omnino caſuale eſt, & accidentarium quod quis tali herba ad aliquem peculiarem finem indigeat. At defectus ſunt intimi ipſis mercibus, & cum uſibus pugnant ad quos emuntur. Emitur equus ad communes uſus quibus inſervire equi ſolent. Si defectibus laborat qui cum eiuſmodi uſibus pugnent, ineptus eſt ad finem intentum. Idem de aliis mercibus dicendum.

VIII. Fraudulenti proinde ſunt & doloſi mercatores qui equorum, aſinorumque auribus guttam mercurii infundunt, ut celeres, ſtrenui, & generoſi appareant; quando natura ſua tardi, pigri, & veluti ſtupidi ſunt: qui in ſuprema ſuperficie ſacci, vaſis, cadi optimum triticum, optimos piſces collocant, ut emptor deceptus credat, ceteras occultas merces eſſe eiuſdem bonitatis; cum ſint inferioris conditionis: qui in ea officinæ parte pannum, aliaſque merces oſtendunt emptoribus, in qua minus lumen reſplendet, ne deprehendi occulti defectus poſſint: qui denique verbis ambiguis occultare defectus mercium, & circumvenire emptores ſtudent.

IX. Circa varios defectus mercium vix aſſignari regula generalis poteſt reſpectu tam emptoris, quam venditoris. Nam ſi vitium non reddat notabiliter minus utilem mercem emptori, diminuto pro vitii proportione pretio, non tenetur abſolute venditor non interrogatus vitium manifeſtare; ut docet S. Thomas ſupra citatus. Circumſtantiæ tamen occurrere poſſunt, ut emptoris ignorantia, eiuſdem deſiderium habendæ mercis optimæ in illo genere, & aliæ eiuſmodi, ob quas manifeſtandus defectus ſit. Habenda quoque commercii & negotiationis ratio eſt. Nam merces eiuſdem generis, non omnes eiuſdem bonitatis, & qualitatis ſunt: & ſi negotiatores declarare ſingulos defectus etiam viliores deberent, ac ſolas perfectas merces vendere, actum de commercio, & mercatura eſſet. Quoniam etiam emptores ſunt frequentiſſime moroſi, & tetrici, qui ob leviſſimum defectum manifeſtatum diminuere plus iuſto pretium vellent. Servanda ergo bona fides, & ab omni circumventione cavendum, quoad fieri poteſt, & quantum patitur publica commerciorum, & negotiationum conſervatio, quæ Reipublicæ neceſſaria eſt. Item ſi vitium ſit ex ſe manifeſtum, & facile cognoſci poſſit, venditor non interrogatus non tenetur manifeſtare, ſi emptor ſit experrectus, & ſuæ notitiæ fidens, venditorem non interroget. Præ oculis ſemper ha-

habenda eſt doctrina S. Thomæ ſupra deſcripta, nempe. *Si vitium ſit manifeſtum, puta cum equus eſt monoculus, & ſi venditor propter huiuſmodi vitium ſubtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifeſtandum vitium rei: quia forte propter huiuſmodi vitium emptor vellet plus ſubtrahi de pretio, quam eſſet ſubtrahendum. Unde poteſt licite venditor indemnitati ſuæ conſulere vitium rei reticendo.* Si tamen venditor deprehenderet emptorem adeo ſimplicem, & hebetem, ut vel manifeſtos defectus agnoſcere neſciret; tunc pandere ei defectum deberet: quia in his caſibus perinde eſt ac ſi defectus eſſet occultus. Tandem non modo quid rigoroſa iuſtitia, ſed etiam quid caritas chriſtiana iubeat, ſpectandum eſt. Urgentur enim non raro, ſin vi iuſtitiæ, ſaltem vi caritatis, venditores partes emptoris, & contra emptores partes venditoris agere. Emptores circumvenire ſæpe ſolent venditores continenter clamantes: *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor: & cum receſſerit tunc gloriabitur*: Proverb. xx. Venditores contra clamant, Bonum eſt, bonum eſt; tametſi merx corrupta ſit, aut vitiorum plena. Et ſic viciſſim iuſtitiam obſident, & negotiationem peccatis implent.

X. Qui emit unam mercem pro alia, puta argentum pro plumbo, aut infimo pretio quod pluris valet, tutus ne in conſcientia eſt, ſi dicat venditori: Secura conſcientia emere volo: ſi pluris hæc merx valeat, donas ne mihi? Etiamſi conſentiat venditor, ignorans mercis naturam, iuſtumque pretium, non propterea tutus emptor eſt; ſed ad reſtitutionem tenetur, & iuſtum pretium compenſare debet. Quoniam conſenſus iſte ex ignorantia aut qualitatis, aut ſubſtantiæ mercis, vel pretii eiuſdem oritur, ideo involuntarius. Et idem dicendum de venditore reſpectu emptoris.

XI. Venditores potiſſimum cavere debent a mercibus permiſcendis. Errant quippe, dum exiſtimant quod vinum v. g. generoſum aqua perfuſum ſit eiuſdem bonitatis ac vinum commune. Quoniam licet quantum ad guſtum ſit eiuſdem, immo etiam melioris ſaporis, tamen ob aquam adiectam inficitur, & facilius aceſcit ac corrumpitur; ideoque vilius vendi debet quam vinum commune, ob intrinſecum defectum mixtionis, ut ſupra dictum eſt.

XII. Quando venditores dant unam mercem pro alia, ſi ſit eiuſdem utilitatis ad finem intentum, non peccant contra iuſtitiam abſolute loquendo: quia licet ſit diverſitas ſubſtantialis phyſica, nulla tamen eſt moralis diverſitas, quando æque hæc ac illa fini intento utilis eſt. Pharmacopolæ quandoque unum pro alio remedio vendunt, cognita poſtulantis indigentia. Si revera ad finem intentum remedia ſint omnino eiuſdem efficacitatis, non peccant. Verum decipi interdum poſſunt in expendenda remedii virtute. Ideo, ſi remedium quod petitur, non habent, monere emptorem debent. Nec ipſorum eſt indicium ferre

re ſuper medicinarum virtute. Iſti frequenter peccant, quod medicinas nimium vetuſtas pro recentibus vendant.

XIII. Qui vendit mercem aliquo vitio affectam, bona fide, non peccat; ſed ubi reſciverit vitium, compenſare emptorem debet. Si vero venditor emptori declaret ſe nolle vitii quod revera ignorat, periculum ſuſcipere; tunc ad nihil tenetur, ſed pro ratione periculi minuere pretium debet.

XIV. Plura hic dicenda eſſent de pretio augendo ob periculum exigendi pretii, ob lucrum ceſſans, & damnum emergens. Verum de his omnibus *diſſert. ſeq.* ſuſius ſermo erit: & has mercatorum larvas quibus vel manifeſtam iniuſtitiam tegere ſolent, enucleabimus; & quam raro occurrant reipſa præfati tituli, vi quorum augeri pretium poſſit, ſeu aliquid accipi ultra ſortem, palam fiet.

XV. Quid de vitiis monetarum? Qui monetam falſam pro vera ſcienter tradit, fur eſt, & graſſator. Si ignoranter id præſtet, non peccat; ſed ubi reſciverit, ad reſtitutionem tenetur. Quid, ſi moneta deficiens a iuſto pondere ſit? Quando defectus ſit levis, puta unius, aut alterius *grani*, ut vulgo dicitur; communiter pro nihilo reputatur. Ceterum quando tria, vel plura grana deſint ex iuſto pondere, tunc pro iuſto communi pretio diſtrahi nequeunt. Sed manifeſtanda venditori cui ſolvendum pretium eſt, eiuſmodi vitia ſunt. Et tamen vix conſcientiæ ſibi vertunt plurimi, immo dexteritati adſcribunt, aureos, quatuor, ſex, octo granis deficientes, diſtrahere. Sed hi ad compenſationem tenentur, niſi venditores tacite conſentiant ob lucrum captum in mercium venditione.

XVI. Quid de iis qui minori menſura vendunt? Penes omnes certum eſt venditorem teneri ad reſtitutionem, ſi aliquid de quantitate mercis detrahit; ut quando menſura, ſeu pondere fallaci, & æquo inferiori vendit. Diſputant autem Auctores, num licitum ſit venditoribus menſura minori uti, quando pretium evidenter iniuſte taxatum eſt. Cardinalis de Lugo *diſp.* XXVI. *ſect.* 8. *num.* 125. adfirmat, allegatque Toletum, Valentiam, Sotum, Vegam, Rebellum, Salas, alioſque ab iſtis citatos, quibus ſubſcribunt Salmanticenſes *tractat.* XIV. *cap.* 11. *punct.* 12. *num.* 175. Admiſſa hypotheſi quod pretii taxatio eſſet manifeſte iniuſta, idque evidenter conſtaret, tunc nec ipſe repugnarem. Sed vix hæc iniuſta taxatio pretii legalis, ſeu legitimi evidenter conſtat. Nam taxatio pretii, facta a Principe, bonum commune ſpectat, & pauperum ſolamen. Quare licet reipſa merces mercatoribus pluris ſtent, & dum taxato pretio illas vendunt, damnum patiantur, non propterea iniuſtum pretium eſt, nec mercatores iudices legitimi ſunt pretii taxati damnandi. Quare non ſunt excuſandi qui amphoram vini, qui cetera pondera diminuunt, qui unam & alte-

ram

Digitized by Google

ram unciam detrahunt prætextu iniuſti pretii. Quoniam conſtitutum a Principe, ſeu a legitimo iudice pretium eſt: & huic legi parere omnes debent: & ſi venditores iacturam ſubeant, id adverſæ negotiationis ſorti tribuendum. Hæc quippe eſt mercaturæ conditio, ut lucro, & iacturæ ſubiecta ſit. Si tamen, ut dixi, pretium iniuſtum eſſet, ob evidens monopolium emptorum, qui cogerent venditorem ad ſuas merces diſtrahendas viliori pretio, tum diminuere menſuram venditor poſſet, quando nulla alia via declinandæ vexationis pateret. Nullus eſſet diſputandi finis, ſi recenſere omnes tam ementium, quam vendentium fraudes, fucos, & dolos vellem. Sed hæc quæ diximus, ſatis ſint, cum plurima dicturi ſimus *diſſert. ſeq.*

creveram, ſilentio obvolvere argumentum impeditiſſimum, invidiæ, aleæque plenum.

Verum quia præter expectationem, & voluntatem contra uſuram ab hæreticis propugnatam ſcribere cœpi, nunc contra nonnullas recentium Catholicorum opiniones ſtilum armare cogor. Illud lectoribus meis recordor, quod uſuræ crimen vitium eſt in quod rapitur humana natura, non ſecus ac in luxuriæ ſcelus; atque adeo non minus præter propter frequens illud ac iſtud. Sed hoc periculoſius, quod magis recedit a ſenſibus: & idcirco facile fucatur, variaſque ſuſcipit ementitæ iuſtitiæ formas, & æquitatis colores, ſub quibus ſecure, & impune inſidias ſtruit, animarumque exitium operatur. Ferventius ergo cæleſte auxilium implorandum, quo tam vaſri, & veteratoris hoſtis inſidias diſſipare valeamus.

CAPUT I.

Mutui finitio, eiuſque proprietates.

I. MUtuum communiter dicunt ICti, quod *ex meo fiat tuum*: quia quod meum eſt, trado tibi, ut fiat tuum in quoſcumque volueris uſus. Illius vera finitio hæc eſt. *Mutuum eſt traditio rei conſumptibilis in conſumptionis uſum, & dominium, ut aliquo elapſo tempore tantumdem reſtituatur*. Materia ſubiecta mutuo ſua natura conſumptibilis eſt, & in conſumptionis uſum tradita. Duo hæc neceſſaria ſunt ad mutui naturam. Nam ſi res uſu conſumptibilis detur, non ad conſumptionem, ſed ad pompam, & oſtentationem; non *mutui*, ſed *commodati* contractus initur, ut ſcripſit Ulpianus l. 3. ff. *Commodati, vel contra* §. 6. *Non poteſt commodari id quod uſu conſumitur, niſi forte ad pompam, vel oſtentationem quis accipiat*. Quare ſi monetæ aureæ ad pompam traderentur, *commodatum*; ſi ad cuſtodiam, *depoſitum*, non mutuum diceretur: quia ad mutui naturam requiritur quod res natura ſua ſit conſumptibilis, & in conſumptionis uſum tradita. Heinc mutuum diſcrepat a *commodato*, cuius res uſu non conſumitur, ſed eadem numero reſtitui debet; & a *depoſito*, cuius res non ad conſumptionem, ſed ad cuſtodiam præbetur. Res quas Theologi *conſumptibiles*, ICti *fungibiles* vocant, ſeu quæ in ſuo genere *functionem recipiunt*, ideſt conſumptionem, ſeu abuſum: abuſus enim hic conſumptionem ſignificat. Rerum conſumptio duplex. Naturalis una, qua res ipſa perit; ut vinum, frumentum, oleum &c. Civilis altera, qua res alienatur; ut pecunia, quæ dum in alterius dominium tranſit, priori domino perit. Res quæ uſu non conſumuntur, non ſunt materia mutui (quidquid dicant Salmanticenſes, & alii) ſed commodati. Ultima particula, *ut elapſo aliquo tem-*

Digitized by Google

pore tantumdem reſtituatur, ſignificat aliquod interfluere tempus debere traditionem inter & reſtitutionem. Qui enim mutuatur, obligationem ſibi ſponte imponit non ſtatim, ſed poſt aliquod tempus repetendi rem traditam. Si temporis punctum conſtitutum ſit, illo elapſo, reſtituendum tantumdem rei acceptæ eſt: alioquin moroſus debitor fieret. Si nullus præfixus dies eſt, ſpectatis dantis, & accipientis circumſtantiis, & repeti, & reſtitui debet. Præſcribi enim certa regula nequit; ſed arbitrio prudentum id relinquendum eſt. Res reſtituenda debet eſſe eiuſdem valoris cum re accepta, & eiuſdem ſpeciei; ut vinum pro vino, frumentum pro frumento, pecunia pro pecunia. In hac tamen reſtitutione non tam attenditur ſpecies phyſica, nempe quod reddatur idem metallum auri, vel argenti (niſi de hoc conventum fuerit) quam formalis valor. Quare frumentum, & ceteræ res debent eſſe eiuſdem quantitatis, & qualitatis cum rebus acceptis. Res mutuatitia creſcit, & decreſcit mutuatario. Quare ſi valor monetæ augetur, aut minuitur, eidem, non mutuatori creſcit, aut decreſcit. Sed de his infra.

II. Explicatam definitionem unanimi conſenſu probant Catholici omnes, verborum diverſitate ſublata. Cavillari illam heterodoxi ſtudent, illud Deuteronomii *cap.* XXIII. obtrudentes: *Non fenerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno. Fratri autem tuo abſque uſura id quo indiget commodabis*. Duas allati textus particulas opponunt. Prima eſt, *quamlibet aliam rem*: quibus verbis res etiam non *fungibiles* indicari contendunt. Altera *id quo indiget commodabis*: quibus quoque verbis commodatum pro mutuo, & contra accipi volunt. Sed aperte falluntur, & fallere ceteros conantur. Laudata quippe verba, *quamlibet aliam rem*, res includunt quæ mutuo traduntur, nempe conſumptibiles. Verba enim Scripturæ non ſeiunctim & abſtracte, ſed cum univerſo textu coniuncta intelligi debent. Res autem in textu recenſitæ conſumptibiles ſunt. Ergo & ceteræ omnes quæ ibi indicantur. Tranſitus iſte ad diverſum rerum genus cavillatorius eſt. Quod confirmatur omnibus Scripturæ textibus, in quibus, dum uſuræ materies recenſetur, ſemper res conſumptibiles adducuntur. Exod. XXII. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes*. Iterum in Levitico cap. XXV. *Pecuniam tuam non dabis ei ad uſuram, & frugum ſuperabundantiam non exiges*. Prætereo alia teſtimonia tum veteris, tum novi teſtamenti, quæ ſolas res conſumptibiles uſuræ ſubiectas memorant.

III. Potiſſima mutui proprietas quæ ex eiuſdem natura neceſſario proficiſcitur, eſt dominii translatio. Si enim res mutuo ſubiectæ uſu conſumuntur, & vi mutui ad conſumptionem dantur; conſequitur ut qui res mutuo dat, ius quoque conferat eaſdem diſtrahendi, conſumendi, alienandi. Pecuniæ quippe ſola alienatione conſumi valent; ceteræ autem res fungibiles conſumptione pereunt. Qui mutuo

Digitized by Google

tuo pecunias accipit, eiſdem merces emit. Mercium venditor pecuniarum domi- nus abſolutus evadit. Unde is acquirit dominium iſtud? A mutuatario. Hic igi- tur dominus pecuniarum erat: quia *nemo plus iuris ad alium transferre poteſt quam ipſe habet*. l. 54. ff. de reg. iur.

IV. Fatentur vel ipſi Molinæus, Salmaſius, & alii hæretici, uſurarum patroni, dominium in mutuo transferri; ſed diſtinguit Salmaſius nummorum corpora a re quanta. Corporum dominium alienari concedit, ſecus dominium quantitatis. Hæc ſola feſtiva, & perridicula diſtinctio declarat quam ſit deſperata cauſſa quæ hac cavillatione nititur. Quiſque acciperet aureorum corpora, ideali quantitate Salma- ſio relicta. Metaphyſicam diſtinctionem quantitatis a corpore negotiationi appli- cant eruditi homines, qui Scholaſticorum veras diſtinctiones deridere in deliciis habent. Corpora ita quantitate affecta ſunt ut alienari ſine eadem nequeant. Alienantur corpora. Ergo & quantitas, quæ ſeparari reipſa a corporibus nequit. Quamobrem amittit mutuator dominium nummorum quæ mutuo tradit; ſed reti- net ius tantumdem quantitatis repetendæ. Ius iſtud cum dominio nimis craſſe confundunt uſurarum patroni: quæ duo omnino diſtincta ſunt. Dominium quippe ius in re eſt, & facultas utendi re pro libito domini. Mutuator hoc dominio rei mutuatitiæ caret; ſed ius, ſeu actionem retinet ad repetendum tantumdem. Hæc omnia perſpicua ſunt & luculenta, quæ fuſius explicata fuerunt in citatis adver- ſus uſuram libris.

V. Altera mutui proprietas eſt, quod periculum ſit penes mutuatarium. Quæ- libet enim res domino ſuo ſtat, aut perit. Qui mutuum accipit, rei mutuatitiæ dominus evadit. Ipſi ergo res iſta perit, aut ſtat.

VI. P. Franciſcus ZECH, Almæ Univerſitatis Ingolſtadienſis Profeſſor prima- rius, in ſuo libello inſcripto *Rigor moderatus* &c. duodecim circiter §§. in mutuo deſcribendo inſumit. §. 46. mutui *naturalia* explicat: & §. 47. colligit ſimul eiuſ- dem mutui *ſubſtantialia*, & *naturalia*. Ibidem me carpit, quod minus appoſite dixerim in citato commentario, ad *naturam* ſeu *eſſentiam* mutui non pertinere quod ſit gratuitum. Intelligendus eſt Commentator, inquit Profeſſor primarius, *id non eſſe de ſubſtantia*. Acutiſſime. Verum ſi Auctor iſte verborum proprieta- tem penitus introſpexiſſet, aut ſi Calepinum conſuluiſſet, abieciſſet forſitan ſua vocabula, *naturalia*, & *ſubſtantialia*, adhibita in mutuo exponendo; & intellige- ret quam futilis & ridicula ſit ſua interpretatio. Sed his logis, & nugis miſſis, cur ego dixerim mutuum non eſſe natura ſua gratuitum, paucis prodendum eſt; cum id ad argumentum noſtrum illuſtrandum maxime conferat. Arguunt hæreti- ci uſurarum patroni. *Mutuum gratuitum eſt. Ergo nos qui pecuniam ad lucrum da- mus, mutuo non damus. Ergo nec uſuram committimus, quæ eſt lucrum ex mutuo.* Quod vaniſſimum ſophiſma ſic profligavi. Feneratores omnes lucrum volunt. At dum

dum lucrum volunt, mutuum nolunt; cum hoc natura ſua gratuitum ſit. Fieri ergo nequit ut feneratores uſuræ crimen perpetrent, etiamſi velint. Mutuum gratuitum eſt, ſi fiat, uti debet, ad legis tum naturalis, tum divinæ præſcriptum; fenebre vero, & oneroſum, ſi ab avaritia moderetur. Bonitas perficit quidem, & malitia inficit, minime vero deſtruunt rerum eſſentias. Fenoris gravamen inquinat, non deſtruit mutui naturam. Qui plura cupit, conſulat præfatum *Commentarium*, ubi colliget quam acutus criticus ſit *P. Zech*.

VII. Ex his quæ dicta ſunt, compertum manet, mutui contractum differre a ceteris contractibus. Nam in emptione, & venditione pretium pro merce ſolvitur. In permutatione una merx pro altera traditur. Donator totum gratis concedit, nullo ſibi ſervato iure quidquam repetendi. In locatione pro uſu rei pretium exigitur. In commodato non transfertur dominium, ſed uſus, & eadem numero res non fungibilis reſtitui debet. In depoſito cuſtodienda res traditur: & pignus ſecuritatis præſtandæ cauſſa præbetur abſque dominii tranſlatione, & cum onere eiuſdem omnino rei reſtituendæ.

CAPUT II.

Vera uſuræ notio tum ex Theologis, tum ex Scriptura, & Patrum traditione adverſus vulgi, & hæreticorum commenta. Diverſa uſuræ acceptio.

I. Theologi communi aſſenſione definiunt uſuram, quod ſit *lucrum perceptum ex mutuo*; maioris explicationis gratia addidere alii *vi mutui*, ut paucis verbis excluderent titulos, qui, ſi veri ſint, ab uſuræ labe purgare lucrum valent; cum non ſit ex mutuo, ſed ex alio capite.

II. Hæc uſuræ brevis, & ſane perſpicua Theologorum definitio, licet non iiſdem verbis, re tamen tum in Scripturis, tum in Patribus reperitur. Nam & Scripturæ, & Patres uſuram appellant quamlibet ſupra ſortem traditam acceſſionem, ſive parvam, ſive magnam, ſive a divite, ſive a paupere perceptam. Indoctum vulgus conſtituere uſuram ſolet in lucri exceſſu: quem vulgi errorem partim adoptarunt hæretici moderni, partim novis commentis amplificarunt. Carolus Molinæus primus omnium poſt Calvinum erroneum invexit de uſura ſyſtema in ſuo *tract. de uſur.* in quo *num.* 85. tres hominum gradus diſtinguit. In primo conſtituit pauperes qui emendicata ſtipe vitam agunt, quibus non mutuo, ſed eleemoſyna providendum docet. In altero indigentes collocat qui hic & nunc egent ſubſidio; pares tamen ſunt tempore opportuno mutuo reddendo. Hos

Digitized by Google

Hos gratuito mutuo levandos ait. In poſtremo gradu divites, & mercatores ponit, qui reipſa nulla re egent, ſed patrimonium negotiatione amplificare ſtudent. Ab iſtis ratione mutui exigi poſſe moderatam uſuram contendit. Quem errorem poſteriores hæretici, potiſſimum Calviniſtæ, Salmaſius, Noodt, Barbeyracus, & alii amplexati ſunt. Lutherus, Melanchthon, Brentius, Bucerus, primi ab Eccleſia Romano-Catholica apoſtatæ doctrinam Catholicorum adverſus uſuram acriter propugnarunt, præcipue *Brentius*. At in præſens & Lutherani, ſuorum Pſeudopatriarcharum doctrina repudiata, Calviniano de fenore errori ſubſcribunt.

III. Nonnulli Catholici Calviniſtarum de ſenore erroneam doctrinam fucare nova diſtinctione ſtuduerunt. Duplex mutui genus iſti excogitarunt. Unum, quod vocant *conſumptionis*; traditurque indigentibus, qui ideo mutuam pecuniam accipiunt, ut ſe, familiamque ſuſtentent, ut filiam nuptui tradant, ut aliis neceſſitatibus provideant. Alterum appellant *negotiationis*, quod mercatoribus traditur ad amplificandam mercaturam, & augenda negotia, ex quibus ingentes percipiunt proventus. Lucrum quod percipitur ex primo *conſumptionis* mutuo, fenebre eſt; quod exigitur ex altero *negotiatorio*, a cuiuſque uſuræ labe eſt immune; dummodo ſit moderatum, & patriæ legibus conſentaneum.

IV. Hæc vafra commenta perſpicue explodunt tum Scripturæ divinæ, tum Patres. Levitici *cap.* XXV. hæc habentur: *Ne uſuras accipias ab eo, nec amplius quam dediſti*. Hæc verba, *Amplius quam dediſti*, excludunt omnem acceſſionem, ſive minimam, ſive magnam, ſupra ſortem. Similiter Propheta Ezechiel *cap.* XVIII. *&* XXII. hanc eamdem uſuræ notionem exprimit. *Ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit*. Ecce abſolute excluſam omnem acceſſionem, additam ſorti traditæ, per hæc verba, *Amplius quam dediſti*: quæ verba bis repetit Vates ſanctus. Tandem Chriſtus Dominus in Evangelio dicit: *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. *Tò nihil* non modo exceſſum, ſed quodlibet etiam minimum incrementum ſupra ſortem reiicit.

V. Hanc eamdem uſuræ finitionem tradunt Patres omnes. Tertullianus *Lib. IV.* adverſus Marcionem *cap.* XVII. dicit fenoris redundantiam, quod eſt uſura. Nomine fenoris ſortem intelligit. Per verbum *redundantiam* quodlibet augmentum damnat. S. Ambroſius de Tobia cap. XIV. *Quodcumque ſorti accedit, uſura eſt. Quod velis ei nomen imponas, uſura eſt*. S. Hieronymus in cap. XVIII. Ezech. *Uſura eſt, ſi ab eo quod dederint, plus acceperint*. S. Auguſtinus in Pſalm. XXXVI. ſerm. III. *Si .... mutuam pecuniam dederis, a quo aliquid plus quam dediſti, expectes accipere; non pecuniam ſolam, ſed aliquid plus quam dediſti, ſive illud triticum ſit, ſive vinum, ſive oleum, ſive quodlibet aliud, ſi plus quam dediſti, expectes accipere, fenerator es*. S. Ioannes Chryſoſtomus hom. LVI. in Matth. *Tu*

ver

Digitized by Google

vero plus quam dediſti, exigis. Ceteri Patres omnes, & poſt ipſos Theologi quoque omnes, Canoniſtæ, & ICti hanc eamdem uſuræ notionem perhibent. Si plura cupis, conſule citatum noſtrum Commentarium, & opus *de iure divino, & naturali circa uſuram*, in quo Cl. Auctor, qui in aliis quoque operibus ſtrenue adverſus uſuram pugnavit, vaſta eruditione, & inconcuſſa doctrina, novum de uſura errorem exagitat, & penitus conterit.

VI. Quas hactenus dedi tum mutui, tum uſuræ notiones adverſus novam de uſura erroneam doctrinam, approbat in ſua Decretali BENEDICTUS XIV. Pontifex ſapientiſſimus, qui & uſuram in mutuo habere ſuam ſedem decernit; & lucrum omne, ſive parvum, ſive magnum, ſive a pauperibus, ſive a divitibus, ſive vi mutui conſumptionis, ſive mutui negotiationis perceptum, tamquam uſuraria labe aſperſum, damnat. Quam doctrinam luculentius confirmat idem Pontifex ſummus in ſuo inſigni opere de Synodo *Lib. VII. cap.* XLVII. Conſule citatum commentarium noſtrum in præfatam Decretalem, ne ego actum agam.

VII. Uſuræ multiplex acceptio, ut iam indicavi *loc. cit.* Ipſius terræ proventus uſuram appellat M. Tullius de ſenect. num. 15. *Terra . . . numquam recuſat imperium, nec umquam ſine uſura reddit quod accipit; ſed alias minore, plerumque maiore cum fenore*. Heinc uſura pro fenore uſurpatur. Fenus vero a fetu dicitur: idcirco a Græcis uſura vocatur τόκος, ideſt partus. Non pauci diverſo in ſenſu uſuram, & ſenus accipiunt; ſed in præſentia pro eodem uſurpatur.

VIII. R. P. Franciſcus *Zech* in ſuo opuſculo *Rigor moderatus pag.* 27. ſcribit, me indignari iis qui multa ad vocem uſuræ explicandam infarciunt, additque: *Scriptores qui diverſa vocum ſignificata vel ſcire, vel explicare nolunt, ſuſpectos ſe reddunt. In his partibus ſine fuco ſcribimus, calumniari non intendimus*. Quod Reverentia Sua calumniari non intendat, pro certo habeo. Sed, miſſa animi intentione, ſi rem ipſam intueor, id quod verum non eſt, mihi baſilice imponit. Ego in *Comment. cit. pag.* 29. & 30. Calvinum, Broederſen, alioſque eiuſdem furſuris redarguo, quod uſuram *compenſatoriam* cum *lucratoria* confundant, quodque ut uſuram moderatam a crimine purgent, ex Dictionariis Italis, Latinis, Græcis, & Hebraicis verba aucupentur, agglomerent, infarciant, ad uſuræ vocem non explicandam, ſed *implicandam, cavillandamque*. Subdit ibidem *pag.* 28. Profeſſor primarius Ingolſtadienſis, uſuram ſecundum varias ſignificationes non prodere vitii nomen. Nam lucrum ex mutuo, ratione damni emergentis perceptum, uſura quidem dicitur; non tamen uſuræ peccatum eſt. Deinde adiicit: *Verba hæc fere ſunt Dominici Soto, ſub cuius clypeo tutus ſum, cum eum Beneficium Ordinis a telis Concinianis immunem præſtet*. Si Reverentia Veſtra, iuxta ac ego, *Ordinis Beneficio* pro aſſerenda ſana morum doctrina, & re-

ſel

Digitized by Google

fellenda Ethice laxiore nuntium remiſiſſet, oh quam felix, fauſtuſque dies coruſcaret morum cultoribus! An *telis Concinianis* feriendus Soto eſt, quod veritatem lippis & tonſoribus notam doceat? Tibi, & mihi gratulor, R. P. Zech, quod, ſalvo caritatis ſedere, his diverticulis quandoque amice ludamus, quodque tu in luſtrandis operibus meis, ut quidquam velicandum offenderes, apros in mari, ut Plautino dicto utar, venatus fueris. Hæc levandi animi cauſſa. Ad id quod inſtat.

IX. Theologi uſuram tribuunt primo in *propriam*, & *impropriam*. *Propria* eſt quæ immediate ex mutui contractu percipitur, cum aliquid ultra ſortem, tamquam debitum, exigitur. *Impropria*, ſeu palliata in aliis contractibus includitur; ut in venditione, & emptione, quando ob anticipatam, aut protractam ſolutionem minuitur, aut augetur pretium. Quando in venditione ultra iuſtos limites pretium augetur, iniuſtitiæ, non uſuræ, peccatum perpetratur. Uſura palliata, vera, & propria uſura eſt; quemadmodum homo aliena veſte, aut larva occultatus, verus homo eſt, non ſecus ac alter qui nudo vultu apparet.

X. Uſuram propriam rurſus dividunt in *realem*, & *mentalem*. Realis accipi poteſt vel pro ipſo contractu mutui uſurario, vel pro lucro uſurario quod ex mutuo ſive expreſſo, ſive implicito exigitur. *Mentalis* eſt voluntas qua intenditur vi mutui aliquid ultra ſortem, tamquam debitum, licet id pacto aliquo non exprimatur. Dividi etiam ſolet uſura in *lucratoriam*, *compenſatoriam*, & *punitoriam*. *Lucratoria* eſt lucrum illud quod vi ſolius mutui ultra ſortem percipitur. *Compenſatoria*, quæ ad damnum quod patitur creditor, compenſandum præter ſortem exigitur. *Punitoria* eſt lucrum quod ſolvendum imponitur mutuatario moroſo, qui nempe ultra tempus conſtitutum reddere ſortem negligit. Sola uſura lucratoria eſt uſura proprie dicta, & vitioſa: & communiter hæc ſola uſuræ nomine intelligitur. Tamen leges tum civiles, tum canonicæ etiam lucrum perceptum, non vi mutui, ſed ex aliis titulis, vocare uſuram ſolent in latiore ſignificatione: &, ut confuſio tollatur, adiici ſolent termini reſtringentes, vel ampliantes: qua ratione dicitur etiam uſura moderata, & immoderata.

XI. Ulterius dividunt uſuram in *conventionalem*, & *neceſſariam*. Illa ex pacto ſeu conventione debetur; hæc ex mora, videlicet ob dilationem ſolvendi pretium ex contractu emptionis & venditionis, aut etiam ob dilationem reddendi ſortem mutuatitiam. Sed hæc uſura *punitoria*, & *moratoria*, ut dixi ſupra, etiam appellatur. Alii uſuram dividunt etiam in *formalem*, ſeu expreſſam apertamque, ex mutuo exactam; & in *virtualem*, ſeu palliatam, quæ aliis contractibus occultatur. Dividitur etiam in uſuram *ſortis*, & in *uſuram uſuræ*. Sors eſt quod vulgo dicitur *capitale*. Lucrum quod percipitur ex ſorte tradita, vocatur uſura ſortis. Uſura uſuræ eſt, quando lucrum ex ſorte accepta non ſolvitur, ſed conſtituitur in capi-

tale,

Digitized by Google

tale, ſeu in ſortem, ut iterum uſuram pariat. Lucrum igitur ex lucro uſurario perceptum, vocatur uſura uſuræ; & ab Ulpiano dicitur *interuſurium*, quod eſt immaniſſimum ſcelus.

XII. Tandem apud Romanos ratione quantitatis dividebatur uſura in plures gradus. Maxima appellabatur *centeſima*, quam ut ſanguinolentam execrabantur: quia ſingulis menſibus ſolvebatur centeſima pars ſortis, ſeu unum in centum, quod integro anno conficiebat ſummam duodecim in centum. Et hæ uſuræ ſingulorum menſium Calendis ſolvendæ erant. Inferiores uſuræ erant *deunces*, quæ conflabant undecim de centeſima, ſeu in centum. *Dextantes* decem. *Dodrantes* novem. *Beſſales* octo. *Septunces* ſeptem. *Semiſſes* ſex. *Quincunces* quinque. *Trientes* quatuor. *Quadrantes* tres. *Sextantes* duo. *Unciæ*, ſeu unciariæ unum in centum. Aliqui nomine *unciariæ* intelligunt centeſimam. *As* quippe *uſurarius* conſtabat duodecim unciis. Ceterum uſuræ *unciariæ* communiter habentur pro minimis, cum ſingulis annis ob ſummam centum aureorum unicus aureus ſolveretur. Si plura cupis, conſule ICtos.

CAPUT III.

Omnis uſura, parva, & magna, & a quocumque accepta, ſive a paupere, ſive a divite, divino iure vetita eſt.

I. Perſpicua, & luculenta ſunt divinæ Scripturæ teſtimonia quæ omnem uſuram abſolute damnant. Exod. XXII. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes*. Item Deuteron. cap. XXIII. *Non fenerabis pecuniam fratri tuo, nec quamli be aliam rem*. Rurſus Levitici cap. XXV. *Pecuniam tuam non dabis ei ad uſuram, & frugum ſuperabundantiam non exiges*.

II. Adeo comperta hæc ſunt, ut vel ipſi hæretici uſurarum patroni fateri cogantur uſuram vetitam eſſe, ſed a paupere, ſecus a divite perceptam; cum in recitatis textibus pauperis, non item divitis, mentio fiat. Quam cavillationem explodit vel ipſe Grotius in *cap*. XXII. Exodi. *Vox* pauperis *hic non reſtringit, ſed exempli cauſa poſita eſt: quia plerumque accidit ut illi magis egeant opis alienæ*. Frequentiſſime divina Scriptura, dum vitia prohibet, perſonarum meminit in quas eadem perpetrari ſolent. Exodi cap. XI. *Advenam non contriſtabis, neque affliges*. Deuteronomii cap. XXIV. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, ſive advenæ*. Proverbiorum cap. XXXIII. *Non attingas parvulorum terminos, & agrum*,

Digitized by Google

agrum pupillorum ne introeas. Ieremiæ cap. VII. *Advenæ, pupillo, & viduæ nolite calumniari.* Numquid heinc argumentari licet, recenſita crimina prohiberi tantum reſpectu pupillorum, viduarum, & advenarum, quarum mentio fit? Quia frequentius in has perſonas eiuſmodi peccata exercentur, idcirco illarum fit mentio; minime vero quod leges ad illas ſolas reſtringantur.

III. Verum ut hæreticorum ora penitus obſtruantur, divina teſtimonia quæ abſolute omnem uſuram, nulla pauperum aut egentium mentione facta, vetant, in medium adducam. Propheta Regius *Pſal.* XIV. illum in Dei tabernaculum ingreſſurum ait, *qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.* Luculentius Propheta Ezechiel vitia recenſet a quibus cavere vir iuſtus debet, inter quæ uſuram abſolute numerat cap. XVIII. *Vir, ſi fuerit iuſtus, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, in montibus non comederit, & oculos non levaverit ad idola domus Iſrael; & uxorem proximi ſui non violaverit, & ad mulierem menſtruatam non acceſſerit; & hominem non contriſtaverit; pignus debitoris reddiderit, per vim nihil rapuerit; panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento; ad USURAM non commodaverit, & AMPLIUS non acceperit; ab iniquitate averterit manum ſuam, & iudicium verum fecerit inter virum & virum; in præceptis meis ambulaverit, & iudicia mea cuſtodierit, ut faciat veritatem.* Nulla hic pauperis vel egeni mentio. Abſolute uſura improbatur. Idque repetit ibidem deſcribens virum iniuſtum. *Quod ſi genuerit filium latronem effundentem ſanguinem, & fecerit unum de iſtis; & hæc quidem omnia non facientem, ſed in montibus comedentem, & uxorem proximi ſui polluentem; egenum, & pauperem contriſtantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola levantem oculos ſuos, abominationem facientem; ad USURAM dantem, & AMPLIUS accipientem: numquid vivet?.... Cum univerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur.* Iterum, tamquam grave delictum, uſuram abſolute acceptam deteſtatur ibi. *Quod ſi genuerit filium, qui videns omnia peccata patris ſui, quæ fecit, timuerit, & non fecerit ſimile eis; ſuper montes non comederit* &c.... *uſuram, & ſuperabundantiam non acceperit... vita vivet.* Hoc idem repetit *cap.* XXII. improperans civitati Hieruſalem: *Uſuram, & ſuperabundantiam accepiſti, & avare proximos tuos calumniabaris* &c. *Diſpergam te in nationes* &c.

IV. Chriſtus Dominus abſolute uſuras prohibet Luc. VI. *Si mutuum dederitis iis a quibus ſperatis accipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fenerantur, ut recipiant æqualia... verumtamen diligite inimicos veſtros, benefacite, mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces multa, & eritis filii Altiſſimi: quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos, & malos.* Duo in hoc textu continentur præcepta. Unum adfirmans, quod mutuum præſcribit: *Mutuum date.* Hoc mandatum, ut cetera adfirmantia, ſemper, ſed non pro ſemper obligat. Alterum negans,

Digitized by Google

gans, ſeu prohibens quamlibet uſuram: *Nihil inde ſperantes*. Dominicus Soto *Lib. VI. de iuſt. quæſt. 1. art. 1.* docet primo hunc textum illa non pollere efficacitate quæ vulgo creditur. R. P. Franciſcus *Zech* in ſuo *cit. Opuſc. §. 92.* bene vertit Soto, quod profeſſorem Ingolſtadienſem non egerit. Alioquin, ſubdit, quot exprobrationes agglomeraret P. Concina, *quod eiuſmodi Auctor unicum evangelicum textum contra uſuras eripiat*. Nodum in ſcirpo quærit *P. Zech*, occaſioneſque rixandi, & vitilitigandi pueriliter (ſit venia verbo) aucupatur. Fallitur, fallitque lectores, dum ſcribit unicum evangelicum textum contra uſuras Eccleſiæ eripuiſſe *Sotum*. Nam, ut adverti in Commentario meo *pag. 94.* & *95.* utique *P. Soto* a communi interpretatione citati textus primum recedit; ſed quaſi ſui pœnitens continuo ſubdit: *Præterea illa evangelica ſententia ſubminiſtrat vim argumento per locum a maiori, nempe quod ſi Chriſtus conſuluit ut neque gratuitum donum ſperemus ab hominibus, quod licite poſſunt rependere, a fortiori conſequitur neque expectandum eſſe pretium uſus, quod iuſtitia vetat*. Hæc ipſa verba in Commentario retuli. Et nihiloſecius *P. Zech* non modo ſcribere auſus eſt, Sotum eripere Eccleſiæ hunc evangelicum textum; verum etiam in hanc erumpit exclamationem: *O ſi eamdem manſuetudinem Fr. Daniel erga alios de Republica Chriſtiana optime meritos viros exhiberet, qualem oſtendit erga Dominicum Soto, longe aliam faciem, & Auctore Religioſo digniorem, præferrent libri Conciniani*. Referre hæc libuit, ut æqui æſtimatores rerum iudicent, quales ſint huius Auctoris & indoles, & arguendi ratio. Sotus non eripuit Eccleſiæ textum: ideo haud mihi licuit eidem errorem impingere, ut hoſtem fingerem quem ferirem. Adverſus aliquorum domeſticorum aberrationes integra volumina edidi. Hoc imitari exemplum vellem *P. Zechium*. Manſuetudo qua ille opiniones humano generi pernicioſas tegi vellet, falſa eſt. Num libri Conciniani faciem præferant Auctore Religioſo indignam, iudicet Reſpublica litteraria, ſalvo ſemper me inter & P. Zechium amicitiæ fœdere.

V. Ut a diverticulo in viam regrediar, Catholici omnes Chriſtum in Evangelio legem adverſus uſuram confirmaſſe, atque perfeciſſe adfirmant. Advertunt enim, recitata S. Evangeliſtæ Lucæ verba ad ſermonem quo Chriſtus Apoſtolos in monte allocutus eſt, pertinere. Hic ſermo partim *Luc. cap.* VI. partim *Matth. cap.* V. legitur. Porro Chriſtus Dominus in hoc ſermone hæc duo, tamquam capita prima, conſtituit. *Nolite putare quoniam veni ſolvere legem, aut Prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere*. Deinde ſubdit: *Niſi abundaverit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*. Legem Moſaicam uſuras prohibere fatentur vel ipſi adverſarii Molinæus, Salmaſius, ceterique gregales. Sed hanc legem Chriſtus confirmavit, perfecitque, ceremonialibus, & iudicialibus tantum ſublatis. Quæ Moyſes ad duritiem cordis illius populi

per-

Digitized by Google

permiſerat, ut libellum repudii; & quæ Phariſæi ex malitia invexerant, abrogavit: idque conceptis verbis expreſſit. Cetera divinæ legis capita recenſet, eaque confirmat, & ad maiorem perfectionem evehit; ut ſunt illa de inimicis diligendis, de aliena muliere non aſpicienda, de percuſſore non repercutiendo, & de uſura deteſtanda. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. Legem itaque contra uſuram non abſtulit, ſed perfecit. Perfecit, inquiunt nonnulli, quia illam ad conſilium reduxit. Egregia profecto perfectio, quæ præcepta abrogat, & conſilia libera ſubſtituit. Perfectio non deſtruit, ſed id quod perficit, ad meliorem ſtatum extollit. Abundaret ne pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, iuſtitia Chriſtianorum, ſi iſti exercere uſuras poſſent, ſecus illi? Apage inepta commenta.

VI. Opponunt parabolam evangelicam qua Chriſtus pigrum ſervum obiurgavit Luc. XIX. *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, ut ego veniens cum uſuris utique exegiſſem illam?* Ut perſpicuus parabolæ ſenſus habeatur, ſegnis ſervi adverſus dominum ſuum audienda criminatio eſt Matth. XXV. *Domine, ſcio quia homo durus es: metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti: & timens abii, & abſcondi talentum tuum in terra*. Quam ſtultam excuſationem indignanter dominus ferens, illius os obtruxit reſponſione, eiuſdem ſtultitia digna Luc. XIX. *De ore tuo te iudico, ſerve nequam. Sciebas quod ego homo auſterus ſum, tollens quod non poſui; & metens quod non ſeminavi. Et quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, ut ego veniens cum uſuris utique exegiſſem illam?* Duo hic crimina redarguuntur. Segnities ſervi abſcondentis pecuniam in terra; & auſteritas domini exigentis quod ei non debetur. Porro, ut ſervi ſegnitiem confunderet, repoſuit: Tu avarum, rapacem, crudelemque aſſeris dominum tuum? Quare ergo, ſi honeſta negotiatione uti noluiſti, ut lucrum iuſtum perciperes, non dediſti pecuniam illius nummulariis, ut ſaltem feneratitio lucro eiuſdem crudelem avaritiam delinires? Hac reſponſione non uſuram Chriſtus probavit, ſed ſervi calumniam patefecit, eiuſdemque dominum non avarum, & feneratorem, ſed liberalem declaravit. Siquidem dominus talentum pigro ſervo traditum, non ſibi reſtitui voluit, ſed alteri ſervo ſtrenuo, & diligenti negotiationis cultori conſignari iuſſit. *Tollite itaque talentum, & date ei qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur*. Hæc interpretatio litteralis eſt, & obvia. Aliam tradit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXVIII. *art.* 1. *ad* 1. inquiens: *Uſura ibi metaphorice accipitur pro ſuperexcreſcentia bonorum ſpiritualium, quam exigit Deus, volens ut in bonis acceptis ab eo ſemper proficiamus; quod eſt ad utilitatem noſtram, non eius*. Sive ergo litteram, ſive ſpiritum evangelicæ parabolæ ſpectes, nihil eſt quod uſuræ faveat.

VII. Obiiciunt ex veteri teſtamento Deuter. XXIII. *Non fenerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno*. Item cap. XXVIII.

Digitized by Google

Fenerabis gentibus multis ; & ipſe fenus a nullo accipies. Reſpondet S. Thomas *loc. cit. ad* 2. his verbis. *Iudæis prohibitum fuit accipere uſuram a fratribus ſuis ſcilicet Iudæis : per quod datur intelligi quod accipere uſuram a quocumque homine, eſt ſimpliciter malum... Quod autem ab extraneis uſuram acciperent, non fuit eis conceſſum quaſi licitum, ſed permiſſum ad maius malum vitandum... Quod autem in præmium promittitur*, Fenerabis gentibus multis &c. *fenus ibi large accipitur pro mutuo : ſicut & Eccleſiaſt*. XXIX. S. Ambroſius aliam præbet interpretationem Lib. de Tobia cap. VIII. *Quis erat tunc alienigena, niſi Amalec, niſi Amorrhæus, niſi hoſtis? Ab illo uſuram exige, cui merito nocere deſideras : cui iuſte inferuntur arma, huic iuſte indicuntur uſuræ : ab hoc uſuram exige, quem non ſit crimen occidere. Ergo ubi ius belli, ibi etiam ius uſuræ*. Uſura hæc vera non eſt. Qui enim exigit quod ſibi non ratione mutui, ſed alio iuſtitiæ titulo debetur, uſuram committere nequit. Mutuum alienigenis traditum, medium fuit accipiendi extraneorum divitias, quæ populo Iudaico debitæ erant ex imperio Dei, qui, ut ſupremus Dominus, divitias hoſtis populi adiudicavit populo ſibi dilecto. Si plura de hoc cupis, conſule *cit. Comment.* noſtrum.

CAPUT IV.

Traditione ſanctorum Patrum, Conciliorum, & omnium Theologorum eadem veritas confirmatur.

I. INfinitus eſſem, ſi omnia SS. Patrum teſtimonia tranſcribere adverſus uſuram vellem. Selectiora aliqua delibabo. Tertullianus *Lib. IV. cont. Marc. cap.* XVII. hæc ſcribit. *Hic nunc de fenore, cum interponit :* Et ſi feneraveritis a quibus ſperatis vos recepturos, quæ gratia eſt vobis? *Percurre ſequentia Ezechielis de eodem viro iuſto. Pecuniam, inquit, fenori ſuo non dedit, & quod abundaverit, non ſumet, fenoris ſcilicet redundantiam, quod eſt uſura. Prius igitur fuit ut fructus fenoris eradicaret, quo facilius aſſuefaceret hominem ipſi fenori ſic forte perdendo, cuius fructum didiciſſet amittere.*

II. Lactantius divin. Inſtitut. Lib. VI. cap. VIII. *Pecuniæ quam crediderit, non accipiet uſuram, ut & beneficium ſit incolume, quod ſuccurrat neceſſitati, & abſtineat ſe prorſus alieno. In hoc enim genere officii debet ſuo eſſe contentus, quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat. Plus autem accipere quam dederit, iniuſtum eſt. Quod qui facit, inſidiatur quodammodo, ut ex alterius neceſſitate prædetur.*

III. S. Gregorius Nyſſenus hom. IV. in Eccleſ. *Improbum feneratoris inventum*

qui

Digitized by Google

qui latrocinium, & parricidium nominaverit, non procul a vero aberraverit. Quid enim refert an clanculum perfoſſis muris, prædonis more, aliena habeas, & prætereuntis cæde, te eorum quæ habeat, dominum conſtituas: an fenoris neceſſitate acquiras quæ ad te non pertinent? O malum vocabulum! Fenus ſit nomen latrocinii.

IV. Sed luculentius noviſſimum errorem eorum qui negant pecuniæ ſterilitatem, convellit *orat. contr. fenerat.* his verbis. *Nullus conatur ea quæ ſunt præter naturam, & impoſſibilia. Nam præterquamquod nihil efficeret, aliis etiam riſui, & ludibrio eſſet. Solus Deus adeo eſt omnipotens ut ex rebus deſperatis & depoſitis elicere poſſit non parum emolumenti: quippe qui facit ea quæ præter omnem ſpem & expectationem eſſe ſolent: modo quidem imperans ut ex rupibus aqua profluat, rurſus xe cælo quaſi pluviam dimittens panem inſolitum & novum, iterumque dulcem efficiens amaram illam myrrham contactu ligni, præterea Eliſabethæ infecundun uterum fecundans, Annæque Samuelem, & Mariæ Virgini Primogenitum donans. Hæc ſolius omnipotentis dexteræ ſunt opera. TU vero ÆRIS, ET AURI, RERUM PARERE NON SOLITARUM, NE QUAERE FETUM, neque coge pauperem ea quæ divitum ſunt, præſtare.*

V. S. Baſilius, eiuſdem S. Gregorii Nyſſeni frater, fenus, & feneratores pro illa qua pollebat ſupra ceteros Patres eloquentia undique exagitat. Pecuniæ ſterilitatem & ipſe feneratoribus improperat *hom. in famem & ſitim* his verbis. *Dele graviſſimorum fenorum pactum, ut terra pariat conſueta, ac producat. Etenim dum æs, & aurum, & ea quæ ſterilia ſunt, gignunt præter naturam, terra tamen, quæ naturaliter parit, & fecunda eſt, ſterilis redditur, & ad incolas puniendos damnatur infecunditatis.*

VI. Doctrinam hanc confirmat Baſilius homil. in illud Luc. *Deſtruam* &c. ubi hæc habet. *Verti omnia in auri naturam exoptas, atque in id incumbis pro virili. Quid enim non moliris propter aurum? Frumentum fit tibi aurum: vinum in aurum concreſcit: lanæ tibi in aurum vertuntur, mercatura omnis, omnis ſolertia parit tibi aurum: ipſum aurum generat ſemetipſum per fenora.* Audiſtin' aurum generat ſemetipſum? Sed qua ratione? *Per fenora*, ideſt per iniquitatem.

VII. Tandem *homil. in Pſal.* XIV. ex inſtituto uſuras, & feneratorum prætextus omnes mirum in modum labefactat. Primum omnium uſuræ notionem perhibet. *Ezechiel id in maximis malis recenſet, ſi fenus, & quidpiam ultra ſortem accipiatur.* Poſt uſuram moderatam inſectatur. Hoc quippe pacto feneratores loquentes inducit. *Verum ille GRAVES uſuras mutuæ pecuniæ exigit; ſed nos profecto aliquid remittemus, & MINORI daturi ſumus fenore. Talia confingens, verbiſque eiuſmodi blanditus miſero, ac lenocinatus, ubi illum ſyngraphis obſtrinxit, atque præter urgentem inopiam, libertatem etiam viro abſtulit, abit.* Deinde uſuras a divitibus exactas convellit. *Argentum qui accipit, primum quidem ſplendidus ac hilaris*

Y ij *eſt,*

Digitized by Google

eſt, alieno flore oblectatus, mutatione vitæ inclareſcit. Lauta enim menſa eſt, veſtis pretioſior, famuli ſplendidiore habitu induti, adulatores, compotatores, fuci domorum innumeri. Sed cum ſenſim diffluunt pecuniæ, tempuſque progrediens ſecum fenus advebit, tum ei requiem non afferunt noctes, non dies hilaris eſt, non ſol iucundus, ſed eum vitæ tædet . . . Quæ in ædibus habes, perſcrutantur. Tua diligenter indagant COMMERCIA. Quamquam videmus non neceſſariorum indigos ad fenus confugere: neque enim ſunt qui eis credant: at fenore ſumunt pecuniam homines qui ſe in laxiores impenſas, & in luxum inutilem effundunt . . . . Atqui, inquis, multi etiam fenore facti ſunt divites. At vero plures arbitror ad laqueos pervenerunt. Tu vero ditatos quidem reſpicis, ſtrangulatos vero non numeras. En præcluſa omnia effugia, quibus Broederſiani, Salmaſiani, ceterique uſurarum fautores fucare uſuras ſtudent. Recenſet eloquentiſſimus Pater omnes uſuras exactas tum a pauperibus, tum a divitibus nobilibus, tum a mercatoribus, & omnes improbat. Lucra ex mutuo negotiatorio percepta, & damna ex mutuo dato ad conſumptionem expendit, & execratur.

VIII. S. Ambroſius *Lib. de Tobia cap.* VII. non ſecus ac S. Baſilius, uſuras omni ex latere inſectatur. *Nibil nequius feneratoribus, qui aliena damna ſua lucra arbitrantur, & diſpendio ſuo deputant quidquid ab illis poſſidetur. Aucupantur heredes novos, adoleſcentulos divites explorant, per ſuos adiungunt, ſe ſimulantes paternam, & avitam amicitiam, volunt domeſticas eorum cognoſcere neceſſitates. Si quam cauſam invenerint, accuſant verecundiam, pudorem arguunt, quod non ante de ſe ſperatum atque præſumptum. Sin vero nullos laqueos alicuius neceſſitudinis offenderint, intexunt tabulas, aiunt nobile prædium eſſe venale, amplam domum, accumulant proventus, annuos reditus exaggerant, hortantur, ut coemant. Negant ſe habere pecuniam: ingerunt ſuam, dicentes: Utere ut tua. De fructibus emptæ poſſeſſionis pretium multiplicabis, debitum reddes!* Broederſiani, ut fucum faciant lectoribus, effutiunt, S. Ambroſium mordentes uſuras improbare. Quam cavillationem retundit his verbis cap. XIV. *Et quia plerique refugientes, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia uſuras exigunt, ſed de mercibus eorum, tamquam uſuram, emolumenta percipiunt; ideo audiant, quid lex dicat.* Neque uſuram, *inquit*, eſcarum accipies, neque omnium rerum quæ feneraveris fratri tuo. *Fraus enim iſta, & circumſcriptio legis eſt, non cuſtodia. Et putas te pie facere, quia a negotiatore velut munus ſuſcipis? Inde ipſe fraudem facit in mercium pretio, unde tibi ſolvit in uſuram. Fraudis illius tu auctor, tu particeps: tibi proficit quidquid ille fraudaverit. Et eſca uſura eſt, & veſtis uſura eſt, & quodcumque ſorti accedit, uſura eſt. Quod velis ei nomen imponas, uſura eſt. Si licitum eſt, cur vocabulum refugis, cur velamen obtexis? Si illicitum eſt, cur incrementum requiris?* Hæc adeo peremptoria ſunt, ut omnia Broederſianorum commenta elidant.

IX.

IX. S. Ioannes Chryſoſtomus hom. xlı. in cap. xvııı. Geneſ. *Vide humanitatem Domini. In ſenſibilibus pecuniis prohibuit ne quis uſuram acciperet . Quare , & ob quam cauſam? Quia uterque magno damno afficitur. Nam debitor quidem inopia atteritur; creditor autem peccatorum ſibi accumulat multitudinem. Proinde ab initio olim Iudæis craſſioribus tale dedit præceptum, dicens :* Non fenerabis fratri tuo , & proximo tuo. *Qua igitur excuſatione digni erunt qui Iudæis ſunt inhumaniores , & poſt gratiam, & tantam a Domino benignitatem, inveniuntur iis qui ſub lege fuerunt, inferiores, immo peiores?*

X. Auctor operis imperfecti homil. xıı. in cap. v. Matth. *Iubet nos Chriſtus mutuam dare pecuniam, non tamen ſub uſuris : quia qui ſub uſuris mutuam dat, in prima quidem facie ſua videtur dare, revera autem non ſua dat, ſed alterius tollit. Nam videtur quidem neceſſitati ſuccurrere, revera tamen in maiorem mittit neceſſitatem. De uno vinculo ſolvit, & multis vinculis alligat, & hoc propter proprium lucrum. Similis enim eſt pecunia uſuraria aſpidis morſui. Sicut enim qui ab aſpide percutitur, quaſi delectatus vadit in ſomnum , & ſic per ſuavitatem ſoporis moritur ; ita & qui accipit ſub uſuris, pro tempore delectatur, quaſi qui beneficium accepit ; & ſic per ſuavitatem beneficii non ſentit quomodo captivus efficitur . Nam ſicut venenum aſpidis latenter per omnia membra diſcurrit, & corrumpit ; ſic uſura per omnes facultates eius diſcurrit, & convertit eas in debitum. Sicut enim fermentum modicum quod mittitur in multam farinam, totam conſperſionem corrumpit , & trahit illam , & facie totum fermentum; ſic cum uſura domum alicuius intraverit , totam ſubſtantiam eius ad ſe trahit, & convertit in debitum.*

XI. S. Hieronymus *Lib. VI. Comment. in cap.* xvııı. Ezechiel. *In Hebraico cunctarum ſpecierum uſura prohibetur : in Septuaginta tantum pecuniæ , iuxta quod & in* xıv. *Pſalmo ſcriptum eſt :* Qui pecuniam ſuam ad uſuram non dederit . . . . . *Sed vide profectum. In principio legis a fratribus tantum fenus tollitur. In Propheta ab omnibus uſura prohibetur, dicente Ezechiele :* Pecuniam ſuam non dedit ad uſuram . *Porro in Evangelio virtutis augmentum eſt præcipiente Domino :* Feneramini his a quibus non ſperatis accipere. *Sequitur in tertiodecimo loco* , Et amplius non acceperit. *Putant quidam, uſuram tantum eſſe in pecunia : quod prævidens Scriptura divina , omnis rei aufert ſuperabundantiam, ut plus non recipias quam dediſti. Solent in agris frumenti, millii, vini, olei, ceterarumque ſpecierum uſuræ exigi , ſive, ut appellat ſermo divinus, ſuperabundantiæ , v. g. ut hiemis tempore demus decem modios, & in meſſe recipiamus quindecim, hoc eſt amplius partem mediam : qui iuſtiſſimus ſe putaverit, quartam plus accipiet portionem : & ſolent argumentari ac dicere: Dedi unum modium, qui ſatus fecit decem modios : nonne iuſtum eſt ut unum modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem & ſemis de meo habeat?* Nolite errare, *inquit Apoſtolus*, Deus non irridetur. *Reſpondeat enim nobis*

breviter fenerator miſericors, utrum habenti dederit, an non habenti. Si habenti, utique dare non debuerat; ſed dedit quaſi non habenti. Ergo quare plus exigit, quaſi ab habente? Alii pro pecunia fenerata ſolent munuſcula accipere diverſi generis; & non intelligunt uſuram appellari, & ſuperabundantiam, quicquid illud eſt, ſi ab eo quod dederint, plus acceperint.

XII. S. Auguſtinus in Pſalm, xxxvi. ſerm. iii. *Nolo ſitis feneratores; & ideo nolo, quia Deus non vult, Nam ſi ego nolo, & Deus vult, agite. Si autem Deus non vult, etiamſi ego vellem, malo ſuo ageret qui ageret, Unde apparet hoc Deum nolle? Dictum eſt alio loco:* Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram. *Et quam deteſtabile ſit, quam odioſum, quam execrandum, puto quia & ipſi feneratores noverunt, . . Si feneraveris homini, ideſt mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus quam dediſti, expectes accipere; non pecuniam ſolam, ſed aliquid plus quam dediſti, ſive illud triticum ſit, ſive vinum, ſive oleum, ſive quodlibet aliud, ſi plus quam dediſti, expectes accipere, ſenerator es, & in hoc improbandus, non laudandus,* Lege eumdem in *Pſalm.* cxxviii.

XIII. Adeo luculenta ſunt hæc Patrum ſanctorum teſtimonia, ut vel ipſi, inter hæreticos uſurarum patronos, doctiores, Salmaſius, Barbeyracus, aliique fateri cogantur, Patres uſuras improbaſſe. Sed Patrum auctoritatem nihili faciendam eſſe blaterant. Nos vero Catholici, ea qua par eſt veneratione ſuſpicientes ſenſa illorum quos conſtituit Deus regere Eccleſiam ſuam, ſpreta hæreticorum veſania, uſuram omnem cum iiſdem Patribus execramur. Patribus enim accedunt Concilia, & Theologi omnes, qui dogma adverſus uſuram unanimi conſenſu propugnant. Iſtorum pauca perſtringam,

XIV. Canones qui appellantur Apoſtolici, uſuras damnant *can.* xliv. Item Concilium Eliberitanum *can.* xx. Nicænum *can,* xvii. Carthaginenſe I. *can.* xiii. Arelatenſe II. *can.* xiv. Turonenſe *can.* xiii. Trullanum, dictum Quini-ſextum, *can,* x. Lateranenſe generale II. ſub Innocentio II. *can.* xiii. Lateranenſe generale III, *can,* xxv. Turonenſe, cui præfuit Alexander III. *conſtit.* 2. Lateranenſe generale IV, ſub Innocentio III. *cap.* iv. Lugdunenſe generale II. *can.* xxvi. & xxvii. Viennenſe generale *Lib. V. tit. G. cap. unic.* Lateranenſe generale V. ſub Leone X.

XV. Summi Pontifices in hanc eamdem concedunt ſententiam. S. Leo, Gregorius Magnus, Leo IV. in propriis operibus uſuras damnant. Alexander III. in Concilio Lateranenſi III. *can.* xxv. & plura alia decreta edidit contra uſuras, quæ inſerta ſunt *Lib. V. Decretal.* Urbanus III. can. *Conſuluit.* Innocentius III. can. *Quam pernicioſa* extra de uſuris, & cap. *Poſt miſerabilem.* Gregorius IX. cap. *Naviganti.* Clemens IV, in *epiſt. ad Epiſcopum Atrebatenſem.* Gregorius X. cap. *Uſurarum,* & cap. *Quamquam* de uſuris. Bonifacius VIII. cap. *Uſurarum.* Martinus V. cap. *Re-*

Digitized by Google

Regimini. S. Pius V. conſtitut. *In eam quæ noſtro*. Sixtus V. conſtitut. *Deteſtabilis*. Alexander VII. & Innocentius XI. *in prop. damn.*

XVI. Theologi qui Scholaſtici nuncupantur, unanimi conſenſu, & omni ambiguitate ſublata, uſuras omnes damnant; & contrariæ opinioni hæreſeos notam communiter inurunt. Conſenſus unanimis Theologorum priorum temporum doctrinam luculenter patefacit, quia nemo unus alterum accuſavit, quod doctrinam novam contra uſuras invexerit. Siluiſſent ne omnes, ſi illorum unus quidquam in controverſia adeo gravi, & populo odioſa innovaſſet?

XVII. Quid quod vel ipſæ civiles leges, ab ipſis Ethnicis latæ, fenora, tamquam civili ſocietati, & commercio pernicioſa, inſectantur? Marcus Cato *Lib. de re ruſtica in proœm.* hæc ſcribit. *Maiores noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſuerunt, furem dupli condemnari, feneratorem quadrupli oportere. Quanto peiorem civem exiſtimarent feneratorem quam furem, hinc licet exiſtimare*. Cornelius Tacitus *Lib. V.* Annalium. *Sane vetus urbi fenebre malum, & ſeditionum ac diſcordiarum cauſa creberrima, eaque cohibebatur antiquis quoque, & minus corruptis moribus. Nam primo XII. Tabulis ſancitum eſt, ne quis unciario fenore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletum agitaretur: dein rogatione Tribunitia ad ſemiuncias reducta: poſtremo vetita uſura, multiſque Plebis-ſcitis obviam itum fraudibus, quæ toties repreſſæ miras per artes rurſum oriebantur*. Artes, colores, & fucos etiam ethnici Romani, non ſecus ac in præſens, allegabant, quibus fenora honeſtarent. *Genutius* Tribunus plebis legem rogavit qua fenora omnia ſuſtulit. Idem præſtitit & *Cæſar*. Sed, prævalente avaritia, cum evellere tantæ pravitatis radicem omnino non potuerint, dato tempore fenebrem peſtem latis legibus coercuerunt. Imperatores ipſi chriſtiani leges permittentes fenora ad peiora vitanda mala interdum tulerunt, ut advertit S. Auguſtinus *epiſt.* LIV. *ad Macedonium*, & S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXVIII. *art.* I. *ad* 3. Imperator *Baſilius* Macedo ſingulari conſtitutione e finibus imperii uſuram quamlibet eliminavit. Sed eius filius *Leo* Imperator dictus ſapiens, hominum malitia victus, iterum uſuras permittere coactus fuit. Innumera alia documenta prætereo ad prolixitatem vitandam.

Digitized by Google

CAPUT V.

Uſuræ iniuſtitia iure naturali demonſtratur.

I. AD iuris naturæ tribunal controverſiam hanc revocant uſurarum Patroni. Documenta quæ ex iure divino in medium attulimus, magnam præferre vim contra fenora, vel ipſi fateri coguntur, ne cæcutire in meridie videantur. At naturæ lumine hæc interpretanda ſubdunt, non clauſis mentis oculis ſuſcipienda: nec enim divinæ leges rationi adverſantur humanæ. Videndum itaque, inquiunt, primum omnium, quid ratio naturalis dictet circa uſuram, ut heinc erui germana ſacrorum textuum ſenſa poſſint. Porro adeo evidentes eſſe contendunt quidam ſæculi noſtri Ianſeniſtæ, quorum chorum ducit *Broederſen*, cum aliis, rationes a naturæ iure arceſſitas, quæ moderati fenoris honeſtatem evincunt, ut nulla elidi reſponſione queant. Quo poſito, inferunt iuxta iſtius naturæ iuris præſcriptum divina explicanda eſſe oracula. Hic ſedem figunt, ſibique victorias, & pæanas ſuaviſſime canunt.

II. Priuſquam uſuræ pravitatem cum naturali iure pugnare oſtendo, pauca præfari lubet. Ac primum, unde habent fenoris patroni, nihil omnino, niſi quæ iuris naturæ ſunt, Chriſtum in lege evangelica confirmaſſe? Indiſſolubile matrimonium, conſummatum inter fideles, Chriſtus voluit. Et tamen naturæ iure indiſſolubile ſemper non eſt; cum dirimi poſſit, quoties infidelium coniugum unus, altero repugnante, fidem Chriſti amplectitur. Polygamia evangelica lege vetita eſt; quamvis Theologi diſputent, licuerit ne illa antiquis Patribus naturæ lege, aut Dei diſpenſatione. Quidni & fenus interdici potuit, tametſi licitum naturæ iure eſſet? Verum, ut ad incitas iſtos feneratorum patronos redigam, tamquam certum conſtituo, Chriſtum Dominum nullum veteris legis morale præceptum confirmaſſe, quod non ſit naturæ iure præſcriptum, aut vetitum. Quid inde? Propterea ne ſolius naturæ ratione metienda ſunt mandata divina? Propterea ne in ſola ratione humana quærenda divina lex eſt? Sedebit ne humana ratio divini verbi iudex ſupremus? Quis hic non videt privatum illum ſpiritum, quo hæretici hodierni Dei revelationem humano iudicio ſubiiciunt? Quem hic non miſereſcit iſtorum cæcitatis, & audaciſſimæ temeritatis? Legis divinæ iudices fieri iſtos haudquaquam pudet? Recogitent paullulum miſeri homines S. Iacobi in eoſdem exprobrationem: *Si autem iudicas legem, non es factor legis, ſed iudex. Unus eſt legislator, & iudex*: cap. IV.

III. Verum non modo privatum Lutheranorum ſpiritum promovent uſurarum defenſores, dum divinam legem contra uſuras ſolius rationis humanæ examini ſub-

Digitized by Google

ſubdunt, ſed Pelagianiſmum quoque in ſcenam reducunt. Alterutrum enim aſſerant neceſſum eſt. Aut negent oportet dogma catholicum de peccato originali; aut fateantur neceſſe eſt, læſam humanam mentem, obſcuratum naturæ lumen, extenuatas eiuſdem vires. Porro ſi obvoluta ignorantiæ caligine humana ratio eſt, indiget profecto cæleſti lumine, quo cognoſcere vel ipſius naturalis iuris præcepta evidenter poſſit. Quid quod, ſi integræ etiam ſtarent naturæ vires, adhuc divinæ revelationi ſubiicienda humana ratio eſſet? Inferiora enim, ipſo naturæ iure, parere ſuperioribus, non e contrario, debent. Et uſurarum fautores eo extollunt humanam mentem, primi peccati vulneribus ſauciatam, & undique tenebris circumfuſam, ut hæc vel ipſa divina oracula metiri, ſuoque ſubdere examini audeat? Dum talia obtrudere illos non pudet, ipſi ſane patefaciunt quam acuta ſit illorum mentis acies, & quam robuſta naturæ vis. Iſtorum hallucinationem iam pridem exploſit S. Thomas I. P. quæſt. 1. art. 1. *Ad ea etiam quæ de Deo ratione humana inveſtigari poſſunt, neceſſarium fuit hominem inſtrui revelatione divina: quia veritas de Deo per rationem inveſtigata, a paucis, & per longum tempus, & cum admixtione multorum errorum homini proveniret.* Quæ hactenus de ſola uſuræ honeſtate, & pravitate innumera, & in utramque partem pugnantia commenta homines excogitarunt, luculentius patefaciunt humanæ mentis imbecillitatem in illius aſſequenda natura. Si naturale lumen ita evidenter oſtendit moderatæ uſuræ honeſtatem, ut iuxta eiuſdem dictata interpretandæ ſint Scripturæ divinæ; cur homines de uſura diſputantes, eodem perfuſi lumine, tam acriter mutuo belligerant? Neque eo hæc pertinent, ut rationis naturalis uſum reiiciam, ſed ut evincam, humanam rationem divinæ auctoritati, non e contra auctoritatem rationi ſubiiciendam eſſe. Ceterum, ne rationis naturalis tribunal, ad quod appellant adverſarii, reformidare videamur, ad hoc ipſum tribunal perorandam cauſſam noſtram revocamus.

IV. Et ut in ipſo diſputationis limine pudore adverſarii tangantur, audiant ipſum Ariſtotelem, contra fenebrem artem ſolius naturæ ratione diſputantem *Lib. I. de Repub. cap.* x. ubi hæc ſcribit. *Illa autem* (ars) *quæ in permutatione nummi conſiſtit, merito vituperetur: non enim naturæ conſentanea eſt, ſed in ea alter ab altero lucrum aucupatur. Optima ratione omnibus in odio eſt ratio feneratrix, quod ab ipſo nummo quæſtus fiat, & non ad quam rem paratus eſt, uſurpent: permutationis enim cauſa natus eſt. Fenus autem eum auget, & multiplicat: unde etiam nomen hoc invenit. Similia enim ſunt ea quæ pariuntur iis quæ gignunt, & procreant. In fenore autem pecunia pecuniæ partus, & fetus eſt. Quapropter maxime omnium quærendæ pecuniæ rationum abhorret hæc a natura.*

V. Seneca *Lib. de Benef. cap.* x. hæc ſcribit. *Quid fenus, & kalendarium, & uſu-*

uſura, niſi humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina? .... Quid ſunt iſtæ tabulæ, quid computationes, & venale tempus, & ſanguinolentæ centeſimæ? Voluntaria mala ex conſtitutione noſtra pendentia, in quibus nihil eſt quod ſubiici oculis, quod teneri manu poſſit, inanis avaritiæ ſomnia.

VI. S. Thomas, cui in iuris naturalis principiis, & eorumdem conſectariis exponendis parem vidi neminem, quin in cuius conſpectu iuniores uſurarum patroni, qui ad iuris naturæ forum hanc cauſſam tractandam buccinant, noctuæ coram ſole mihi videntur, rationem a iure naturæ arceſſitam contra uſuræ iniuſtitiam promit ineluctabilem, 2. 2. quæſt. lxxviii. artic. 1. *Dicendum, quod accipere uſuram pro pecunia mutuata eſt ſecundum ſe iniuſtum: quia venditur id quod non eſt: per quod manifeſte inæqualitas conſtituitur, quæ iuſtitiæ contrariatur.*

Ad cuius evidentiam ſciendum eſt, quod quædam res ſunt quarum uſus eſt ipſarum rerum conſumptio; ſicut vinum conſumimus, eo utendo ad potum, & triticum conſumimus, eo utendo ad cibum. Unde in talibus non debet ſeorſum computari uſus rei a re ipſa; ſed cuicumque conceditur uſus, ex hoc ipſo conceditur res. Et propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo ſeorſum vellet vendere vinum, & vellet ſeorſum vendere uſum vini, venderet eamdem res bis, vel venderet id quod non eſt. Unde manifeſte per iniuſtitiam peccaret. Et ſimili ratione iniuſtitiam committit qui mutuat vinum, aut triticum, petens ſibi dari duas recompenſationes: unam quidem reſtitutionem æqualis rei; aliam vero pretium uſus, quod uſura dicitur.

Quædam vero ſunt quorum uſus non eſt ipſa rei conſumptio; ſicut uſus domus eſt inhabitatio, non diſſipatio. Et ideo in talibus ſeorſum poteſt utrumque concedi; puta cum aliquis tradit alteri dominium domus, reſervato ſibi uſu ad aliquod tempus; vel e converſo, cum quis concedit alicui uſum domus, reſervato ſibi eius dominio. Et propter hoc licite poteſt homo accipere pretium pro uſu domus, & præter hoc petere domum accommodatam; ſicut patet in conductione, & locatione domus.

Pecunia autem, ſecundum Philoſophum in V. Ethic. .... & in I. Polit. .... principaliter eſt inventa ad commutationes faciendas: & ita proprius, & principalis pecuniæ uſus eſt ipſius conſumptio, ſive diſtractio, ſecundum quod in commutationes expenditur. Et propter hoc ſecundum ſe eſt illicitum pro uſu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur uſura. Et ſicut alia iniuſte acquiſita tenetur homo reſtituere, ita pecuniam quam per uſuram accepit.

VII. Hæc ſola ratio evidenter concludit fenoris iniuſtitiam naturalem, & omnia quæ opponi ſophiſmata ſolent, ſcipſis in fumum recidunt. In quolibet quippe contractu, ſi quidpiam exigatur ultra iuſtum pretium, iuſtitia læditur. Por-

Digitized by Google

Porro dum in mutuo quidpiam præter ſortem exigis, iuſtum pretium excedis. Ergo iuſtitia læſa manet. Sermo eſt de mutuo, præciſis omnibus aliis titulis, damni emergentis, periculi &c. de quibus omnibus infra ſermo erit. Ut vero hanc S. Thomæ rationem pleno in lumine collocem, ea quæ obiici ab adverſariis ſolent, ipſius S. Thomæ verbis diluere iuvat. Nihil enim hactenus excogitarunt Calvinus, Molinæus, Salmaſius, Broederſen, ceterique uſurarum patroni quod penitus non labefactaverit Doctor Angelicus, ut evidenter demonſtravi in opere inſcripto, *Eſpoſizione del Dogma che la Chieſa Romana &c. Lib. II. cap. v.* Quæ ibi fuſo ſermone expoſui, paucis hic perſtringam.

VIII. Opponunt 1. Uſus pecuniæ pretio æſtimabilis eſt: ergo moderati lucri exactio pro pecuniæ uſu iuſtitiam non lædit. An non licet pro uſu domi, equi, agri pretium exigere? Quidni & pro pecuniæ uſu? Hoc ſophiſma, quod iam ſupra in exſcripta doctrina diluit Angelicus, iterum ſibi obiicit in *diſput. quæſt.* XIII. *de mal. art.* 4. *num.* 4. his verbis. *Sicut homo habet dominium ſuæ domus, aut equi; ita etiam habet dominium ſuæ pecuniæ. Sed homo poteſt locare domum ſuam, aut equum pro pretio. Ergo pari ratione poteſt homo accipere pretium pro pecunia quam mutuat,*

IX. Reſpondet. *Ad quartum dicendum, quod quidam dicunt, quod domus, & equus deteriorantur per uſum; & ideo pro recompenſatione poteſt aliquid accipi: pecunia autem non deterioratur. Sed iſta ratio nulla eſt. Quia ſecundum hoc aliquis non poſſet iuſte accipere maius pretium pro domo ſua locata, quam domus inde deterioretur. Eſt ergo dicendum, quod venditur ipſe uſus domus licite, non autem pecuniæ propter rationem ſupra dictam:* nempe in corpore iſtius articuli, ubi hæc habet. *Quædam vero res ſunt quarum uſus non eſt conſumptio ſubſtantiæ ipſarum; ſicut uſus domus eſt inhabitatio. Non eſt autem de ratione inhabitationis quod domus diruatur . . . Et idem dicendum eſt de equo, & veſte, & de aliis huiuſmodi. Quia ergo huiuſmodi res non conſumuntur per uſum, per ſe loquendo; ideo ſeorſum poteſt concedi, aut vendi aut res ipſa, aut uſus, aut utrumque . . . Sed in illis rebus quarum uſus eſt conſumptio, non eſt aliud uſus rei quam ipſa res. Unde cuicumque conceditur uſus talium rerum, conceditur etiam & ipſarum rerum dominium, & e converſo. Cum ergo aliquis pecuniam mutuat ſub hoc pacto quod reſtituatur ſibi pecunia integra; & ulterius pro uſu pecuniæ vult certum pretium habere; manifeſtum eſt quod vendit ſeorſum uſum pecuniæ, & ipſam pecuniæ ſubſtantiam. Uſus autem pecuniæ, ut dictum eſt, non eſt aliud quam eius ſubſtantia. Unde vel vendit id quod non eſt, vel vendit idem bis, ipſam ſcilicet pecuniam, cuius uſus eſt conſumptio eius: & hoc eſt manifeſte contra rationem iuſtitiæ naturalis. Unde mutuare pecuniam pro uſura eſt ſecundum ſe peccatum mortale.* Hæc S. Thomæ doctrina omnium Ictorum aſſenſu probatur,

Digitized by Google

tur, eſtque natura ſua inconcuſſa. Cedo. Si locari pecunia, quemadmodum domus, equus, ager poteſt; cur, ſicut hæc omnia iuſte locantur pauperibus, locari iſtis poſſe pecuniam adverſarii negant?

X. Opponunt 2. Uſura moderata, a divitibus percepta, commodum & utilitatem affert tam mutuatori, quam mutuatario. Ergo licita. Hoc argumentum, quod eſt adverſariorum propugnaculum, ſibi opponit S. Thomas 2. 2. quæſt. LXXVIII. artic. 2. num. 2. *Unuſquiſque tenetur ex quodam debito honeſtatis aliquid recompenſare ei qui ſibi gratiam facit . . . Sed ille qui alicui in neceſſitate conſtituto pecuniam mutuat, gratiam facit: unde & gratiarum actio ei debetur. Ergo ille qui recipit, tenetur naturali debito aliquid recompenſare. Sed non videtur eſſe illicitum obligare ſe ad aliquid ad quod quis ex naturali iure tenetur. Ergo non videtur eſſe illicitum, ſi aliquis pecuniam alteri mutuans in obligationem deducat aliquam recompenſationem.* Efficacius ne urgeri argumentatio hæc poterat? Hoc idem argumentum ſibi obiicit in *III. diſt.* XXXVII. *artic.* 6. *num.* 2. Item in *diſp. quæſt.* XIII. *de mal. artic.* 4. *num.* 5. Verba tranſcribere omitto brevitatis cauſſa.

XI. Reſpondet. *Ad ſecundum dicendum, quod recompenſatio alicuius beneficii dupliciter fieri poteſt. Uno quidem modo ex debito iuſtitiæ, ad quod aliquis ex certo pacto obligari poteſt: & hoc debitum attenditur ſecundum quantitatem beneficii quod quis accepit. Et ideo ille qui accepit mutuum pecuniæ, vel cuiuſcumque ſimilis rei cuius uſus eſt ipſa conſumptio, non tenetur ad plus recompenſandum quam mutuo acceperit. Unde contra iuſtitiam eſt, ſi ad plus reddendum obligetur. Alio modo tenetur aliquis ad recompenſandum beneficium ex debito amicitiæ, in quo magis conſideratur affectus, ex quo aliquis beneficium contulit, quam etiam quantitas eius quod fecit: & tali debito non competit civilis obligatio, per quam inducatur quædam neceſſitas, ut non ſpontanea recompenſatio fiat.* Legantur reſponſa quæ exhibet *loc. cit.* tum in *Sent.* tum in *Diſput.* Inde enim quiſque colliget, nihil ab adverſariis nunc obtrudi quod in antecellum labefactatum non fuerit a Doctore Angelico.

XII. Opponunt 3. Alienatio pecuniæ eſt officium pretio æſtimabile. Qui autem pecuniam mutuam dat, eamdem alienat. Ergo ex pecunia mutuatitia pretium exigi poteſt. Hanc quoque difficultatem ſibi obiicit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXVIII. *art.* 2. *num.* 5. his verbis. *Magis a ſe pecuniam alienat qui eam mutuando dominium transfert, quam qui eam mercatori, vel artifici committit. Sed licet lucrum accipere de pecunia commiſſa mercatori, vel artifici. Ergo licet etiam accipere de pecunia mutuata.*

XIII. Reſponſio quam exhibet, non modo errorem confutat qui pugnat cum dogmate adverſus uſuras, verum etiam alias laxas opiniones convellit. Inquit er-

Digitized by Google

ergo: *Ad quintum dicendum, quod ille qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum cui mutuat. Unde ille cui pecunia mutuatur, ſub ſuo periculo tenet eam, & tenetur eam reſtituere integre: unde non debet amplius exigere ille qui mutuavit. Sed ille qui committit pecuniam ſuam mercatori, vel artifici per modum ſocietatis cuiuſdam, non transfert dominium pecuniæ ſuæ in illum, ſed remanet eius, ita quod cum periculo ipſius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur. Et ideo ſic licite poteſt partem lucri inde provenientis expetere, tamquam de re ſua.* Duo hic ſummopere perpendenda, quæ fructiferam efficiunt pecuniam, nempe vel induſtria, vel pericula: quia natura ſua ſterilis eſt.

XIV. Opponunt 4. Tametſi pecunia natura ſua ſterilis ſit, æquivalet tamen rei frugiferæ. Nam pecunia emuntur prædia, domus, & alia, quæ fructum pariunt. Nec campus parturit pecuniam, ſeu aurum, argentumque; ſed quia parit fructus, ex quorum venditione pecunia colligitur, frugifer dicitur. Similiter licet pecunia non pariat pecuniam, quia tamen pecunia comparantur res frugiferæ, dicenda & illa ſecunda, non ſecus ac campi, domus, & equi &c.

XV. Nugæ hæ ſunt, & logi. Tangi pudore adverſarii deberent, tam inepta opponentes. Mutuatarius accepta pecunia merces, campos, & quidquid illi libuerit, emere valet. Cur? Quia eſt pecuniæ dominus: quia, inquit Angelicus, pecuniæ dominium in eumdem translatum eſt. Cedo. Si prædium emptum pecunia mutuatitia evictum evadat, aut fluvio abſorbeatur, ſi domus igne comburatur, ſi equus, ſi ceteræ merces emptæ pereant; cui, quæſo, pereunt? Nonne mutuatario? Mutuatori vero integra ſors, nempe pecunia mutuo tradita, reſtituenda eſt. Ediſſerant nobis iſti, qui pluſquam thraſonica iactatione oſtentant iuris naturalis peritiam eo ipſo tempore quo ſe eiuſdem expertes pateſaciunt, ediſſerant, quodnam ius naturale præſcribat ut qui non ſentit damnum, experiri commodum debeat? Omnia mutuatario pereunt, & pecunia mutuatitia, & quidquid eadem pecunia emitur. Nullum iacturæ iſtius incommodum ſubire vult mutuator. Si vero, obſecundante fortuna, debitor lucretur, iſtius lucri partem ſibi vendicare mutuans audet? Quodnam ius naturæ, quænam æquitas hoc permittit?

XVI. Opponunt 5. Liciti ſunt cenſus reales. Ergo etiam cenſus mutuatitius. Quodnam enim inter utrumque contractum diſcrimen? Non profecto aliud, niſi quod maior in illo quam in hoc ſecuritas. Reſp. Non credebam ſophiſma iſtud ab aliquo Catholicorum obiectandum fore. Quandoquidem probat Eccleſia cenſus reales ad ſuarum conſtitutionum normam celebratos; damnat vero penſionem ex pecuniæ mutuatione perceptam. Si hi duo contractus non diſcrepant,

Digitized by Google

pant, alterutrum neceſſarium eſt. Aut errat Eccleſia, cenſus reales probando; aut errat, dum moderatas uſuras improbat. Eccleſia nec falli, nec fallere valet, ſive dum probat cenſus reales, ſive dum damnat moderata fenora. Ergo evidens eſt inter utrumque contractum diſcrimen vi argumentationis factæ. Ceterum alia ex parte diverſitas utriuſque contractus adeo manifeſta eſt, ut mirum ſit acutos adverſarios tam diſparatam paritatem obiicere potuiſſe. Cenſus quippe realis, ab Eccleſia probatus, eſt contractus venditionis, & emptionis alicuius determinati fundi frugiferi. Si fundus obnoxius penſioni ſolvendæ perit; ipſi creditori, ſeu emptori perit, quando abeſt venditoris culpa. Emit quippe talem fundum, cuius uſum locat venditori. Vi emptionis dominus evadit qui pecuniam ſolvit; & iure eidem fundus aut perit, aut parit fructus. Contra in contractu mutui, qui pecuniam credit, dominium amittit, illudque acquirit mutuatarius, cui reipſa perit, aut lucrum parit pecunia. Quis non videt, ſi cæcus prorſus non ſit, inter utrumque contractum diſcrepantiam? Vel ipſe *Ioannes Brentius*, Lutheranæ factionis ſecundum Lutherum facile Princeps, diris uſuram quamlibet etiam minimam devovit *homil.* LXI. *Tomo* vero *I. in cap.* XXIII. *Deuteronomii* aſſignat diſcrimen inter cenſum & mutuum. Illius verba dedi in opere inſcripto, *Uſura contractus trini* &c. *Append.* 2. *§.* 3. *num.* 3.

XVII. Opponunt 6. Quamquam in mutuo alienetur dominium in corpora nummorum, non tamen alienatur dominium quantitatis eorumdem: tantumdem quippe reſtituere debitor tenetur. Porro in hanc quantitatem dominium mutuator retinet. Idcirco locare pecuniam, quemadmodum domum valet: & lucri partem, quam debitor ex accepta pecunia indipiſcitur, iure exigere creditor poteſt.

XVIII. Reſp. Futilitas ſophiſmatis iam inter diſputandum detecta fuit. Quia autem adverſarii hoc, commentum dixerim, an delirium, repetere, & magnificare nullo ſibi pudori vertunt; placuit iterum, quam ſit vaniſſimum, patefacere. Et primum diſtinctio quantitatis a corpore quanto, ſi in metaphyſica abſtractione locum habere valet, in mercatura deridendam ſeſe exhibet. Quantitas ne, abſtracta per mentem a corpore quanto, eſt illa quæ locatur? Hoc ius quod creditor habet ad exigendum tantumdem illius quod dedit, eſt locationis, & conductionis materies? Felices creditores, ſi hæc doctrina Salmaſiana conſiſteret. Dum exigere ſua credita nequeunt, ius, ſeu actionem quam habent ad eadem exigenda, locare poterunt. Quis umquam talia ſomniavit deliria? Non iura ad res aſſequendas, ſed res ipſæ materia ſunt locationis, & conductionis. Si quid in mutuo locari poſſet, nummorum corpora, quæ ſola uſui deſerviunt, materia eſſent locationis. At corpora iſta alienantur etiam quantum ad dominium, teſte Salmaſio, & ceteris uſuræ patronis. Ergo nihil in mutuo locationi ſubiacet. Actio quippe, ſeu ius ad tantumdem repetendum vendi quidem poteſt, locari vero nequit: ne

nemoque, niſi demens & plane ſtultus, eiuſmodi ſteriles actiones locandas proponere valet.

XIX. Colliges heinc, quomodo duo quæ conſtituit S. Thomas', principia, quibus mutui naturam expendit, nempe rei mutuatitiæ conſumptio, & eiuſdem dominii translatio, in fumum amandent omnia quæ ab adverſariis opponi in favorem uſuræ ſolent. Ex quo enim vinum, frumentum, pecunia uſu conſumuntur, illa quidem phyſice, hæc civiliter, ſeu moraliter ſterilia prorſus ſunt creditori, ſolaque induſtria accipientis fecunda evadunt; ut iam dictum eſt. Confirmare lubet exemplo ſatis communi, ſed efficaci doctrinam hanc. Latro ingentem pecuniæ ſummam diviti rapit. Eadem aut prædium, aut merces emit ad negotiandum. Tam ex prædio, quam ex negotiatione fructus, & lucrum aſſequitur. Cuius ſunt fructus iſti, & lucra? Domini, cui ſublata pecunia eſt, an latronis? Omnes iuris interpretes, nullo excepto, docent, furem teneri ad pecuniæ raptæ reſtitutionem, & compenſationem, ſi quid damni paſſus creditor fuerit; ceterum fructus, & lucra omnia quæ latro pecuniæ negotiatione, ſeu induſtria ſua comparavit, eiuſdem latronis eſſe, uno ore fatentur omnes. Contra, ſi quis prædium, animalia, domum raperet, non modo res, ſed fructus omnes quos parere eiuſmodi fundi ſolent, reſtituendi eſſent. Quodnam rationis diſcrimen? Non ſane aliud, niſi quod pecunia natura ſua ſterilis omnino ſit, & fructus qui illa comparantur, ſoli induſtriæ illa utentis reſpondeant; ceteræ vero res natura ſua fecundæ ſunt, ideoque cum ſuis fructibus reſtituendæ. Porro ſi fur reddere domino non debet fructus quos ex pecunia rapta, ſuaque induſtria poſita collegerit; quanto minus ad id mutuatarius aſtringetur? In fure aliqua ratio apparere videtur vi cuius reſtituere fructus deberet. Nam pecuniæ raptæ dominium, non penes furem, ſed penes creditorem a quo ſublata pecunia eſt, manet. Res autem proprio domino fructificat. Contra in mutuo dominium penes mutuatarium, non penes mutuatorem reſidet. Et tamen omnibus fatentibus fur nullo modo tenetur reddere fructus quos pecunia rapta acquiſivit. Ergo multo minus eoſdem, ſive eorumdem partem reddere mutuatarius debet creditori ſuo.

XX. Obiiciunt 7. Uſura moderata utilis eſt Reipublicæ. Ea ſublata concidunt commercia, nundinæ, omnia turbantur. Pecunioſi homines gratis mutuari recuſant. Tot mercatores, tot artifices negotia ſua agere abſque pecunia mutuatitia nequeunt. Tolle moderatas uſuras, & negotia ſuſtuliſti.

XXI. Reſpondetur, uſurarum patronos vel ipſa prima tum iuris naturalis, ut palam feci, tum evangelicæ legis elementa in hac controverſia ignorare. Rempublicam comminiſcuntur Platonicam, ab evangelica lege abſtractam. Homines conſiderant ut iſtius idealis Reipublicæ civilia membra. Ubique buccinant commercia, mercaturam, divitias, ac ſi Chriſtus Dominus, non homines redempturus a dia-

a diaboli captivitate veniſſet, ſed ut celebres, diviteſque mercatores eos efficeret. Quid ergo? An chriſtiana religio humanam dirimit ſocietatem, civilia deſtruit commercia, mercaturam, & divitias amplificare interdicit? Nequaquam. Immo hæc omnia ad æquitatis leges revocat, eorumque uſum ſobrium, moderatumque homini infirmo, & divitiarum ſiti laboranti permittit. Expergiſcantur uſurarum patroni, & e tenebris tandem emergant. Hactenus palam feci uſuræ iniquitatem, ſpectato ſolo naturæ iure, & omni alia circumſtantia ſublata. Nunc vero aio, quod etiamſi uſura, omni præciſione facta, liceret, tamen in hoc lapſæ, corruptæque naturæ ſtatu exitioſa humanæ ſocietati, civilique commercio eſſet, atque adeo prohibenda foret. Ex peccato originali duo, inter cetera, vulnera graviſſima contraxit homo, concupiſcentiam carnis, & divitiarum. Tanto impetu in divitias, quibus omnes ſuas explet appetitiones, abripitur, ut nullum ſibi præſtituat modum. Finge uſuram commodam fuiſſe homini ſano, ſuarumque cupiditatum abſoluto moderatori. Propterea ne homini infirmo, vulnerato, & pecuniarum impotenter ſitibundo expediet? Salubris eſt viro ſano vini potus; at veneficus, & mortalis eſſe poteſt homini ægrotanti. Audiant iſti viri chriſtiani Chriſti IESU ſeveriſſimas declamationes in ſola deſideria diteſcendi, & theſaurizandi. *Væ vobis divitibus .... Agite nunc divites, plorate ululantes. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum*. Audiant Apoſtolum Paulum detonantem. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem*. Aures iterum arrigant intentas. *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas; quam quidam appetentes erraverunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge, ſectare vero iuſtitiam*. I. ad Timoth. VI.

XXII. Hæc Chriſti documenta, & innumera alia eiuſmodi, qua via conciliari poſſunt cum principiis, cum axiomatis quæ continenter effundunt politici fenoris prupugnatores? Quid ſi quæ de mercatura Patres docent, in medium afferrem? Licitam utique artem fatentur; ſed, hominum cupiditate ſpectata, tot ſcopulis obnoxiam, & vorticibus, ut qui evitare æternum naufragium velint, ſumma illam exercere vigilanria, & moderatione debeant, ſublatis videlicet uſuris, & immoderata theſaurizandi cupiditate coercita. Ad hæc prima chriſtianæ religionis principia uſurarum natura revocanda eſt, ut heinc colligatur quid hominibus, immaniſſima auri argentique ſiti æſtuantibus, expediat. Ediſſerant nobis iuris naturæ novi buccinatores. Comprehendunt ne ipſi humani generis infirmitatem, vulnera, plagas? Leges, ut iuſtæ ſint, viribus hominum, qui illas ſervare debent, conſentaneæ ſint oportet. Noſtri ergo politici homines, quid hominum infirmorum ferre humeri valeant, ignorant. Bonum commune, & univerſale Reipublicæ

cæ chriſtianæ penitus eoſdem latet. Ergo manifeſtam produnt audaciam, dum ſuis ratiociniis leges pro hominum regimine, pro commerciis, pro mercaturis moderandis ſtatuere non erubeſcunt. Quid, ſi homines Europæi leges civiles pro regendis populis Iaponenſibus, aut Sinenſibus ferrent? Quid? Homines, quos ſubditorum inclinationes, indoles, vireſque latent, iiſdem leges imponunt? Porro minus Reipublicæ chriſtianæ commune morale bonum callent, minuſque læſæ naturæ humanæ vires ad honeſtatis opera exercenda penetrant adverſarii noſtri, quam Europæi homines Iaponenſium, aut Sinenſium civiles conſuetudines. Non ergo quid civili, & imaginariæ hominum ſocietati, ſed quid Reipublicæ chriſtianæ Evangelio ſubiectæ conveniat, expendendum, prævidendumque eſt, antequam definiatur, ſit ne honeſta, an prava uſura. Quoniam etſi utilis & commoda hæc foret homini ſano; non inde inferri poteſt, homini infirmo, divitiarum æſtu flagranti, avaritiæ morbo laboranti, eamdem conſentaneam fore.

XXIII. Solus itaque Deus qui intimos hominum receſſus penetrat, qui propenſiones, deſideria, occultaſque infirmitates comprehendit, legem ferre poteſt huic infirmorum hominum ſocietati aptam & conſentaneam. Et quoniam hominum effrenatam pecuniarum cupiditatem agnovit, ideo fenora ſevere prohibuit. Ad hanc divinam legem revocanda ſunt ratiocinia humana, ſecus ad hæc inflectenda lex ipſa. Toto cælo ergo aberrant adverſarii noſtri, dum divinæ Scripturæ teſtimonio ad ſolius rationis naturalis trutinam inflectere audent. Errant, & quidem turpiſſime: tum quod humanæ rationis acies retuſa eſt, & denſiſſimis peccati originalis tenebris obſcurata: tum quod ignorant penitus quid humanæ ſocietati, eiuſdem peccati lue infectæ, expediat, quidve noceat. Numquid qui peſte hac uſquequaque languent, qui earumdem tenebrarum caligine circumfuſi ſunt, eruditi, & opportuni medici pro tanto curando morbo habendi ſunt? Conticeſcant ergo audaces homines, divinæque legi, perſpicue fenora improbanti, faſces ſubmittant.

XXIV. Sapienter iampridem Innocentius IV. *Rubric. de uſuris*, animadvertit. *Licet inveniri forte poſſet caſus ubi iure naturali, quod natura huiuſmodi indidit, non eſſet peccatum uſura, tamen propter mala, & pericula quæ ſequerentur, in omni caſu prohibita eſt.* Fuſus mihi habendus ſermo eſſet, ſi omnia mala quæ uſura, ſpectata humanæ naturæ infirmitate, parit, recenſere vellem. Paucis aliqua perſtringam magis obvia, & quæ vel ipſi adverſarii inficiari nequeunt. Negant ipſi a pauperibus exigendas uſuras eſſe, vel ab ipſis divitibus qui neceſſitate preſſi mutuum petunt. Id repugnare naturæ iuri adfirmant. Frequentiores autem ſunt eventus in quibus pauperes quam divites mutuis pecuniis egent. Quis vero diſcernet, utrum pauperes ſint qui petunt, an divites: num ad conſumptionem, vel ad amplificandas divitias, & mercaturam augendam mutuum poſtuletur? Mutua-

Digitized by Google

tores ab hoc onere ſeverius inquirendi in aliorum ſtatum, & conditionem ſe immunes reputabunt. Quin lucrandi cupiditas ab hac ſollicitudine facillime eoſdem liberat. Quid, inquient, ſcrupulos, & perplexitates mihi ingeris? Meum ne eſt perſcrutari familiarum arcana, & hominum negotia? Bona ego fide pecunias mutuas numero, quas commodo, & utilitati accipientium profuturas credo. Qui vero mutuum petunt, pandere ſtatum ſuum refugiunt; quin, ut proprii prolabentis ſtatus vulnera occultent, opulentiam ſimulant, dum neceſſitate premuntur. Quid dicam de æſtuanti illa ſiti qua ardent feneratores? Hi ne intra confinia moderati lucri ſe coercebunt? En in quot detruduntur laqueos miſeri homines, dum honeſta iiſdem fenerandi profeſſio aſſeritur, & ſuadetur.

XXV. Mala quæ in civilem Rempublicam uſuræ invehunt, Patres ipſi, potiſſimum Baſilius, & Ambroſius, uberrima eloquentiæ vi pateſaciunt. Narras mihi, inquit Baſilius, paucos uſuris ditatos; ſiles vero innumeros fenore necatos, atque ſtrangulatos. Oculos intendunt feneratores in tua prædia, ſubdit Ambroſius: conſpiciunt te luxui, conviviis, ludis, luxuriæ addictum. Quot illiciis, quot proxenetis, ac lænonibus ad mutuas pecunias accipiendas te pertrahunt, gnari quod paucis annis invadent & prædia, & domos, & patrimonium tuum univerſum? Quot opulentas familias ad paupertatem non redegerunt fenora, nobis videntibus? Communi veluti proverbio circumfertur, ad ruinam declinare ſive nobiles, ſive mercatores, qui fenebri pecunia ſua peragere negotia ſolent. Manifeſta itaque experientia patet, pernicioſa eſſe Reipublicæ civili fenora. Quam ſint chriſtianæ Reipublicæ exitioſa & funeſta, ſupra oſtenſum eſt.

XXVI. Verum, ut huic capiti finem imponam, & omne præcludam adverſariis effugium, ab eis percontor. Si lex evangelica in viridi eſſet; ſi Chriſtiani adamuſſim eamdem ſervarent: neceſſariæ ne uſuræ forent? Mutuum gratuitum & conſulit, & præcipit illa. Fidelitatem, ſinceritatem, & æquitatem in commerciis iubet. Si homines egentibus gratis mutuas pecunias darent; aut ſi illas ad negotiationem præberent, futuri lucri, vel iacturæ participes; ſi qui has pecunias accipiunt, reipſa grati mutuatoribus ſponte eſſent; ſi lucra ex negotiatione indepta fidelitate ſumma dividerent cum creditoribus; ſi nulla eſſent fraudis, iniuſtitiæ, & infidelitatis pericula; ſi exacte ſervaretur evangelica regula, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: in hypotheſi horum omnium egeret ne Reſpublica civilis fenore? Quid hiſcis? Abſit, inquis. Refugiunt ergo homines, experientia teſte, gratis mutuari, vel pecunias ſuas mercatorum fidelitati committere; cum ſciant fraudes, furta, iniuſtitias quoquoverſum inundare. Bene, & recte. Sed ex ore tuo te iudico, ſerve nequam. Admiſſa evangelicæ legis exacta obſervantia, nulla eſſet uſurarum neceſſitas. Ergo quia homines ſervare legem nolunt, ideo lex ad eorum nequitiam detorquenda eſt? Quia homines avari, fraudulenti,

ver-

Digitized by Google

verſuti, vafri, & iniqui ſunt; ideo honeſtanda fenora, & tamquam Reipublicæ neceſſaria aſſerenda? In hunc ſcopulum ſane pernicioſiſſimum impegerunt Caſuiſtarum plurimi. Quia difficultatem experti ſunt reformandi humanos mores ad legum amuſſim, leges divinas, humanaſque ad hominum mores detorquere, & inflectere benignitatis obtentu, operæ pretium exiſtimarunt. Hæc quoque ſunt acutiſſima ratiocinia quibus uſurarum patroni utuntur, ut fenora hominum ſocietati accommodent. Plurima alia uſuræ mala, ſcandala nempe quæ religioni chriſtianæ pariunt (nam vel ipſum Alcoranum fenora execratur) prætereo; cum ſuapte natura manifeſta ſint. Conferant acuti Broederſiani uſuras cum mutuo. Gratuitum mutuum & commodum, & neceſſarium eſt ſocietati; fenus pernicioſum.

XXVII. Tandem, ut paucis perſtringam quæ BENEDICTUS XIV. in ſua Paſtorali Encyclica definivit, referam interpretationem quam ipſe Doctiſſimus Pontifex exhibet in ſuo inſigni Opere *de Synodo* Lib. VII. cap. XLVII. pag. 456. num. 10. *Verum quoniam tot Doctorum auctoritate, & argumentis minime perterriti, prædictam exoticam rationem nonnulli iterum refricare non dubitarunt, propterea Nos ad Petri Cathedram evecti, ne catholicæ doctrinæ puritas, cuius depoſitum Nobis eſt a Chriſto concreditum, hac erroris labe fœdaretur, datis ad Italiæ Epiſcopos encyclicis litteris ſub die prima Novembris* 1745. *hæc inter cetera declaravimus. Primo, omne lucrum ex mutuo, ratione mutui, uſurarium, & illicitum eſſe: ſecundo, ad uſuræ labem purgandam nullum arceſſiri poſſe ſubſidium vel ex eo quod id lucrum non exceſſivum, & nimium, ſed moderatum; non magnum, ſed exiguum ſit: vel ex eo quod is a quo id lucrum, ſolius cauſa mutui, depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat; nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis negotiis, utiliſſime ſit impenſurus: tertio, quamquam una cum mutui contractu poſſint quandoque alii tituli, ut aiunt, forte concurrere, ipſi mutuo extrinſeci, e quibus iuſta oriatur cauſa aliquid ultra ſortem, ex mutuo debitam, exigendi; attamen falſo, & temere affirmari diximus, eiuſmodi titulos ſemper reperiri, ac ubique præſto eſſe, ita ut illorum ratione, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri cuicumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum, ultra ſortem integram, ſalvamque, recipere. Alia præterea ediximus, atque in contractibus ſervanda commendavimus* [*quæ in epiſcopales Synodos utiliter inſeri poterunt*] *ne uſuræ macula inficiantur; ſicuti videre eſt in præfatis noſtris litteris, impreſſis Tom. I. noſtrar. Conſtitut. conſtit.* 143. *quas nuperrime theologico commentario illuſtravit Daniel Concina Ord. Prædicat. Theologus.*

Digitized by Google

CAPUT VI.

Lutherani Scriptores moderni, uſuræ moderatæ defenſores, Lutheri, Buceri, Brentii, Melanchthonis, & Chemnitii auctoritate redarguuntur tamquam hæreticæ doctrinæ propugnatores. Quid de quibuſdam ſcitulis, qui Calviniſtarum lue in hac uſuræ controverſia tincti, pro uſuris pugnant?

I. LUtherani Scriptores vix libellum in lucem edunt vel de philoſophicis, aut algebraicis quæſtionibus, quin contra fas iuſque anſam carpendi Catholicos arripiant. Quare mihi vitio non vertatur parva digreſſio, ab iſtorum impudenti dicacitate extorta. Continenter blaterones crepant *Papiſtas*, & *Pontificios*. Quod dum præſtant, tam cæci ſunt, ut non videant, ſe apoſtatas, deſertores, & perduelles deteſtandos præbere. Extitit ne umquam vera Chriſti Eccleſia, quin *Pontificia* fuerit? Inficientur, ſi auſint. Eccleſia veſtra *Pontificia* non eſt. Apoſtatica ergo ſynagoga eſt; cum vera Chriſti Eccleſia ſemper fuerit *Pontificia*. Eccleſia noſtra Pontificia eſt: ergo hoc ex capite ſplendida prærogativa inſignita fulget. Hucuſque argumentatio ineluctabilis eſt. Num poſtea iſtius veræ Pontificiæ Eccleſiæ, Romanenſes, ut veſtra utar phraſi, dogma aliquod adulteraverint, quæſtio alia nos inter & vos eſt, alibi dirimenda. Interim certum eſt Eccleſiam veſtram *antipontificiam* ſatanæ eſſe conciliabulum. At hoc obiter, & ut palam fiat quam ſit craſſa vel in ipſis vocibus quibus nos mordere tentant, iſtorum inſcitia, ne dicam ſtultitia. Sed, ut maiori pudore ſuffundantur, ad id quod propoſui, accedo.

II. Iuſtus Boehmerus, Franciſcus Budæus, VVolfius, Heinecius, ceterique, qui inter Lutheranæ factionis nunc emicant, pro uſuris moderatis veluti pro aris & focis ſtilum acuunt. Nec pudori ſibi vertunt in hac graviſſima cauſa terga vertere *Beato ſuo Martino Luthero*, *ſemibeatis Martino Bucero*, *Philippo Melanchthoni*, *Ioanni Brentio*, *Martino Chemnitio* funeſtiſſimæ defectionis primipilis, ut in Calvini, Molinæi, Salmaſii, aliorumque Calviniſtarum ſinum ſe ſe recipiant. Clamabunt forſitan, me hæc ad conflandam invidiam fingere. Sed meum eſt, luce meridiana evidentius demonſtrare, præfatos omnes Lutheranæ ſectæ Auctores, & pſeudoapoſtolos uſuras omnes, ſive immoderatas, ſive moderatas, reiicere, & contrarium errorem, tamquam divino, naturalique iuti oppoſitum, damnare. Hoc eſt quod demonſtandum aſſumo.

III.

III. Initium capere a Martino Luthero deberem ; ſed de hoc infra , cum de Martino Chemnitio ſermo erit . In nefario ſchiſmate Martinus Bucerus Luthero inferior non fuit ; ſed quo erat illo doctior , atque eruditior , teſte Calvino , eo fuit ſceleſtior . Is primus omnium novatorum divinam adverſus uſuram legem circumvenire , cavillarique cœpit , dum in Univerſitate Cantabrigiæ cathedram moderabatur . In Opere de Contractu trino *Append.* 2. §. 2. fuſe ſententiam Buceri expoſui, & palam feci , non niſi in quadam verborum æquivocatione ab Eccleſiæ catholicæ, a qua deſcivit , receſſiſſe . Lucrum quippe ex pecunia in ſocietatem negotiationis alteri tradita, uſuram appellavit in Commentariis in *Pſal.* xiv. & *tract. de uſura*, ubi hæc inter plura alia ſcribit. *Moderationem enim iſtius uſuræ ſæpiſſime dixi metiendam eſſe primum ex Dei benignitate , apparente in obveniente lucro ſancte & æque comparato : tum ex utriuſque , & utentis pecunia aliena , & tradentis eam alii in uſum cum neceſſitate , tum commodo . Ita ut ſi Dominus uſui pecuniæ non benedixerit , inde is qui ea uſus ſit bona fide (ideſt , non ceſſarit in munere ſuo, nihilque in luxum profuderit , nihil temere impenderit) non ſolum nihil lucretur , verum etiam iacturam faciat, ut tunc ille qui pecuniam dedit utendam,* PARTICIPET HOC DAMNO , UTI PARTICIPAT LUCRO , *cum Dominus illud dederit . Ad eum modum , ſi Dominus large benedixerit pecuniæ exercitio , eo quoque dixi debere eum benigniorem gratiam fratri ſuo creditori , qui eius fuerit pecunia tam feliciter uſus ; ita ut omnia ex æquo & bono compenſentur inter credentem , & uſurpantem pecuniam ,* ET LUCRUM , ET DAMNUM , *eaque obtineat æquabilitas , quam Spiritus S. requirit II. Cor.* VIII. *ut utrimque unius abundantia alterius ſarciat inopiam : nec ſit uni remiſſio , alteri afflictio. Abundans pecunia , commoditate autem lucrandi eius uſu deſtitutus, credat pecuniam cui Dominus dedit facultatem pecuniam commode exercendi , pecuniam vero non dedit . Hic vero abundans lucro , ex aliena pecunia comparato , impertiat inde ei a quo pecuniam accepit utendam . . . . His adiunxi, Chriſtianos, quos Dominus vult civilibus legibus vivere, bona ſemper conſcientia uti poſſe contrahendi inter ſe rationibus , quas civiles cuiuſcumque civitatis leges comprobant :* SI QUIDEM LEGES ILLAE NON PUGNANT CUM VERBO DEI.

IV. Tametſi hæc Buceri doctrina nonniſi voce tenus diſcreparet a communi ſana doctrina ; nihilominus alii Univerſitatis Theologi , tamquam novi erroris repertorem , Bucerum continuo obiurgarunt , potiſſimum Magiſter IUNGUS; ut teſtatur Bucerus ipſe ibidem his verbis . *Hæc cum quanta potui cautione tractaſſem , ut nec impiorum avaritiæ viderer patrocinari , quam toto pectore execror ; nec etiam bonas innoxiorum hominum conſcientias perturbarem iniuſſu Dei . . . . M. IUNGUS in diſputatione quam habuit in ſuo Collegio , propoſuit inter cetera , accipere pecuniam pro pecuniæ uſu quovis modo eſſe uſuram prohibitam verbo*

Dei, & peccatum. Ad hanc diſputationem adfui &c. . . . Rogabam, num liceret nobis hominibus aliquam actionem condemnare peccati quæ nulli Dei verbo adverſetur? Dabat ille non licere. Adieci, illud genus uſuræ, quod ſupra deſcripſi, quod & comparatur pio ſanctoque quæſtui, abſque ullius fraude, & ita temperatur, ut non minus dantis quam accipientis detur commodo, nulli Dei verbo adverſari. Plura Scripturarum, & Patrum teſtimonia promit Bucerus in ſuæ opinionis patrocinium. Nec propterea plene quieſcebat Magiſter *IUNGUS*, ſubdit Bucerus ipſe: quia lucrum iſtud ſub uſuræ nomine invehebatur. *Poſt multa* (pergit Bucerus) *concedebat tamen* Iungus, *poſſe creditorem aliquid a debitore accipere gratiæ loco, ſed ſi id liberaliter daretur, & nullo intercedente pacto: non enim illud licere a quoquam ſtipulari. Contra id obiiciebam, me loqui de uſura quam dare ſit opus iuſtitiæ; iam licere Chriſtianum hominem a proximo ſuo ſtipulari omne officium virtutis. Addidi autem, eam ſtipulationem debere SEMPER in moderatione teneri caritatis, ut ſi is a quo ſit quis iuſtam alioquin & æquam uſuram ſtipulatus, DAMNUM accipiat ex uſu creditæ pecuniæ, tum creditor, UT SUPRA DICTUM EST, EODEM DAMNO PARTICIPET, & uſuræ ſtipulationem remittat. Identidem enim ingeminabam, me eam tantum probare uſuram quæ detur non minore commodo dantis quam accipientis: commodum enim, & utile, nemine Chriſtianorum ab honeſto & æquo ſeiungente. Sicque terminata fuit ea diſputatio, ut interdum videretur* Iungus *a me non multum diſſentire . . .*

In eo autem noſtro colloquio cuius memini, fateor me ab illo eſſe perquam graviter, & tamquam ex ſingulari auctoritate admonitum, atque etiam increpitum. Dicebat, viderem, quantum hac mea de uſura doctrina obiicerem hominibus offendiculum; me neſcire, quam perditum ſit hoc regnum uſuris, quamque in eo immanes uſuræ exerceantur. Fuiſſe in prælectione mea, cum de uſura tractarem, qui meam doctrinam arripuerint pro ſublevatione ſuæ conſcientiæ, etiam ad fenerationem admodum mordentem. Reſpondebam, mihi hoc, ut cuique alii, dolere ex animo, omnemque me uſuram quæ vel tantillum incommodetur proximo, immo qua non reipſa ei commodetur, damnare toto pectore. Propterea tamen quod mordentes atque noxiæ uſuræ apud multos vigeant, haudquaquam fas eſſe ut quod ſit verum caritatis, & iuſtitiæ officium, uſuram ſcilicet commodo dantis, & accipientis coæquatam, noxiæ damnem, & iniquitatis; ac ita contriſtem bonas conſcientias, quas Deus contriſtari non vult: impios etiam Dei legem ad ſuam detorquere perniciem, non tantum doctrinam meam.

Cum itaque Iungus *non poſſet illud uſuræ genus quod ego admitto, peccati convincere; hortabatur me, ut cum rurſus de hac re agerem, BENE EXPLICAREM eum qui pro uſu pecuniæ ſuæ partem lucri accipiat, quod Dei beneficio innoxium obveniat, COMMUNICET ETIAM DAMNO, ſi quod ille qui pecunia utitur, con-*

Digitized by Google

contraxerit. Reſpondi, me hoc PERLIBENTER facturum: nihil enim magis cupere quam, dum non poſſum ad pietatem hominibus prodeſſe, caveam ne cui obſim, & obiiciam aliquod ad pietatem offendiculum: ſed me SEMPER in omni huius rei tractatione inculcaſſe, & quam ſtudioſiſſime, NIHIL CUIQUE LICERE USURAE ACCIPERE A QUOQUAM, QUOD IS QUI DAT, NON VERO SUO COMMODO DARE POSSIT, ET DEBEAT: SIQUE DAMNUM HIC CAPIAT, TUM ET DAMNO EO PARTICIPARE DEBERE EUM QUI LUCRI PARTICEPS ERAT FUTURUS, SI ILLUD DOMINUS DEDISSET.

Quantum vero potui, egi tum demiſſe, & ceſſim cum IUNGO, *cupiens ita eum mihi, immo doctrinæ ſalutari devincire, & ad cetera quæ cum eo eram acturus, aliqua animi eius erga me benevolentia præparare. Iam autem video, eum iſtam meam demiſſionem, & comitatem ad neſcio quam contra me victoriam, vel factam mei correctionem rapere; quam ipſam tamen correctionem grato animo ab eo reciperem, ſi ulla in re eam ex Dei verbo præſtitiſſet, vel adhuc præſtare poſſet.*

V. *Bucerus* itaque lucrum quod is percipit qui utendam pecuniam credit, *fenus* licitum defendit, dummodo ſicuti lucri, ita damni & iacturæ particeps ſit; ſiatque æqua partitio creditorem inter & debitorem lucri, & damni quod pecunia negotiationi a ſocio debitore applicata parit. Quia vero *Bucerus* tale lucrum *fenus* vocabat, quod vocabulum iſtud adiaphorum reputaret; quamquam iuxta communem intelligentiam fenebre non ſit; ideo Magiſter *Iungus* cum ceteris Doctoribus Univerſitatis vocem contra *Bucerum* exaltavit. Nec ab oppugnatione deſtitit, donec *Bucerus* ſpopondit perſpicua oratione ſe inculcaturum auditoribus, ſe lucrum ex pecunia negotiationi tradita licitum defendere, hac ſemper adiecta conditione, ut is qui pecuniam ſocio confert, periculo, damno, & iacturæ ſubiaceat, ſi quidquam lucri capere velit. Reſpondit *Bucerus* ſe hanc ſolam *ſemper*, & non aliam propugnaſſe doctrinam his verbis. *Sed me SEMPER in omni huius rei tractatione inculcaſſe, & quam ſtudioſiſſime, nihil cuique licere uſuræ accipere a quoquam quod is qui dat, non vero ſuo commodo dare poſſit, & debeat: ſique damnum hic capiat, tum & damno eo participare debere eum qui lucri particeps erat futurus, ſi illud Dominus dediſſet.*

VI. Non me latet Lutheranos *Buceri*, tametſi *Lutheri* amici, & in conſtuprandis ſacris virginibus, uxoreque ducenda ſocii, dicta non ſuſcipere omnia: is quippe herbam Luthero porrigere recuſavit; ſed novus & ipſe aquilonaris evadere *Solon* ambivit. Et reipſa inter Germaniæ ſectarios eruditione & ingenio clarviſſe *Bucerum*, teſtatur Calvinus his verbis. *Martinus Bucerus . . . præter reconditam eruditionem, copioſamque multarum rerum ſcientiam, præter ingenii perſpicaciam, multam lectionem, aliaſque multas ac varias virtutes, quibus a nemine fere hodie vincitur, cum paucis eſt conferendus; plurimos antecellit: hanc ſibi pro-*

Digitized by Google

priam laudem habet, quod nullus hac memoria exactiore diligentia in Scripturæ interpretatione verſatus eſt. Utcumque res ſe habeat, fateri heinc Lutherani coguntur, Eccleſiæ Romanæ primos perduelles, & novi ſeptentrionalis Evangelii promulgatores uſuram omnem improbaſſe.

VII. Verum, ut Lutheranos preſſius adoriar, IOANNIS BRENTII auctoritatem illis oppono. Is *hom.* lxi. *in cap.* vi. *Luc.* hæc ſcribit. „ Uſura pecuniaria, „ & illegitima in lege graviſſime prohibita eſt. *In Exodo cap.* xxii. ſcribitur: „ *Si pecuniam MUTUAM dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes*: & in Deuteron. cap. xxiii. *Non* „ *feneraberis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam* „ *rem, ſed alieno. Fratri autem tuo id quo indiget, commodabis* &c. Nec mirum „ quod uſura pecuniaria prohibita ſit ſcripta lege, quando ſit contra ipſam rei „ nummariæ naturam. *Nummus enim non poteſt natura ſua gignere nummum*, „ ſicut granum iniectum agro. In uſura autem nummus gignit nummum. Quare uſura eſt præter naturam. Unde quia uſura nec cum natura, nec cum „ ſcripta lege convenit, dicitur in Pſalm. *Qui pecuniam non dedit ad uſuram*, „ *habitabit in tabernaculo tuo*: & apud Ezechielem: *Qui uſuram, & ſuperabundantiam non acceperit, non morietur, ſed vita vivet*. Ergo qui acceperit, is nec „ habitabit in tabernaculo Dei, nec vita vivet, ſed morietur. "

VIII. Nec reponere Lutherani valent, BRENTIUM loqui de fenore mordente. Quoniam iuxta *Brentium* fenus natura ſua malum eſt, cum repugnet nummum gignere nummum. Quid quod vanam cavillationem conceptis verbis *Brentius* ipſe profligat? Nam *Tom. I. in cap.* xxiii. *Deuteronom.* hæc habet. „ *Sciamus* „ *igitur, quod uſura, præſertim qua deſignatur pecunia, maxime pugnet cum natura, & dilectione proximi. Nummus enim non gignit nummum.* Unde & Scriptura multum eam deteſtatur Exod. xxii. Levit. v. Nehem. xxv. Pſalm. xiv. Exech. „ xviii. & Prov. xxviii.... Hic quæri ſolet, num annuus cenſus, quo de centum accipiuntur quinque ex aliquo fundo immobili, ſit uſura? De hoc nihil „ decerni poteſt ex ſacris litteris, ſed ex publicis legibus. *Certum enim eſt quod ſi* „ *vel UNUS NUMMUS ULTRA SORTEM ACCIPIATUR IN MUTUO, SIT* „ *USURA. Nummus enim non gignit nummum. Aliud eſt enim mutuum, aliud* „ *contractus emptionis. In mutuo committitur uſura, cum aliquid ultra ſortem accipitur. Contractus autem emptionis iuxta leges eſt licitus.* Itaque qui exigunt „ legitime quinque pro centum in aliquo fundo, non deſignant uſuram. *Qui autem UNUM TANTUM, aut duos nummos ultra ſortem accipiunt in mutuo, ſunt* „ *uſurarii*. Ceterum quod hæc lex Iudæis permittit ut accipiant uſuram ab alienis qui non ſunt Iſraelitæ, *diſpenſat propter duritiem* Iſraelitarum; ſicut & „ poſtea de libello repudii Deuteron. xxiv. Nam exacta iuſtitia tam prohibet „ uſu-

Digitized by Google

„ uſuram ab alieno quam a ſuo gentili accipere, propterea quod uterque ſit pro-
„ ximus, & contineatur nomine proximi. "

IX. Lutherani *Brentium* venerantur & ſuſpiciunt ceu alterum propriæ ſectæ Patriarcham. Laurentius MOSHEMIUS Lutheranus, & Abbas uxoratus Cœnobii Vallis S. Mariæ, & ſcriptor nec inelegans, nec indoctus, prout clima fert, in ſuis *de Theologo non contentioſo diſſert.* in eodem cum Luthero ſubſellio *Brentium* collocat, eumque & divinæ Theologiæ, & religionis chriſtianæ reformatorem vocat. Sed ſi ſcripta Brentii cum ſcriptis Lutheri comparentur, ſordet Lutherus, & emicat Brentius; quamvis ambo a recto tramite toto cælo aberrent. Bacchatur Lutherus, furit, & quidquid in buccam venit, ſpuit, nullo ſervato ordine, perſpicuitate nulla. Brentius moderatus, & gravis, æquabili ſtilo ſuos fundit errores. Porro alter iſte Germaniæ hæreticæ coapoſtolus uſuram quamlibet cum verbo Dei pugnare clamat.

X. PHILIPPUS MELANCTHON uſuras, non ſecus ac Brentius, divina lege vetitas docet; ut teſtatur vel ipſe Iuſtus BOEHMERUS *Tom.V. Lib.V. tit.*IX. *ſ.*33. his verbis. „ Denique Patres ex lege divina, & in primis Salvatoris, omnem uſu-
„ rarum turpitudinem (damnant) quos ſupra redargui. Nihilominus tamen *Phi-*
„ *lippus Melancthon* tempore Reformationis *Patres* non deferendos eſſe cenſuit in
„ reſponſo anno 1553. ſcripto. *Utrum uſuræ adverſus ius divinum ſint puniendæ,*
„ *aut tolerandæ in Republica chriſtiana?* Quod MS. edidit De Ludevig. Tom. V.
„ *Iuri divino eaſdem repugnare cenſet, additque*, Carolum V. *in terris ſuis heredi-*
„ *tariis edixiſſe, ſe actionem uſuris denegaturum*. Ita ergo cum *vulgo* uſuras cum
„ iure divino pugnare credidit *Melancthon*. " Quid? Melancthon elegantiſſimus, doctiſſimus, & Lutheri magiſter, & emendator, cuius errores non paucos correxit, cum *vulgo* erravit? Ut *vulgus* interpretatus eſt ſanctum Dei verbum? Quis ergo apud vos legitimus Scripturæ divinæ interpres? Sed de hoc mox.

XI. MARTINUS LUTHERUS, & MARTINUS CHEMNITIUS hæc quæ ſequuntur, doceant adverſus uſuram. Sed, ut laborem declinem revolvendi omnia Lutheri opera, quæ ſicut confuſe ſcripta, ita confuſe edita ſunt abſque neceſſariis indicibus, eius de uſura ſententiam referam ex iſto ſecundo Martino. *Chemnitius* igitur, & ipſe Lutheranæ ſeditionis antesignanus inſignis, Brentio, & Melancthone non inferior, ſive acumen, ſive ſcribendi artem, ſive eruditionem ſpectes, *Tom. II. de loc. theolog. cap.* VI. uſuræ controverſiam fuſo calamo verſat. Nullum ſophiſma, quod Calvinus, Molinæus, Salmaſius, Noodt, Broederſen, & Broederſiani fenoris patroni excogitarunt, non labefactat. Pauca ex pluribus perſtringam. Explicata uſuræ voce, continuo errorem moderati fenoris aggreditur *num.* 2. his verbis. *Conſtituendum eſt ex certis & perſpicuis Scripturæ teſtimoniis uſuram non eſſe rem per ſe & ſuo genere bonam, nec ita mediam, ut ex uſu, vel abuſu iudicetur,*

Digitized by Google

tur, & moderatio quidem probetur, exceſſus vero tantum damnetur; ſed eſſe actionem per ſe & ſuo genere malam, vitioſam, & damnatam. Multi enim cogitant, ſicut in reliquis legitimis contractibus, tantum exceſſus vitia, & abuſus damnantur, ita etiam moderatam uſuram non eſſe peccatum, ſed tantum exceſſum damnari. Poteſt ne verbis magis perſpicuis quæſtio explicari? Porro primum auctoritate Ethnicorum evincit uſuram omnem improbatam eſſe. „ Et quidem apud Ro-„ manos primo uſura ſimpliciter damnata fuit. Dicit enim CATO de re ruſtica: „ *Maiores noſtri ſic habuere, & ita in legibus poſuere, furem dupliciter condemnari,* „ *feneratorem quadruplo: adeo peiorem exiſtimabant feneratorem quam furem*. " Deinde plura Ciceronis, Plutarchi, & Athenienſium teſtimonia contra uſuram indicat. Poſt tum veteris, tum novi teſtamenti documenta lato calamo expendit, & conſuetas Molinæi, Calvini, Salmaſii, & aliorum cavillationes refellit. Patrum, & etiam *Lutheri* ſui auctoritatem in ſubſidium advocat.

XII. Præterea non iuri divino modo, verum naturali etiam, uſuram adverſari evincit. *Dignum eſt autem* (inquit) *admiratione, cum in hac naturæ corruptione avaritia varios prætextus excogitet, quod etiam ab Ethnicis ſanioribus, & Philoſophis, & Legumlatoribus uſura atrociter damnata eſt. Et hoc luculentiſſimum teſtimonium eſt, eam pugnare non tantum contra Scripturam, verum etiam contra ipſam legem NATURAE*. Scholaſticorum rationes reſcribit, & deſcriptiones, quibus ICti, & Theologi uſuræ vitium explicant. Melanchthonis quoque, & Lutheri finitiones perhibet. *Philippus*, inquit, *ita definit. Uſura eſt lucrum ſupra ſortem exactum tantum propter officium mutuationis. LUTHERUS dicit. Qui iuxta præcepta caritatis mutuo dat, & ultra ſortem aliquid, vel plus, vel melius exigit, aut recipit, uſuram committit.... Ad definitionem igitur uſuræ pertinet. 1. Quod ſit contractus mutui, Exod.* XXII. &c. *& de ſubſtantia mutui ſunt hæc quatuor. 1. Quando res ita transfertur, ut fiat accipientis. Mutuum enim inde dictum volunt, quia de meo fiat tuum. 2. Debet eſſe officium gratuitum: alias enim eſſet vel venditio, vel locatio. 3. Datur poteſtas utendi mutuo, non in perpetuum, ſed ad certum tempus: alias enim eſſet donatio. 4. Additur obligatio, ut reſtituatur, non quidem eadem res numero, ſed alia eiuſdem vel generis, vel quantitatis, & æſtimationis. Pſal.* XXXVI. *verſ.* 21. *Peccator mutuo accipit, & non ſolvit* &c. In huius doctrinæ confirmationem allegat Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, & S. Thomam, inquiens. *Et THOMAS recte dicit: Quando commodum aliquod, quod pecunia poteſt æſtimari, propter officium mutui exigitur, uſura eſt*. Iterum admonet, Lutherum hanc controverſiam optime diſpexiſſe. *Animadverti igitur, & obſervavi in LUTHERO methodum quamdam qua uſi poſtea Aepinius, & Brentius, plane, & perſpicue explicarunt hanc doctrinam*.

XIII. Expoſitis rationibus tum a Scriptura, Patribus, & Scholaſticis, tum a iure na-

Digitized by Google

naturæ arceſſitis contra uſuram, ad diluenda obiecta accedit. Proponit ſibi primo loco argumentum de viduis, & pupillis, quod obtrudere Broederſiani ſolent. Poſt multa, quæ brevitatis cauſſa omitto, inquit. „ Sed hæc quæſtio varie diſputatur. „ Si talis, ſicut dictum eſt, mutuo det diviti, qui uſu alieni æris poteſt lucrum fa- „ cere, & paciſcatur aliquid ultra ſortem, cum quidem alter ſine ſuo incommodo, „ & detrimento poſſit reddere, & alter inde ſuam ſuſtentationem habeat, cum „ bona conſcientia id fieri poſſit, an vero ſit uſura, quam Deus tam atrociter in „ Scriptura damnat.

„ Quidam dicunt, non eſſe uſuram damnatam: & utuntur his argumentis. „ Quia non ſit morſus, & aggravatio pauperis; ſicut Scriptura de uſura loqui- „ tur. Et ſicut uſus domus, aſini &c. poteſt vendi, ita ut dominium maneat pe- „ nes locatorem; ita poteſt etiam uſus pecuniæ vendi, ut dominium repetendæ „ ſortis maneat penes creditorem. Sicut enim propter commoditatem commer- „ ciorum neceſſarius fuit uſus nummi; ita ad conſervationem civilium negotio- „ rum alieni æris uſus neceſſarius eſt.... Quando igitur non eſt contra carita- „ tem, non eſt peccatum &c. " Prolixius deſcribit oppoſitionem, cui ſic reſpondet.

Sed illis, & aliis omnibus ſimilibus ratiunculis opponitur hoc ſimplex, firmum, & ſolidum fundamentum. Si Scriptura in deſcriptione uſuræ talem conſtitueret differentiam, quando in mutuo a paupere aliquid ultra ſortem exigitur, eſſe peccatum; quando vero a divite, eſſe legitimam, & piam negotiationem: tunc plana eſſet reſponſio. Iam vero in genere & ſimpliciter damnat uſuram, & omnem ſuperabundantiam quæ in mutuo ultra ſortem exigitur, ſine diſcrimine, a quocumque accipiatur, Pſal. xv. *verſ. ult. Ezech.* xviii. *verſ.* viii. Luc. *cap.* vi. *verſ.* xxxv. *Quia igitur Deus iuxta verbum patefactum iudicat, certe conſcientia non poteſt certa eſſe, ſi abſque manifeſto verbo Dei ipſa ſibi talem differentiam fingat. Qualeſcumque enim excogitentur ratiocinationes, ſemper obſtrepent generales illius ſententiæ. Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram &c. Quod vero in quibuſdam teſtimoniis pauperum fit mentio, eadem ratione fit, ſicut in quinto, & ſeptimo præceptis plerumque nominantur viduæ, pupilli, pauperes, ne illis inferatur iniuria. Sed inde non ſequitur: Ergo iniuria quæ fit coniugatis, adultis, potentibus, divitibus &c. non eſt peccatum. Item officium mutui præcipitur præcipue propter pauperes, & egentes: ideo eorum etiam fit mentio in teſtimoniis Scripturæ. Præterea ad definitionem, & ſubſtantiam mutui pertinet ut ſit officium gratuitum; & quod recipiens obligetur ut reſtituat tantumdem in genere, ſeu quantitate. Ergo quando mutuans paciſcitur aliquid ultra ſortem, hoc fit contra naturam contractus mutui. Igitur non valet. Quodcumque autem nomen ei imponatur, quando ius repetendæ ſortis manet penes creditorem, eſt verum mutuum: & quidquid in mutuo ultra ſortem exigitur, eſt uſu-*

Digitized by Google

uſura. Et Scriptura ideo generaliter prohibet uſuram, quia in communicatione ſocietatis politicæ non vult omnia eſſe venalia; ſed vult quædam officia eſſe gratuita, quæ certe deformantur, & depravantur, quando vel tamquam venalia venduntur, vel tamquam mercenaria locantur.... Quid igitur faciet is qui ad ſuſtinendæ Reipublicæ onera, & tolerandos ſumptus œconomicos uſu ſuæ pecuniæ non poteſt carere? Reſponſio manifeſta eſt ex fundamentis ſupra monſtratis. Sunt enim multi alii legitimi contractus qui in Scriptura approbantur. Illis igitur utatur. Sed inquit: Non poſſum exercere negotiationem emptionis, locationis, permutationis &c. Reſpondeo. Qui legitimos illos contractus fugit hoc nomine quia labores, & pericula non vult ſubire; ſed quærit aliam rationem faciliorem, quæ minori cum labore, & nullo cum periculo coniuncta ſit, is peccat contra doctrinam de communicatione rerum in ſocietate civili. Regula enim eſt, ut in politicis illis officiis exerceatur caritas: at huic certe non convenit ut alii tantum labores ſubeant, & pericula ſuſtineant, tu vero otioſus, & indemnis aliorum periculis, & laboribus ſagineris. Sed ſi ſit vel valetudinis, vel ætatis, vel conditionis, ut in viduis, vel qui privatis ſumptibus Rempublicam gerunt, vel imperitiæ, vel alia honeſta ratio, approbati ſunt legibus etiam alii quidam contractus; ut qui habent pecuniam, & non poſſunt ipſi negotiari, poſſunt honeſto, & legitimo uſu pecuniæ acquirere unde ſuſtententur, ſcilicet contractus redemptionis, & ſocietatis.

XIV. Opponit 2. legem Iuſtiniani, cui ſic reſpondet. *Quia vero uſura pugnat cum iure naturæ, & expreſſis Scripturæ teſtimoniis atrociter damnatur; ius civile nunc ita correctum eſt, quod in vero mutuo non licet paciſci de uſura.* Explicat deinde plures contractus quibus omnes, & pupilli, & viduæ, & nobiles, & ſenes, poſſunt ex pecunia lucrum quærere, ſic concludens. *Quod ſi quis dixerit, Contractus redemptionis, nec ſocietatis placet; ſed vellet poteſtatem repetendæ ſortis retinere, & de lucro, & de ſorte ſine periculo ullius damni certus eſſe, ſicut fit in uſura; illi, quia non vult ſecundum caritatem ambulare, non poſſum aliud conſilium dare ex verbo Dei, quam* I. *Theſſalon.* IV. *verſ. 6. Vindex de his omnibus Dominus eſt.*

XV. Opponit 3. „ Uſura in Scriptura hoc nomine damnatur, quia pugnat contra caritatem, & coniuncta eſt cum dolo, & cum iniuſtitia: item quia mordet, & prægravat proximum. Ergo quando a divite exigitur uſura, non eſt peccatum. Huius argumenti explicatio ſupra in definitione tradita eſt. 2. Iuſtitia commutativa conſiſtit in æqualitate. Sed quando quis ex alterius pecunia magnum fructum capit, & creditori tantum ſortem reſtituit, certe magna eſt inæqualitas: debitor enim ingens accipit lucrum, creditor vero facit iacturam. Potuiſſet enim ipſe uſu ſuæ pecuniæ ſuum parare commodum. Ergo uſura poteſt cum iuſtitia exerceri. “

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Vult Deus in ſocietate politica quædam officia eſſe gratuita, ſicut eſt mutuatio; & illa certe gratuita officia iuſtitia non iubet vendi. Quomodo vero cum tertio ordine hominum in uſu æris alieni æqualitas ſervari poſſit, non per uſuram, ſed aliis legitimis rationibus (nempe contractibus ſocietatis, cenſus, redemptionis) *ſupra dictum eſt. Inde petatur uberior explicatio.*

XVI. Opponit 4. „ Apud Corinthios utpote in magno emporio ſine dubio uſu-„ ræ fuerunt uſitatæ. Paulus vero, cum alia vitia arguat, non facit mentionem „ uſuræ &c. "

Reſp. Paulus ad Corinthios non meminit homicidii, veneficii, periurii &c. quæ vitia fuiſſe in magna illa urbe non eſt dubium. Num ergo dicemus propterea non peccata? Paulus enim in utraque ad Corinthios tantum ad ea reſpondet de quibus certamina apud ipſos orta fuerant, & de quibus conſulebatur. Et tamen, cum I. *Cor.* VI. *verſ.* 10. *damnat fures, rapaces, & avaros, ſine dubio uſuram etiam complectitur, ſpeciem ſub genere, ſicut in Decalogo fit.*

XVII. Opponit 5. „ Regula caritatis eſt. *Quæcumque vultis ut faciant vobis* „ *homines, eadem ipſis facite.* Ergo non peccat contra caritatem quando is qui ali-„ quando ſolet uſuras ſolvere, ab aliis exigit. Item quando cogitat ſe velle aliis „ ultra ſortem aliquid numerare, ſi in ſimili neceſſitate eſſet conſtitutus. "

Reſp. Ex voluntate per peccatum depravata, quando diſſentit a manifeſto Dei verbo, non eſt iudicandum de lege caritatis, ita ut expreſſis Scripturæ teſtimoniis præiudicetur. Accuſatus coram iudicio vellet ſe falſo teſtimonio eximi periculo: num igitur, ſi alteri periurio patrocinetur, non erit peccatum? Et ſimulatus prætextus eſt. Nemo enim eſt qui non mallet gratuito mutuo ſublevari in egeſtate.

XVIII. Opponit 6. „ Magiſtratus officium eſt de externis rebus ſtatuere: & „ Chriſtiani politicis conſtitutionibus bona conſcientia poſſunt uti. Ergo quatenus „ leges civiles concedunt uſuras, poſſunt ſine peccato exerceri. "

Reſp. Alia eſt ratio conſtitutionum politicarum quæ legi naturæ congruunt, & quæ pugnant cum manifeſto verbo Dei; ut cum leges dicunt, ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum. Qua vero ratione, & quo ſine leges civiles concedant uſuras, ita ut tamen non ſtatuant aliquid ſimpliciter contrarium legi divinæ, ſupra in 1. *membro explicatum eſt.*

XIX. Opponit 7. „ Societas politica, quales nunc ſunt hominum mores, non „ poteſt carere uſuris. Eſt enim uſus æris alieni cum alias neceſſarius, tum præ-„ cipue ad conſervandas negotiationes. Et nemo vult gratuito dare. Ergo „ &c. "

Reſp. Hoc argumento poſſet tota Scriptura everti. Mundus enim non vult in via mandatorum Dei ambulare. Num igitur dicendum eſt, non eſſe peccata quæ in Scriptura manifeſte damnantur? Sunt autem varii modi legitimorum contractuum in uſu

æris

Digitized by Google

ſtris alieni, quibus negotiationes neceſſariæ in ſocietate politica poſſunt conſervari, ut non opus ſit propterea uſuram iuſtificare.

XX. Opponit 8. „ Sæpe illis quibus pecunia datur ad uſuram, magnum præ- „ ſtatur beneficium. Multi enim hac ratione diteſcunt. Ergo eſt opus cari- „ tatis. “

Reſp. Non dicendum eſt beneficium, vel opus caritatis, quod ſit contra mandatum Dei. Gerſon recte dicit: Propter utilitates quæ per accidens poſſunt evenire, non ſunt dicenda bona quæ per ſe & genere ſuo mala ſunt, ut mendacia, fornicatio &c. *& Luc. IV. verſ. 6.* Hæc omnia tibi dabo.

XXI. Opponit 9. „ Pecunia ſub uſura non obtruditur invitis, ſed petitur, & „ cum gratitudine a debitoribus accipitur. “

Reſp. Neceſſitas cogit egenos, ut, cum iuxta præceptum caritatis non ſubleventur, accipiant ad uſuram: mallent autem gratuitum officium. Et ſi ſerio petant pecuniam ſub uſuris, non ideo iuſtificatur uſura damnata in Scriptura. Nam & adulteria, & fornicationes, & mendacia ſæpe hoc modo committuntur. Item Saul petebat ut ab armigero ſuo interficeretur I. Reg. ult. verſ. 4. Sed David propterea homicidam non abſolvit II. Reg. I. verſ. 15. &c. Hactenus Martinus Chemnitius.

XXII. Nunc animis adeſte *Budæi*, *Heinecii*, *Boehmerii*, *Moſhemii*, *VVolfii*, *Burcherii*, & omnes Luthericæ factionis aſſeclæ. Legiſlatores veſtri, beati nempe, & magni illi viri *Lutherus*, *Bucerus*, *Melanchthonius*, *Chemnitius*, *Brentius*, quos concrepantibus buccis deformatam Theologiæ faciem inſtauraſſe, & prolabentem religionem, ipſumque naturæ ius ad priſtinum revocaſſe ſplendorem iactatis, uſuras moderatas pugnare & cum divina Scriptura, & cum naturæ iure teſtantur. Vos contra, nunc uſuras moderatas Dei verbo, & naturæ iuri congruere defenſitatis. Quinam veſtrum germanum divinæ Scripturæ ſenſum aſſecuti ſunt? Quinam aberrant? Patriarchæ, & magiſtri; an diſcipuli, & vulgus? Si recentiores Theologi Lutherani cum Luthero, Bucero, Melanchthone, Brentio, & Chemnitio comparentur, pygmei profecto cum gigantibus apparent. Hæreſiarchæ enim communiter magnæ animæ ſunt, ut Auguſtinus ait. A quibus ergo ſtat divinæ Scripturæ ſenſus? A vobis, an a Patriarchis veſtris? Si præſumptioni concedendus locus eſt, nonne æqui rerum æſtimatores victoriæ palmam adiudicabunt magiſtris veſtris? Sanctum Dei verbum per vos ſeipſo perſpicuum eſt, omnibuſque pervium. Nullo eſt in terris iudice opus. Quid eſt ergo quod in illo interpretando diffidetis? Errarunt ſummi magiſtri veſtri, non in aliquo leviori puncto, ſed in articulo graviſſimo, in fundamentali dogmate, a quo iuſtitia chriſtianæ ſocietatis pendet? Iugo graviſſimo oppreſſere illi cervices veſtras? At ſi errarunt, ſi populum deceperunt, quomodo *Beatos* illos aſſeritis? Quod ſi illi errarunt in tanti momenti cauſſa; numquid ab errore immunes vos eſtis? Nulla

ergo

Digitized by Google

ergo apud vos conſtans interpretandæ Scripturæ divinæ regula. Nulla reſipiſcendi ab errore via. Sed quot capita, tot ſententiæ; quot familiæ, tot religiones; quot homines, tot dogmata. Nullum a duobus ſæculis evadendi ab hoc laqueo effugium reperire conceſſum eſt.

XXIII. Hæc mihi ſerio animo reputanti nil aliud occurrit quam S. Pauli exclamatio: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius!* Sed mittamus Lutheranos, qui tremenda, formidandaque Dei vindicta in luce meridiana cæcutire obſtinate pergunt: & dum viſibilem indicem in terris, qui religionis lites dirimat, reſpuunt, veluti grex ſine paſtore, & exercitus ſine duce, & populi ſine gubernatore, & navis ſine nauclero, diſperſi, palantes, invicem confligantes miſere æternumque pereunt. Colligas tantummodo, lector, velim ex primis factionis Lutheranæ magiſtris, quam inconcuſſum ſit atque luculentum contra uſuras dogma quod catholica Eccleſia propugnat.

CAPUT VII.

Detur ne materiæ parvitas in uſuræ peccato.

I. Diſputatum hucuſque pro dogmate quod Eccleſia catholica contra uſuras defendit. Bellum facile, certaque victoria. Difficilius nunc ineundum certamen eſt contra non paucos catholicos Caſuiſtas, qui fenus omne deteſtantes, tot excogitarunt fucos quibus uſuræ deformitatem tegant, tot invexerunt titulos vi quorum ab uſuræ pravitate quodlibet ex mutuo lucrum purgent, ut hoc uſuræ ſcelus, in quod tam acriter cuiuſque ſæculi Patres, & Theologi declamarunt, vix in mundo reperiatur. Si nulli tituli eſſent qui lucrum ex mutuo perceptum uſuræ vacuum redderent; quemadmodum nullæ occurrunt cauſſæ quæ adulteria, fornicationes, mendacia a malitia excuſent; levioris momenti diſputatio eſſet, & paucis dirimeretur. At occurrunt, tametſi non ita frequenter ut multi contendunt, tituli vi quorum iuſtum eſt ex pecunia mutuatitia lucrari. Porro quandonam hoc liceat, & quando ſecus, hoc opus, hic labor eſt definire. Vix aliæ ſunt in univerſa Theologia tam impeditæ, atque involutæ difficultates, quæ negotium ita faceſſant, torqueantque Theologorum ingenia. Si praxim ſpectes, quaſi dixerim non minus late patere avaritiæ ſcelus inter pecunioſos homines quam inter iuvenes libidinem. Sed hæc, quia carnalis, facillime ſuam prodit iniquitatem; contra illa, quia a corporea materia magis diſtat, varias induit ſpecies, & colores, ſub quibus latitans ſerpit, & ſenſim ſine ſenſu virus diffundit. Facile propterea eſt ad aliquod extremorum aut ſeveritatis, aut la-

Digitized by Google

laxitatis declinare. Ut mihi caveam, ſi aqua in diſputatione hærebit, lectorem monebo ut doctiores conſulat, meamque fateri ignorantiam non erubeſcam. Peccatum quippe iſtud reſtitutionem comitem habet: idcirco exquiſita opus eſt diligentia, ne aut aſtringantur, aut liberentur a reſtitutionis onere mutuatores. Singulos titulos quos iuniores commenti ſunt, ſigillatim diſpiciam, & quod mihi probabilius viſum fuerit, pateſaciam. Leviorem hoc in capite, quod eſt proluſorium ad ea quæ dicturus ſum, quæſtionem dirimam.

II. Quæſt. unic. *Datur ne materiæ parvitas in uſuræ peccato?* Reſp. Non levi contentione verſant hanc difficultatem iuniores. P. Thomas Tamburinus *Lib. IX. tractat.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. opinionem adfirmantem conſtanter defendit: quia, cum uſura, inquit, ſit contra iuſtitiam, non ſecus ac furtum, parvitatem materiæ excipit. P. Antoninus Diana refert Alphonſum de Leone, qui omnem materiæ parvitatem ab uſura excludit: & propter iſtius Theologi auctoritatem nihil definit, ac doctioribus cogitandum ſuper hac controverſia relinquit. Tamburinus hanc Dianæ ſuſpenſionem iudicii quaſi irridens excipit, ſubditque. *Sed ne amplius, oro, quis cogitet propter rationem a nobis allatam.* Tamburinus ſcrupulis non agitabatur in definiendis morum regulis. P. Nicolaus Gennaro in ſua *Uſura detecta introduct.* 4. opinionem Alphonſi de Leone defendit, allegatque evangelicum textum Luc. VI. *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Nihil, inquit, materiæ parvitatem excludit. Et hac ratione evincere contendit, gravitatem, aut parvitatem materiæ deſumendam eſſe non tam ex obiecto materiali, quam ex oppoſitione cum ratione formali obiectiva per ſe inſpecta. Porro ratio formalis obiectiva, attacta ab uſura, non eſt res aliena abſolute conſiderata, quia hæc obiectum materiale eſt; ſed res aliena, acquiſita per mutuum cum aliqua vi. Uſura enim ad rapinam reducitur, ut dicit S. Ambroſius relatus 14. quæſt. IV. *Si quis uſuram accipit, rapinam facit.* Mutuatarius enim, ut perſpicue docet Angelicus 2. 2. *quæſt.* LXXVIII. *art.* 1. *ad* 7. *& alibi*, aliquam vim patitur ſibi indebitam, quæ libertatem lædit. Hæc autem ratio gravem oppoſitionem prodit cum iuſtitia naturali, etiamſi res aliena parva ſit. Exemplum ſubiicit. Si quis cogeret aliquem ad tributum ſibi ſolvendum, etiam rei parvæ, peccaret mortaliter: quia licet res tradita ſit levis, conſtituere tamen aliquem tributarium, eumque in ſervitutem redigere, eſt gravis iuſtitiæ læſio. Similiter quamvis mutuatarius rem levem reddat, nihilominus magnum gravamen eſt, quod cogatur ad reddendum ex iuſtitia id quod non debet. Adiicit auctoritatem Eccleſiæ, quæ hoc vitium turpe, execrabile, impium, inhumanum appellat. Quid quod Patres omnes hoc ſcelus aſſimilant morſui aſpidis, belluæ immani, canibus, leonibus, piratis, arpiis, homicidio? Ipſe Cato clamat: *Quid eſt fenerari? Hominem occidere.*

III. Hæc omnia uſuræ enormitatem graviſſimam produnt. Ceterum, ut mea mi-

minima præfert opinio, non excludunt materiæ exiguitatem. Vim inferri mutuatario a mutuante, & ipſe concedo; ſed vim hanc levem eſſe exiſtimo. Etiam rapina vim infert; at ſi vis exigua ſit, mortalis culpa non eſt. Exactio lucri opponitur utique, ſicut quodlibet aliud peccatum, rationi formali obiectivæ; ſed cum oppoſitio parva ſit, etiam culpa levis eſt. Ita mihi videtur. Interim aſſero, contemnenda non eſſe argumenta P. Gennaro. Ut ſæpius dixi, in quæſtione de peccato mortali, & veniali, niſi veritas expreſſa habeatur, & communis moratorum hominum ſenſus, iudicium meum ſuſpendo. Has trutinas ponderandi malitiæ gradus pluribus Probabiliſtis relinquo, qui ſane nimis facile definiunt hoc mortale, hoc veniale eſſe. Tandem, ad praxim quod attinet, quæſtio iſta inutilis videtur, ut fatetur etiam ipſe P. Gennaro. Quis enim feneratorum pecuniam ſuam mutuam tradit ob lucrum unius aut alterius obuli? Ut res in tuto collocetur, cavendum ab omni vel umbra fenoris eſt: tum ut ſcandalum vitetur, quod facile contingere poteſt; tum ob periculum prolabendi ex parvis in graviora; tum ob facilitatem exiſtimandi materiam levem quæ gravis ſit.

CAPUT VIII.

Sit ne pecunia numerata præſens æſtimabilior abſente, & titulus accipiendi aliquid ultra ſortem?

I. Nulla ſuper propoſita quæſtione inſtitui diſputatio deberet, cum eam damnaverit Innocentius XI. in hac propoſitione num. 41. *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda; & nullus ſit qui non maioris faciat pecuniam præſentem quam futuram; poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari*. Tamen ut tibi ſemper evidentius compertum ſit, Probabiliſmum per univerſam graſſari Theologiam, in mentem revoca S. Pauli verba: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus* &c. I. ad Timoth cap. IV. Dum nos vocem exaltamus adverſus iuniorum laxitates, perſtrepunt benignioris Ethices patroni, nos caritatem lædere, & Caſuiſtas infamare. At iſtorum voces ſemper parvi fecimus; cum vera Chriſti caritas urgeat nos ad ſubducendas animas æternæ perditionis laqueis, quas nonnulli iuniores bona fide illis paraverunt, ut amœniori via eaſdem ad cælum ducerent. Præfatam erroneam opinionem docet Caramuel in *Theolog. moral. Lib. II. diſp.* XIV. *num.* 799. ubi hæc habet. *An numerata pecunia pretioſior ſit numeranda? Reſpondet aſſertive Navarrus num.* 231. *Caietanus verb. Uſura, ad finem*. Falſiſſime hos laudat

Digitized by Google

Auctores Caramuel, ſicuti & Leſſium, ac Bellarminum. Nam Theologi iſti *loc. cit.* loquuntur de chirographis Genuenſibus, ut Caietanus, qui ob peculiares rationes emi minoris poſſe defendit, non ob anticipatam ſolutionem, ut expreſſe docet *ibi §. 2. Caſus tertius*. Laudat etiam Sa, Armillam, Philiarcum, & alios, quorum examen non vacat inſtituere.

II. Laxa, erronea, & ſcandali plena eſt opinio hæc: ideo merito a S. Sede proſcripta. Nam ad intimam & intrinſecam mutui naturam pertinet quod detur pecunia præſens pro futura. Si igitur traditio pecuniæ præſentis pro futura titulus eſſet qui lucrum ex mutuo perceptum honeſtaret, ablata de mundo uſura foret.

III. Reſpondet Caramuel *ibi num.* 801. cuius verba tranſcribit Diana Part. IX. tract. VI. reſol. 24. *Sed ais, hac doctrina omnes uſuras tolli. At ipſi Auctores poſſent negare conſequentiam: quia uſurarius eſt quicumque accipit ultra ſortem. Unde ſi nonaginta aurei parati centum dandis poſt annum æquivalent, qui nonaginta hodie mutuat, & poſt annum centum recipit, uſurarius non eſt, quia nihil ſupra ſortem accipit. Eſſet tamen, ſi ſub finem anni plures quam centenos acciperet.* Ridicularia hæc ſunt, & conſueta ſophiſmata quibus plures iuniores vel luculentiſſimas veritates implicant, & obvolvunt. Effugium iſtud proſcriptum fuit in damnata propoſitione. Cur enim exigis centum pro nonaginta numeratis? Quia æſtimabilior eſt numerata pecunia præſens quam futura. Sors, ſeu vivum, vel capitale, ut vocatur, ſunt 90. ſupra hanc ſortem exigis decem: ergo uſuram apertam perpetras. Quid? Si mutuator pro 90. aureis numeratis acciperet poſt annum 104. uſuram ne committeret? Ais. Sed quæro. Cur 90. numerata hodie poſt annum valent 100. ſecus 104. 112. 120.? Quis hoc pretium taxavit? Quis definivit? *Docti iuniores?* Ita ne vero? Sed faceſſant a catholicis Scholis iſtorum opiniones, a S. Sede damnatæ. Plura adiicere poſſem; ed, cum proſcripta opinio fuerit, otio, & tempore non eſt abutendum. Colliges heinc quam caute abſtinere debeas a ſimilium librorum lectione. Similibus enim verborum involucris centenas, & millenas opiniones laxas fuco probabilitatis honeſtare ſtudent Caſuiſtæ plures.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Licitum ne eſt aliquid ſupra ſortem accipere ob moleſtiam, ortam ex privatione pecuniæ mutuo traditæ? Feſtiva opinio Caramuelis.

I. IOannes Caramuel *Lib. II. Theolog. moral. diſput.* XIV. *num.* 778. hanc verſat quæſtionem verbis adeo feſtivis, ut eadem reſcribere lubeat ad lectores imbuendos. *Diſtinguo moleſtiam a periculo, vel a damno emergente, & a lucro ceſſante. Eſt vere aliqua recreatio in videndis rebus pretioſis; cur non & poſſidendis? Pro audienda comœdia, vel videnda beſtia datur pretium; & nemo contradicit: cur non pro videndis, vel poſſidendis optimis auri partibus? Ratione ergo huius moleſtiæ, a carentia pecuniæ ſubortæ, præciſo omni alio periculo, poſſe quid ſupra ſortem accipi, affirmat Medina; & D. Thomæ interpretes quæſt.* LXVIII. *artic.* I. *iudicant ſpeculative probabile. Sed Dicaſtillus contradicit, & inquit:* „ Mihi „ hæc ſententia & ſpeculative improbabilis, & moraliter in praxi videtur per- „ niciosa. " *Videte CENSORIUM CATONEM, ſevero ſupercilio doctrinam condemnantem. Audite tamen num.* 154. *ſibi contradicentem.* „ Unum ſolum ſuper- „ eſt, *inquit*, ſane difficile, nempe triſtitia ex carentia rei quam amabat, & de „ qua habita apud ſe delectabatur. " *Non hæc reſtat; ſed de hac unica diſputatur: & reſpondet.* „ Recentiores aliqui docent, eam triſtitiam ſufficienter re- „ compenſari per recompenſationem rei ſimilis conditionis . . . Verum enimvero „ carentia illa non videtur recompenſari per redditionem rei ſimilis; ſed ex ſo- „ lutione rei mutuatæ iterum redit delectatio; quam delectationem, ſi non mu- „ tuaſſet, mutuans & eouſque habuiſſet quo caruit, & modo etiam haberet. Er- „ go non ſatisfit præteritæ triſtitiæ per præſentem lætitiam: quia hanc etiam ha- „ beret, ſi non mutuaſſet. Ideo probo poſſe in hoc caſu aliquid ultra ſortem re- „ cipere, ſi id a principio deduxit in pactum, & declaravit mutuatario iuxta „ dicta in ſuperioribus: atque in eo eventu vera eſt ſententia Medinæ. " (Hactenus Dicaſtillus. Et Caramuel hoc pacto reſumit ſermonem.) *Parturiunt montes, & naſcetur parviculus mus. Cur illa dicta prius? Sententia quæ a paucis pineis erat ſpeculative improbabilis, practice pernicioſa, iam tandem aſſeritur vera. Veritas enim eſt veritas; & tametſi aliis ideis præventus eam condemnes, tandem affulget, & te ipſum condemnans eius ſinceritatem propugnabis.*

II. Papæ! Qui opiniones laxas ſcandali plenas refellunt, ſeveri ſunt *cenſorii Catones*, qui de ſupercilio loquuntur? Errorem manifeſtum *fulgentem veritatem*

Digitized by Google

appellat Caramuel? Hanc opinionem didicere iuniores ab Horatio ethnico ſcribente:

At mihi plaudo domi: nummos contemplor in arca.

Si hæretici cachinnis, & ſibilis ſimilia opinionum portenta deridenda propinant, & Catholicis invidiam conflant; non aliud præbere reſponſum poſſumus, niſi quod in agro evangelico paleæ, & zizania immixta ſint tritico. Sed Catholici communi aſſenſu hæc erronea commenta improbant.

III. P. Leonardus Leſſius *Lib. II. cap.* xx. *dub.* 14. *num.* 133. & ipſe ut probabilem exhibet opinionem proſcriptam, quæ ob pecuniæ *carentiam*, & voluntatem non repetendi infra certum tempus mutuum, licite ex eodem lucrari defendit. Inquit enim. *Tertio probatur hæc ſententia. Quia ſicut aliis rebus, & oneribus poteſt aliquod pretium imponi, ita etiam oneri CARENDI ſua pecunia tanto vel tanto tempore. Cum enim pecunia ſit inſtrumentum negotiandi* (hæc eſt potiſſima ratio Molinæi) *& privare ſe inſtrumento ſuæ artis ſit pecunia æſtimabile; cur non etiam mercatores poterunt carentiæ pecuniæ pretium aliquod communi conſenſu imponere; præſertim ſi ratio boni communis id poſtulet?* Ita ne vero? Communis ergo avarorum conſenſus quod feneratitium eſt honeſtum efficiet? Quid huc pertinet conſenſus hominum? Hæc ſophiſmata labefactavit ſupra vel ipſe Chemnitius. Poſt multa concludit. *Hæ rationes videri poſſunt alicui probabiles, potiſſimum tertia; & iuxta eas conſuetudo Burſæ Antverpienſis excuſabilis.* Hæc Burſa Antverpienſis aliquo probabilitatis fuco protegenda eſt. Subdit tandem num. 127. *Nihilominus ſentio non eſſe tam laxas habenas mercatoribus dandas, nec illis concedendum ut quidquam ſupra ſortem exigant, ſi illis ex CARENTIA pecuniæ nullum lucrum ceſſat, nullum periculum impendet, nullum incommodum metuitur. Primo quia ſententia illa videtur nova, nec illam apud Auctores reperio; ac proinde in re morali tanti momenti NON EST FACILE ADMITTENDA.* Si vera, cur non facile admittenda? Si falſa, numquam admittenda. Expende omnia, & facillime, nedum facile, admittes. Si ex carentia pecuniæ *nullum lucrum ceſſat* (parum hoc;) *ſi nullum periculum impendet* (adhuc parum;) *ſi nullum incommodum metuitur*, opinio non eſt facile admittenda. Fieri ne poteſt ut quis ſua pecunia mutuo tradita careat quin ſaltem aliquod periculum ſubeat, aut aliquod incommodum patiatur, nedum metuat? Dum unum ex his occurrit, opinio ne probabiliſſima eſt? Ergo non modo facile, ſed etiam facillime admittenda; ſi talibus innitaris principiis.

IV. Ut iſtarum opinionum horrorem evidentius ob oculos ponam, doctrinam S. Thomæ præmitto ex 2. 2. quæſt. cxviii. artic. 4. *Si intantum amor divitiarum creſcat, quod præferatur caritati, ut ſcilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei, & proximi; ſic avaritia erit peccatum mor-*

Digitized by Google

mortale. Mutuum natura ſua gratuitum eſt, & caritatis fructus. Qui tanto divitiarum amore capiuntur, ut naturam mutui gratuiti pervertant, iſti mancipia ſunt avaritiæ. Clarius exprimit Doctor ſanctus hanc doctrinam in diſput. quæſt. XIII. de malo art. 1. *Ad iuſtitiam autem pertinet medium æqualitatis conſtitutæ in ipſis rebus poſſeſſis, ut ſcilicet unuſquiſque habeat quod ſibi debetur. Liberalitas vero conſtituit medium in ipſis affectionibus animæ, ut ſcilicet unuſquiſque non ſit nimium amator, vel cupidus pecuniæ, & quod ſit emiſſivus earum cum delectatione, vel ſine triſtitia, quando oportet, & ubi oportet.*

V. P. Thomas Tamburinus, qui non raro *caramuelizat*, incertam ſibi videri ait hanc opinionem Caramuelis; & lectorem remittit ad Dicaſtillum *Lib. IX. tract.* 1. *cap.* V. *ſ.* 3. *num.* 2. Qui Probabiliſmi lenociniis præventi ſunt, nihil certi habent; ſed duabus dominantibus opinionibus, licet mutuo iſtæ pugnent, inſerviunt. Si S. Thomam, & ceteros Patres loco iuniorum legiſſent Tamburinus, Caramuel, & alii, non hæſiſſent ad aquas. Siquidem ex doctrina Angelici evidenter infertur, opinionem Caramuelis, & aliorum eſſe antievangelicam. Evinco. Triſtitia qua mutuator afficitur ob privationem pecuniæ mutuo traditæ, monſtroſus abortus avaritiæ eſt. Ergo triſtitia hæc non pretio, ſed vituperio, ignominia, & deteſtatione digna eſt. Pergamus ultro. Tum avaritia peccatum mortale eſt, S. Thoma teſte, quando propter divitiarum amorem agit homo contra caritatem, vel iuſtitiam. Atqui mutuatores qui ob ſolam delectationem præſentis pecuniæ, excluſo omni alio titulo, lucrari ex mutuo volunt, caritatem, & iuſtitiam lædunt. Ergo mortaliter peccant. Rurſus. Quo homines ſunt avariores, eo impotentius pecunias depereunt. Maiori ergo triſtitia & mærore confligantur ob illarum privationem. Triſtitia hæc pretio æſtimabilis eſt: quo maior eſt triſtitia, eo maiori pretio æſtimari debet. Ergo homines avariores maius pretium exigere valent ob maiorem triſtitiam quam patiuntur ex pecuniæ abſentia. Heinc ſi homines mediocriter avari exigunt quinque in centum vi mutui ob triſtitiam præfatam, homines avariores decem, & homines avariſſimi quindecim exigere poterunt. Vah portentoſa commenta!

VI. Quod Caramuel indefinite aſſerit, interpretes S. Thomæ in 2. 2. *quæſt.* LXXVIII. defendere, ut probabilem, præfatam opinionem, manifeſta calumnia eſt, quam tranſcripſit Matthæus Moya, ſive Amadæus Guimenius. Docuerint ne aliqui Dominicani hunc errorem, nec affirmo, nec nego: quia non vacat omnes expendere. Si illum docuerunt, non ſecus in iſtis quam in aliis de more improbo. Cur quemadmodum in Dominicanos, ita & in externos Caſuiſtas criticen tuam non coerces? Iam pluries dixi, me laxas opiniones refellere illorum Auctorum qui communiter obvii ſunt, & omnium fere manibus teruntur. Illi quibus hoc diſplicet, Dominicanorum laxas opiniones refutent. Et

Digitized by Google

ſic purgata a laxis opinionibus omnino ſplendebit Theologia Chriſtiana. Interim legeſis Vincentii Baronii apologiam in Manuductione ad Theologiam moralem *Part. II. diſp.* 1. *ſect.* 2. *§.* 3. Impoſturæ dumtaxat arguo Caramuelem, & Guimenium, quod abſolute afferant, interpretes S. Thomæ hanc laxiſſimam opinionem probabilem reputaſſe. Aperte enim hoc falſum eſt; cum non paucos ego legerim, qui de hac quæſtione nec verbum faciunt.

VII. Tamburinus *loc. cit.* inquit: ***Hæc moleſtia non videtur eſſe in omni mutuo.*** Dubio procul. Nam mutuatores, caritatis chriſtianæ cultores, hanc moleſtiam, triſtitiamque non experiuntur. At qui hydropi avaritiæ laborant, hac triſtitia anguntur. Ergo in mutuo avarorum hominum hæc triſtitia adeſt. Ergo vendibilis erit? Cedo: quodnam beneficium accipit mutuatarius ex triſtitia mutuatoris, vi cuius ſolvere pretium debeat? Sed quid amplius tempus tero in convellendo manifeſto errore? Tamburinus ipſe tandem concludit, non eſſe hanc triſtitiæ venditionem ad praxim deducendam, quia parva eſt. At quid, ſi in avariſſimis mutuatoribus magna, & vehemens eſſet? Abſolute itaque dicendum, neque triſtitiam ob privationem, neque oblectationem ob præſentiam pecuniæ eſſe pretio æſtimabilem. Reiicienda proinde eſt præfata opinio tamquam erronea.

CAPUT X.

De poteſtate pecuniæ ad lucrandum. Licitum ne eſt ex mutuo aliquid exigere ob poteſtatem pecuniæ ad lucrandum?

I. CAramuel *Lib. II. Theolog. moral. diſp.* XIV. *num.* 754. docet, mutuatorem, dum pecuniam mutuo tradit, ſe privare facultate ad eamdem negotiandam. Privationem autem huius facultatis ait eſſe pretio æſtimabilem. ***Non poſſe***, inquit, ***negotiari gravamen eſt; & poſſe eſt pretio æſtimabile. Et neſcio cur deberet Petrus illud ſubire gravamen, hancque immunitatem pretio æſtimabilem perdere gratis.*** Mutuator ergo qui negotiaturus reipſa non erat pecuniam ſuam, poterat tamen, iure exigit aliquid ſupra ſortem, non propter lucrum ceſſans, ſed propter privationem iſtius poteſtatis? Opinio hæc falſa eſt, & uſuras de medio aufert. In omni quippe mutuo contingit iſtius poteſtatis privatio ad negotiandam pecuniam mutuo traditam. Ergo omne mutuum fenebre eſt. Ergo opinio Caramuelis eadem eſt ac error Molinæi, Salmaſii, & aliorum. Quin iſti ſinceriores ſunt. Concedunt enim lucrum iſtud fenebre eſſe; ſed negant moderatum ſe-

Digitized by Google

ſenus eſſe vetitum, dummodo a mercatoribus divitibus exigatur. Caramuel vero hoc diſcrimen ſilet, quia feneratitium eſſe lucrum negat.

II. In pecunia duplicem diſtinguunt potentiam Auctores, proximam, & remotam. De proxima, quatenus parata eſt ad negotiationem, infra ſermo erit. De potentia quæ pecuniæ convenit abſolute, quatenus ſubeſſe induſtriæ humanæ poteſt, nunc loquor. Quod ratione iſtius poteſtatis non poſſit abſque uſuræ vitio aliquid exigi, docent communiter omnes. Quoniam in omni pecunia mutuatitia hæc facultas reperitur. Ergo ſi ratione huius potentiæ licitum eſſet quidquam exigere, iam omne mutuum feneratitium eſſet. Quid quod hæc potentia non eſt niſi ipſa pecunia?

C A P U T XI.

Licitum ne eſt in mutuo aliquid ultra ſortem exigere ratione vel periculi amittendæ ſortis, vel expenſarum quæ faciendæ timentur in ſorte recuperanda? Singularis doctrina Cardinalis de Lugo, & Tamburini.

I. FIdem meam oppignoravi diſſertatione præcedenti *cap.* VI. *num.* 3. dirimendi quæſtionem, utrum nempe licitum ſit pretium in venditione ad creditum augere ob periculum pretii recuperandi. Tempus eſt ut eam liberem. Duæ ſunt circa hanc quæſtionem opiniones. Prima adfirmans eſt, quam defendunt plures iuniores. Serra 2. 2. *quæſt.* lxxvii. *art.* 1. *dub.* 4. *concl.* 3. Valentia *diſput.* v. *quæſt.* x. *punct.* 2. *concl.* 4. Lugo *diſput.* xxv. *ſect.* 6. *num.* 81. Caſtropalaus *diſput.* v. *punct.* 12. *num.* 6. Diana *Tom. VI. tract.* III. *reſol.* 40. ubi inquit: *Hæc opinio viſa eſt probabilis his omnibus*. Leſſius *Lib. II. cap.* xxi. *dub.* 6. *num.* 54. Petrus Navarra *Lib. III. cap.* II. *dub.* II. Bonacina *diſp.* III. *de contract. quæſt.* II. *punct.* 4. Salmanticenſes *tractat.* XIV. *cap.* II. *punct.* II. *num.* 144. Claudius La-Croix *Lib. III. part.* II. *num.* 945.

II. Hanc opinionem falſam reputo: quia cuilibet venditioni ad creditum intimum eſt periculum quod obruditur; & conſequitur tam eiuſmodi venditionem quam mutuum. Caveri autem periculum iſtud poteſt per fideiuſſionem. Sed alias rationes mox dabo.

Digitized by Google

§. I.

Periculi notio, & diverſitas. Omni mutuo inſitum periculum illud eſt vi cuius iuniores purgare ab uſura lucrum perceptum a mutuatario contendunt.

I. PEriculum definiri, ſeu deſcribi poteſt, quod ſit incertus eventus ſortis amittendæ, vel recuperandæ. Periculum duplex. Aliud facti, aliud iuris. Nunc de primo, poſt de ſecundo. Ratione periculi facti non pauci iuniores Probabiliſtæ defendunt, abſque uſuræ labe exigi in mutuo lucrum poſſe. Immo eo laxitatis prolapſi nonnulli ſunt, ut illos aſſerere non puduerit, in omni mutuo hoc periculum reperiri. Hoc fatetur vel ipſe P. Claudius La-Croix Lib. III. part. II. de uſura num. 854. *Sylvius, Serra, aliique apud Mendo in Statera diſput.* VI. *num.* 58. *docuerunt SEMPER eſſe periculum ſortis, quando datur mutuum; ideoque ratione periculi SEMPER poſſe aliquid exigi.* Nec Molinæus, nec Calvinus, nec Salmaſius tam laxam opinionem defendunt. Nam illi, dum mutuo pecunia traditur pauperibus, aut divitibus neceſſitate preſſis, nihil exigi poſſe docent. Iſti indiſcriminatim aſſerunt, in omni mutuo adeſſe ſemper periculum; atque adeo ex mutuo ſemper ratione iſtius periculi moderatum lucrum exigi poſſe. Errorem hunc profligavit BENEDICTUS XIV. in ſua Paſtorali Encyclica adverſus uſuras num. 5. *Sed illud diligenter animadvertendum, falſo ſibi quemquam & non niſi temere perſuaſurum, reperiri SEMPER, & præſto ubique eſſe vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel ſecluſo etiam mutuo, contractus alios iuſtos, quorum vel titulorum, vel contractuum præſidio, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum ultra ſortem integram ſalvamque recipere. Ita ſi quis ſenſerit, non modo divinis documentis, & catholicæ Eccleſiæ de uſura iudicio, ſed ipſi etiam humano communi ſenſui, ac naturali rationi procul dubio adverſabitur. Neminem id latere ſaltem poteſt, quod multis in caſibus tenetur homo ſimplici ac nudo mutuo alteri ſuccurrere.* Lege Commentarium noſtrum in præfatam Epiſtolam.

II. Alii iuniores, ut aliquo fuco errorem hunc contegant, diſtinguunt pericula in ordinaria mutuo intima, & in extraordinaria mutuo extrinſeca; ut quando mutua pecunia traditur, inquit cum aliis P. Billuart *diſſ.* IV. *art.* 5. *ſ.* 5. mutuatariis dubiæ fidei, prodigis, decoctoribus, litigioſis, luſui deditis, aut illis qui exercent commercia periculoſa, ſive navigando, ſive deferendo merces prohibitas,

Digitized by Google

tas, aut etiam licitas, ſed per vias latronibus obſitas, aut tributa defraudant. Incredibilia mihi eſſent hæc paradoxa, niſi eadem totidem verbis legiſſem. Mutuum inter Chriſtianos caritatis, & prudentiæ regulis moderatur. Quis autem Chriſtianorum prudens, & bene moratus mutuas pecunias tradet aut luſui deditis, aut prodigis, aut illis qui deferunt merces prohibitas, qui tributa defraudant? Quis prudens hominibus dubiæ fidei, aut litigioſis, aut ceteris recenſitis mutuas pecunias credet, niſi ob duplicem finem, caritatis ſuccurrendi fratri indigenti, aut avaritiæ, & lucra captandi? Si primum; mutuum gratuitum erit, vel ad ſummum fideiuſſio adiicietur. Si ſecundum; fenebre mutuum eſt. Nonne ex ſola iſtius opinionis expoſitione eiuſdem apparet manifeſta falſitas? Advertas tamen velim, non omnes iuniores confugere ad hæc extraordinaria pericula, ſed ſolum aſſerere, dummodo periculum verum ſit, & non fictum; ut videre poteris apud Dianam, Tamburinum, Lugo, Bonacinam, La-Croiſium, Salmanticenſes, & alios; quorum aliqui innuunt dumtaxat, ſi mutuatarii ſint decoctores, aut dubiæ fidei, aut non ſatis noti. His voculis graviſſimam difficultatem dirimunt. Sed ad rem.

III. Propoſitio noſtra hæc eſt. *Lucrum ex mutuo ob periculum facti amittendæ ſortis, ſive ordinarium, ſive extraordinarium, feneratitium eſt.* Priuſquam rationes promo, admonere lectorem intereſt, in hac de uſura controverſia verſanda ſemper ad Scripturas, ad Patres, & ſacros Canones oculos convertendos eſſe. Si veræ eſſent iuniorum Probabiliſtarum opiniones; in nihilum occideret Scripturarum, Patrum, & Canonum contra uſuras doctrina. Quid, quæſo, tam ſevere declamarent & Scripturæ, & Patres, & Canones in feneratores, ſi frequentiſſime, & fere ſemper mutuo hærerent tituli vi quorum lucrum perceptum uſuræ expers eſſet? Nihil frequentius damnant Scripturæ quam exactionem uſuræ a pauperibus, iſtorumque oppreſſionem. Iſtis gratis mutuandum docent vel ipſi hæretici uſurarum fautores. Porro nullum mutuum magis obnoxium periculo eſt quam pauperibus traditum. Ab iſtis ergo ſemper ratione periculi exigendum lucrum erit. Ubinam in univerſa divina Scriptura iſtius periculi mentio ad honeſtanda fenora? Argutabunt Probabiliſtæ, non omnia in Scripturis reperiri pro caſibus decidendis. Verum habet, ſi ſermo ſit de caſibus excogitatis a Caramuele, a Diana, a Serra, a Zanardo, a Tamburino, ab Eſcobario, & a pluribus aliis eiuſmodi; falſum vero, ſi de iis præceptionibus loquamur quæ ad imbuendos fideles cum in fidei articulis, tum in morum ſanctitate requiruntur. Numquid minus apte inſtruxit Deus fideles ſuos? Deficiens ne lex illius in iis quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria? Inutilis ergo nobilis Theologorum natio? Abſit. Theologi qui Scripturarum, Patrumque doctrinam communi fidelium intelligentiæ perſpicua interpretatione exponunt, diurna, nocturnaque manu verſandi ſunt; abſtinendum

vero

vero ab iis omnibus qui, Scripturis neglectis, & Patribus, ſuis ratiunculis novas morum regulas excogitarunt. Tam ſubtilia commenta nonnulli invexerunt pro uſura honeſtanda, ut uſuram penitus ſuſtulerint. Tanta vero dexteritate, & acutis ſophiſmatis rem implicant, ut facillime fucum faciant imperitis, qui ea libenter amplectuntur quæ ſibi favent, & fidelium lucra ab uſuræ labe purgent.

IV. Ab his ergo legendis abſtine; & poſt Scripturas ad Patres confuge. Ex doctrina SS. Patrum luculentiſſime eruitur periculum iſtud de quo eſt ſermo, eſſe purum putumque uſuræ pallium. Patres omnes uno ore docent, uſuras patrimonia abſorbere, domos evertere, opulentoſque ad extremam egeſtatem redigere. Conſule quæ ex Baſilio, Ambroſio, aliiſque ſupra reſcripſi, teſtimonia. Fenus fermento comparant, quod totam farinæ maſſam corrumpit. Intimum ergo fere ſemper mutuo eſt amittendæ ſortis periculum ſive reſpectu pauperum, ſive reſpectu divitum. Quid quod *pauperes minime fidem inveniunt?* inquit Baſilius. Quis pauperibus mutuam dat pecuniam? Quis eiſdem credito vendit, niſi moralis habeatur certitudo futuræ ſolutionis?

V. Audi quæ ſcribit Chryſoſtomus homil. lvii. in Matth. *Quid eſt difficilius quam fenerari, & de uſura, & pactionibus vehementer ſollicitum, vades quærere, & modo de pignoribus, modo de ſorte, nunc de ſyngraphis, nunc de fenoribus, nunc de vadibus ipſis formidare..... Neſcis quot homines ſortem amiſerunt fenoris expectatione, quot in PERICULA deciderunt?.... Multi ſæpe in ipſa ſorte naufragium pertulerunt, & antequam naufragium patiantur, continuis curis anguntur.* Numquid ob iſta pericula a crimine uſuræ lucrum excuſat? Immo ſeverius exagitat feneratores ibidem. Hanc doctrinam memoriæ commenda, ut evidentius deprehendas, quam ſit lepida opinio quam excogitarunt Lugo, & Tamburinus, infra referendi. Curas, & angores mutuantium deſcribit etiam Baſilius hom. in Pſal. xiv. *Canes accipientes manſueſcunt; fenerator vero accipiens irritatur... Si iuraveris, non credet. Quæ in ædibus habes, diligentius perſcrutatur. Tua commercia, negotiaque inveſtigat.* Plures alias curas, moleſtias, & ſollicitudines recenſet.

VI. Ut clarius rationes adducendæ pateant, diſtinguendum eſt periculum quod eſt apud creditorem, a periculo quod eſt apud debitorem: quæ duo pericula communiter confundunt, & implicant iuniores. Primum itaque ſermo erit de periculo apud creditorem. Hoc autem cuique mutuo ſemper inſitum eſt. Eo ipſo enim quod quis mutuatur ad aliquod tempus, adeſt ſemper verum periculum vivi amittendi. Ergo ſi iſtius periculi ratione exigi lucrum ex mutuo poteſt, nullum erit mutuum gratuitum, nulla inter Chriſtianos uſura. Declaratur prima propoſitio. Periculum quod eſt apud creditorem, inde habere ortum poteſt quod res mu-

Digitized by Google

mutuatarii vel ſunt deſperatæ, vel erunt, vel poſſunt eſſe. In primo caſu periculum evidens eſt & certum. Sed nullus mutuator pecuniam mutuam tradet ſimili mutuatario, niſi caritate flagrans ſuccurrere proximo velit diſpendio tum ſortis, tum acceſſionis. In ſecundo quoque caſu periculum reperiri, nemo inficiari poteſt. Si enim res mutuatarii erunt deſperatæ, periculum recuperandæ ſortis evidens eſt. In tertio denique caſu periculum eo modo verum eſt quo verum eſt, mutuatarium quemlibet, fortuna adverſa, in miſeriam prolabi poſſe. Nonne in dies videmus divites ad paupertatem redactos?

VII. Oppones, in primo, & ſecundo caſu, in quibus res aut deſperatæ ſunt, aut probabiliter erunt, reperiri utique periculum, & quidem valde proximum; ſecus in tertio, in quo non niſi periculum remotum reperitur. Hoc autem nihili reputatur in moralibus. Ita ne vero? Poſſem reponere. Ex ore tuo te iudico. Quoniam nec in primo, nec in ſecundo caſu nullus uſurarius divitiarum avidus ſuam pecuniam credit ſimilibus mutuatariis; ſed dumtaxat illis qui ſunt in tertia claſſe. Ab his autem lucrum exigere, te iudice, uſura eſt; cum iſtorum periculum non ſit pretio æſtimabile. Sed hæc dicis gratia. Ceterum diſtinguendum eſt periculum certum a periculo vero. In mutuatariis primæ, & ſecundæ claſſis periculum verum, & certum eſt; in mutuatariis tertiæ claſſis periculum verum eſt, ſed non certum. Probabilius utique reſpectu iſtorum eſt quod ſors non ſit amittenda. Tamen improbabile minime eſt quod ſors pereat ob infinitas circumſtantias quæ paſſim occurrunt. Videmus homines integerrimæ fidei a promiſſis deficere; & contra, homines dubiæ fidei promiſſa implere. Inſitum ergo eſt cuilibet mutuo verum periculum, modo utique maius, modo minus, modo propinquius, modo remotius. Communis hominum ſenſus id experientia docente adfirmat.

VIII. Reſpondent Serra, Diana, & Tamburinus, laxioris Ethices fautores, non eſſe verum cuique mutuo cohærere ſortis periculum. Patet enim, inquit Serra 2. 2. *quæſt.* LXXVIII. *art.* 1. mutuum eſſe ſine periculo, *ſi mutuatarius pignus, aut fideiuſſorem daret*. Clarius Tamburinus probat, non cuique mutuo cohærere periculum Lib. IX. de contract. tract. 1. cap. III. *§. 6.* num. 2. *Nam ſi mutuum dem homini fideliſſimo, certoque, ac tuto pignore apud me depoſito, quo pacto certitudinem habeam quod mutuum non ſim amiſſurus, adbuc conſtat mutuum; & tamen nullum odoratur periculum amiſſionis*. Peregregie. Sed acuti Probabiliſtæ in caſſes ſemetipſos detruſerunt. Illorum effugium evidenter deſtruit eorumdem opinionem, noſtramque confirmat. Vi fideiuſſionis, vel aſſecurationis, aut pignoris ſeparari a mutuo periculum poteſt. Ergo his ſublatis mutuum natura ſua inſitum periculum habet. Nulla hic ad evadendum rima patet. Subdit Tamburinus ibidem num. 3. *Quando apud te certum pignus habuiſti pro aſſecuratione tui mutui, vel FIDELISSIMUM fideiuſſorem, te non poſſe ex hoc capite periculi aliquid ſumere: quia tunc,*

cum

Digitized by Google

cum periculum nullum ſubeſſe ſupponatur, moleſtiam non patieris.... Vides ſecundo, etiamſi deinde ſuo præfixo tempore totum mutuum integre tibi ſolvatur, poſſe nihilominus dictum aliquod proportionatum (lucrum) *a te exigi, & retineri.* Ratio eſt, *quia hoc exigis ratione gravaminis, quod iam certo ſuſcepiſti tolerando per annum illud periculum, & timorem amittendi mutuum.* In ſolo ergo caſu quod vel per contractum aſſecurationis, vel per pignus mutuum circumſeptum, munitumque ſit, periculum abeſt a mutuo. Ergo mutuo nude ſumpto, ſeu mutuo, ut mutuo, inſitum periculum eſt. Ergo ex mutuo, ut mutuo, licitum lucrum erit. Si enim mutuo cohæret periculum, idem eſt exigere lucrum ex mutuo ratione mutui, ac ratione periculi eidem intrinſeci. Quandoquidem, fatentibus adverſariis, ita intrinſecum eſt mutuo periculum iſtud, ut ab eo ſeparari nequeat, niſi aut per exhibitionem pignoris, aut per contractum aſſecurationis. Lepidum reſponſum Henrici a S. Ignatio infra convellam.

IX. Evinco alia ratione concluſionem meam. Ut mutuator pro periculo pretium exigat, in ſe periculum ſuſcipere, & mutuatarium a periculo liberare debet. Cur enim mutuatarius ad ſolvendum pro hoc periculo pretium aſtringitur, ſi a periculo non liberatur? Quid emit, quid accipit mutuatarius, ob quod ſolvere pretium teneatur? Mutuator quid beneficii confert mutuatario præter mutuum? Vi mutui nihil accipi poſſe fatentur adverſarii præter ſortem. Pretium ergo exigit quin mercem ullam tradat mutuatario. Iniquum ergo eſt pretium iſtud pro nihilo ſolutum. Urgeo ſub alio aſpectu hanc rationem. Si mutuatarius reipſa iacturam pecuniæ mutuæ acceptæ patiatur, nonne, ſi ſolvendo ſit, tenetur integram pecuniæ ſortem reſtituere? Dubio procul. Solvit ergo periculi pretium. Nam periculum iſtud unice ſpectat ſortis iacturam. Ergo quoties mutuatarius capitale reddit, totum periculi pretium ſolvit. Quid plura? Nonne mutuatarius in ipſa mutui acceptione ſuſcipit periculum reſtituendæ ſortis? Nonne ſi capitale mutuatitium vel furto ſublatum mutuatario ſit, vel negotiationi expoſitum, vel quocumque alio eventu perierit, ad reſtitutionem integri capitalis aſtringitur? Solvit ergo periculi pretium integrum. Pretium enim periculi excedere ſortis pretium nequit; cum periculum circa ſortem non ſit damnum diverſum ab ipſa ſorte. Cedo: poteſt ne mutuatarius cogi ad certum pretium ſolvendum pro damno emergente, quando ipſe ſe velit obſtringere ad cuiuſque futuri damni compenſationem? Negant omnes. Atqui mutuatarius reipſa ſuſcipit periculum compenſandi omne damnum quod ex ſortis iactura oriri poſſet; cum ſe obliget ad reſtituendam ſortem in omni eventu. Ergo dum ſortem reſtituit, plene compenſat omne damnum; cum damnum ſortis non ſuperet ſortis pretium, ut dictum eſt. Quid? Infelix mutuatarius, ſi ſortem, vel fortuna adverſa, vel iniquis prædonibus rapientibus, amiſerit, eam integram reddere debebit; & tenebi-

tur

Digitized by Google

tur inſuper pretium ſolvere, quod has calamitates paſſus ſit, vel pati potuerit? Hæc ne evangelica doctrina? Hæc ne Chriſti caritas?

X. Confirmo rationem adductam furis paritate. Fur ſurripit centum aureos. Pœnitentia ductus eoſdem reſtituit. Numquid pretium periculi ſolvere tenetur creditori? Negant omnes ad unum Theologi. Et tamen maius eſt periculum pecuniæ raptæ quam pecuniæ mutuatitiæ. Reſpondent iuniores, paritatem hanc nullius eſſe roboris. Quoniam ideo fur non tenetur ſolvere periculi pretium, quia nulla pacta inter furem & dominum conventio fuit periculi iſtius ſolvendi; contra inter mutuatorem & mutuatarium hæc præceſſit conventio. Lepidum profecto effugium. Quid nunc in diſputationem vocatur? Nonne utrum ſit periculum iſtud pretio æſtimabile? An ſit titulus verus pretio compenſandus? Quid reſpondes? Negas? Uſura ergo eſt pro illo pretium exigere. Ais? Ergo potiore iure fur quam mutuatarius, illius ſolvere pretium tenetur. Inſiſtis. Nulla inter furem & dominum conventio præceſſit. Opponi ne hæc poſſunt abſque communis ſenſus præiudicio? Ut conventio iuſta ſit, iuſto niti titulo debet. Titulus ergo iſtius mutuæ pactæ conventionis oſtendi, & evinci debet. Et cum titulus, a mutuo diſtinctus, chimæricus a me probatus ſit; commentitia quoque, & feneratitia conventio eſt. Ceterum quomodo præcedere inter latronem & dominum conventio poterat, ſi fur, inſcio domino, rem ſurripuit? Neque de damno emergente conventio præceſſit. Ergo fur compenſare damnum emergens non aſtringitur, ſi illud paſſus dominus eſt? Neque præceſſit pactum de reſtituenda re rapta. Ergo ad reſtitutionem fur non tenetur? Sed quid in convellendo vaniſſimo effugio tempus tero; cum hæc inepta ſophiſmata evidentiſſimam patefaciant concluſionem noſtram? Paucis rem hanc perſtringo. Titulus ſuapte natura iuſtus, eſt pretio æſtimabilis in mutuo: hoc ſuum pretium non amittit in furto. Et titulus qui in furto pretio æſtimabilis non eſt, neque in mutuo pretio dignum eſſe poteſt. Alioquin melior eſſet conditio furis quam mutuatarii. Hoc ſolum inter mutuatarium & furem diſcrimen eſt, quod mutuatarius neque pretium iuſti tituli, puta damni emergentis, ſolvere tenetur, niſi præcedat conventio: quia in quolibet contractu libere convenire partes debent. Et quoties mutuator damnum quod ratione mutui patitur, non manifeſtat, & de eo, cum poſſit, non paciſcitur, præſumitur illud mutuatario donare. Hæc pacta cum ſure iniri nequeunt. Ideo fur ultra reſtitutionem ſortis compenſare ea omnia damna tenetur quæ ob furtum paſſus fuerit dominus, licet nullum præceſſerit pactum. Iuxta omnes ad unum Theologos fur non tenetur compenſare periculum amittendæ ſortis. Ergo iuxta omnes periculum amittendæ ſortis neque in furto, neque in mutuo eſt pretio æſtimabile.

XI. Verum ratione adhuc evidentiori, & cauſſæ noſtræ intimiori confirmo propoſi-

poſitionem meam. Finge aliquem per vim, aut fraudem cogi ad mutuandum cum periculo ſortis amittendæ. Is violentus, vel fraudulentus mutuatarius ad quid eſſet aſtrictus? Ad reſtituendam ſortem, & omnia damna quæ tali occaſione paſſus fuiſſet mutuator coactus; quamvis nullum de his damnis pactum præceſſiſſet. Quid ratione periculi ſortis amittendæ? Nihil omnino compenſare teneretur, ut omnes fatentur, ſicut dictum eſt de fure. Ergo evidens eſt, periculum non eſſe a ſorte diverſum, ſicut diverſa ſunt cetera damna.

§. II.

Confirmatur noſtra ſententia ex cap. Naviganti.

I. DIxi initio diſputationis, duplex a Theologis diſtingui periculum. Aliud *facti*, quod eſt apud debitorem, quatenus debitor ex omnibus ſuis bonis tenetur in quocumque eventu, etiam amiſſæ ſortis, & lucri, tantumdem reddere creditori. Aliud *iuris*, quod creditor in ſe ſuſcipit; ita ut ſi ſors quocumque caſu abſque debitoris culpa perierit, ipſi creditori pereat. Hoc periculum mutuo extrinſecum vocatur: quia per novum contractum aſſecurationis ſuſcipitur a creditore. Hoc quoque periculum reiicit Gregorius IX. in Decretali, ad S. Raymundum O. P. directa anno 1306. *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem, uſurarius eſt cenſendus*. Ex hoc pontificio canone ſic confirmo ſententiam meam. Non licet mutuatori aliquid ultra ſortem ſuſcipere, etiamſi pecuniæ traiectitiæ periculum ſuſcipiat, ſeu ob periculum iuris; quin, ſi recipiat, *uſurarius eſt cenſendus*. Quid? Mutuator qui ſuſcipit periculum, non modo debitoris, ſeu mutuatarii perfidiæ, verum etiam maris, prædonum, latronumque, fenerator reputatur, ſi pretium exigat; mutuator vero qui nullum omnino ex his periculis ſuſcipit, ſed uni periculo *facti*, nempe perfidiæ, & inopiæ debitoris, ſubiacet, pretium exigere poterit? Quid magis cum ratione, communique ſenſu pugnat?

II. Heu quot in latebras ſe recipiunt adverſarii, ut heinc elabantur! Innumera ſunt commenta quibus eludere obvium canonis ſenſum pertentant. Multi contendunt, mendum irrepſiſſe in Pontificium textum, & deſiderari particulam NON, librariorum oſcitantia omiſſam. Sed effugium iſtud penitus præcluſi in opere *de uſura contractus trini diſſ.* 1. *cap.* V. *§.* 2. ubi palam feci, non modo codices omnes carere particula NON, verum etiam, quod peremptorium eſt, S. Raymundum, ad quem directa Decretalis fuit, textum hunc referre abſque præfata par-

Digitized by Google

particula. Cavillantur alii ultima verba: *Uſurarius eſt cenſendus*; ideſt, in foro exteriori ob præſumptionem quod ratione mutui, non periculi, lucrum captetur. Quiſque videt, num ſit hæc aperta legis circumventio. Nam iſtæ dicendi formulæ, Uſurarius eſt cenſendus, & Uſurarius eſt, idem omnino ſonant. Quid quod in eadem Decretali continuo adiicitur ſecundus caſus, cuius initium eſt, *Ille quoque qui dat* &c. & eadem phraſi reſolvitur, *Non debet ex hoc uſurarius reputari?* Omnes hunc ab uſura abſolvunt in utroque foro. Nemo unus dixit, non eſſe reputandum uſurarium in foro conſcientiæ. Denique numquid Pontifices propoſitas ſibi quæſtiones, ad morum integritatem attinentes, decidunt pro foro exteriori, ſecus pro foro conſcientiæ?

III. Communior inter iuniores interpretatio hæc eſt. Quando mutuator cogit mutuatarium, ut ſemetipſum pro aſſecuratore ſuſcipiat, uſurarius eſt cenſendus; ſecus vero quando mutuatarius ſponte in fideiuſſorem ſuſcipit mutuatorem. Si hæc conſiſtat interpretatio, nulla lex eſt tam luculenta quæ circumveniri nequeat. Unde ſciunt iuniores, tempore Gregorii IX. mutuatores conſueviſſe imponere onus iſtud mutuatariis? Ut enim interpretatio locum haberet, morem hunc obtinuiſſe oporteret tempore quo condita Decretalis fuit. Pontifex enim illum contractum decernit uſurarium qui ſuo peragebatur tempore. Porro ignoravit ne Pontifex ſui temporis morem? S. Raymundus, & ceteri qui conſuluerunt Pontificem, aut expoſuerunt eidem vim illatam mutuatario, aut ſecus. Si ais, illius meminiſſet Pontifex. Si negas, ergo Pontifex, nullo ad vim mutuatario factam reſpectu habito, contractum fenebrem definit. Sed quid ultra argumentationem protraho? Si neceſſaria eſſet vis eiuſmodi, ut fenebris contractus eſſet; chimærica dicenda foret pontificia Decretalis, in qua reipſa nulla iſtius violentiæ mentio eſt; & tamen contractus uſurarius definitur. Iuxta Bonacinam, Salas, Filliucium, Molinam, Leſſium, Tamburinum, alioſque iuniores, ablata violentia, contractus iuſtus eſt. Pontifex, nullius violentiæ mentione facta, contractum uſurarium decernit. Alterutrum ergo: aut erravit Pontifex; aut errant iuniores. Non erravit Pontifex: ergo errant iuniores. Nulla hic ad evadendum via.

IV. Alio ex capite evinco interpretationem iuniorum eſſe arbitrarium commentum. Omnis civilis obligatio impoſita mutuatario contractum efficit uſurarium. Si mutuator obliget mutuatarium ad remutuandum, ad emendas ſuas merces, ad accedendum ad ſuum molendinum, & ad quid ſimile, uſuram committit. Nullum umquam fuit de hoc inter Theologos diſſidium. Si mutuator impoſuiſſet hoc onus mutuatario, nullo ad Pontificem recurſu facto, omnes Theologi uſuræ reum illum damnaſſent. Rurſus, aut lis erat de aſſecuratione violenta, aut de aſſecuratione libera. Si de aſſecuratione violenta, cur Pontifex violentiæ

non

Digitized by Google

non meminit? Si de aſsecuratione libera, cur Pontifex indefinite loquitur, nec libertatis, nec violentiæ mentione facta?

V. Quid, ſi mutuator omnino gratis, ut debet, mutuam det naviganti, vel eunti ad nundinas pecuniam, omni alia intentione ſublata; & poſtea mutuatarius ſponte adeat mutuatorem, illumque in aſsecuratorem accipiat? Nullam tunc uſuram committi defendit cum aliis vel ipſe Natalis ab Alexandro, laxioris Ethices refutator *Lib. III. art. 5. reg. 3.* Quoniam mutuator ob mutui beneficium deterioris conditionis non eſt ac alius quiſque. Porro quilibet alius aſsecurare periculum negotiationis, ſive maritimæ, ſive terreſtris, valet. Ergo & mutuator. Si caſus iſte præciſus a praxi ſpectetur, immo ſi reipſa innocenter accideret in praxi; non viderem cur damnari uſuræ poſset. Verum magna hic opus eſt vigilantia, quia uſuræ anguis in herba latet. Vix, ac ne vix quidem hoc in praxi ſincere & innocenter occurrit. Si tamen occurreret, nec ipſe poſt factum abſolute uſuræ damnarem. Ceterum, cum vix ac ne vix quidem id contingat in praxi; ideo abſolute Gregorius IX. declaravit uſuræ reum mutuatorem qui ob tale periculum in ſe ſuſceptum, pretium exigit. Nec eſt eadem ratio de tertio aſsecuratore, reſpectu cuius nulla eſt ſuſpicandi ratio, quod ex mutuo lucrum captetur. Et reipſa Pontifex mutuatorem, non tertium aſsecuratorem, uſuræ reum declarat. Mutuatores enim facile ementiuntur gratuitum mutuum, & liberam periculi ſuſceptionem: tum quod ſucceſſive fieri poſse conceditur, ſimultanee fieri poſse inferunt ipſi: & tandem, quod vix in praxi contingit, communiter ad praxim reducunt; & ita Decretalis pontificia in nihilum occidit.

VI. Aliam legis circuitionem excogitarunt, & verba Decretalis ſic interpretantur plures, quos refert, & ſequitur Franciſcus Sylvius 2. 2. *quæſt.* LXXVII. *art.* 1. *quæſt.* IV. ſub finem. Verba Decretalis, *eo quod ſuſcipit in ſe periculum*, connectenda ſunt cum præcedentibus. Tò *eo quod* denotat cauſsam lucrandi ex mutuo; ac ſi diceretur: Naviganti, vel eunti ad nundinas ideo mutuans certam pecuniæ quantitatem, quia ſuſcipit in ſe periculum, alias ſcilicet non mutuaturus, ut ita lucretur, recipiens aliquid ultra ſortem, uſurarius eſt cenſendus. Non damnat ergo Pontifex eum qui ratione periculi in ſe ſuſcepti aliquid recipit; modo ex mera, & ſpontanea alterius voluntate periculum in ſe ſuſcipiat. Hæc totidem verbis Sylvius.

VII. Interpretatio hæc nihil continet præter ea quæ ſupra propulſavi. Si Tò *eo quod* indicaret lucrum ex mutuo, debuiſset in Decretali poni prius mutuum, non periculum; & hoc modo componi Decretalis: *Eo quod mutuans certam pecuniæ quantitatem, ut in ſe ſuſcipiat periculum, recepturus* &c. Sed e contrario Decretalis compacta eſt, in qua uſuræ cauſsa periculi ſuſceptio aſſignatur, *eo quod ſuſcipit periculum* &c. Vana itaque eſt, & prorſus inepta allegata interpretatio. Hæc

Digitized by Google

Hæc luculenta ſunt; tamen ad maiorem evidentiam addo reſponſum Lancellotti, qui caſum Decretalis exponit in *Inſtit. Lib. IV. tit.* VII. *de uſur.* §. 10. his verbis. *Aliud autem iuris eſt, ſi quis naviganti, vel ad nundinas eunti certam pecuniæ quantitatem mutuatur; & ex eo quod in ſe mutuans periculum ſuſcipit, aliquid ultra ſortem, ut recipiat, convenit: nam hic uſurarius reputandus erit.* Quid plura? Gloſsa ipſa hoc quoque modo caſum exponit. *Aliquis mutuavit certam pecuniæ quantitatem naviganti, vel eunti ad nundinas; & pro eo quod mutuans recipit in ſe periculum ſortis, recipit aliquid ultra ſortem: quæritur, utrum uſurarius ſit? Reſpondet Pontifex, quod ſic.*

VIII. Hæc ſunt omnia commenta quæ excogitarunt iuniores ad eludendam pontificiam Decretalem. Iſtorum omnium vanitas mirum in modum evidentiorem reddit propoſitionem noſtram. Reſume nunc argumentationem factam. Etiamſi mutuator ſuſcipiat periculum ſortis amittendæ vel ob naufragium navis, vel ob furta prædonum, vel ob incendium, & alia mala imminentia, nequit pretium exigere præter ſortem. Et quando mutuator nullum ex his periculis ſuſcipit, ſed omnia ſuſtinet mutuatarius, tunc ne lucrum repetere iure poterit ob ſolum iſtius inopiæ, vel perfidiæ timorem? Quiſnam hoc propugnare iure poteſt?

§. III.

Cardinalis de Lugo, & Tamburini rationes peculiares reiiciuntur.

I. Quæſo ne me nimiæ prolixitatis accuſes, quia diſputatio hæc magni momenti eſt. P. Thomas Tamburinus de hoc periculo recuperandæ ſortis hæc ſcribit *Lib. VIII. tract.* III. *cap.* VIII. §. 4. *num.* 1. „ Quando rationabiliter timetur periculum, vel difficultas, vel expenſæ in recuperando mutuo, atque „ hæc oriuntur ratione perſonæ mutuatarii; poteſt aliquid exigi proportionatum „ ſupra ſortem . . . . Si pericula timeantur ex ſola puſillanimitate, negant plerique . . . . Verum de Lugo innuit poſse; licet denique aliorum iudicio relinquat. Ratio eſt . . . . angor, & moleſtia quæ mutuans paſsurus eſt toto v. g. „ anno, propter timorem amittendi ſortem, quæque ſubire ipſe non obligatur ſine pretio. Atque hæc iam in eo puſillo adſunt. Ergo &c.“

II. Lepidam hanc ſpeculationem adoptavit Tamburinus ex Cardinali de Lugo, qui ſin minus perſpicuitate ſcribendi, certe acumine cogitandi Tamburino præſtat. Ambo vero, pace illorum dixerim, ad laxitatem declinant. Igitur de Lugo vir ſane acutus, & doctus, verſat hanc quæſtionem *diſp.* XXV. *ſec.* 6. *num.* 81. Fatetur ille contrariæ opinionis fundamenta eſse infirma, & periculum non eſse a

Digitized by Google

ſorte diſtinctum. Nihilominus excogitavit rationem indicatam a Tamburino, quam lubet verbis eiuſdem Lugo tranſcribere. Inquit ergo . „ Ceterum cum hoc ſtat „ quod ipſum periculum ſit damnum diverſum a ſorte, & pro quo poſſit aliquid „ ex pacto præcedenti exigi. Negari enim non poteſt quod, licet debitum poſtea „ recuperetur, moleſtiam tamen mutuanti attulerit periculum illud, & timor a- „ mittendi ſortem. Sicut ergo mutuum quod dari non poteſt ſine corporis, vel „ mentis labore, vel moleſtia, affert titulum ad exigendum aliquid ultra ſortem „ pro illo labore, vel moleſtia, & timore amittendi ſortem; poteris pro hac „ moleſtia ſubeunda aliquid exigere.

„ *Ratio autem a priori* eſt, quia labor, & dolor mentis, licet non ſint in ge- „ nere bonorum fortunæ, & ideo iniuriæ circa illos illatæ non obligent ex ſe ad „ compenſandum pecuniis, ſunt tamen *aliquid* quod in pactum deduci poteſt, ut „ pecuniis compenſetur. Sicut enim pro labore corporis potes pretium exigere, ita „ & pro labore mentis: & ſicut potes exigere pretium, ut aliquis ſit tibi dolori „ capitis, quanti doloris illius moleſtia æſtimari poſſit; ita pro moleſtia, & ango- „ re mentis ſubeundo poteris pretium exigere; cum non minus, ſed magis aliquan- „ do cruciet quam dolor corporis. *Si ergo poſſes ultra ſortem exigere, quando mu- „ tuum futurum tibi eſſet cauſa doloris capitis, poteris etiam exigere, quando mu- „ tuum futurum tibi eſſet cauſa doloris, & timoris interni propter periculum ſortis „ amittendæ: quia dolor ille, & timor, prout contradiſtinctus a ſorte ipſa, eſt a- „ liquid quod in pactum poſſit pro pretio afferri.*" Hactenus Cardinalis de Lugo.

III. Nullus dubito quin lector aliquo animi ſenſu ſe tactum ſentiat ob ſingularis iſtius doctrinæ, ſane mirificæ, lectionem. Quam verum eſt effatum P. Elizalde, plurimos videlicet *caramuelizare*. Doctrina quippe hæc quam tradit Lugo, eadem eſt ac illa quam ex Caramuele ſupra retulimus. Sicut viſio beſtiæ, comœdiæ, & ſimilium eſt pretio æſtimabilis, inquit Caramuel; ita viſio fulgentis auri, argentique. Lætitiam, conſolationem, & gaudium adfert viſio hæc. Ergo eiuſdem privatione mæſtitia, & angore afficitur animus. Hæc omnia pretio ſunt æſtimabilia. Ergo licite vendi poſſunt quin uſura committatur. Periculum, inquit Lugo, amittendæ ſortis utique ſorti ipſi cohæret: & falluntur iuniores, ait ille, dum ob periculum abſolute ſpectatum recipi poſſe lucrum docent. Verum ſi periculum iſtud conſideretur ut cauſa moleſtiæ, angoris, & doloris, quem excitat in animo mutuatoris; tum licitum lucrum eſt: quoniam dolor mentis, anguſtia, & moleſtia animi, quam patitur mutuator ob periculum amittendæ ſortis, revera eſt quid diſtinctum ab ipſa ſorte.

IV. Quid heinc? Quo maior erit dolor, eo maius pretium erit exigendum. Quo vero homines ſunt avariores, eo ſunt pecuniæ amantiores. Ergo acerbioribus iſti cruciantur angoribus, & amariore conflictantur mæſtitia. Altiori ergo pretio compen-

Digitized by Google

penſanda hæc omnia ſunt. Reſpondet P. Tamburinus *Lib. IX. de contract. tract. 1. cap. III, §. 6. num. 5.* communiter a Doctoribus negari conſectarium iſtud: quia, aiunt, timor debet *niti aliqua ratione probabili*, ut probabiliter mutuator dubitare queat de ſorte amittenda. *Aliqua* ergo ratione *probabili* niti debet timor iſte. Sed quis mutuatorum eſt qui rationem probabilem ſaltem *aliquam* non habeat ſortis amittendæ? Præſenſit hoc & ipſe perſpicax Tamburinus: idcirco, miſſa hac *aliqua* ratione *probabili*, hæc ſubdit continuo ibi. *Dixi communiter a Doctoribus negari: nam inclinat de Lugo, ſed timide.* Videamus an timide loquatur de Lugo, qui *loc. cit. num.* 85. opponit ſibi argumentationem factam, quod nempe avariores ſint timidiores. Et primum ex P. Thoma Sanchez *Lib. IV. de matrim. diſp.* 11. admonet, hunc timorem reipſa eſse *reſpectivum*; & ideo minorem cauſsam requiri in femina quam in homine, ad hunc timorem excitandum. Et ſic, dum feminæ mutuantur, quia avariores, & puſillanimiores, maius pretium exigere poterunt.

V. Reſcribam verba ipſius De Lugo, ne quidquam ei imponere videar. Innuit ipſe quod moleſtia iſta, ſive ex indole vitioſa mutuatoris, ſive ex ipſo periculo probabilioretur, ſufficiens ratio ſit pretium exigendi. Hæc ſunt illius verba. „Cum „ enim ratio licite exigendi aliquid propter periculum ſit, quia mutuans non poteſt „ hic & nunc mutuare quin ſubeat moleſtiam illam, & timorem; *parum* videtur „ referre quod res ipſa, vel indoles mutuantis, & eius diſpoſitio talem moleſtiam „ afferat. *Quia ſi ego, quia claudus v. g. ſum, debeo ſubire peculiarem moleſtiam,* „ *ut pecuniam ex domo afferam ad tibi mutuandum, quam moleſtiam alii non ſubirent, poſſum bene* (N. B.) *peculiare pretium exigere pro illa moleſtia a me ſub-* „ *eunda. Si ergo ſimiliter, quia meticuloſus ſum, & pavidus, non poſſum tibi mu-* „ *tuare ſine magno angore, & timore amittendæ ſortis, videtur quod poſſim aliquid* „ *exigere pro hac moleſtia, & onere, ſine quo ego tibi mutuare non poſſum. Hoc* „ *tamen aliorum iudicio relinquo.*"

VI. Opus minime eſt lectorem excitare, ut recogitet ſerio, quo pervenerit novus opinandi modus. Allata doctrina ſeipſa loquitur; quare confutatione non indiget. Ea admiſsa, horrenda conſequuntur abſurda. Claudi ergo pretium repetere maius ex mutuo poſsunt ob maiorem in ferenda pecunia laborem? Quid dicendum ergo de iis qui oculorum hebetudine laborant in pecunia numeranda? Quid de feminis? Quid de avariſſimis, qui ob æſtuantem pecuniarum amorem graviſſime cruciantur? Quid, ſi dolorem, ſi moleſtiam, & angores viri nobiles ſubire ex mutuo debeant? Pretium quippe doloris, moleſtiæque iſtius augendum, minuendumque eſt per comparationem ad perſonæ dignitatem, & gradum. Nonne maiori æſtimari pretio debet dolor quem patitur vir delicatus, nobilis, & celebris, præ illo quem ſuſtinet plebeius, fortis, & robuſtus? Sed ad alia, ne ſatyram ſcribere videamur.

Digitized by Google

§. IV.

Ob nullum periculum facti, ſive probabile, ſive ordinarium, ſive extraordinarium, licitum eſt ex mutuo lucrari. Patrum, & Evangelii teſtimoniis id evincitur. Ethnicorum de hac controverſia doctrina.

I. CLamitare iuniorum non pauci ſolent, caſus horum temporum non eſſe a Patribus deciſos. Iam ſupra oſtendimus, Baſilium, Chryſoſtomum, Ambroſium, ceteroſque pericula enarrare quæ ſubeunt feneratores. Neque illorum aliquis ob eiuſmodi pericula, licet gravia, & non communia, aliquid exigi poſse ex mutuo concedit. Et quoniam controverſia in qua verſamur, graviſſima eſt, lubet iterum, quæ diximus, confirmare, & evidentius iuniorum commenta in nihilum redigere. S. Gregorius Nyſsenus, S. Baſilii frater, fuſius & eloquentius quam de Lugo, Tamburinus, Caramuel, & ceteri omnes Probabiliſtæ, feneratorum pericula commemorat *homil. adverſus feneratores*, ubi inter alia hæc ſcribit. *Curioſe & anxie inquirit fenerator omnes debitoris actiones in peregrinationes, in egreſſum, in mercaturam. Et ſi fama oriatur infauſtior, quod ſcilicet quidam in latrones inciderit, vel eventu aliquo inops ex opulento evaſerit . . . aſſidue gemit, ſæpius plorat, volvit chirographum, lamentatur in litteris illis aurum, efferens contractus tabulas, non ſecus atque veſtem filii mortui, acerbioremque adhuc illarum adſpectu exſuſcitat dolorem. Si autem mutuum fuerit nauticum, littoribus aſſidet, defiet ventorum procellas, & tempeſtates, perpetuo examinat euntes, & redeuntes, numquid aliquid de naufragio ſit auditum, numquid alicubi periculum adierint? . . . . An non exactio uſuræ eſt quæ omnes evertit, quæ divitias diſſipat, efficitque ut qui honeſto, & nobili loco nati ſunt, deteriorem vitam vivant quam ſervi? . . . Ecquid reſpondebis, accuſatus incorrupto iudici? quando tibi dixerit: Habuiſti legem, Prophetas, evangelicas præceptiones: omnes audiviſti ſimul ingeminantes una voce caritatem, & humanitatem: his quidem monentibus:* Fratri tuo non feneraberis: *aliis vero:* Pecuniam ſuam non dedit ad uſuram: *aliis:* Si mutuum dederis fratri tuo, non urgebis illum: *& Matthæus in parabolis clamans Dominique mandatum annuntians, ait:* Serve nequam &c. *Ego quidem primum dandum, & donandum eſſe prædico, & annuntio, deinde quoque ad mutuum exhortor: altera enim donationis ſpecies eſt mutuum. Sed addo; hoc dandum eſſe ſine fenore, & exactione uſuraria, eoque modo quo divina oracula præcipiunt. Æque enim obnoxius eſt pœnæ qui non dat mutuum, & qui dat ſub conditione uſuræ . . . . At iſti ad alterum extremum ſeſe conferunt . . . . Vel enim non dabo, inquit, vel mutuum dans contractum faciam feneratitium.*

II.

Digitized by Google

II. Quanti æſtimarent De Lugo, Tamburinus, Bonacina, Salmanticenſes, & ceteri iuniores lacrymas, gemitus, acerbiſſimos dolores, perplexitates, & mæſtitias, ceteroſque angores quos enumerat S. Baſilius? Mutuum de quo loquitur Doctor ſanctus, nauticum eſt, nempe periculis valde probabilibus, & frequentiſſimis, & extraordinariis obnoxium. Propterea ne ab uſuræ labe lucrum purgat? Propterea ne mutuatores ab uſura excuſat? Recentiorum neminem legi qui tanta perſpicuitate deſcribat tum pericula omnia quibus expoſitum eſt mutuum ſive nauticum, ſive terreſtre; tum acerbiſſimas anguſtias quibus cruciantur mutuatores, quanta S. Gregorius, Baſilius, Ambroſius, ceterique Patres; & tamen nec in mentem illis venit, ob præſata pericula, vel anguſtias mutuantium lucrum perceptum ex mutuo honeſtare. Ergò luce meridiana clarius eſt, doctrinam iuniorum cum Patrum doctrina pugnare.

III. Quid quod doctrina Patrum eſt ipſa doctrina evangelica? Ut id evincam, evangelicum textum in medium affero. *Si mutuum dederitis iis a quibus ſperatis accipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fenerantur, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos veſtros, benefacite, & mutuum date nihil inde ſperantes.* Luc. VI. Hebræorum peccatores, ſeu vulgares homines iis fenerabantur a quibus vel ſimile beneficium, vel ſortis reſtitutionem ſperabant. Chriſtus diſcipulos ſuos ad maiorem perfectionem inſtruens, etiam iis a quibus nihil reſtituendum ſperatur, mutuum dare iubet. *Mutuum date, nihil inde ſperantes:* quandoquidem *ſi mutuum dederitis iis a quibus ſperatis accipere, quæ gratia eſt vobis?* In lege moſaica vetitum erat lucrum ex mutuo captare. In lege evangelica, quæ lex caritatis, & perfectionis eſt, non modo Chriſtus lucrum vetat ex mutuo recipi, ſed mutuum dari hortatur abſque ſpe illud recuperandi. Hæc omnia Patres docent. *Aſſuefecit hominem* (inquit Tertullianus Lib. IV. adverſus Marcionem cap. XVII.) *ipſi fenori* (ideſt ſorti) *perdendo, cuius fructum didiciſſet per legem amittere.* S. Baſilius homil. in Pſalm. XIV. *Date mutuo iis a quibus accipere minime ſperatis.* S. Ioannes Chryſoſtomus homil. LVII. in Matth. *Cum Deus nolit, quod dederis, accipere: Date namque illis, inquit, a quibus accipere non putatis: tu etiam pluſquam dederis flagitas?* Superfluit ceteros allegare Patres, qui omnes docent, Chriſtum Dominum non ſolum legem moſaicam adverſus uſuram confirmaſſe, ſed perfeciſſe. Vult quippe in hoc potiſſimum caritatis puncto ut diſcipulorum ſuorum iuſtitia Phariſæorum iuſtitiæ præſtet. Quamobrem ſi Hebræi abſque lucro mutuum tradebant illis a quibus certo ſperabant ſe tantumdem recepturos, iubet ut nos etiam illis pecuniam mutuam credamus, ſi opus fuerit, quos eamdem reddituros metuimus. *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Tò *nihil* tum lucrum, tum capitale excludit. Tantum igitur abeſt ut propter periculum, ſive probabile, ſive extraordinarium, ſive

quodcumque, aliquid accipere Chriſtiani iuxta evangelicam legem valeant; quin eo ipſo in loco ubi de perdenda ſorte agitur, mutuum dare Chriſtus præſcribit. Hæc eſt omnium Patrum ſententia, ut vidimus.

IV. Sententia noſtra confirmatur ipſorum Ethnicorum auctoritate, qui etſi infidelitatis caligine circumſuſi hanc veritatem agnoverunt. Duplex penes ipſos mutuum, terreſtre, & maritimum. Ex utroque uſuræ pendebantur, quia licitæ apud ipſos habebantur. Quod ad periculum attinet ex mutuo terreſtri, uſuræ nullæ præter conſuetas pendebantur: quia periculum erat apud debitorem, qui in omni eventu tenebatur ex omnibus bonis ſuis indemnem reddere creditorem. In mutuo maritimo, ſeu nautico uſuræ conſuetis maiores ſolvebantur propter periculum ſuſceptum a creditore, cui ſoli pecunia traiectitia, ſi navis periiſſet, peribat. Hoc ſolum periculum ſuſceptum a creditore apud ipſos pretio æſtimabile erat. Lege integrum titulum 2. *ff.* 22. *l.* 3. Modeſtinus. *In nautica pecunia ex eo die periculum ſpectat ad creditorem, ex quo navem navigare conveniat*. Item ibi *l.* 5. Scævola. *Periculum pretium eſt* &c. ubi non alii caſus recenſentur in quibus periculum pretio æſtimetur niſi ii qui *aleæ ſpeciem* præferunt, pecuniæ traiectitiæ ſimiles. Periculum vero iſtud ſemper ad creditorem attinebat. Periculum vero quod ad debitorem pertinet, quatenus hic ex omnibus bonis quæ habet vel quæ habiturus eſt, tenetur ad tantumdem creditori reddendum, numquam penes Ethnicos ipſos pretio dignum reputatum fuit. Periculum utique eſt, & quidem probabile, etiam in mutuo terreſtri, ne debitor ſit ſolvendo, vel fortuna adverſa, vel eius perfidia, prodigalitate, aliiſque cauſſis. Sed Ethnicorum nemo periculum iſtud pretio compenſandum docuit. Id vero docebunt Chriſtianorum Theologi, qui omne fenus tum nauticum, tum terreſtre execrantur? Fenus quippe nauticum, quod ut licitum propugnabant Ethnici, ſemper deteſtati ſunt Chriſtiani: & quia periculi colore a creditore ſuſcepti fucare eiuſmodi fenus contendebant aliqui, illud damnavit Gregorius IX. cap. *Naviganti*. Si itaque nobis nec ratione periculi *iuris*, ſuſcepti a creditore, licitum lucrum eſt ex pecunia traiectitia; quanto minus licitum erit lucrum ob periculum *facti*, cui debitor ipſe obnoxius eſt, ſi ſolvendo ſit; creditor vero tum ſolum damnum patitur, cum omnia debitoris bona perierint?

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Theologorum auctoritate ſententia noſtra confirmatur. Adverſariorum opinio pluribus abſurdis obnoxia eſt, & conſcientias torquet.

I. Noſtram ſententiam tuentur S. Thomas, ſive Auctor *opuſc.* lxxiii. *cap.* vi. ubi hæc habentur. *Si quis pecuniam alicui naviganti commiſerit mutuo propter ſpem alicuius lucri, licet periculum etiam ſortis ſuper ſe receperit, nihilominus iudicatur uſurarius, etiamſi totum amiſerit.* S. Raymundus in *Sum. tit. de uſur. ſ.* 7. ubi exponit Decretalem *Naviganti*, ad ſe datam (quo ſane nemo melius eiuſdem germanum ſenſum aſſecutus eſt) hæc ſcribit: *Tales ſemper faciunt tale mutuum propter ſpem lucri pecuniarii; quod non licet.* Si iſti damnant uſuræ lucrum ob periculum iuris, quod aliunde pretio æſtimabile eſt, ut patet in tertio aſſecuratore; quanto magis damnant lucrum ob merum periculum facti, mutuo inſitum?

II. Noſtram quoque ſententiam propugnant Navarrus *cap.* xxiii. *num.* 81. Dominicus Soto *Lib. VI. quæſt.* iv. *artic.* 1. *ad* 1. Bannez 2. 2. *quæſt.* lxxvii. *artic.* 4. *dub.* 6. Guittierez *canonic. Qq. cap.* xxxix. *num.* 30. Rebellus *II. Par. Lib. IX. quæſt.* xii. *num.* 2. Toletus *Lib. de ſeptem peccat. mort. cap.* li. Tapia *Lib. V. quæſt.* xvii. *art.* 9. Conradus *quæſt.* liv. La-Cruz in *direct. Par. I. præcept.* vii. *quæſt.* v. *dub.* 6. Ludovicus Lopez de *contract. cap.* xxxvii. & Inſtructor. *II. Par. cap.* lxx. & contrariam opinionem poſtulat tamquam periculoſam in fide. Natalis ab Alexandro *Lib. III. art.* 5. *reg.* 3. Franciſcus Gennettus *tractat.* iv. *cap.* vii. *quæſt.* iii. & iv. Petrus Ballerinus *prælect.* ii. *ad S. Antoninum*, & *de iure divino &c. Tom. I. Lib. VI. cap.* iii. Nicolaus Gennaro in *Uſura detecta Par. I. recognit.* 1. *ſ.* 5. Item Theologi Pariſienſes, & Lovanienſes, ut teſtatur Continuator Turnely *Par. II. de contract. cap.* iii. *art.* 3. *ſect.* 1. *concluſ.* 1. & 2. qui loquens de periculo *facti* noſtræ opinioni accedit. Ratione periculi iuris *concluſ.* 3. adfirmat licitum eſſe lucrum. Ratione periculi extrinſeci probabilis ait vix in praxi ſine uſura exigi lucrum poſſe. Gabriel Antoine *tract. de contract. cap.* iii. *quæſt.* xiv. negat licitum eſſe exigere aliquid a pauperibus ratione periculi orti ex eorum inopia: quia periculum intrinſecum eſt huic *mutuo in individuo*. Sed etiam vere intrinſecum eſt *huic mutuo in individuo*, tradito naviganti, vel eunti ad nundinas; quamvis Probabiliſtæ illud appellent extrinſecum. Iſtorum rationes in favorem lucri percepti ob tale periculum, adducit *P. Antoine*; nec eas improbat; nec tamen approbat.

Verum ſi lucrum perceptum ratione periculi orti ex pauperum inopia ſenebre eſt, eadem ratione ſenebre eſt etiam lucrum exactum ratione cuiuſque periculi *facti*.

III. Noſtræ ſententiæ communiter ſubſcribunt Canoniſtæ. Honoratus Leotardus perdoctus Canoniſta *de uſuris quæſt.* XXIII. defendit noſtram ſententiam cum communi Canoniſtarum aſſenſu. Animadvertit, olim permiſſum fuiſſe civili iure nauticum fenus ob ſuſceptum periculum. *Nunc vero*, inquit, *uſura hæc nautica omnino damnata eſt, & leges civiles, nauticum fenus permittentes, abrogatæ ſunt ex conſtitutione D. Gregorii IX. cap. ult. de uſur. cap. Naviganti*. Poſtquam vero demonſtravit, ſenebre eſſe lucrum ob periculum *iuris* ſuſceptum a creditore *num.*.27. improbat potiori iure tamquam feneratitium lucrum perceptum ob periculum *facti*, cui ſe exponit creditor: *quamvis*, inquit, *id licitum eſſe ſentiant Leonardus Leſſius, & Theologi ſane plurimi.... Sed noſtra ſententia tutior eſt, & inter Iuriſperitos recepta*.

IV. P. Nicolaus Gennaro O. P. ſtrenuus cavillationum quas excogitarunt iuniores plures ad fucandas uſuras, oppugnator *loc. cit. num. 36.* ſubſcribit doctrinæ Leotardi; deinde ſic effatur. *Ita ſentiunt Doctores laici in confuſionem Theologorum. Et, o bone Deus, in quas ſententias abeunt tot capita? Ad quid? Ad iuſtificandum nauticum fenus. Inſudant, ut cupiditati faveant humanæ, ſordidæque avaritiæ. Dicent: Alias humanum commercium deperditum eſſet, & mercatura ad nihilum redacta. Suſtineant omnes uſuras maritimas illicitas eſſe, erit via occluſa licitis quæſtibus humano commercio. Audiant* Gofredum in *ſumma de uſuris* §.. „Vis autem „ dare pecuniam naviganti, vel eunti ad nundinas, vel aliis mercatoribus ſine „ peccato? Pone tu pecuniam, & alius operam perſonalem, & pecuniam tan„ tam, vel minorem. Plerumque enim, quod pecuniæ deeſt, opera ſuppletur, ut „ ff. pro ſocio l. 1. §. 1. & communicetis pericula, lucra, & damna." *Hæc ille. Quid eſt igitur quod licita abhorreant, & illicita complectantur? Securiora ſpernunt, de dubiis non diſputant. Contractum mutui nautici &c. inire volunt; ſocietatis nequaquam. Tu iudica*.

V. Dum hæc ſerio animo mecum reputo, miror ſummopere, Theologos reperiri poſſe adeo præiudicatis opinionibus obductos, qui non deprehendant compertiſſimum uſuræ ſcelus, hoc periculi fuco obtectum. Habent homines obviam, opportunamque lucrandi occaſionem medio contractu ſocietatis. Hanc reiiciunt, quia verum periculum nolunt. In ſocietate enim ultra periculum iacturæ ſortis incertus eſt lucri eventus. Porro, ut unum ſaltem ex duobus periculum declinent, & quoad poſſunt ſecurius lucrentur, Theologos adeunt, ut tutiorem lucrandi ſine uſura artem excogitent. Hi falſa commiſeratione moti, verborum diverſitate uſuræ vultum depingunt. Pro ingenio hoc periculum vocant intrinſecum, illud

ex-

extrinſecum. Hoc ordinarium, illud extraordinarium. Fatentur omnes uſuræ reos eſſe, ſi ex mutuo lucrari intendant mutuatores, etiamſi periculum oretenus allegent. Henricus a S. Ignatio, licet laxioris Ethices hoſtis, in iis tamen quæ fenus ſpectant, cum *Van-Roy*, & aliis iunioribus Lovanienſibus fibulas relaxat, & ut hoc fenebre periculum purget ab uſura, quinque conditiones, ſicut ceteri, aſſignat. 1. ut lucrum deducatur in pactum. 2. ut periculum ſit coniecturis probabilibus nixum. 3. ut pretium ſit proportionatum periculo. 4. ut debitor non cogatur ad paciſcendum, vel ad pignus præſtandum pro aſſecuratione ſortis. 5. ut pretium non exigatur contra debitum caritatis. Has ipſas conditiones aſſignant Probabiliſtæ omnes; immo addunt ſextam, quod mutuator non intendat ex mutuo, ſed ex periculo lucrari. Et hæc eſt potiſſima.

VI. En in quot anfractus coniiciunt, & quot laqueis ſæpiunt Chriſtianorum conſcientias. Innumeræ ſunt humani cordis latebræ, occultiſſimi receſſus. Facillime ſibi blandiuntur homines ratione non mutui, ſed periculi, lucrum exigere: quia mentitur ſæpe iniquitas ſibi. An non ementiuntur periculum, dum promptum contractum habentes ex quo lucrari tute valent, reiiciunt? Quinam iſtius periculi iudices? Ipſi feneratores? Quinam iudicabunt periculum eſſe intrinſecum, vel extrinſecum? Periculum enim ſemper mutuo intrinſecum eſt, & ſolum modo maius, modo minus eſt; ſed hoc ſpeciem non variat. Quo ſunt avariores homines, eo graviora ipſis videntur pericula, eoque magis eadem amplificant. Augendum vero, minuendumque pretium eſt pro periculorum diverſitate. AEqualitas proportionalis pretium inter & periculum ſervanda. Rurſus, ſi pretium exigi pro ſortis periculo poteſt, eadem ratione pro periculo acceſſionis ad ſortem aliud pretium exigi poterit. Si enim periculo ſubiacet ſors, maiori periculo ſubiacet acceſſio ad ſortem. Item aliud periculum apud debitorem non lucrandi, ſed amittendæ ſortis vel ex furto, vel ex naufragio. Aliud periculum nihil lucrandi ex negotiatione. Hæc omnia pericula ſuſtinere debitor tenetur. Quid quod vel ipſi adverſarii fatentur, hoc periculum ſæpe illegitimum eſſe, ut teſtatur P. Billuart *pag.* 304. Quis autem diſcernet, quando legitimum, quando vero illegitimum ſit eiuſmodi periculum? Dubiæ itaque aleæ Chriſtianorum conſcientias committunt benigni iuniores. Tandem ſi ſagaces mutuatores deprehendunt maius eſſe iacturæ quam lucri periculum, numquam pecunias ſuas credunt. Univerſum genus humanum interrogetur. Nemo unus, niſi ſtultus, mutuas pecunias fidit mutuatario, quando maius eſt perdendæ ſortis, quam cum acceſſione recuperandæ, periculum. Ergo compertum luculentumque eſt, lucrum iſtud eſſe feneratitium, & ex ipſo mutuo perceptum, quamvis larva periculi tectum.

VII. Paucis rem omnem habeto. Pericula non negamus; immo pluſquam adverſarii fatemur, admittimus, amplificamus. Quo nequiores ſunt homines, quo ava-

Digitized by Google

avariores, eo maiora pericula ſunt. Hæc pericula numerant, exaggerant, ob oculos ponunt SS. Patres pluſquam omnes Probabiliſtæ. Nemo unus lucrari ex mutuo poſſe ob hæc pericula aſſerit. Immo ex his periculis, in quorum plura ob ſolutionem uſurarum, quæ ſunt malorum multorum fontes, incidunt tum debitores, tum creditores, fenoris iniquitatem omnes arguunt, deterrentque feneratores. Tu ergo, conſcientiarum arbiter, coge Chriſtianos tuos aut ad ſocietatem ineundam, ſi lucrari velint; aut ad gratis mutuandum, ſi caritatis præceptum urgeat; aut ad mutuum omittendum. Noli animam tuam æternum perdere, ut aliorum fucandis uſuris deſudes. Brevius, & evidentius rem totam complector. Urget ne præceptum gratis mutui dandi? Nihil tum poſſe recipi omnes fatentur. Non urget præceptum gratuiti mutui? Mutuum ergo denega petenti, ſi periculum pertimeſcis. Quid reſpondes? Si mutuum denegas, certe non peccas. Si das, peccas iuxta communiorem Theologorum ſententiam. Cur huic graviſſimo peccandi periculo te committere vis? Ut ſuccurras proximo? At negare hoc ſubſidium ſine periculo peccandi potes; conferre vero abſque periculo peccandi nequis. Quæ ergo cauſſa te ad mutuum dandum urget? Caritas? At hæc, ut ſuppono, non urget vi præcepti. Urget vero eiuſdem præceptum, ut prius tuæ æternæ ſaluti conſulas quam proximi tui terrenis negotiis. Denique ſi caritatis ardore flagras, gratis mutuum da. Ex his omnibus patet non caritatem, ſed avaritiam te ad mutuum tradendum urgere.

§. VI.

Obiecta diluuntur.

I. OPponunt 1. reſponſum ſacræ Congregationis de propaganda Fide, datum anno 1645. ad Miſſionarios Sinenſes, a quibus ſeptemdecim quæſita eidem propoſita fuere, quorum tertium ſequens eſt. „ In præfato regno lege ſtabilitum „ eſt ut in mutuo triginta pro centum accipiantur abſque reſpectu lucri ceſſan- „ tis, aut damni emergentis: quæritur, utrum Sinenſibus ſit licitum pro pecu- „ niarum ſuarum mutuo, licet non interveniat lucrum ceſſans, aut damnum „ emergens, prædictam pro centum triginta, regni lege taxatam, quantitatem „ accipere: & cauſa dubitationis eſt, quia in recuperanda pecunia eſt *aliquod* „ *periculum*, ſcilicet quod qui accipit mutuatum, fugiat, vel quod tardet in ſol- „ vendo, vel quod neceſſarium ſit coram iudice repetere, vel propter alia hu- „ iuſmodi. “

II. Reſolutio S. Congregationis ad quæſitum iſtud ſequentis tenoris eſt. „ Cen- „ ſuerunt ratione mutui immediate, & præciſe nihil eſſe accipiendum ultra ſor-

„ tem

Digitized by Google

„ tem principalem : ſi vero accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, „ prout in caſu, non eſſe inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis per- „ iculi, & probabilitatis eiuſdem, ac ſervata proportione inter periculum & id „ quod accipitur. “

III. Henrico a S. Ignatio, hoc decretum in publica diſputatione alleganti, reſponſum fuit, primo, ut ille ipſe narrat *Lib. IX. cap.* XXXI. *num.* 377. de eodem non ſatis conſtare: ſecundo, reſolutionem non eſſe approbantem, ſed permittentem, & tolerantem. Contra primum reſponſum allegat ille Thomam Hurtadum, qui authenticum exemplar producit. Sed Auctor iſte etiam pro licito chocolatis potu ieiunii tempore plura pontificia oracula tamquam authentica obtrudit, quæ ſunt manifeſtæ fabellæ. Mirandum ſane quod iuniores iſti velint laxiſſimam opinionem fulcire ambiguo reſponſo Sinenſibus dato. Plures ſane ab hoc obtrudendo reſponſo abſtinere debuiſſent, gnari decreta alia obreptitia, & ſubreptitia iactata integro ſæculo pro Sinenſium moribus, & cultu hactenus eſſe. Dicimus itaque, laudatam reſponſionem aut nullius eſſe fidei, aut permittentem dumtaxat, & tolerantem. Nonne ſub decreti finem hæc reperitur clauſula: *Donec Sanctitas Sua, vel Sedes Apoſtolica aliud ordinaverit?* Quot abuſus Apoſtolica Sedes integro ſæculo non toleravit reſpectu Sinenſium Chriſtianorum, antequam ad definitivam ſententiam devenerit? Porro Sedes Apoſtolica anno 1679. poſt annum 1645. quo datum fuiſſe reſponſum illud narratur, ſequentem propoſitionem damnavit: *Cum numerata pecunia ſit pretioſior numeranda, & nullus ſit qui non maioris faciat pecuniam præſentem quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.* Cur maioris faciunt homines pecuniam præſentem quam futuram, niſi quod futura pluribus obnoxia periculis ſit, ſecus præſens? Quid quod Sedes Apoſtolica pluribus iam ſæculis definierat cap. *Naviganti*, fenus committere illum qui vel ob ipſum periculum *iuris* quidquam ex mutuo receperit? Hæc Conſtitutio Gregorii IX. ſolemnis eſt, & ſacrorum Canonum Codici inſerta. Pluris ne facies ambiguum reſponſum Theologorum Congregationis de propaganda Fide quam ſolemnem Pontificis Summi definitionem, quam Innocentii XI. decretum, quam unanimem SS. Patrum, & graviorum Theologorum auctoritatem? Ut deſperatæ cauſſæ patrocinium quæratur, ad dubiæ fidei reſponſum, in quo de Sinenſium uſura agitur, te recipis? Quid quod ipſum quæſitum, propoſitum Congregationi, legem iniquiſſimam præfert? Lege regni Sinenſis taxata quantitas eſt triginta in centum quotannis ſolvenda, ob fugam debitorum, aliaque pericula. Lex iſta ſuapte natura iniqua eſt. Centeſimam Romani mordentem uſuram reputabant. Hæc lex Sinenſis triginta in centum ſolvenda præſcribit. Quis iniquiſſimam, & crudelis inhumanitatis, atque feritatis plenam non cenſebit legem iſtam? Et tamen in reſponſo

Digitized by Google

ſo mentio eiuſdem nulla eſt. Ex ipſo ergo documento eruitur, nihil certi ſuper quæſito propoſito definitum eſſe; ſed prudenti œconomica diſpoſitione in aliud tempus dirimendam difficultatem reiectam fuiſſe. Plura ſimilia exempla in Sinenſibus controverſiis decernendis adducere poſſem, quæ prætereo. Conferas hæc velim cum iis quæ integro hoc capite dicta ſunt: & inde colliges, quanti ſit faciendum reſponſum iſtud.

IV. Opponunt 2. S. Thomas hæc docet 2. 2. *quæſt.* lxxvii. *artic.* 4. *ad* 2. poſſe augeri pretium *propter periculum cui ſe exponit mercator, transferendo rem de loco in locum*. Ergo pariter pretium ſortis poteſt augeri propter periculum cui exponitur. Hæc eſt argutatio *P. Caroli Billuart*, qui S. Doctoris verba in erroneum detorquere ſenſum pertentat. Integrum Angelici Præceptoris textum tranſcribo. Agit ille in citato articulo de negotiatione, in qua oſtendit licitum eſſe mercem vilius emptam carius vendere. Et ad oppoſitionem ſibi factam reſpondet. *Non quicumque carius vendit aliquid quam emerit, negotiatur; ſed ſolum qui ad hoc emit, ut carius vendat. Si autem rem emit, non ut vendat, ſed ut teneat, & poſtmodum propter aliquam cauſam eam vendere velit, non eſt negotiatio, quamvis carius vendat. Poteſt enim hoc licite facere, vel quia in aliquo rem melioravit, vel quia pretium rei eſt mutatum ſecundum diverſitatem loci, vel temporis, vel propter periculum cui ſe exponit transferendo rem de loco ad locum, vel eam ferri faciendo. Et ſecundum hoc nec emptio, nec venditio eſt iniuſta*.

V. Quod hoc paradoxon opponant Probabiliſtæ, nihil miror. Sed quod illud obtrudant Henricus a S. Ignatio, & P. Billuart, qui ſe Thomiſtas oſtentant, res eſt admiratione digna. Sicut ergo in emptione, & venditione mercium licet pretium augere, ita etiam in mutuo? Pecunia ne mutuatitia merx eſt, maiori & minori pretio ſubiecta, ſicut aliæ merces? Nulla ergo in mundo uſura. Merces, antequam emptori tradantur, venditori pereunt. Mercator, transferendo merces de loco in locum, multa ſuſtinet pericula. Et ſi merces a piratis, vel graſſatoribus ſurripiantur, aliiſve caſibus pereant, ipſi mercatori pereunt. Idcirco ob eiuſmodi pericula pretium augere iure valet. Nulla de hoc penes aliquem dubitatio eſt. Pecunia mutuatitia perit mutuatario, penes quem ſicuti eſt dominium eiuſdem, ita etiam periculum facti, de quo ſolo oppoſitores loquuntur. Ergo paritas ineptiſſima eſt.

VI. Opponunt 3. Non eſt uſura, dum aliquid exigitur in mutuo ratione alicuius tituli pretio æſtimabilis, mutuo extrinſeci, & per accidens annexi. Sed periculum ſortis eſt mutuo extrinſecum, & per accidens eidem coniunctum, eſtque pretio æſtimabile. Ergo &c. Patet prima pars minoris: quia hoc periculum non oritur ex mutuo, ſed ex qualitatibus accidentariis mutuatoris; ideoque eſt a mu-

a mutuo ſeparabile : ut ſi mutuatarius fiat decoctor, aut exercere commercium periculoſum velit. Patet etiam ſecunda pars : quia tertius aliquis poteſt ſuſcipere periculum illud, & pro aſſecuratione pretium exigere. Pretio ergo æſtimabile eſt periculum illud. Hæc totidem fere verbis P. Billuart, Henricus a S. Ignatio, & communiter adverſarii omnes, qui addere ſolent, aliud eſſe periculum ordinarium, & commune mutuo inſitum; aliud probabile extraordinarium, & mutuo extrinſecum.

VII. Reſp. Cogor interrogare P. Billuart, quid intelligat nomine *mutui*, dum illud a periculo immune aſſerit ? Periculum non oritur ex mutuo, ſed *ex qualitatibus accidentariis mutuatoris*. Exercetur ne aliquod mutuum in lunæ concavo, aut cum homine præadamita ? Nos enim loquimur de pecunia mutuo tradita homini fallaci, qui aut malitia, aut inopia cogente impotens ad reſtituendum evadere, mori, & multis eventibus perire, ac fidem frangere poſſit. Hæc; & plura alia intima ſunt humanæ naturæ corruptæ. Mutuæ rei, traditæ homini hac natura compacto, intrinſecum periculum aſſerimus. Demas has qualitates ab homine; & da nobis hominem falli, aut fallere neſcium : atque tunc dicemus & nos, immune a periculo mutuum eſſe. Sed inſiſtis. Homines non ſunt natura ſua decoctores (vulgo *falliti*) prodigi, luſores, deceptores. Bene habet. Quid heinc ? Iam dixi, neminem, niſi ſtultum, mutuam pecuniam tradere decoctoribus, prodigis, luſoribus, aliiſque ſimilibus. Hæc ne ſunt pericula extraordinaria, quæ iactantur, & exaggerantur ? Sed dum hæc pericula imminent, nemo mutuum tradit. Numquid Chriſti caritas, numquid prudentia chriſtiana, vel pagana ſuggerit ut ſimilibus hominibus mutui beneficium conferatur ? Fateare ergo neceſſum eſt, illos qui talibus mutuatariis pecunias tradunt, aut ſtultitia agi, aut avaritia, ſeu ſpe lucrandi ex mutuo impelli; quod omnes damnant. Deinde nonne omnes mutuatarii domini ſunt pecuniæ mutuo acceptæ ? Dubio procul. Ergo eam exponere iure valent ludo, mercaturæ periculoſæ, conviviis, luxui, pompis, ac denique prodigere. Ergo evidens eſt, quodlibet periculum, ſive ordinarium, ſive extraordinarium, intrinſecum eſſe ipſius mutui naturæ. Id ſolum verum habet quod hoc periculum, mutuo prorſus inſitum, poſſit maius vel minus eſſe, quatenus homines plus minuſve fallaces ſunt. Quamquam non raro homines qui creduntur integræ fidei, & divitiis affluentes, ſolemniter fallunt, & decipiunt : & contra alii dubiæ fidei exacte mutuum reddunt. Ceterum quis cogit mutuatores ut his hominibus mutuas tradant pecunias ? Quis ? Avaritia, cupiditas lucri, dementia. Obſtrepis iterum. Aſſecurator poteſt pretium exigere : ergo & mutuator. Conſequentia ineptiſſima eſt. Quia reſpectu mutuatoris eſt merum periculum facti; reſpectu aſſecuratoris eſt periculum iuris. Nulla eſt reſpectu iſtius uſuræ ſuſpicio, ſicuti eſt reſpectu mutuatoris.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Opponunt 4. Licita eſt lucri exactio ratione periculi damni emergentis. Ergo etiam ratione periculi ſortis amittendæ. *Urget hæc ratio*, inquit P. Billuart: & P. Henricus a S. Ignatio ſubdit: *Adeo placuit hæc ratio R. P. Platelio, S. T. doctiſſimo Profeſſori, ut ſuam mihi de ea iudicium aperiens, dixerit, ſibi videri demonſtrativam.* Mirabilis humani ingenii diverſitas. Quod P. Platelius, apertiſſimus peccati philoſophici propugnator, reputaverit demonſtrationem vanum, & manifeſtum ſophiſma, nihil mirandum; ſed quod P. Henricus, qui Theologiam Sanctorum ſe docere promittit, his argutationibus graviſſimam controverſiam implicare ſtudeat, magnopere mirandum eſt.

IX. Reſpondeo negando conſequentiam. Damnum emergens eſt quid a mutuo diverſum. Periculum ſortis eſt ipſi ſorti intimum. Quid? reponit P. Billuart cum P. Henrico a S. Ignatio: nonne & damnum ſortis eſt quid diſtinctum a ſorte? Ergo ſicut ob periculum damni emergentis licitum lucrum eſt, ita & ob periculum damni ſorti annexi. Luſus verborum iſti ſunt ſane vaniſſimi. Damnum ſortis aliud non eſt niſi ſortis amiſſio. Quare periculum damni ſortis non eſt niſi periculum amittendæ ſortis. Quod P. Henricus ait, *certiſſimum* eſſe quod probabile periculum ſortis ſit quid extrinſecum ſorti, eſt certiſſima, & manifeſtiſſima falſitas. Audiamus illius demonſtrationem. Quod eſt ſeparabile a mutuo, eſt extrinſecum eidem. Sed ſeparari hoc periculum a mutuo poteſt per pignus, per aſſecurationem. Ergo eidem extrinſecum eſt. Quis non plaudat invictæ demonſtrationi? Medio pignore periculum quodlibet, & probabile, & commune, & proximum, & remotum, a mutuo tollitur. Ergo mutuum nullum inſitum periculum habet. Iam ſupra palam feci, hanc cavillationem evidenter patefacere mutuo periculum cohærere. Pignoris traditio impedit ne periculi effectus ſequatur. Ergo manifeſte evincit mutui naturæ periculum ineſſe: alioquin fruſtra pignus in aſſecurationem peteret mutuator. Sed quam craſſa, & ridicula ſit cavillatio, quam demonſtrationem appellant adverſarii, paucis habeto. Periculum probabile ſortis amittendæ eſt quid ſorti extrinſecum, ſicut & periculum damni emergentis. Ergo mutuator duplex pretium exigere poterit, unum ad compenſandum probabile ſortis periculum; alterum ſolvendum pro periculo emergentis damni. Et quo maiora ſunt hæc pericula, eo ampliora pendenda pretia erunt. Quo poſito, quemadmodum in regno Sinenſi, ſic & in Europa, triginta in centum ſolvenda erunt. Immo tertium, & quartum addendum erit pro duobus aliis periculis, nempe acceſſionis ſolvendæ pro periculo ſortis, & acceſſionis pendendæ pro periculo emergentis damni. Verum ne plus iuſto tempus teram in vano ſophiſmate convellendo, advertendum eſt, adverſarios turpiter errare, dum certo ſtatuunt, pro ſolo periculo damni emergentis exigi pretium poſſe. Hoc manifeſte falſum eſt. Paciſci utique contrahentes valent de ſolvendo damno quod mu-

Digitized by Google

mutuatori imminet, ſi reipſa evenerit. Ceterum ſi damnum non emergat, nihil prorſus ſolvendum eſt. Et hoc infra evidenter patefaciam. Alioquin omnia uſuris, oppreſſionibus, & rapinis redundarent. Latius quam par erat, ego diſputaſſe aliquibus videbor. Sed impeditiſſima quæſtio fuſum poſtulavit ſermonem.

CAPUT XII.

Liceat ne aliquid exigere ſupra ſortem ratione laboris in numeranda, vel aſportanda pecunia, menſurando tritico &c.

I. P. Thomas Tamburinus *Lib. IX. de contract. tract. 1. cap. III. §. 2. num. 1.* docet, licitum eſſe mutuatori exigere aliquid proportionatum notabili labori quem ſuſtinet in parandis pecuniis, in numeranda magna quantitate, in menſurando tritico, in aſportando vino in domum mutuatarii, cuius in gratiam eiuſdem mutuum dat: quod ſemper accidit. Et citat pro hac ſua opinione Molinam, Medinam, Navarrum, & alios.

II. Hæc opinio abſolute falſa eſt, eaque admiſſa, omnis uſura de mundo auſertur. Qui enim fieri poteſt ut quis mutuum exerceat quin laborem ſubeat in paranda, numerandaque pecunia? An aliquis umquam mutuo pecuniam tradit quin eam paret, numeretve? Et quo maior eſt pecuniæ numerandæ, parandæque quantitas, eo maior ſuſtinendus labor eſt. Quiſque, inquit, locare laborem ſuum valet. Verum habet. Ergo locare laborem ſuum Sacerdos poterit in ſacramentis adminiſtrandis, ſicut mutuator in parandis pecuniis numerandiſque. Et ſi ſimonia nulla, nulla uſura erit. Labor iſte cohæret mutuo. Quamobrem qui gratis mutuum dare tenetur, gratis laborem hunc ſuſtinere aſtringitur. An Chriſti IESU, Apoſtolorum, SS. Patrum tempore homines non parabant, non numerabant pecuniam, & alia mutuo tradenda?

III. Si contingeret caſus in quo mutuator alterius opera indigeret in pecunia numeranda, in dimetiendo tritico, oleo &c. tunc huic tertio compenſandus labor eſſet. Cavendum tamen ne mutuator ipſe quidquam reciperet a numeratore, vel dimenſore: quia tunc pallium uſuræ eſſet. Quid, ſi dimenſor, vel numerator gratis, & ex mera liberalitate quidquam donaret mutuatori? In hac hypotheſi nulla uſura eſſet. Nec enim mutuator ineptus eſt ad munera accipienda etiam ab ipſo mutuatario, nedum a numeratore pecuniæ. Sed facillime ſub larva muneris latitat uſuræ ſcelus. Quare mercatores, ceterique, qui ſuos ſer-

Digitized by Google

ſervos, & miniſtros conductos habent ad hæc negotia peragenda, nempe ad pecuniam numerandam, merces ponderandas, vel menſurandas, nihil pro labore iſtorum exigere abſque uſuræ labe poſſunt, ut cuique patet. Mutuatarius vero propriis expenſis aſportare res mutuo acceptas in domum ſuam, vel quocumque voluerit, tenetur: quoniam res mutuatitiæ illius ſunt. Nec in re perſpicua amplius immorandum puto, cum graviora inſtent.

CAPUT XIII.

An pro voluntate mutuandi, vel obligandi ſe ad mutuandum, aut ad mutuum non repetendum infra præfinitum tempus, liceat quid exigere ſupra ſortem.

I. PRimam quæſiti partem verſat P. Tamburinus *Lib. IX. tract. 1. cap.* IV. *§.* 5. ſed vel ipſe eam improbat: nec eiuſdem meminiſſem, niſi ille eamdem propoſuiſſet. Voluntas quippe mutuandi intima mutuo eſt. Quare ſicut nihil ob mutuum, ita nihil ob mutui dandi voluntatem accipi poteſt; niſi, inquit Tamburinus, iocari velimus. Idem tamen Tamburinus paullo ante, nempe *cap.* III. *§.* 2. *num.* 5. inquit: Mutuans poteſt a te aliquid accipere, ſi ſe obliget ad mutuandum, quoties tu pecunia indigueris: quia id novum eſt gravamen. Eccur ſuſcipit mutuator gravamen iſtud? Cur hunc lucrandi modum præ alio ſeligit? Tamburinus hanc opinionem tamquam certam exhibet. Sed illam ego reiicio ut falſam, & tamquam uſuræ pallium. Feneratores omnes hanc ſubeunt obligationem, præſertim ſi mutuatarii ſolvendo prævideantur idonei.

II. Secunda quæſiti pars ſuos habet patronos. P. Diana *Tom. VI. tract.* III. *reſol.* 45. pro affirmante opinione citat Ledeſmam, & Cæleſtinum. P. Thomas Tamburinus *Lib. IX. tract. 1. cap.* V. *§.* 2. teſtatur, opinionem negantem eſſe communem. Refert Leonardum Leſſium *Lib. II. cap.* XX. *dub.* 14. negativam propugnantem; ſed ſimul aientem, adfirmativam videri alicui non improbabilem. Quid inde? *Dubia igitur res eſt*, inquit ibi Tamburinus. Si dubia res eſt, reſumet Probabiliſta quiſpiam, melior eſt conditio poſſidentis. Nihil tam abſurdum, quod v Probabiliſmi fucari non poſſit.

III. Ut controverſia pleno in lumine collocetur, primo deſcribenda eſt propoſitio damnata ab Alexandro VII. num. 42. *Licitum eſt mutuanti aliquid ſupra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.* Reſpondet P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. in Decalog. cap.* VIII. *§.* 5. *num.* 18. h verbis. *Dixi iam poſſe pro hoc titulo promiſſionis non repetendi pecuniam mutuat*

pi

Google

pro quolibet anno licite in noſtra hac ætate PECUNIOSA exigi quinque pro centenario. Ita Caramuel. Pecunioſa ne ætas noſtra? Et ideo uſuraria? Hac ætate pecunioſa vivebat Alexander VII. qui hanc doctrinam damnavit an. *1666.* Tamburinus enim obiit an. *1675.* Laxas, & proſcriptas Tamburini opiniones frequenter indico, quia illius opera plurium imperitorum manibus teruntur. Advertendum inſuper eſt, propoſitiones damnatas ſæpe eſſe veluti principia ex quibus plura conſectaria erronea proficiſcuntur. Quare abſtinendum eſt iſtis ab illorum librorum lectione qui frequenter ſcatent opinionibus aut laxis, aut proſcriptis.

IV. Itaque exactio acceſſionis ſupra ſortem eſt manifeſte feneratitia; & oppoſita Tamburini, ac aliorum iuniorum ſententia, ut vidimus, damnata eſt. Explicatur ratio noſtræ ſententiæ. Sub initium diſputationis dixi, ad naturam mutui attinere quod aliquod tempus interfluat inter traditionem & reſtitutionem rei mutuatitiæ. Quo principio tamquam certo conſtituto, hanc formo argumentationem. De natura mutui abſolute accepti eſt obligatio implicita non repetendi rem mutuatitiam niſi poſt aliquod tempus. In hoc enim mutuum a precario præcipue differt (licet diſcrepet etiam ob alia plura) quod precarium repeti ſemper, & ad libitum poſſit, ſecus mutuum. Porro ſi de natura mutui abſolute ſpectati eſt implicita & tacita obligatio non repetendi ſortem infra aliquod tempus; neceſſario conſequitur, hanc obligationem cuicumque mutuo in individuo convenire. Heinc ſicut mutuo ad quindecim dies cohæret obligatio non repetendi ſortem ante quindecim dies; ſic mutuo ad ſex menſes, ad annum, ad biennium, ad triennium &c. inſita eſt obligatio ſortis non repetendæ ante ſex menſes, ante annum, ante biennium, triennium &c. Quod enim convenit alicui ratione ſuæ naturæ ſpecificæ, convenit ei in quocumque ſtatu, & in omni individuo, ut Metaphyſici teſtantur. Ergo ſi mutuum, ut mutuum, eſſentialiter poſtulat ut ante aliquod tempus non repetatur, hoc cuicumque mutuo convenire debet.

V. P. Patritius Sporer, licet Probabiliſta valde benignus, tamen hanc noſtram opinionem vocat communem *tract.* VI. *in 7. præcep. Decal. cap.* IV. *ſect. 3. §. 4. num. 69. & 70.* ubi citans pro hac communi opinione Auctores, de P. Thoma Tamburino hæc ſcribit: *In praxi approbat Tamburinus, etſi MORE SOLITO adhærens ſententiæ laxiori.* Hæc cum legerem, pro certo habebam, ab hac laxitate recedere Sporerium. Verum, completa lectione *num. 70.* hæc illum ſcribere reperi num. 71. *Sententia oppoſita non improbabilis.* Et omnia argumenta proponit quæ putat illam probabilem reddere. Et quamquam paullo ante teſtetur, hanc opinionem fuiſſe damnatam ab Alexandro VII. nihilominus illam ut non improbabilem exhibere lectoribus non veretur. P. Thomas Tamburinus, tametſi contra-

Digitized by Google

riam ſententiam defendere expreſſe non audeat, tamen elevare vim rationis factæ conatur *Lib. VIII. tract.* III. *cap.* VIII. *§.* 5. ubi num. II. *Pro curioſis*, inquit, *reſponderi ad rationes contrariæ ſententiæ poteſt, mutuo utique intrinſecam eſſe obligationem fortis non repetendæ pro aliquo commodo tempore; ſecus pro longiore tempore in quod protrahi mutuum poſſit*. Quam reſponſionem colligit ex ſuo P. Dicaſtillo. Sed hæ ſunt conſuetæ nugæ excogitatæ *pro curioſis*, ut phraſi eiuſdem Tamburini utar. Nam quoties mutuator ſponte & libere præfinit tempus longum pro mutui reſtitutione, tam eſt intrinſecum mutuo hoc longum tempus, quam breve. Brevitas quippe, aut longitudo temporis non variat ea quæ mutuo cohærent. Concedit Tamburinus, tempus congruum intrinſecum eſſe mutui naturæ. Porro unde eruendum eſt, hoc aut illud tempus congruum eſſe mutuo? Non aliunde niſi ex commodo mutuatarii. Commoditas mutuatarii vendi nequit a mutuante. Ergo ſi hic ad longum tempus pro commodo mutuatarii mutuum dat, pro tali longo tempore nihil exigere iure valet: alioquin venderet mutuatarii commoditatem; quod uſuram manifeſtam prodit. Sed quid longius immoror in convellendis ratiunculis pro pabulo *curioſorum* fabricatis? Illud tantum amaris lugendum lacrymis eſt, quod graviſſima evangelica mandata pro *curioſis* implicari conſpiciamus.

VI. P. Dominicus Viva in ſua *Trutin.* in hanc *propoſit.* 42. poſt allatas fuſo calamo rationes in proſcriptæ opinionis præſidium, pro vera noſtra ſententia inquit num. 10. *Ratio a priori cur id non liceat, eſt perdifficilis*. Narrat, Cardinalem de Lugo *diſp.* XXVI. *ſect.* 3. varias allegare rationes, eaſque reiicere. Poſt adducit rationem quam excogitavit ipſe de Lugo; ſed neque hæc arridet P. Viva: & reiectis rationibus aliis, tandem iuxta doctrinam P. Salas *num.* II. ſic argutatur. Dum quis obligat ſe per decennium ad non repetendum mutuum, vel prævidet periculum eſſe remotum, quod interim ea pecunia indigeat; vel prævidet eſſe proximum, & probabile. Si prævidet eſſe remotum, nihil exigere poteſt. Si prævidet eſſe proximum, & probabile, tunc poterit percipere iuſtum pretium, non quidem pro obligatione non repetendi mutuum, ſed pro periculo proximo & probabili quod infra tale ſpatium temporis damnum ſit emerſurum, vel lucrum ceſſaturum.

VII. His effugiis eluditur damnata propoſitio. Potiſſima ratio cui nitebantur damnatæ doctrinæ Auctores, erat ſcilicet hæc, quod infra longum tempus plures occurrant occaſiones adhibendi pecuniam ad reparanda damna, & ad lucra captanda. Sola itaque verborum diverſitate proſcripta doctrina probabiliſtico fuco honeſtatur.

VIII. Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* III. *punct.* 4. *num.* 26. licet & ipſi verbo tenus

tenus dicant, ſe propriam opinionem liberare a cenſura damnatæ doctrinæ, tamen reipſa, ut ego quidem arbitror, eam propugnant. Inquiunt enim, moraliter impoſſibile eſſe quod per multum tempus non occurrant mutuanti multæ neceſſitates, & occaſiones diſpenſandi pecunias: *& ratione huius ſpecialis incommoditatis poteſt ultra ſortem aliquid exigere.* Et poſt pauca ex Caramuele, Aragon, Bannez, & Prado ſubdunt, *nomine incommoditatis, de qua diximus, non intelligi ſolum damnum emergens, aut lucrum ceſſans in ipſa pecunia; ſed etiam quemcumque actum vel liberalitatis, vel magnificentiæ, quem decebat ipſum mutuatorem exercere; vel quamcumque aliam operationem vel neceſſariam, vel convenientem, a qua mutuans impeditur: nam pro his omnibus (modo non ſit ficta, ſed vera incommoditas) pretium accipere, de illoque paciſci licitum erit.*

IX. Si vera ſunt quæ Tamburinus, Viva, Salmanticenſes aſſerunt, immerito Sedes Apoſtolica damnavit deſcriptam propoſitionem. Nam illius Auctores illam propugnabant ob prætextus eoſdem quos obtrudunt poſt damnationem Auctores iſti. Impoſſibile moraliter eſt quod per multum tempus non occurrant mutuanti multæ occaſiones diſpenſandæ pecuniæ mutuo traditæ, exercendæ magnificentiæ, aut cuiuſque actionis convenientis. Pro his autem omnibus, inquiunt Salmanticenſes, licitum eſt pretium accipere. Ergo poteſt quiſque pretium accipere ob voluntatem non repetendi mutuum intra certum tempus. Quia moraliter fieri nequit ut aliqua ex recenſitis incommoditatibus non occurrat, non modo infra multum, verum etiam infra moderatum temporis intervallum. At iuxta doctrinam evangelicam mutuum gratuitum eſt, liberalitate partum, caritate imperatum. Virtutes iſtæ abſque aliqua incommoditate non exercentur in hoc miſero ſtatu. Si vera eſſent quæ ex iunioribus recenſuimus, nulla in mundo uſura, nulla liberalitatis, nulla fraternæ caritatis virtus. Sed miſſis iuniorum commentis, quæ idcirco indicavi, ut te ab iis cavendis admonerem, rationem aliam dabo cur ob voluntatem non repetendæ ſortis infra determinatum tempus non liceat quidquam ſine uſura exigere.

X. Voluntas non repetendi mutuum infra annum, aut biennium, aut decennium non eſt aliqua diſtincta obligatio ex iuſtitia ſuſcepta; ſed virtutis liberalitatis, ſeu gratuiti beneficii protractio, & extenſio. Cuius rationis vim ut teneas, audi S. Thomam 2. 2. quæſt. CXVII. art. 4. *Proprium eſt liberalis uti pecunia. Uſus autem pecuniæ eſt in emiſſione ipſius. Nam acquiſitio pecuniæ magis aſſimilatur generationi quam uſui. Cuſtodia vero pecuniæ, inquantum ordinatur ad facultatem utendi, aſſimilatur habitui. Emiſſio autem alicuius rei quanto ſit ad aliquid diſtantius, tanto a maiori virtute procedit; ſicut patet in his quæ proiiciuntur. Et ideo ex maiori virtute procedit quod aliquis emittat pecuniam dando eam aliis quam expendendo eam circa ſeipſum. Proprium eſt autem virtutis ut præcipue tendat in id quod perfectius*

eſt. Nam virtus eſt perfectio quædam... & ideo liberalis magis laudatur ex datione Animis adſint iuniores. Mutuum aut ex virtute liberalitatis, aut ex oppoſito avaritiæ vitio proficiſcitur. Si primum; quo perfectior eſt virtus, eo longius, inquit Doctor ſanctus, pecunias emittit, ut patet in proiiciente lapidem. Si alterum; arctius pecuniæ retinentur; ſolaque eaſdem augendi cupiditas foras emittit, ut cum incremento redeant. Et quo maior eſt lucri cupiditas, eo longius eaſdem diſtrahit, ut maius fiat incrementum. Si virtus liberalitatis nequit ad annum, ad biennium, ad quinquennium pecunias mutuo tradere; cur illas in tantum tempus diſtribuis? Ex liberalitate, ex caritate? Gratis ergo id præſtas. Refugis gratis tradere? Cur ergo te obligas ad pecunias non repetendas? Ex lucri cupiditate. Nulla hic evadendi rima. Contractus mutui gratuitus natura ſua eſt, ex liberalitate manans. Mutuum dare ad annum, ad biennium, non extrahit mutuum a virtute liberalitatis: neque obligatio illud non repetendi libere ſuſcepta ex alia virtute quam ex liberalitate oritur, nullo vero modo ex iuſtitia; alioquin mutuum evaderet contractus oneroſus, nec amplius eſſet gratuitus. Igitur obligatio hæc non repetendi mutui non aliud eſt quam beneficii extenſio, & amplificatio. Obligatio autem liberalis, & gratuita non eſt digna pretio; alioquin gratuita non eſſet. Nec obtrudas, quod licet mutuum tradere ſit actus gratuitus, tamen obligatio non repetendi intra annum debitum legale imponit mutuatori. Quoniam ſicut mutuum dare ad menſem, aut ad breve tempus, non inducit duplicem obligationem, alteram gratuitam, alteram legalem ex iuſtitia; ita neque mutuari ad annum, vel ad biennium, vel ultra. Sed quo liberalior eſt mutuator, eo magis beneficii collationem extendit: & circumſtantia brevis, aut longi temporis contractus gratuiti naturam non mutat. Quidquid enim mutuator mutuando tribuit, gratis tribuere debet, ſic exigente mutui natura.

XI. Aliqui opponunt *Burſam* Antverpienſem, & Lugdunenſem, cuius uſus eſt apud bene moratos mercatores. Reſpondeo, *burſam* hanc plenam uſuris eſſe, niſi aliis ſit munita præſidiis. Abſurdum eſt, inquiunt, tot mercatores bene moratos damnare. Hæc eſt illa funeſta ſcaturigo unde tot laxitates, & corruptelæ in chriſtianam Theologiam manarunt. Mercatores, & iuniores quidam Theologi mutuo ſibi animos addunt ad chriſtianam doctrinam temperandam. Iſti bonam conſcientiam mercatorum opponunt; illi auctoritatem Caſuiſtarum oſtentant. Sed in damnata opinione convellenda non eſt amplius immorandum.

XII. Ultimo loco adnotare lubet, *P. Dianam* ſumma iniuria adſcribere hanc proſcriptam doctrinam diſcipulis S. Thomæ. Non nego, Thomiſtas aliquos, Serram, Zanardum, Ledeſmam, La-Cruz, alioſque laxas docuiſſe opiniones. Sed impoſtura nimis audax eſt, hanc dicam impingere S. Thomæ diſcipulis indefinite; cum veri Thomiſtæ ſint ſtrenui doctrinæ ſanioris aſſertores, & vindices.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De damno emergente, eiuſque conditionibus.

I. INter graviſſimas quæ in celebri de fenore controverſia occurrunt difficultates enucleandæ, potiſſima ſane, atque ob iuniorum opinationes implicatiſſima eſt hæc quam propoſui de damno emergente. Nihil fere hodie tam fenebre quod duobus titulis, damni emergentis, & lucri ceſſantis, ſæpiſſime fictitiis, honeſtare non contendant feneratores. Quare ſi longior ſermo erit, non vitio, ſed neceſſitati explodendi plura Caſuiſtarum commenta, vertatur. Immo in id incumbam, ut ad vivum omnibus ſuperfluis reſecatis, ea tantum ſub examen inducam quæ ad declinandum uſuræ ſcelus neceſſaria viſa fuerint. Ad rem.

II. Damnum emergens vocatur detrimentum illud quod ſolius mutui cauſſa mutuator patitur. Exempla dabo. Pecunias paratas habes ad ædes ruinoſas reſarciendas, ad triticum, vel aliam annonam opportuno tempore emenda pro toto anno. Si, ut has pecunias egenti fratri mutuas tradas, ædes diruantur, ſi a providenda annona abſtineas, & cogaris aut eamdem carius emere, aut pecunias cum uſura ab alio accipere; hoc vocatur damnum emergens: quia reipſa ratione mutui tibi emergit.

III. Plures imperiti damnum emergens, & lucrum ceſſans pro eodem accipiunt; cum duo ſint omnino diverſa. Nam damnum quod emergens dicitur, patimur in iis quæ reipſa poſſidemus. Lucrum vero ceſſans dicitur, quatenus ſperamus aſſequi media illa pecunia quam mutuo tradimus, ea quæ non habemus, ſed in ſpe tantum ſunt. Utique ob damnum emergens aliquo modo lucrum ceſſat: quia, ut vulgo dicitur, lucramur, dum non perdimus; & dum perdimus, lucrum ceſſat. Similiter dum lucrum nobis ceſſat, damnum patimur ob lucri privationem. Sed hæc acceſſoria ſunt, & ſecundaria. Verum dum de his duobus titulis ſermo eſt, id conſiderare debemus quod principaliter in utroque eſt, nempe damnum, & lucrum. Hæc omnia perſpicue S. Thomas docet 2. 2. quæſt. lxxviii. art. 2. ad 1. *Ille qui mutuum dat, poteſt abſque peccato in pactum deducere cum eo qui mutuum accipit, recompenſationem damni, per quod ſubtrahitur ſibi aliquod quod habere debet.* Hoc eſt detrimentum quod appellatur damnum emergens. *Recompenſationem vero damni quod conſideratur in hoc quod de pecunia non lucratur* (ecce lucrum ceſſans, ad quod ſequitur detrimentum talis lucri intercepti) *non poteſt in pactum deducere.* De lucro ceſſante capite ſequenti. In præſentia de damno emergente diſputamus.

§. I.

Conditiones requiſitæ ad verum damni emergentis titulum.

I. PRima eſt, quod damnum verum ſit & reale : ideo enim dicitur damnum emergere, quia reipſa inſtat, & adeſt. Titulus quippe iſte acceſſionem ſupra ſortem honeſtat per modum recompenſationis, conſtituendo æqualitatem cum eo quod ſubtractum eſt. Damnum itaque ſive fictitium, ſive dubium, ineptum eſt ad hunc titulum conſtituendum.

II. Secunda conditio, primam conſequens, eſt quod damnum iſtud ratione mutui emergat, & quod alia impediri via nequeat. Quare ſi alia pecunia reparare ædes, emere annonam vales; ſi amicum habeas qui tibi ad evitandum damnum opem ferat; tum damnum non eſt adſcribendum mutuo, ſed malitiæ mutuatoris, qui cum damnum declinare poſſit, ex mutuo, prætextu damni, lucrari intendit.

III. Tertia, quod mutuum ſit cauſſa per ſe, non per accidens, talis damni. Igitur ſi damnum non prævifum, vel quod impediri poteſt, emergat, imputari mutuo nequit. Tum autem vitare damnum mutuatorem poſſe dicimus, cum moraliter, nempe commode, ſeu abſque gravi incommodo, aut ſeipſo, aut amicorum ſubſidio illud amovere valet.

IV. Quarta eſt, quod damnum proponatur mutuatario, & de eo ſtipulatio conſtituatur. Quoniam, ut mutuatarius ſubeat hoc onus damni compenſandi, neceſſarius eſt illius conſenſus, quem præſtare ille nequit, niſi admoneatur. Mutuum enim eſt in illius commodum: & forte cum tali onere ſuſcipere beneficium recuſabit. Contingere enim poteſt quod compenſatio damni plus afferat detrimenti quam ſit commodum ex mutuo percipiendum. Quamobrem neceſſaria eſt conventio de hac compenſatione inter utroſque contrahentes. Negat hanc conditionem Leonardus Leſſius cum aliis, de quibus infra.

V. Quinta conditio eſt, quod damnum in pactum deductum, non compenſetur antequam emergat. Si enim mutuator damni compenſationem exigat antequam damnum patiatur, commodum ex mutuo percipit, quod eſt uſura.

VI. Ultima conditio eſt, quod ſervetur æqualitas damnum acceptum inter & compenſationem. Quidquid enim compenſationis excedit damnum, uſura eſt, quia ille exceſſus eſſet ex mutuo. Addunt etiam, quod ſtipulatio de damno compenſando non fiat citra moram debitoris. Verum de hoc infra.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Licitum ne eſt pactum inire de certa quantitate ſolvenda initio contractus pro futuro damno emergente?

I. PRimum omnium refellenda eſt nimis, ut mihi videtur, laxa opinio P Leonardi Leſſii, qui *Lib. II. cap.* xx. *dub.* 10. *num.* 74. hæc ſcribit. „ Adver- „ te tamen, ſi revera ex mutuo 100. aureorum certo ſis accepturus detrimentum „ aureorum decem, non erit uſuræ peccatum, etiamſi, *non monito* mutuatario, „ de hoc damno paciſcaris tibi reddendi 110. “ Falſitas iſtius opinionis patet ex quarta conditione, quam communiter Theologi poſtulant pro damni emergentis iuſta compenſatione. Nam iniuſtitia evidens eſt quod mutuatarius ſubire onus, illudque ſolvere debeat abſque ſuo conſenſu. *Nulla eſt inæqualitas*, ſubdit P. Leſſius, *quamvis* (mutuatarius) *hæc ignoret, & exiſtimet te ratione mutui exigere; ac proinde des ei occaſionem ſcandali*. Nulla ne fit iniuria emptori, dum ad id ſolvendum adducis quod ipſe ignorat? An ad eſſentiam contractus neceſſarius non eſt liber conſenſus utriuſque partis? Suppono, reponit P. Leſſius, mutuatarium æque ſuſcepturum mutuum, ſive aperiretur, ſive non, onus iſtud. Suppoſitio iſta non tollit iniuriam illatam mutuatario, qui inſcius, atque adeo involuntarius inducitur ad id ſolvendum quod ignorat. Præterea, ſi ſupponis acceptaturum debitorem damni recompenſationem, cur id eidem non aperis? Quænam occultationis iſtius honeſta cauſſa? Opinio hæc ianuam latiſſimam aperit ad fraudes, iniuſtitias, & deceptiones. Plura ex paritate omnium contractuum, in quibus ſemper neceſſarius eſt liber utriuſque contrahentis conſenſus, ſumpta afferre poſſem, quæ brevitatis gratia omitto. Nihil quoque de ſcandalo quod hæc opinio parit, dico. Obvia enim cuique ſunt abſurda quæ hanc opinionem conſequuntur.

II. Conveniunt omnes, licitum eſſe paciſci ſub initium contractus mutui de vero reali damno, certe emerſuro. Immo, quidquid dicat P. Leſſius cum aliis quibuſdam, neceſſario monendus eſt mutuatarius de hoc damno ſolvendo, ut deliberare poſſit, num commodum ſibi mutuum ſit cum hoc compenſationis onere. Diſputant vero Auctores ſuper quæſito ſequenti.

III. Quæſt. I. *Licitum ne eſt paciſci de acceſſione certa, & determinata ſolvenda ſupra ſortem pro damno vero & reali, puta quinque in* 100. *quodcumque tandem erit damnum, ſive maius, ſive minus?* Reſp. Similes quæſtiones, quas iuniores plures excogitarunt, implicatiſſimam hanc materiam efficiunt, & ad prolixum ſermonem nos cogunt. Navarrus, Salas, Tamburinus *Lib.VIII. tract.*III. *cap.*VIII.

§. 3. num. 4. & 14. licitum hoc pactum defendunt. Negant alii plures. Quæ veriſimiliora mihi videntur, breviſſime, quoad potero, exponam. Et primo certum eſt, ſæpe non poſſe prævideri determinatam damni quantitatem. Præterea pactum ab initio iniri poteſt, habito certo iudicio quod damnum erit maius acceſſione conſtituta inter partes, vel æquale, vel minus. Dico itaque primo. Licitum eſt pactum ab initio initum de certa, & determinata acceſſione, ſolvenda pro damno quod in certa & determinata quantitate futurum prævidetur. De hoc nulla eſſe controverſia poteſt. Quoniam hoc modo conſtituitur æqualitas inter damnum & eiuſdem recompenſationem. Auferenda tamen occulta æquivocatio eſt. Nam aliud eſt inire pactum ſolvendæ acceſſionis ab initio contractus: & aliud eſt ſub initium contractus pactionem inire de ſolvenda acceſſione tempore quo damnum emerſerit. Hoc ſecundum licitum, primum ſenebre. Nam ſi acceſſio ſolveretur initio contractus, ſolutio hæc eſſet ex mutuo, non ex damno, quod nondum emerſit. Mutuator quippe aliquod commodum ex mutuo perciperet, ſaltem anticipatam ſolutionem pro damno futuro. Præterquamquod accidere poteſt quod damnum non emergat, immuniſque ſit debitor ab onere recompenſationis. Quare anticipata damni compenſatio, initio contractus exacta, uſuraria ſemper eſt.

IV. Dico 2. Fenebre eſt pactum initum de certa acceſſionis quantitate maiori quam ſit quantitas damni futuri. Hæc quoque aſſertio certa eſt. Siquidem adfirmant omnes, æqualitatem ſervandam eſſe damnum inter & compenſationem eiuſdem. Duæ hæ aſſertiones intelligendæ ſunt in hypotheſi quod damnum verum ſit & reale in tanta præciſa quantitate, nulla egens probatione. In foro exteriori pactio de eo quod intereſt, non admittitur tum ob fraudes quæ contingere ſolent, tum quia mutuatarius, egeſtate preſſus, facile init pactiones quaſque mutui conſequendi cauſſa.

V. Licita quoque eſt pactio de quantitate ſolvenda minori quam ſit damnum certum & reale emergens præviſum. Quoniam ſicut mutuator gratis mutuum tradere, ita & damnum remittere aut in totum, aut in partem valet. Unuſquiſque enim rei ſuæ moderator eſt, & arbiter. Contra, dum damnum certum, & reale in certa quantitate prævideri nequit, non eſt licita pactio de certa quantitate ſolvenda: ſiquidem recompenſatio eo tendit, ut æqualitatem ponat. Fieri autem nequit ut conſtituatur æqualitas, quando ex una parte damnum determinatum in individuo non eſt, & ex altera parte definita eſt quantitas compenſationis. Hæc abſolute ſpectata vera ſunt. Ceterum ſi damnum præviſum certo futurum ſit, ſolumque dubitetur de maiori, vel minori quantitate, nihil impedit quominus mutuator, & mutuatarius conventionem ineant de hac quantitate, quæ plus minuſve contingere poteſt. Contractus enim iſte veluti *aleæ* ſpeciem præfert. Utraque enim pars obnoxia commodo, & incommodo eſt; & periculum com-

Digitized by Google

commodi, ac incommodi æquale ſimiliter eſt. Damnum enim certum ſupponitur. Quantitas ſola in dubium venit. Quoties ergo fide bona, & præciſa omni prorſus fraude, iuxta arbitrium prudentum pactum initur de quantitate certa, habito reſpectu ad certum damnum, cuius quantitas maior aut minor eſſe poteſt, nulla eſt iniuſtitiæ, vel uſuræ ſuſpicio. Nec eſt quod opponas, illicitum eſſe tranſigere de debito dubio, niſi in minori ſumma, ut habetur *ff. de transaction. l.* 1. Quia lex loquitur de debitore qui probabili exceptione ſe immunem a debito oſtendit: & in hoc caſu non licet tranſigere niſi in minori ſumma. Nos autem loquimur poſitione facta quod damnum ſit omnino certum, & a mutuatario libere probatum. Tum enim nullum uſuræ pallium, nulla iniuſtitia; cum utraque pars æqualiter commodo, & incommodo ſubiecta ſit. Illud tamen ſemper advertendum, quod compenſatio hæc fieri nequeat, niſi poſtquam damnum evenerit; alioquin uſura manifeſta committeretur: quia commodum ex mutuo perciperet mutuator; quod illicitum eſt.

VI. Heinc collige, quod ſi tu paratam pecuniam habens ad redimendum cenſum annualem, qui reddit quinque in centum, hanc pecuniam amico roganti, & indigenti mutuam tradas, eumque moneas hanc pecuniam deſtinatam vere & realiter ad præfatum cenſum redimendum eſſe; nec aliam habeas qua redimere eumdem poſſis; licite cum eodem paciſceris ut quinque in centum tibi ſolvat in annum, uſque dum mutuum reddiderit. Si tamen vel obulum ſupra quinque exigeres, uſuram committeres. Ictorum plures adeo ſeveri ſunt in hac materia, ut ſi tu ſupra illa quinque, quæ iure tibi debentur, ſex, aut octo, vel decem in pactum deduceres, integrum contractum damnent uſuræ, teque omni lucro privent; ut advertit Leotardus *de uſuris quæſt.* lxxi. Verum in foro conſcientiæ te licite poſſe retinere quinque, iure tibi debita, aſſerendum eſt. Peccaſti vero uſuræ peccatum, plura quam quinque exigendo; & ad hunc exceſſum reſtituendum aſtringeris.

VII. Verum ut propriæ conſcientiæ conſulant mutuatores, quando prævident certum damnum emerſurum, ſtipulationem ineant cum mutuatariis, ut hi compenſare illud damnum quod eveniet, teneantur, ſi libere illud ſubire velint. Sincere tamen exponendum damnum eſt, quod vi mutui revera emerſerit.

VIII. Quæſt. II. *Periculum damni emerſuri eſt ne verus titulus, vi cuius poſſit fieri conventio aliquid ſupra ſortem ſolvendi?* Reſp. De periculo ſortis amittendæ fuſe ſupra locuti ſumus. Nunc paucis dicendum eſt de periculo damni quod cauſſa ſortis mutuo traditæ evenire poteſt. Iam dictum eſt, periculum eſſe incertum rei eventum. Adfirmant aliqui iuniores; ſed ſententia negans vera eſt. Nam titulus qui licitam reddit acceſſionem ſupra ſortem, eſt damnum verum, reale, & certo futurum, quodque non compenſatur niſi poſt eventum. At periculum

da-

Digitized by Google

damni eſt incertus damni eventus. Ergo nihil certi ſtipulari de eo mutuator valet. Quandoquidem ſi damnum non evenit, recompenſatio locum habere nequit. Si tamen mutuator præviderct periculum certi, & determinati damni probabiliter futuri, ſtipulari cum mutuatario poſſet, ut ſi hoc determinatum damnum quod timet futurum, reipſa evenerit cauſſa mutui, teneatur ad compenſationem. Dixi, ſi mutuator probabiliter timeat hoc aut illud determinatum damnum, ut excluderem pactum de omni damno ut ſic, & indefinite emerſuro. Pactum enim iſtud eſſet apertiſſime uſurarium; & laqueos, atque inſidias mutuatario pararet. Pactum quippe iſtud de quocumque damno in communi ſeditioſum foret, & includeret quodcumque damnum, quod ex pluribus cauſſis emergere poſſet. Ut mutuatarius poſſit deliberare, utrum mutuum acceptare cum onere compenſationis damni emerſuri, ſit nec ne ſibi commodum, & utile, debet ſcire quanti valeat damnum quod compenſare debebit in caſu quod evenerit mutui cauſſa. Quando autem damnum ei proponitur in communi, & indefinite, ignorat damni quantitatem, ad quam compenſandam ſe obligare debet. Ergo pactum de damno in communi accepto eſt iniuſtum, & feneratitium. Ut itaque iuſtum ſit pactum de damno quod timetur futurum, compenſando, debet mutuator perſpicue, & præciſe repræſentare damnum in individuo determinatum, de quo periculum eſt quod eveniat, ut poſita eventus conditione, compenſare illud mutuatarius debeat. Tum ſolum licitum eſſet pactum de omni damno, cauſſa mutui emerſuro, reparando, quando mutuator iniuſte cogeretur ad mutuum tradendum. Immo, nullo pacto explicito præcedente, mutuatarius qui iniuſte cogeret mutuatorem ad mutuum dandum, ſua culpa libere ſe ſubiiceret ad cuiuſque damni ex tali iniuſta ſua actione proſecturi compenſationem. Si vero mutuator iuſte cogeretur a Principe tempore alicuius calamitatis ad bona mutuo tradenda, tum dictum pactum eſſet omnino feneratitium.

IX. Ex his quæ dicta ſunt, colligas velim, numquam licitum eſſe quidquam accipere ultra ſortem ob periculum probabile, aut etiam probabiliſſimum damni emerſuri. Probabiliſtarum aliqui id adfirmant. Sed talis opinio evidenter falſa eſt, & erronea, atque omnibus uſuris viam aperit latiſſimam. Vix enim contingit caſus in quo licita ſit pactio de damno emerſuro abſque culpa mutuatarii. Quia vix invenitur mutuator qui velit mutuas tradere pecunias ſuas, quando ob earumdem privationem reipſa ſubire detrimentum debeat. Quæſtio ſolum eſſe poteſt de damno emergente ob moram mutuatarii, de quo mox.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

De damno emergente ob moram mutuatarii, & de pœna conventionali.

I. EXplicui hactenus damnum quod tempore mutui emergit creditori. Nunc de damno quod, elapſo mutui tempore, creditor patitur, agendum eſt. Iura proprie illud damnum emergens vocant quod ex mora debitoris creditor ſuſtinet; immo vix ius petendi quod intereſt, concedunt, niſi ob moram debitoris, ſeu mutuatarii.

II. Moræ notio exhibenda. Icti hanc tradunt. *Mora eſt ſolvendi debiti iniuſta; & fruſtratoria dilatio.* Ille igitur debitor eſt in mora, & moroſus nuncupatur qui tempore præſtituto reddendæ ſortis non reddit, cùm poſſit. Duplex mora. Altera *ex re*, quæ ſeipſa debitorem, quin interpellatus ſit a creditore, monet ut ſolvat. Qui ex aliquo delicto furti, aut damni illati reus eſt, & differt reſtitutionem, & recompenſationem; vel obligatus ex aliquo contractu ad aliquid ſolvendum tali præfinito tempore, hoc elapſo, niſi ſolvat, etiamſi non moneatur a creditore, eſt in mora ex re ipſa, quæ eumdem monet. Hæc mora ex re vocatur *irregularis*. Mora altera *ex perſona* eſt, dum debitor monitus opportuno tempore a creditore ut ſolvat, negligit ſolutionem. Idque contingit, quando in contractu non eſt dies, ſeu tempus præſtitutum. Hæc mora dicitur *regularis*, & facti, quæ in iure non præſumitur, ſed probari debet; ut advertunt Sylveſter verb. *Mora*, & Leotardus *de uſuris quæſt.* lxxxı. *num.* 3. Exempla ſubiiciam. Mutuum tibi trado ad menſem, ad annum. Elapſo menſe, vel anno, ſi non reddis, in mora tu es *ex re:* quia dies ipſa te monet ut reddas. Mutuum tibi do, ut illud mihi reſtituas tempore opportuno, vel quando mihi viſum fuerit. Tranſacto aliquo tempore (neceſſe eſt enim ut aliquod congruum ſpatium temporis interfluat, quemadmodum dixi ſupra) te interpello, ut reddas tantumdem. Niſi reddas, in mora es *ex perſona*; & mora eſt *regularis*. Hic ſecundus modus multiplici forma peragi valet; v. g. ſi mutuum tibi trado, ut reddas poſt obtentam litis victoriam, poſt regreſſum ex ſuſcepto itinere, poſt uxorem ductam, poſt collectam meſſem. In his, & ſimilibus, cum tempus aliquo modo indeterminatum ſit, creditoris eſt diem præfinire, & debitorem interpellare, qui ſi differat reſtitutionem, cum poſſit reddere, *moroſus* erit *regularis*, ſeu ex perſona. Si enim moneatur, & non poſſit, moroſus non eſt: quia ex ſola mora iniuſta, & fraudulenta oritur compenſandi damni emergentis debitum. Advertendum tamen,

nihil

nihil frequentius in ore habere debitores quam impotentiam ad ſolvendum : quæ impotentia ſæpe fictitia eſt, & verſuta.

III. Quæſt. I. *An licitum ſit pactum pœnæ conventionalis, adiectum initio contractus, ut debitor aliquid ſupra ſortem ſolvat, ſi tempore præſtituto ſortem non reddat, quin interveniat damnum emergens, aut lucrum ceſſans?* Reſp. Hæc pœna appellatur *conventionalis*, quia ex mutua conventione, ſeu conſenſu contrahentium imponitur. Quamobrem differt a pœna *iudiciali*, quæ a iudice decernitur adverſus mutuatarium moroſum; & a *legali*, quæ lege imponitur tutoribus, ut ſolvant quinque in centum, ſi otioſas, & ſteriles relinquant pupilli pecunias.

IV. Iuniores Theologi plures pactum iſtud pœnæ *conventionalis*, quibuſdam adiectis conditionibus, defendunt ut licitum, quin occurrat id quod intereſt creditoris. Henricus a S. Ignatio *Lib. IX. cap.* XXXIII. hanc opinionem vocat communem. Idem adfirmat P. Carolus Billuart *diſſ.* IV. *art.* 5. *§.* 6. Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* III. *punct.* 8. *§.* 4. ſimiliter ut communem eam propugnant; & citant Sotum *Lib. VI. quæſt.* I. *art.* 3. Scotum *in IV. diſt.* XV. *quæſt.* II. *art.* 2. *concl.* 4. Villalobosium *tractat.* XXII. *diff.* 9. Leſſium *Lib. II. cap.* XX. *dub.* 15. *num.* 128. Lugo *diſp.* XXVI. *ſect.* 6. Arriagam 2. 2. *quæſt.* LXXVIII. *dub.* 2. Malderum *tractat.* V. *cap.* III. *dub.* 13. Trullenchum *Lib. VII. cap.* XIX. *dub.* 13. Hanc eamdem opinionem defendunt *Tamburinus*, *Viva*, *La-Croix*, *Gabriel Antoine*, *Sporer*, & alii, quatuor plus minuſve adiectis conditionibus, quas infra expendam.

V. Opinio oppoſita mihi eſt probabilior, quam ſic expono. *Pœna conventionalis, niſi interveniat id quod intereſt creditoris, ſeu niſi imponatur pro quantitate lucri ceſſantis, aut damni emergentis, uſuraria eſt.* Honoratus Leotardus celeberrimus ICtus *quæſt.* XXXVIII. hanc ſententiam defendi a doctioribus Iuriſperitis aſſerit, illiſque ipſe ſubſcribit: & poſtquam allegavit multos, & graviores, ſic iuniores Theologos, oppoſitam propugnantes opinionem, vellicat num. 13. *Quis putaſſet, Iuriſperitos ſanctiores ſententias ſequi?* Addit hanc ſuam, noſtramque opinionem in foro receptam eſſe, &, *quod magni ponderis eſt*, inquit ibi, *ita tenere Rotam, teſtatur Cardinalis Mantica . . . Quæ ſententia multo magis in Eccleſia, & eccleſiaſticis viris retinenda eſt.* Subdit, omnes leges quibus cautum eſt validam eſſe ſtipulationem pœnæ, ſi ad diem pecunia non ſolvatur, abrogatas eſſe. Quæ ſcribit Leotardus, inquit P. Nicolaus Gennaro *recog.* II. *§.* 3. *num.* 7. in confuſionem plurium Theologorum recidunt. Hanc ſententiam fuſe propugnat ibi ipſe P. Gennaro: & ab hac non recedit Natalis ab Alexandro *Lib. III. artic.* 5. *reg.* 5. ubi hanc pœnam admittit in caſu lucri ceſſantis, & damni emergentis.

VI. Evinco ſententiam noſtram. Ideo pactum *pœnæ conventionalis* de acceſſione

ne ſupra ſortem in mutuo licitum dici poteſt, quia mutuator hoc pacto ſervat ſe indemnem. Sed pactum iſtud ineptum eſt ad ſervandum indemnem mutuatorem. Ergo ſenebre eſt. Prima propoſitio certa eſt. Secundam, quæ ſola diſputationi ſubiacet, ſic oſtendo. Mutuator ideo adiicit pactum ſolvendæ pœnæ conventionalis, vel quia timet ſortem poſt præſtitutum diem eſſe in periculo amiſſionis; vel quia prævidet mala ſibi imminere, aut lucra ceſſare, ſi mutuatarius ſtato tempore non reddat ſortem; vel denique quia exiſtimat pactum iſtius pœnæ remedium eſſe ad ſollicitandum mutuatarium, de quo probabiliter dubitat quin ſit redditurus ſortem præfixo die, niſi hac pœna urgeatur. Nihil profecto præter hæc rationum momenta excogitare adverſarii valent ad dictum pactum conventionalis pœnæ honeſtandum. Enucleemus ſingula. Prima ratio eſt manifeſtum uſuræ pallium. Evici quippe ſupra, feneratitium eſſe quidquid exigitur ob periculum amittendæ ſortis. Et revera qui timet periculum ſortis amittendæ poſt definitum tempus, eo magis timere debet pœnam conventionalem non eſſe ſolvendam. Qui enim eſt impotens ad ſolvendum centum, magis impotens eſt ad ſolvendum centum & quinque. Ergo patet pœnam conventionalem ineptam eſſe ad reddendum cautum mutuatorem. Si enim in periculo amiſſionis eſt ſors poſt definitum tempus, maiori periculo ſubeſt exactio pœnæ. Fateantur itaque oportet adverſarii, acceſſionem ſupra ſortem exigi ob periculum ſortis amittendæ, & non titulo pœnæ. Ergo titulus pœnæ eſt merum pallium ad tegendam uſuram. Nam ſupra oſtenſum eſt, uſuram committere mutuatorem qui ob periculum ſortis amittendæ quidquam exigit ſupra ſortem.

VII. Si ſecundum afferant adverſarii, nobis manus victas dant. At ipſi conceptis verbis affirmant, lucrum, conſtitutum vi pacti pœnæ conventionalis, ſolvendum eſſe, ſecluſis titulis damni emergentis, & lucri ceſſantis; ut legere poteris apud Continuatorem Turnely *Part. II. de contract. cap.* III. *ſect.* 3. P. Billuart *diſſ.* IV. *art.* 5. *§.* 6. Henricum a S. Ignatio *loc. cit.* & alios communiter. Quod enim hæc pœna imponi queat ad compenſandum damnum emergens, & lucrum ceſſans, mox oſtendam.

VIII. Tertium rationis momentum prorſus inane eſt. Nam ſi mutuator prævidet mutuatarium fore infidum, & contumacem in differenda ſortis reſtitutione, numquid credet ei pecuniam ſuam? Quis hoc dixerit? Si poſt elapſum terminum præſtitutum moroſus debitor deprehenſus fuerit, iudicis poteſtate cogendus eſt ad reſtitutionem. Rurſus. Aut mutuator prævidet debitorem contumacem, aut ſecus. Si ſecundum, pœna conventionalis eſt uſuræ larva. Si primum, aut non credet ei mutuum, aut fideiuſſorem, vel pignus poſtulabit. Si neglectis his duobus præſidiis, quæ ſecuram reddunt ſortis reſtitutionem, ſe recipit mutuator ad pœnam conventionalem dubiam, & ambiguam, quæ minime in tuto ſortem col-

collocat, nonne argumento evidenti eſt illum uſuram quærere, minime vero ſe indemnem cautumque ſervare? Quid ad hæc adverſarii?

IX. Quæſt. II. *Licitum ne eſt pactum pœnæ conventionalis, initio contractus initum, propterea quod mutuatoris id intereſt?* Reſp. Affirmant communiter omnes: quoniam licitum eſt ut mutuator ſibi caveat, ſeque ſervet indemnem: ergo quando occurrit id quod eiuſdem intereſt, nempe damnum emergens, & lucrum ceſſans, licitum eſt pactum adiicere, iis ſervatis quæ præſcripta ſunt §. 1. Utique iura plura adprobant pœnam conventionalem, nullo habito reſpectu ad id quod intereſt creditoris. Sed, ut ex Leotardo dixi, hæc iura ſunt abrogata; quemadmodum illa quæ uſuras moderatas concedebant. Caſum propono, ut res clarior fiat. Mutuo trado tibi centum intra annum reſtituenda. Quo elapſo anno, in pœnam moræ, niſi reſtituas, conventio me inter & te peragitur, ut debeas ſolvere decem, ſi tanta quantitas revera mea intereſt, ideſt ſi vere & realiter damnum decem ſim paſſurus, caſu quo tu differas reſtitutionem, non ex impotentia, ſed ex malitia. Tum iuſte accipiam decem, non quidem ratione pœnæ, ſed ratione eius quod intereſt, ſi reipſa decem paſſus fuero: ſi enim minus fuerim paſſus, minus accipere debeo; & ſi damnum maius fuerit quam pœna adiecta, plus quoque accipere potero, ut æqualitas conſtituatur inter damnum & pœnam, ſeu compenſationem eiuſdem damni. Pœna enim adiecta eſt ad terrorem, &, ut ita dicam, ad ſpeciem, & apparentiam. Quia pœna non eſt pretio æſtimabilis. Et ſi exigerem ratione ſolius pœnæ, ſublato eo quod intereſt, iam lucrum eſſet ex mutuo.

X. Poſt moram debitoris poterit iudex mutuatario contumaci, veteratori, obſtinato pœnam moderatam ſolvendam imponere: quæ pœna dicitur *iudicialis*. Perquam raro tamen id ad praxim deducendum eſt, niſi occurrat id quod intereſt creditoris. Tum ſolum iudex hanc infligere pœnam poterit, quando, omnibus ſpectatis, videat debitorem ex malitia contumacem vexare creditorem. Tum enim ad iudicem pertinet mulctare eos qui interturbant civilem ſocietatem. Quare mulcta hæc non ſolvitur ratione mutui, ſed ob delictum ſocietati pernicioſum. Rariſſime tamen (iterum dico) imponenda eſt, dum agitur de mutuo, ad evitandum & uſuræ periculum, & ſcandalum ſuſpicandi quod licitum aliquo in caſu ſit quidquam exigere ratione mutui.

XI. Hinc ſequitur, idem dicendum eſſe de pœna *legali*. Poſſunt legiſlatores pœnas ſtatuere adverſus debitores moroſos, contumaces, vafros. At reſpectu contractus mutui cavendum ab eiuſmodi legibus eſt ob rationes adductas. Quoniam numquam lucrari ex mutuo licet. De pœna legali, adiecta aliis contractibus, ut de aliquid dando, aut faciendo intra determinatum tempus, fuſe diſputant Leotardus, aliiſque ICti; ſed brevitatis gratia hæc miſſa facio.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Enucleantur conditiones quas pro licito pacto pœnæ conventionalis Theologi aſſignant, ſecluſis titulis damni emergentis, & lucri ceſſantis. Laxa opinio Emanuelis Sa, & Thomæ Tamburini *reiicitur.*

I. PRima *conditio*, & potiſſima quam adverſarii requirunt in conſtituenda pœna conventionali, eſt *recta intentio* mutuatoris, qui coram Deo velle potius debet & cupere ut ſors ſibi ſtato tempore reſtituatur quam pœnam conventionalem exigere. Quoniam ſi potius pretium pœnæ quam ſortis reſtitutionem deſideraret, iam haberetur voluntas lucrandi ex mutuo; quod fenus eſt. Quid, ſi mutuator æque pœnam ac ſortem deſideraret? Tum ſane æque uſuram vellet ac mutuum. Nemo non videt, hanc conditionem, ad praxim quod attinet, vanam eſſe, & in ſola ſpeculatione ſitam. Nam hæc voluntas non lucrandi ex mutuo, quam adverſarii neceſſariam merito aſſerunt ad evitandam uſuram, efficax ne eſſe debet, aut inefficax? Hæc ſecunda mera velleitas vocatur a Theologis, quæ vana eſt ad finem intentum. Efficax ergo ſit oportet. Si efficaciter vult non lucrari ex mutuo, efficaciter velle debet ut pœnam non ſolvat: alioquin duo vellet contradictoria. Porro ſi efficaciter vult ut mutuatarius pœnam non ſolvat, quomodo illam exiget elapſo tempore? Num dolore, & coacte? Num lucrum quod efficaciter nolumus, reipſa curamus ut nobis perſolvatur? Nec eſt quod reponas, creditorem efficaciter velle ſortis reſtitutionem, minori vero efficacitate pœnæ conventionalis pretium. Quoniam hæc involucra verborum ſunt. Nam ſi vère & efficaciter tantum ſortis reſtitutionem vellet, reſtituta ſorte, pœnæ pretium reiiceret. Illud recipit. Ergo ambo efficaciter vult; licet primum ſortem, poſtea lucrum. Ergo hæc prima conditio futilis ſpeculatio eſt. Quoniam ſermo eſt de pœna hac in caſu quo non occurrat reipſa id quod intereſt creditoris.

II. *Secunda conditio* eſt, quod pœna adiiciatur ſemel tantum, & non pro quolibet menſe, vel anno: alioquin mutuator indicaret ſe velle lucrum ex mutuo. Hæc conditio ineptior eſt prima. Cur adiicitur per adverſarios hæc pœna? Ut ſtimulus ſit debitori ad ſolvendum. Sed efficacior ſtimulus erit, ſi pœna in ſingulos annos, aut menſes, aut hebdomadas, aut dies ſubeunda imponatur; dummodo proportio quantitatis pretii ſolvendi ſervetur. Accedit quod poſſit pœna imponi ſemel ſolvenda, quæ ſuperet pœnam ſolvendam in ſingulos menſes, annos, & dies. Ergo hæc quoque conditio inutilis eſt.

II.

Digitized by Google

III. *Tertia conditio*, ut mutuator hanc imponendo pœnam, non lædat famam ſuam. Hæc conditio communis eſt aliis contractibus. Requiritur namque ut licite conventio ineatur. Diffamatio enim non lædit iuſtitiam, ſed honeſtatem conventionis. Quare perperam obtruditur ad uſuræ vitium declinandum. Tamen quia quodlibet peccatum vitandum Chriſtiano eſt, pœna imponi non debet, ſi ſcandalum declinari nequeat. Porro quid agendum, ut ſcandalum vitetur? Teſtari mutuator debet ſe voluntatem habere non lucrandi, ſed ſortem recipiendi. Ecquis hoc voluntatis ſecretæ arcanum credet? Quid, ſi pactum pœnæ conventionalis ſit publicum? Edicta ne evulgare mutuator debet, ut totam moneat civitatem, ſe non ſpe lucri, ſed ſecuritatis cauſſa pœnam conventionalem impoſuiſſe?

IV. *Quarta conditio*, ut mutuator, antequam pœnam apponat, credat, debitorem velle, & poſſe reſtituere tempore conſtituto. Si enim hoc non crederet, pœnæ impoſitio eſſet ad lucrandum ex mutuo. Hæc conditio non eſt ceteris melior. Conſtanter ne mutuator credit? Ais. Ergo impoſitio pœnæ eſt ob lucri ſpem. Si enim certus moraliter eſt mutuator, debitorem poſſe, & velle ſolvere, pœna adiecta non ſortis reſtitutionem, ſed lucri perceptionem ſpectat, nempe ſi caſu aliquo fortuito debitor non ſolverit. Dubitat mutuator? Ergo feneratitia eſt pœnæ impoſitio. Sicut enim dubium de poteſtate, ita & dubium de voluntate reſtituendi uſurariam efficit pœnæ conventionem; ut ipſi adverſarii aſſerunt. Pœna imponitur, inquis, ad maiorem cautionem, & ſecuritatem. Ita ne vero? Ergo ad terrorem, non ad exactionem. Sed ad exactionem imponitur. Ergo, ore tuo, uſura perpetratur. Inſiſtis, mutuatorem *probabiliter* dumtaxat credere debitorem reſtituturum. Bene habet. Ergo probabiliter quoque credit illum non reſtituturum. Ergo æque probabile eſt mutuatorem uſuram committere, ac non committere. Ergo perperam hæc quarta conditio obtruditur ad hanc pœnam purgandam ab uſuræ labe.

V. *Quinta conditio* eſt, ut pro quantitate ſolutionis debiti diminuatur quantitas pœnæ. Mutuum eſt centum; pœna eſt decem: ſolvit quinquaginta mutuatarius: diminuenda ſunt quinque. Partitio iſthæc rationabilis eſt; ſed ineptiſſima ad uſuræ crimen amovendum; immo fundamentum præſumendi fenoris præbet. Poſito quod pœna conventionalis foret licita, tum diminutio pœnæ pro quantitate ſoluti mutui facienda eſſet. At diminutio pœnæ iuxta proportionem ſoluti debiti nihil prorſus conducit ad purgandam pœnam a fenoris crimine; immo, ut dixi, indicat acceſſionem ſupra ſortem exigi vi mutui, & impoſitionem pœnæ eſſe merum pallium. Adde, quod vel ipſe P. Tamburinus aſſentitur, *Lib. VIII. cap.* VIII. *§. 3. num.* 10. hæc ſcribens. *Illud recte notat Paſqualigus, creditorem acceptantem ſolutionem partis debiti liberare debitorem a mora; ſibi enim eam partem*

Digitized by Google

tem acceptando præiudicat : nam partem acceptans videtur implicite pœnam moræ , & quodcumque intereſſe ratione moræ habitum remittere . Igitur & hæc conditio perperam obtruditur. Huc etiam recidit alia conditio , quod pœna non ſit immoderata, & excedens . Quoniam & ipſi fenoris propugnatores uſuram immoderatam improbant . Quis autem legitimus quantitatis iſtius pœnæ iudex ? Mutuator ? Unde ſumendæ regulæ iſtius quantitatis ?

VI. Diſputant iuniores , ſit ne pœna hæc ſolvenda ante iudicis ſententiam ? Affirmantem opinionem veriorem iudicant P. Billuart *loc. cit.* & Bonacina *de contract. diſput.* 111. *quæſt.* 111. *punct.* 3. ubi citat Covarruviam, Azorium , Molinam, Salas, Rebellum , & alios. Contra, Sanchez, Rodriguez, Suarez, Leſſius, & alii ſententiam iudicis requirunt . Diſſidium iſtud nihil ad me. Si enim contractus iſte iuſtus eſſet ; iudicis ſententia ſuperflue exigeretur . Si iniuſtus, & feneratitius ſit; iudicis ſententia a fenore contractum non liberat.

VII. Alias conditiones exigunt pœnæ conventionalis patroni, nempe quod mora ſit notabilis , quod ſit ex malitia , non ex impotentia creditoris : quæ conditiones rationabiles, & iuſtæ ſunt ; ſed non efficiunt ut pactum eiuſdem pœnæ ſit ab uſura immune.

VIII. Opponunt auctoritatem Innocentii III. qui in cap. *Suam* videtur probare pœnam conventionalem. Sed falluntur. Ecce textum Pontificis. *Suam ad nos Rectores Clericorum S. Fortunati querimoniam tranſmiſerunt , quod cum tibi eſſent in quadraginta libris per quoddam arbitrium condemnati , eſſetve pœna triginta librarum appoſita , niſi ea ſolverent in termino conſtituto, tandem triginta tribus libris in termino perſolutis, occaſione ſeptem reſiduarum, per quaſdam noſtras litteras, veritate tacita impetratas , obtinuiſti eos in præfatis triginta libris tibi per delegatum iudicem condemnari*. Hic eſt caſus expoſitus Pontifici a Rectoribus Cleri Spoletani adverſus Epiſcopum , cui per iudicis delegati ſententiam adiudicata erat pœna triginta librarum contra debitores non ſolventes in termino conſtituto. Audias nunc Pontificis reſponſum ad Epiſcopum Spoletanum . *Quia igitur te non decet in tantum pontificalis modeſtiæ oblivisci, ut inhoneſtis quæſtibus anhelando, deſideres cum aliena iactura ditari*; *mandamus quatenus ſeptem librarum ſolutione contentus , ſuper pœna triginta librarum memoratos Rectores de cetero non moleſtes*. Hic non tam de pœna conventionali, quam legali ſermo eſt. Et tamen hanc pœnam *inhoneſtum quæſtum* Innocentius appellat : & Epiſcopum Spoletanum redarguit, qui aliena iactura diteſcere vellet . Porro quæſtus inhoneſti non Epiſcopum modo , verum etiam Chriſtianos omnes dedecent.

IX. Ut paucis quæſtionem hanc perſtringamus , quæ diximus de damno emergente, huc revocanda ſunt. Si revera creditoris interſit , pœna iuſta erit iuxta regulas quas ſupra pro damno emergente aſſignavi. Si mutui contractus abſolu-

Digitized by Google

tus ſit, nullo termino conſtituto; elapſo tempore congruo, mutuator in mora conſtituere debitorem poterit, eumque admonere, quod ſua intereſt reſtitutio mutui, eique exponere damnum quod ſibi emergit, niſi infra tale tempus ſortem reddat; poſito quod revera ſua interſit, & quod damnum revera contingat, & quod aliter commode vitari nequeat: & tunc iuſtam exigere compenſationem poterit. Ceterum illud ſemper meditandum, nempe uſuras ſenſim ſine ſenſu ſerpere. Quare ſumma opus eſt vigilantia, ne ſub fictis titulis graſſentur. Sed cavendum quoque ab iniuſtitia debitorum. Plurimi mutuum petunt, credito emunt, ſpondentes promptam reſtitutionem: & frequentiſſime oppignoratam fidem frangunt cum damno creditoris. Quare iſti cogendi ſunt ad damni compenſationem, quando præceſſerit creditorum admonitio, & damnum reipſa creditoribus emerſerit. Extrema, tam ex parte creditorum, quam ex parte debitorum, diligentiſſime vitanda ſunt.

X. P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. cap.* VIII. *§. 3. num.* 10. refert Emanuelem Sa hæc ſcribentem *verb.* Mora. *Alii putant, qui non ſolvit tempore debito, etiam ſine culpa, in mora eſſe. Quæ mihi opinio videtur mercatorum uſu recepta.* Deinde ſubdit continuo Tamburinus. *Quæ conſuetudo, ubi introducta eſt, ſervetur, quia eſt rationabiliter introducta. Siquidem mercatores ſolent negotiari, & lucrari continuo. Sed quoad praxim puto facilius introductam fuiſſe hanc conſuetudinem, quando mercatores dant mutuum, quam in ceteris contractibus: quia mercatores regulariter intelligunt paciſci cum recipientibus ipſorum actualem pecuniam mutuam de quocumque damno, etiam poſt terminum ſolutionis eventuro, quod non eſt in aliis contractibus.* Ubi magis timendum eſt uſuræ periculum, ibi amplius habenas laxat P. Tamburinus. Mutuo enim paſſim uſuræ crimen ſe ſe latenter immiſcet: & Tamburinus ait, facilius in mutuo quam in ceteris contractibus obtinere conſuetudinem pacti impliciti! P. Nicolaus Gennaro *Part. I. recog.* 11. *§. 3. pag.* 101. poſt relatam hanc opinionem, ſic alloquitur mercatores. *Advertite . . . mercatores ut non credatis dictis ab Emanuele Sa . . . & multo minus Tamburino . . . Non, inquam, credatis: hoc enim parat laqueum animabus veſtris, & uſuræ labe veſtras conſcientias deturpat.* Fuſe explodit Magiſter Gennaro hanc Emanuelis Sa, & Thomæ Tamburini opinionem. Paucis ego illam explodo.

XI. Communis eſt Theologorum ſententia, ad iuſtam emergentis damni compenſationem monendum eſſe debitorem, eique proponendum damnum quod creditori imminet. Rationem evidentem ſupra aſſignavi. Solutio emergentis damni eſt novus contractus, mutuo extrinſecus, & accidentaliter adveniens. Ergo ut mutuatarius ex iuſtitia obligetur, neceſſarius eſt eiuſdem conſenſus. Libere enim ſubire, aut reſpuere hoc novum onus valet: quia mutuum hoc onere gravatum, non com-

Digitized by Google

commodum, ſed perniciosum eſſe illi poteſt. Cum ipſo autem iure naturæ, & divino pugnat aliquem inconſultum, & invitum ſubiicere oneri, quod nonniſi ſponte & libere ſuſcipere debet. Porro nulla conſuetudo honeſtare id valet quod iuri tum naturali, tum divino repugnat. Præterea quodnam damnum compenſare mutuatarii in hoc caſu debent? Num damnum emerſurum ante moram, vel poſt moram? An damnum quod ſine culpa, vel quod ex culpa contingit? Omnia ne hæc arbitrio mutuatoris relinquenda? At mercatores ſolent continenter negotiari, & lucrari. At ſolent quoque fenerari, & quidem frequenter: & tum potiſſimum fenerantur, cum pacta quæ proponenda omni iure debitoribus eſſent, occultant. *Mercatores*, ſubdit Tamburinus, *regulariter intelligunt paciſci*. Si id intelligunt, cur non exprimunt? Cur debitores non monent? Cur quantitatem damni emerſuri non patefaciunt? Quia conſuetudo, inquis, inter ipſos contraria obtinet. Conſuetudo ne inter mercatores fenora licita reddit? Si plura cupis, conſule citatum Magiſtrum Gennaro *loc. cit.* ubi *num.4.* ſic iterum alloquitur mercatores. „ Cavete „ igitur ab iſta conſuetudine, mercatores, quæ omni iuri adverſatur: & dum mu- „ tuum amicis petentibus impertimini, ſi aliquid intereſt, in pactum deducite, & „ de damno monete, non quidem poſſibili, ſed futuro certo, vel veriſimiliter iux- „ ta a me dicta in hoc §.... Si debitum non eſſet ſolutum ratione impotentiæ „ eorumdem, & ex mora ſine culpa, ne exigatis damna. Sed parcatis, quæſo, „ volenti, ſed impotenti. Impium eſt addere afflictionem afflicto; reflectentes ni- „ hil vobis proficere, quod continuo negotiamini, & lucramini... Nolite itaque „ conſuetudini confidere, quia hæc irrationabilis eſt, & ruinoſam vobis ſtruit ſe- „ mitam.... Omnes conſuetudines, leges, & ſtatuta uſuras inducentia interdi- „ cuntur, & damnantur.... Conſuetudo veſtra a pœna vos liberabit in foro ex- „ terno; ſed minime a culpa, cui reſtitutio annectitur, a qua neque con- „ ſuetudo totius orbis terrarum vos excuſare valeret." Concionatoria hæc ſunt. Scilicet. Sed non ſunt caſuiſtica, neque probabiliſtica. Magis *concionatorie*, nempe eloquentius, & vehementius, loquuntur Patres ſancti. Hoc nobis ſat eſt.

CAPUT XV.

De lucro ceſſante, eiuſque conditionibus neceſſariis, ut ſit iuſtus titulus aliquid percipiendi præter ſortem.

I. ARgumentum undique involutum, aleæ plenum, explicatione difficile, uſuris tegendis, & fucandis aptiſſimum, diſpiciendum mihi eſt. Ut diſputationi viam aperiam, pauca præmitto. Primo ſcias oportet, *uſuram* quæ ad moram coercendam refertur, *pœnam* dici; ſi ad damni reparationem ſpectat, *id quod intereſt* nuncupatur; ſi ad lucrum reſpiciat, *uſura* proprie appellatur: ita advertit vel ipſe Gerardus Noodt *Lib. I. de fen. cap.* III. Quod ideo dico, ne huius tituli, *id quod intereſt*, falſa intelligentia decipiaris. Sæpe enim ab imperitis *id quod intereſt* pro lucro ceſſante uſurpatur, quando in lege pro ſolo damno emergente ponitur. Communiter omnes lucrum ceſſans illud intelligunt quod mutuatori intercipitur, ſeu ceſſat ratione mutui. Habes paratam pecuniam ad emendas merces parvo pretio, v. g. tempore meſſis frumentum, oleum, vinum, cum certa ſpe præfata vendendi maiori pretio tempore opportuno. Ut amico roganti ſuccurras, has pecunias mutuas tradis. Ratione iſtius mutui tibi ceſſat lucrum. Quomodo diſtinguatur lucrum iſtud a damno emergente, dixi *cap.* XIII. *num.* 3. Ludovicus Lopez *Lib. I. de contract. cap.* XXIII. hanc præfati lucri deſcriptionem perhibet. *Lucrum ceſſans illud eſt quod, cum quis poſſet, & vellet mediante aliqua negotiatione, vel induſtria aſſequi, ideo omittit lucrari, quia in favorem alicuius aliquid facit, vel quia præpeditur iniuſte.*

II. Altum apud Patres de hoc titulo ſilentium. Antiquiores Theologi eumdem reiecere titulum. Ne gratis aſſerere id videar, tranſcribere lubet quæ ſcribit P. Dominicus Soto, Theologus ſane graviſſimus *de iuſt. & iur. Lib. VI. quæſt.* I. *art.* 3. *concl.* 4. „ Quod hoc modo poſſit lucrum ceſſans in pactum duci, non eſt adeo
„ certum, ut patroni aſſertionis huius arbitrantur; ſed eſt tum minus probabile,
„ tum quamplurimis uſurarum periculis expoſitum. Et quidem quod non ſit uſque
„ adeo certum, multis rationibus comprobatur. Primum nullam iuris aut canoni-
„ ci, aut civilis legem invenies quæ hoc permittat: quod certe non eſt infimum
„ argumentum. Nam, cum tam frequentes exrent quæ uſuras ratione moræ pen-
„ di iubent, videlicet dum mutuator, vel quivis creditor invitus re ſua caret; ſi
„ ſpontanea hæc lucri ceſſantis pactio tam plane licita eſſet, non deſineret lex
„ quæ id inſinuaret. Mox, ſi priſcos Doctores conſulas, D. Thomas id negat, con-

„ ſul-

Digitized by Google

„ fulto dignoſcens inter damnum emergens, & lucrum ceſſans, nempe quod illud „ licet in conventione ponere, hoc vero minime. Cuius ſententiæ accedit Scotus „ in *IV. diſt.* XXXVII. *quæſt.* II. Durandus in *III. diſt.* XXXVII. *quæſt.* II. & inter Iuriſconſultos Innocentius ſuper cap. *Naviganti*. Immo inter antiquos, graveſque „ ſeu iuris, ſeu Theologiæ Doctores neminem invenias qui explicitis verbis id „ aſtruat, niſi ratione moræ, aut alicuius culpæ debitoris.“

III. P. Ioannes Azorius *III. Part. Lib. V. cap.* V. citat pro hac opinione Innocentium III. Ioannem Andream, Ioannem Calderinum, Petrum de Ancheranis, Antonium de Butrio, Laurentium de Rodulphis, Aymonem, & Sotum. Ex Theologis doctiſſimus P. Ignatius de Camargo in celebri opere adverſus Probabiliſmum conſtanter negat hunc titulum *Lib. II. controv.* IV. *art.* 6. *num.* 384. Primus qui expreſſe contrariam opinionem docuerit, citatur Conradus Sunhemart, recens Auctor, inquit Sotus, qui cum formidine & timore eamdem defendit, ſeptem conditionibus vallatam. Poſt Sylveſter, Caietanus, Adrianus, qui fatentur eſſe opinionem *modernorum*. Tandem temporis ſucceſſu evaſit, ut fit, inter iuniores communis. Si quis modo oppoſitam doceret doctrinam, vix cenſuram evaderet recentiorum. In opere *de contractus trini uſura* excripſi verba quibus P. Ioſeph Gibalinus *Lib. VI. de uſur. cap.* V. *art.* 2. docet, quod opiniones novæ, quemadmodum eſt iſta, conceptæ inter formidinem & pavorem, quæque vix parentem prodere audebant, poſtmodum cum plauſu ſuſcipiuntur. Non tam verum, quam veriſſimum hoc eſt. Conradus pavide, & timide hanc opinionem evulgavit, ſex, aut ſeptem conditionibus circumſeptam. Poſteriores eam communi plauſu ſuſceperunt, & ultra progreſſi ſunt. Conditiones adiectas, ſin omnes, plures tamen reiecerunt; aliaſque, ad uſuras fucandas opportunas, excogitarunt. Unde concludit P. Nicolaus Gennaro recog. 2. §. 2. pag. 124. *Innumera orta ſunt laxamenta in laqueum animarum, in cupiditatis ſolatium, in uſurarum incrementum.*

IV. Heinc collige quam ardua, quam gravis, & quanti periculi plena ſit quæſtio quam in manibus habemus. Ad eam pro dignitate diſpiciendam magna opus eſt diligentia, & ponderatione. Quæ mihi probabiliora viſa fuerint, proponam. Ubi aqua hæſerit, iudicium meum ſuſpendam, & doctioribus definitionem relinquam. Abſit enim ut me pudeat propriam confiteri ignorantiam; & ad eos qui maiori ſunt perfuſi lumine, eruditione ornati, lectores meos remittere, ut imbuantur.

§. I.

Quid ſentiat S. Thomas *de lucro ceſſante ratione mutui ſpontanei, exponitur.*

I. SErmo nunc minime eſt de lucro ceſſante ob moram culpabilem debitoris. Reſpectu iſtius lucri invitus mutuator eſt, & involuntarie damnum patitur. Quo in caſu creditorem iuſte huiuſmodi damni compenſationem exigere poſſe, fatentur omnes. De eo in præſentia lucro loquimur quod tempore mutui ſponte & voluntarie traditi a creditore, ceſſat.

II. S. Thomas aperte negare videtur ceſſationem iſtius lucri iuſtum titulum eſſe cur aliquid exigatur ſupra ſortem. Hæc ſunt eiuſdem verba 2. 2. quæſt. lxxviii. art. 2. ad 1. *Dicendum, quod ille qui mutuum dat, poteſt abſque peccato in pactum deducere cum eo qui mutuum accipit, recompenſationem damni, per quod ſubtrahitur ſibi aliquid quod debet habere. Hoc enim non eſt vendere uſum pecuniæ, ſed damnum vitare: & poteſt eſſe quod accipiens mutuum maius damnum evitet quam dans incurrat. Unde accipiens mutuum, cum ſua utilitate damnum alterius recompenſat. Recompenſationem vero damni quod conſideratur in hoc quod de pecunia non lucratur, non poteſt in pactum deducere: quia non debet vendere id quod nondum habet, & poteſt impediri multipliciter ab habendo.*

III. Reſpondet poſt Caietanum, Sylveſtrum, & alios interpretes S. Thomæ, Franciſcus Sylvius 2. 2. *quæſt.* lxxviii. *art.* 1. *quæſit.* 5. S. Doctorem negare, mutuatorem poſſe exigere integrum lucrum aſſequendum, ſecus partem eiuſdem. Sed interpretatio hæc arbitraria videtur, & aperte contraria rationi Angelici Præceptoris. Nemo, inquit ille, vendere debet id quod nondum habet, & ab eo comparando impediri variis modis poteſt. Hæc autem ratio æque partem ac totum lucrum excludit: quoniam mutuator non minus parte quam toto lucro caret; & non minus variis modis impediri aſſecutio partis poteſt quam totius. Ergo ratio S. Thomæ evincit, mutuatorem exigere haud poſſe abſque uſuræ labe ſive integrum lucrum, ſive eiuſdem partem.

IV. Opponit cum aliis Thomiſtis Franciſcus Sylvius textum S. Thomæ ex 2. 2. *quæſt.* lxii. *art.* 4. ubi hæc habet. *Dicendum, quod quicumque damnificat aliquem, videtur ei auferre id in quo ipſum damnificat. Damnum enim dicitur ex eo quod aliquis minus habet quam debet habere.... & ideo homo tenetur ad reſtitutionem eius in quo aliquem damnificavit. Sed aliquis damnificatur dupliciter. Uno modo quia aufertur ei id quod actu habebat: & tale damnum eſt ſemper reſtituendum ſecun-*

Digitized by Google

cundum recompenſationem æqualis : puta, ſi aliquis damnificet aliquem diruens domum eius, tenetur ad tantum, quantum valet domus. Alio modo ſi damnificet aliquem, impediendo ne adipiſcatur quod erat in via habendi : & tale damnum non oportet recompenſare ex æquo : quia minus eſt habere aliquid virtute quam habere actu : qui autem eſt in via adipiſcendi aliquid, habet illud ſolum ſecundum virtutem, vel potentiam. Et ideo ſi redderetur ei, ut haberet hoc in actu, reſtitueretur ei quod eſt ablatum, non ſimplum, ſed multiplicatum : quod non eſt de neceſſitate reſtitutionis.... Tenetur tamen aliquam recompenſationem facere ſecundum conditionem perſonarum, & negotiorum.

V. Tantum abeſt ut hæc doctrina faveat Sylvio, P. Billuart, & aliis S. Thomæ interpretibus, quin potius eorumdem opinionem labefactat. Manifeſtum quippe eſt S. Doctorem hic loqui de vero damno quod invitus creditor ſuſtinet, a debitore moroſo illatum. Idque conſtat evidentius ex argumento 2. quod ibi ſibi opponit. *Ille qui detinet*, inquit, *pecuniam creditoris ultra terminum præfixum, videtur eum damnificare in toto eo quod lucrari de pecunia poſſet; quod tamen ipſe non aufert. Ergo videtur quod aliquis teneatur reſtituere quod non abſtulit*. Cui argumento Doctor ſanctus reſpondet, debitorem hunc recompenſare debere non totum lucrum, ſed partem eiuſdem. *Quia* (inquit) *ille qui habet pecuniam, nondum habet lucrum in actu, ſed ſolum in virtute : & utrumque poteſt multipliciter impediri*. Legatur integer articulus, ex quo quiſque colliget, S. Thomam ibi loqui de debitore, ſeu mutuatario moroſo, qui ultra præfixum terminum detinet pecuniam creditoris contra illius voluntatem. Quod paritate confirmat illius qui effodit ſemina, damnum inferendo ſeminatori, agri domino. Qui enim, inquit ille, ſparſit ſemen, nondum habet meſſem in actu, ſed in virtute : & ideo qui effodit, recompenſare non tenetur totam meſſem. Et hoc fatetur etiam Natalis ab Alexandro, nempe S. Thomam loqui de mutuatario moroſo, atque adeo de mutuatore qui vim ſuſtinet ab eodem; ſecus de mutuatore ſpontaneo & libero. Hunc eſſe S. Thomæ germanum ſenſum, declarat acutiſſimus Caietanus, qui & Sylvio, & ceteris omnibus interpretibus, ut ego quidem ſentio, magnopere præſtat in aſſequenda Angelici Doctoris mente. Igitur in Commentariis ad hunc *art.* 4. inquit. *Dubium eſt, quare damnum lucri ceſſantis ex pecunia mutuata debeat reſtitui creditori poſt moram, ut in littera dicitur; & non a principio abſolute loquendo. Nulla enim apparet inter hæc differentia; niſi quia poſt moram involuntarie ſuſtinet damnum creditor, a principio autem voluntarie*. Utique Caietanus hanc improbat rationem, contenditque inferre, damnum voluntarium non minus quam involuntarium compenſandum eſſe : quam conſequentiam infra refellam. Mihi nunc ſat eſt Caietanum fateri, S. Thomam loqui de damno involuntario, illato a debitore moroſo : quod ſane planum videtur. Quod autem Sylveſter interpretetur, S. Thomam intelligendum eſſe de lucro poſ-

ſibili, non probabili, falſum eſt. Comparat quippe S. Doctor debitorem moroſum illi qui effodit ſemina. Ager autem ſatus ſemine, non poſſibilem modo, verum etiam futuram, & probabilem meſſem exhibet. Ergo qui patiuntur damnum & in agro ſato, & in pecunia detenta a debitore moroſo, inviti ſunt, & involuntarii: ideo compenſationem eiuſmodi damni iure exigunt.

VI. Ex his conſtare videtur, nullo modo S. Thomam patrocinari opinioni quæ lucrum ceſſans exigi a mutuatore ſpontaneo poſſe defendit. Immo oppoſitum potius docere colligitur. Quare non immerito Dominicus Soto a ſe ſtare S. Thomam contendit. Idque argumento extrinſecus arceſſito confirmari valet. Numquam Doctor ſanctus a communi ſui temporis Theologorum doctrina receſſit. Porro quis Theologorum tempore S. Thomæ docuit, compenſandum eſſe lucrum interceptum mutuatori voluntario? Immo oppoſitum aliqui expreſſe docent; ceteri ſilent. Leges præſcribunt compenſandum eſſe *id quod intereſt creditoris*, ideſt damnum emergens. Lex quippe nulla lucri ceſſantis meminit, ut docte animadvertit Dominicus Soto.

§. II.

Mutuator qui mutuam pecuniam ſponte offert, fenerator eſt, ſi paciſcatur de lucro ceſſante. Laxa Martini Bonacinæ *opinio refellitur.*

I. Diſtinctis paragraphis exponam, ut promiſi, quæ veriſimiliora mihi videntur; & laxiora refellam. In hoc paragrapho de mutuatore offerente pecuniam ſermo erit. Communiter illi ipſi Theologi qui lucri ceſſantis titulum defendunt, ad iſtius tituli iuſtitiam duo poſtulant. Primum, ut pecunia mutuo tradenda, ſit negotiationi vere & reapſe deſtinata. Alterum, ut mutuator velit potius ex negotiatione, & induſtria quam ex mutuo lucrari. Ergo neceſſario docere debent, mutuatorem ultroneum non poſſe de lucro ceſſante paciſci: mutuator enim ultroneus nec pecuniam ſuam reipſa deſtinatam mercaturæ habet, nec mavult ex negotiatione quam ex mutuo lucrum capere; ſed contra, reiecta negotiatione, & neglecto induſtriæ labore, mavult ex mutuo lucrari. Rurſus qui offert pecuniam mutuam, aut caritate ſubveniendi proximo indigenti, aut ſpe lucrandi ducitur. Si primum, gratis mutuum tradit; ſi ſecundum, fenerator eſt omnium ſententia. Tandem tum lucrum interceptum, ſeu ceſſans eſt iuſtus titulus quidquam præter ſortem percipiendi, quando mutuatarius eſt cauſſa cur lucrum ceſſet. At dum mutuator ultronee offert pecuniam ſuam, ipſe, non mutuatarius, eſt cauſſa quare lucrum ceſſet. Ergo eidem, non mutuatario, imputandum eſt damnum

Digitized by Google

mnum quod lucri ceſſationem conſequitur. Ipſe negotiationi pecuniam ſubtrahit; ipſe eam mutuatario offert. Ergo ſi non lucratur, ſibi dumtaxat imputare debet. Hanc ſententiam certam exiſtimo, eamque omnes probare aſtringuntur qui uſuram damnant.

II. Quare, ut manifeſte falſa, & nimium laxa, reiicienda eſt opinio *Martini Bonacinæ*, quam docet *de contract. diſp.* III. *quæſt.* III. *punct.* 4. *prop.* 2. *num.* 12. his verbis. *Et hoc valet, etiamſi mutuator ſe offerat ad mutuandum, ut inquiunt multi ex Doctoribus contra Conradum quæſt.* XXX. *& apud Emanuelem Sa.* Conradus inter primos habetur qui lucri intercepti titulum invexerunt: & ſucceſſores eumdem oppugnant, quod parum laxaverit habenas.

§. III.

Mutuator paratus ad mutuum tradendum cuique petenti, nequit aliquid præter ſortem recipere ratione lucri ceſſantis.

I. Hanc ſententiam ii omnes propugnare debent qui ad iuſtitiam lucri ceſſantis requirunt quod mutuator malit lucrari ex pecunia negotiationi expoſita quam mutuo tradita. Qui enim ad cuiuſcumque petitionem pecuniam ſubtrahit negotiationi, ut eamdem mutuo tradat, ipſe lucri ceſſantis cauſſa eſt, & mavult lucrum ex mutuo quam ex negotiatione; & eiuſdem conditionis eſt ac mutuator ultroneus. In eiuſdem libertate poſitum eſt lucrari ex negotiatione, & ex mutuatione. Libere præfert mutuandi artem arti negotiatoriæ. Ergo libere mavult lucrum ex mutuo quam ex mercatura. Hoc enim ex ipſo facto præſumitur. Quis prudens præſumere iure poteſt, hunc mutuatorem, qui ad cuiuſcumque petitionem pecuniam mercaturæ ſubducit, ut mutuum tradat, velle potius ex mercatura quam ex re mutuatitia lucrari?

II. Oppones ex Caietano 2. 2. *quæſt.* LXII. *art.* 4. & ex aliis, tum contra primam, tum contra ſecundam opinionem. Iuſtitiæ commutantis eſt æqualitatem conſtituere inter rem & rem. At qui habet pecuniam expoſitam negotiationi, habet pecuniam, puta centum in re, & quinque in virtute. Ergo ad iuſtitiam commutantem attinet æquare centum in actu, & quinque in virtute. Quod voluntarie, libere, & ſpontanee mutuator careat lucro in virtute, perperam ſe habet ad iuſtitiam, in qua res cum re æquatur, nullo ad conſenſum ultroneum, ſpontaneum, liberumque reſpectu habito.

III. Urgetur hæc ratio. Ideo mutuatori invito debetur lucrum ceſſans, non quia invitus, ſed quia reipſa habet centum negotiationi expoſita, & quinque in vir-

Digitized by Google

virtute. Sed etiam mutuator ultroneus, voluntarius, & paratus ad mutuum tradendum, habet centum in re, expoſita negotiationi, & quinque in virtute. Ergo æque mutuator ultroneus, & paratus exigere quinque poteſt ac mutuator invitus. Quod confirmari exemplo poteſt. Agricola vendere ſata ſemina poteſt quanti valent in virtute, quamquam ſit ultroneus & expoſitus; immo offerre ſponte cuicumque emptori illa valet. Cur hoc? Non alia ratione, niſi quia illa ſata ſemina tanti fiunt, quanti æſtimantur fructus in ſpe. Ergo idem dicendum de pecunia mutuatitia, quæ æſtimari debet quanti valet in virtute. Has rationes indicat Caietanus *loc. cit.* quas tamen ipſe, dum de uſura diſputat, non probat.

IV. Ut quam vana ſint, unaque inſidioſa ſophiſmata hæc, deprehendas, primo adverte, lucrum præter ſortem eſſe, eique omnino extrinſecus accidere, ut omnes ICti teſtantur, & res ipſa clamat. Secundo æqualitas rei cum re in iuſtitia commutante ſpectari poteſt & materialiter, ut quatuor cum quatuor; & formaliter, ut duo cum quatuor ratione circumſtantiarum. Prima æqualitas materialis non ſemper neceſſaria eſt ad iuſtitiam commutantem; ut patet in poſſeſſore bonæ fidei, qui tantum tenetur ad reſtituendum id in quo locupletior factus eſt. Tum ſane non eſt æqualitas rei cum re; & tamen reſtitutio eſt actus iuſtitiæ commutantis. Idem patet in damno emergente, de quo monitus non eſt debitor. Illius exactio eſſet æqualitas rei cum re, propria iuſtitiæ commutatricis; & tamen nec creditor exigere poteſt, nec debitor ponere hanc æqualitatem tenetur. Tertio magna attentione, & acumine advertendum eſt, lucrum ceſſans non eſſe computandum inter ea quæ ſunt in ſpe, & aliquando erunt; ſed inter ea quæ eſſent, niſi interciperentur, ſed quia reipſa intercipiuntur, reipſa numquam erunt. En quam inſidioſa ſit paritas Caietani, & aliorum dicentium, vendi poſſe & ab agricola ſemina ſata, ſecundum quod ſunt in re, & in virtute, ſeu in ſpe; & a piſcatore iactum retis, ſeu ſpem futuræ prædæ. Ergo ſimiliter centum, quatenus ſunt in re, & quinque in virtute, ſeu in ſpe, vendi poſſunt. Sophiſtica paritas eſt. Lucrum interceptum, ſeu ceſſans comparari debet cum ſeminibus ſatis, ſed effoſſis, quæ numquam meſſem producent; cum iactu retis intercepto, ſeu impedito, quo numquam piſces capientur: ſicut lucrum ideo dicitur ceſſare, quia numquam erit, ſed eſſet, niſi interciperetur, ut docte advertit P. Gennaro *loc. cit.*

V. His delibatis, reſponſio ad ſophiſtica argumenta patet. AEqualitas in mutuo formalis eſt ſorti cum eiuſdem reſtitutione. Dum mutuator ſe offert ad mutuum tradendum, voluntarie transfert dominium in mutuatarium, qui tantumdem reſtituere debet, ut ponat æqualitatem. Acceſſio lucri eſt omnino extra rem; & a mutuatario non impeditur, ſed ab ipſo mutuatore, ſponte offerente cuicumque petenti mutuum. AEqualitas igitur ſumenda eſt ex re mutuatitia ſecus ex acceſſione prorſus extranea.

VI.

Digitized by Google

VI. Qui habet centum mercaturæ expoſita, eaque ſubtrahit, ut illa mutuo offerat, non habet centum & quinque in ſe: quia pecunia natura ſua ſterilis eſt, eiuſque uſus non eſt vendibilis. Quare falſum omnino eſt iuniorum axioma, & Molinæi errori prorſus conſorme, quod centum negotiationi expoſita ſint centum & quinque in virtute: alioquin pecunia pecuniam pareret, ſicut ſemina ſata; neque illa quinque comparari cum fructibus in ſpe, ſeu in virtute poſſunt. Dum ergo mutuator centum ſubtrahit negotiationi ſe offerendo ad mutuandum, nuda & ſola centum remanent; nihil vero in ſpe, ſeu in virtute, ob pecuniæ ſterilitatem. Exemplis doctrinam evidentiorem reddo, quæ ab ipſis adverſariis opponuntur. Ipſi enim in pecunia duplicem diſtinguunt potentiam, remotam nempe in pecunia nude ſumpta, & proximam in pecunia negotiationi expoſita: quæ diſtinctio viam errori Molinæi aperit. In medium veniant & rete piſcatoris, & malleus fabri, & ligo agricolæ. Rete inſtrumentum eſt quo capiuntur piſces. Illud in manu habens piſcator, paratus ad piſcandum, mihi offert. Pretium retis eſt quinque. Futura piſcium captura æſtimatur unum. Numquid piſcator, mihi libere vendens rete, exigere pretium piſcium quos erat capturus, iure poteſt? Acceſſio piſcium ſupra pretium retis extra rem omnino eſt, & induſtriæ piſcatoris, non reti tribuenda eſt. Similiter malleus fabri, ligo agricolæ decem valent in ſe. His inſtrumentis faber, & agricola duo lucrantur in diem. Illa mihi ſponte offerunt reſtituenda poſt diem. Exigere ne illa duo a me poſſunt, ut contenta in potentia proxima, ſeu in virtute? Tum ſolum exigere a me hæc duo poſſent, cum, illis invitis, paratis ad piſcandum, vel laborandum, præfata inſtrumenta ſurriperem. Et tunc hæc duo exigerent, non quia contenta in potentia proxima, ſeu in virtute inſtrumentorum; ſed ob impedimentum appoſitum eorum induſtriæ, & labori. Quamquam aliunde paritas hæc de inſtrumentis operariorum ineptiſſima eſt. Quoniam inſtrumenta hæc non mutuo, ſed commodato traduntur: eorumque uſus vendibilis eſt; cum uſu non deſtruantur, ſed detrimentum tantummodo patiantur. Pecunia vero uſu conſumitur: & qui eiuſdem uſum concedit in mutuo, neceſſario concedit & dominium; ut fuſe alibi demonſtratum eſt, & Catholici omnes fatentur.

VII. Ad ſecundum ſophiſma patet quoque reſponſio. Nam invito creditori debentur centum, & quinque: quia mutuatarius impedit mutuatorem ne illa quinque aſſequatur, quæ ſunt omnino extra rem. Mutuator vero voluntarius ipſe ſe ſponte privat induſtria ſua. Ultima paritas eſt prorſus diſparata. Agricola ſpontaneus, & ultroneus poteſt vendere ſemina ſata, ſecundum quod actu, & in virtute valent, quia reipſa fructus futuri in ſeminum virtute continentur: quare acceſſio fructuum ad ſata ſemina non eſt extra, ſed intra rem; & reipſa futura erit. Acceſſio autem lucri ad pecuniam eſt prorſus extra rem; & lucrum

crum ceſſans, cum ſit interceptum, numquam erit: unde comparatur ſeminibus ſatis, ſed effoſſis.

VIII. Quæſt. unic. *Quid dicendum de opinione* Leſſii, Molinæ, Lugo, *& aliorum, qui mutuatori ultroneo concedunt lucri ceſſantis exactionem?* Reſp. Hæc opinio imbecillitati meæ nimis laxa videtur. Porro, ne Theologis iſtis imponere videar, ipſorum verba tranſcribo. P. Leonardus Leſſius *Lib. II. cap.* xx. *dubit.* 11. *num.* 101. hæc ſcribit. „ Petes, utrum, ut pactio lucri ceſſantis ſit licita, neceſ- „ ſarium ſit ut mutuans ſe non offerat ad mutuandum, ſed alterius precibus „ compulſus mutuet? "

Reſpondeo, id neceſſarium non eſſe (etſi Conradus quæſt. xxx. *& quidam alii id exiſtiment) ut recte Navarrus num.* 212. *& Sotus ſupra art.* 3. *Ratio eſt, quia æqualitas, & iuſtitia contractus non pendet ex eo quod deſideres, vel non deſideres illum fieri*. Hanc eamdem opinionem docet Lugo *diſp.* xxv. *ſect.* 6. *ſ.* 1. *num.* 107. & pro eadem laudat Molinam, Sotum, Navarrum, Lopez, Toletum, Valentiam, Bannez.

IX. En nova argumenta progreſſionis laxarum opinionum. Conradus trepidus & pavidus lucri ceſſantis titulum multis vallatum conditionibus propoſuit (ut iam indicavi; ſed iuvat repetere.) Iuniores vero conditiones iſtas, ſin omnes, aliquas ſaltem reiiciunt. Quod miramur, eſt, P. Dominicum Sotum citari a *P. Leſſio* pro hac opinione; cum *Sotus* omni argumentorum genere hanc de lucro ceſſante opinionem improbare conetur. Conditionem *Conradi* ad purgandum lucrum ab uſura reiicit, tamquam inutilem: quia, inquit ille, ſive ultroneus, ſive rogatus mutuator lucrum exigat ratione lucri ceſſantis, uſurarius eſt. Et noſtri iuniores, ut laxæ opinioni præſidium aucupentur, audent P. Dominici *Soto* auctoritatem pro ſe allegare.

X. Opinionis laxitas ex ſe patet. Nam cum mutuator ſponte, non rogatus, mutuam offert pecuniam, lucrum non ceſſat cauſſa mutui, vel mutuatarii, ſed mutuatoris. Ipſe ſibi lucrum intercipit, ipſe ſe impedit. Cur? Ut lucretur ex mutuo. Nam aut mutuam rem offert caritate impellente; & tum gratis offert: aut ſpe lucrandi ex mutuo; quod uſura eſt manifeſta. Non attenditur in contractu, inquiunt iuniores, voluntas creditoris, ſed res ipſa. Peregregie. In donatione ergo res dono data ſpectanda eſt; ſecus voluntas libera & gratuita creditoris. Nulla ergo uſura mentalis, ſola voluntate concepta? Verum de hoc plura infra.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Proponuntur rationes quas adducunt Auctores propugnantes, mutuatorem precibus rogatum poſſe recipere compenſationem lucri intercepti, ſeu ceſſantis.

I. P. Billuart *diſſ. IV. art. 5. §. 4.* & communiter alii iuniores in favorem lucri ceſſantis auctoritatem Lucii Papæ III. cap. *Pervenit* de fideiuſſoribus adducunt; ſed pauciſſimi verba recitant. Ego illa exſcribam. *Mandamus itaque diſcretioni veſtræ, quatenus, ſi ex confeſſione prædictorum Clericorum, vel alias legitime vobis rem ita ſe habere conſtiterit, monentes eoſdem ut memorato N. pecuniam quam pro eis ſolvit, reſtituant, ipſumque ſervent indemnem: alioquin de reditibus eorum præſcripta debita faciatis exſolvi, & damna etiam quæ propter hoc pertulit, reſarciri; aut prædictos reditus ſibi aſſignetis, tamdiu ſine moleſtia detinendos, donec ipſa damna reſarcita fuerint, & debita ſine diminutione ſoluta.* Hæc ſcribit Pontifex Archiepiſcopo Norvicenſi. Hic ſolum de eo quod intereſt, ſeu de puro damno emergente ſermo eſt adverſus debitores moroſos, qui invitum creditorem ex dilatione ſolutionis damnum pati cogebant. Et hæc damna quæ invitus creditor paſſus eſt, reſarciri Pontifex iubet. Ubi hic mentio ceſſantis lucri? Collocare vero inter damna emergentia etiam damnum quod conſequitur lucrum ceſſans, craſſum commentum eſt. Præterquamquod pluribus conditionibus, ut fatentur etiam iuniores, limitatum ſit oportet lucrum iſtud.

II. Alii producunt caput *Salubriter* de uſuris. Sed & ibi manifeſte conceditur genero accipere fructus pignoris, non computandos in dotem, ratione moræ culpabilis. Alii afferunt cap. *In civit.* & *Naviganti* de uſuris. Sed minus textus iſte favet; cum dirimat difficultatem quæ tum diſputabatur de pretio mercium in futurum tempus ſervandarum a venditore. Tandem allegant aliqui cap. *Religioſi* Clement. *de privilegiis*. Sed iſti textum non legerunt; cum nec verbum in eodem habeatur vel de lucro ceſſante, vel de damno emergente. Tantum ibi præcipitur ut iura perſonarum, Religioſorum, & Eccleſiarum læſa, & peſſumdata reſarciantur. Quare merito *P. Dominicus Soto* clamat, iura nulla huic favere opinioni. Rationes ergo promendæ.

III. Licita eſt compenſatio damni emergentis: ergo etiam lucri ceſſantis. Probatur conſequentia. Ideo illicitus reputatur titulus lucri ceſſantis, quia mutuator libere in mutuum conſentit; atque adeo iuri ſuo cedit. Atqui etiam mutuator qui damnum emergens patitur, libere in mutuum conſentit. Ergo aut uterque titulus reiiciendus, aut uterque probandus.

Digitized by Google

IV. Reſpondet *Sotus* diſcrimen eſſe apertum. Nam revera mutuator conſentire poteſt in mutuum, ſecus in damnum emergens. Sincere dicere mutuator valet: Volo tibi pecuniam mutuam tradere; & nolo damnum, quod mihi abſque mea voluntate imminet. Nec a mea voluntate pendet quod damnum non immineat. At mentitur mutuator, dum dicit: Volo tibi mutuum impertiri; & nolo lucrum mihi ceſſare: ſed neceſſario aſſerere debet: Volo tibi mutuum tradere; volo a lucro ceſſare. Quoniam eo ipſo quod velit mutuum tradere, vult pecuniam negotiationi expoſitam, aut proxime exponendam ſubtrahere. En quam manifeſtum ſit quod lucrum ceſsans pendet ab eiuſdem mutuatoris voluntate. Quare eo ipſo quod vult mutuum, vult a lucro percipiendo ex negotiatione ceſsare.

V. Ut fautores lucri ceſsantis ab his metaphyſicis ratiociniis ſe liberent, confugiunt ad contractum innominatum, *Do, ut des*. Contractus iſti innominati, ut ſuo loco videbimus, ſunt, quatenus a pluribus obtruduntur, mera uſurarum pallia. Quid enim aliud in præſentiarum præfert contractus iſte innominatus, niſi do tibi mutuum, ut des mihi lucrum ceſsans, vel aliquid ſupra ſortem? Quid aliud eſt uſura, niſi do tibi mutuum, ut aliquid mihi rependas? Nemo ſuam pecuniam otioſam habere vult, inquiunt Molinæus, Calvinus, & ceteri omnes uſurarum patroni. Quiſque pecuniam conſiderat ut inſtrumentum quo lucra aſſequatur. Ergo aut nulla uſura in mundo eſt; aut contractus iſte *Do, ut des*, in hac controverſia eſt uſuræ pallium. Omnes quippe ex pecunia quam otioſam nolunt, iactare lucrum ceſſans valent, & medio contractu *Do, ut des*, uſuræ crimen honeſtare. Quare non immerito clamare videntur præfati uſurarum defenſores adverſus non paucos Caſuiſtas qui voce uſuras damnant, & reipſa illas propugnant ſub diverſis verborum involucris.

VI. Argumentantur alii. Nemo cum ſuo detrimento beneficium impertiri tenetur. Ergo, ut quis beneficium mutui conferat, iuſtam repetere compenſationem poteſt. Sic argutatur poſt Bonacinam *diſp.* 111. *quæſt.* 111. *punct.* 4. *propoſ.* 2. *num.* 12. P. Billuart *loc. cit.* Quæ argumentatio eſt illa ipſa qua utitur Molinæus, quamque Catholici omnes ſic impugnant. Mutui beneficium ſuapte natura gratuitum eſt. Ergo gratis concedendum. Si recompenſationem poſtulas, non gratuitum beneficium confers, ſed contractum oneroſum celebras. Aut urget præceptum caritatis mutui dandi, aut ſecus. Si primum, gratis illud conferre aſtringeris. Si ſecundum; aut a beneficio conferendo abſtine; aut ſi beneficium conferre vis, ne deſtruas eiuſdem naturam, quæ eſt ut ſit gratuitum. Incommodum iſtud ſponte ſuſcipis; & tu ſolus eiuſdem cauſſa es.

VII. Inſiſtunt alii. Qui aliquem impedit ne bonum in ſpe habitum aſſequatur, ad eiuſdem boni compenſationem aſtringitur. Mutuatarius impedit ne creditor lu-

Digitized by Google

crum ceſſans, quod eſt quaſi habitum, indipiſcatur. Ergo compenſare illud debet. Qui impedit ne artifex ſua opera exerceat, ne vineæ, & ſata ſemina fructum pariant, nonne compenſare hæc damna tenetur?

VIII. Nego, mutuatarium cauſſam eſſe impedientem conſecutionem alicuius lucri contenti in bonis mutuatoris. Siquidem ipſe mutuator, qui ſponte ſubtrahit pecuniam ſuam negotiationi, non vult lucrum ceſſans ex illa; ſed vult lucrum ceſſans ex mutuo. Quod idem eſt ac dicere, vult lucrari ex mutuo, quia ex iſto facilius, & ſecurius lucrum aſſequitur; recuſat vero lucrum ex negotiatione, quia & maiori labori, & pluribus periculis obnoxium eſt. Falſum ergo eſt mutuatorem a debitore impediri in lucri conſecutione.

IX. Exempla quæ opponuntur, damnant, non probant lucrum ceſſans. Nam qui impedit artificem ne laboret, ne ſata ſemina fructum pariant, iniuriam, & damnum infert invitis: ideo iure compenſare illa tenetur. Quid, ſi quis hoc modo impedimenta apponeret? Nolo ut opereris ad lucrandum, nolo ut ſata ſemina germinent; dummodo tumetipſe velis? Si is conſenſum præberet, eſſet ne compenſationi locus? Idem accidit in caſu noſtro. Nolo ut ex negotiatione lucreris, ſed ut mihi pecuniam, negotiationi deſtinatam, mutuam tradas; dummodo tu ſponte conſentias, & velis. Conſentit is, & reipſa pecuniam libere mihi tradit. Cur ergo compenſationem exigere a me valet? Quia beneficium mihi confert? At beneficium iſtud gratuitum eſt. Quia a lucro ceſſat? At libere ipſe hoc lucrum recuſat. Præterea quodnam mihi beneficium confert, ſi tantumdem reſtituere debeo? Aliunde pecunia ſua natura ſterilis eſt. Sola negotiatione, & induſtria fecunda evadit. Eo ipſo quod mutuator eam ſubtrahit negotiationi, & induſtriæ ſuæ, ad nativam ſuam ſterilitatem illam revocat. Dum eam collocat mutuando ſub induſtria mea, nihil omnino repetere ille valet: quia induſtria mea ab illo vendibilis non eſt. Et ſicut ſi ſub induſtria mea perit, perit mihi, non ipſi; ita, ſi lucrum parit, mihi, non ipſi parere debet.

§. V.

Duæ rationes potiſſimæ quæ titulum lucri ceſſantis honeſtare interdum valent.

I. P. Nicolaus Gennaro, qui hanc controverſiam ſtilo quidem non parum impedito, ſed alioquin docte, & acute diſpicit, lucrum ceſsans partitur in claſses tres. Quæ partitio, niſi me amor fallit, ad illuſtrandam S. Thomæ doctrinam valde confert. In prima claſse conſtituit lucrum futurum moraliter certum

tam

Digitized by Google

tam in genere, quam in individuo, ſeu in quantitate. Habes paratam pecuniam ad emendum cenſum obvium quinque in centum. En lucrum certum tam in genere ſeu ſpecie, quam in individuo ſeu in quantitate. In ſecunda collocat lucrum certum in genere, ſed incertum in quantitate. Habes pecuniam expoſitam negotiationi, aut proxime exponendam. Certus moraliter es de lucro futuro in genere, nempe quod aliquid lucraturus ſis; incertus vero, num quinque, aut tria, aut duo. In tertia tandem ponit lucrum incertum tam in genere, quam in quantitate. Habes expoſitam pecuniam negotiationi. Probabile eſt te lucraturum, & non lucraturum. Probabile eſt lucrum; ſed probabilis quoque iactura eſt.

II. Lucrum primæ claſſis moraliter certum tam in genere, quam in quantitate, & quod moraliter impediri nequit, non dicitur proprie lucrum tantum in ſpe, niſi quatenus futurum eſt; ſed dicitur quaſi habitum, & in actu. Lucrum ſecundæ claſſis eſt ſolum in ſpe reſpectu quantitatis incertæ, ſecus quantum ad genus, nempe quod aliquid lucrandum ſit. Lucrum tertiæ claſſis eſt lucrum proprie & abſolute in ſpe: æque enim, aut plus minuſve ſperatur lucrum, & timetur iactura. De lucro hoc dicitur, quod multis modis impediri valet.

III. His conſtitutis, lucrum certum ſive in genere, ſive in individuo, videtur titulus ſufficiens ad honeſtandam acceſſionem ſupra ſortem, ſervatis conditionibus infra exponendis. Declaratur. Ideo, inquit S. Thomas *quæſt.* LXXVIII. non debetur mutuatori lucrum ceſſans, quia non poteſt, nec debet vendere quod nondum habet, & multis modis impediri valet. At lucrum ceſſans, certum modo explicato, & a mutuatore fere habitum, impediri multis modis non valet, moraliter loquendo. Ergo vendere illud mutuator poteſt. Ut clarius S. Thomæ doctrinæ ſane profundæ germanum ſenſum teneas, ſub duplici aſpectu conſiderandum eſt lucrum ceſſans moraliter certum, prout explicatum eſt. Primo formaliter, nempe ut eſt titulus honeſtans actum aliquem. Secundo ut eſt merces vendibilis medio contractu alioquin ex ſe iuſto. Lucrum ceſſans primo modo impeditum, & interceptum honeſtat acceſſionem ſupra ſortem. Secundo modo eſt materia vendibilis per contractum ceteroquin iuſtum, at non exercet officium honeſtandi actum aliquem. Cenſualiſta vendit quinque, quæ percepturus ex cenſu erat. Tum hoc lucrum futurum ſe habet ut materia, ſeu merx contractus venditionis. S. Thomas *quæſt.* LXII. *art.* 4. obligat ad compenſandum lucrum, non actu poſſeſſum, ſed habitum in virtute, ſeu in iure: quia quicumque impedit aliquem ne id aſſequatur ad quod ius habet, damnum eidem infert, & ab eodem aufert id quod aſſequi ille poterat. Hic titulus lucri ceſſantis fundatus in detrimento, & iniuria, quam quis patitur ob impedimentum ab altero poſitum, iuſtus & honeſtiſſimus eſt: & de hoc titulo loquitur Doctor ſanctus *cit.*

quæſt.

Digitized by Google

quæſt. lxii. Contra diſputat *quæſt.* lxxviii. *art.* 2. quia ibi loquitur de mutuatore ſpontaneo, reſpectu cuius lucrum ceſſans nec formaliter, nec materialiter reperitur. Non primo modo: quia mutuator ſpontaneus nec iniuriam, nec detrimentum per vim illatum patitur, quod compenſari debeat titulo lucri ceſſantis. Non ſecundo modo: quia lucrum incertum, & multis modis impedibile, & cuius iactura æque probabilis eſt, vendi non poteſt. Vera igitur eſt doctrina S. Thomæ *quæſt.* lxxviii. *art.* 2. nempe recompenſationem damni provenientis ex hoc quod quis de pecunia non lucratur, non poſſe in pactum deduci. Hæc, licet paullulum ſubtilia, certa tamen videntur.

IV. Porro lucrum certum in genere, vel individuo, licet dicatur non habitum ratione diſtantiæ temporis, eſt tamen habitum ratione iuris acquiſiti, & moraliter impedibile non eſt: ergo vendi poteſt. Exemplo res magis patebit. Miles habet ſtipendium certum, & determinatum quolibet menſe. Qui invito militi impediret pretii aſſecutionem, recompenſationi aſtrictus eſſet; eamque exigere miles iure poſſet ratione lucri ceſſantis formaliter conſiderati, & fundati ſuper iniuriam quam ſuſtinuit. Similiter ſi miles aliqua menſis die vellet ſtipendium iſtud vendere, quinque nempe pro quinque, iuſte venderet: quia licet non ſit habitum ob temporis diſtantiam, eſt tamen habitum ratione acquiſiti iuris; & certum eſt, & moraliter non eſt impedibile. Diſtantia autem temporis reſpectu rei moraliter futuræ non plus operatur quam diſtantia loci reſpectu rei longe extantis.

V. Altera ratio eiuſmodi eſt. Tu negotiationi, aut prædiorum, vel cenſuum emptioni reipſa, & conſtanter operam das, ut familiam alas, ut filiabus dotem pares, ut habeas unde vivere honeſte queas. Te amicus, preſſus neceſſitate, convenit: preſſuras, calamitates, egeſtates exponit, inculcat, exaggerat: mutuumque petit, rogat, iterum atque iterum efflagitat. Tactus ex una parte amici indigentis commiſeratione ad mutuum tradendum inclinaris, & veluti abriperis. At ex altera parte nolles pecuniam ex lucroſa negotiatione ſubtrahere, unde certum lucrum, familiæ tuæ neceſſarium, percipis. Anxius hæres, anguſtiæ undique te premunt, animus utrinque cruciatur. Velles amici miſeriam ſublevare; nolles familiam tuam lucro defraudare. Tandem, caritate erga proximum prævalente mutuum tradis, & de lucro certo ceſſante rependendo paciſceris quaſi invitus: males enim lucrum ex negotiatione quam ex mutuo. Tu veluti invitus prudentis iudicio reputaris. Hoc docet vel ipſe Hotomanus *diſp. de fenor. cap.* vi. his verbis. *Cum creditor non ſui commodi, ſed debitoris iuvandi cauſa dat mutuum, idem eſt ac ſi eo invito debitor eius pecunia uteretur: quoniam invitum hoc loco accipimus, non qui vi adactus eſt, ſed eum etiam qui id non adpetat, nec adfectet.*

VI. Si qua ex rationibus adductis oſtenderet invitum mutuatorem, hæc eſſet: quædam enim quaſi violentiæ ſpecies apparet in affectuum oppoſitorum pugna; &

Digitized by Google

& ideo invitus dici aliquo modo poteſt mutuator iſte. Accedit quod quando lucrum eſt moraliter certum, eſt veluti merx certa, & moraliter non impedibilis; atque adeo venditionis, & emptionis materia. Quando omnes hæ circumſtantiæ occurrerent, quod raro contingit; forte liceret exigere lucri intercepti recompenſationem. Hinc collige, quod infra fortius inculcabo, quam raro in praxi verus occurrat lucri ceſſantis titulus.

§. VI.

Conditiones neceſſariæ ad iuſtum lucri ceſſantis titulum.

I. Conradus Sunhemart fere primus fuit, iuxta Sotum, qui lucrum ceſſans reputavit titulum ſufficientem ad quid exigendum ſupra ſortem. Octo autem requirit conditiones. 1. Quod lucrum iſtud vere & realiter, non ficte ceſſet. 2. Acceſſio exacta ſupra ſortem, non debet excedere lucrum iſtud. 3. Neceſſe eſt ut mutuator malit lucrum ex negotiatione quam ex mutuo. 4. Lucrum ceſſare debet dumtaxat ratione mutui. 5. Quando mutuum cadit ſub præcepto caritatis, nullum exigi lucrum poteſt, ſed ſolum quando eſt meri conſilii. 6. Abeſſe ſcandalum debet tam activum, quam paſſivum. 7. Exactio lucri fieri nequit ante, ſed ſolum poſt tempus illud quo lucrum mutuator obtineret. 8. Nequit totum lucrum exigi; ſed diminuendum eſt iuxta expenſas, pericula, labores, & alia quæ neceſſaria erant ad lucrum iſtud aſſequendum.

II. Bonacina, Tamburinus, & plures alii iuniores tres tantum conditiones requirunt, quæ huc recidunt. 1. Quod lucrum ceſſet cauſſa mutui; & ſit in certa, vel probabili ſpe: quod tum contingit, quando pecunia ſubtrahitur negotiationi lucroſæ, ut mutua tradatur. 2. Ut non exigatur ſtatim poſt mutuum. 3. In conſtituendo lucri pretio ſpectandæ ſunt expenſæ, pericula, labores, & cetera alia quæ requiruntur ad lucri conſecutionem.

Digitized by Google

§. VII.

Primæ conditionis, quod lucrum debeat eſſe verum & reale, examen. Licet debitor ſit moroſus, exigi lucrum nequit, ſi reipſa non ceſſat.

I. Quæ dixi de damno emergente, applicanda ſunt lucro ceſſanti. Tunc itaque lucrum vere & realiter ceſſare dicitur, quando certo moraliter futurum eſt, ſaltem in genere, & moraliter liberum ab impedimentis, & ſolum quantum ad quantitatem maiorem & minorem dubium. Quod enim probabiliter futurum, & non futurum eſt, nequit lucrum verum, & reale reputari; cum nihil aliud ſit quam indifferentia ad futuritionem, & non futuritionem. Neque tale lucrum in ſpe dici poteſt, cum ſit extrinſecum pecuniæ; ſicuti e contrario frumentum in ſemine eſt in ſpe, quia in eiuſdem virtute continetur.

II. Ut lucrum ceſſans ſit iuſtus titulus aliquid exigendi ſupra ſortem, neceſſe eſt ut ſit certo moraliter futurum, ſaltem in genere, licet ſit incertum penes quantitatem. Quandoquidem quod certo moraliter futurum non eſt, ſed moraliter impedibile, non poteſt dici quaſi habitum: ergo vendi non poteſt, ut ratio S. Thomæ evincit. Quæ autem ſtipulatio fieri de hoc lucro poſſit, infra dicetur. Tum autem dicitur lucrum moraliter certo futurum, ſaltem in genere, quando communiter omnes negotiatores ex pecunia applicata tali mercium negotiationi, lucrari abſolute ſolent. Hoc eſt lucrum moraliter certum in genere. Si vero lucrari paſſim conſueſcant quatuor, aut ſex; erit moraliter certum in quantitate. Si modo lucrari ſolent tria, modo duo, modo quinque; incertum erit penes quantitatem, ut iam ſupra innui.

III. Quod lucrum probabiliter futurum, & probabiliter non futurum nequeat eſſe titulus ſufficiens ad honeſtandam acceſſionem ſupra ſortem, mihi verum videtur, & præter rationem S. Thomæ ſuffragatur l. *Quemadmodum §. Item Labeo ff. ad leg. Aquil.* ubi hoc ſtatuitur. Si quis piſcatoris, habentis retia parata in flumine, vel mari, ea frangeret, ad ſolum damnum retium teneretur; ſecus ad lucrum ceſſans, ob capiendorum piſcium incertitudinem. Et tamen æque probabile eſt piſces capi, vel non capi poſſe. Ergo ſimiliter quando lucrum ex negotiatione æque futurum, ac non futurum eſt, nequit acceſſionem ſupra ſortem licitam efficere.

IV. Quando mutuatori reipſa non ceſſat lucrum, exigere compenſationem nequit; etiamſi debitor moroſus ſit, & ſtatuta civilia iſtius lucri exactionem con-

cedant, & iudices in foro externo adiudicent. Plura ſunt ſtatuta contra debitores moroſos, qui ob tardam ſolutionem condemnantur ad ſolvendam mutuatori compenſationem lucri ceſſantis: quoniam ſtatuta hæc facta ſunt in præſumptione quod dilatio ſolutionis detrimentum inferat creditori. Idcirco iudices in foro exteriori abſolute obligant debitorem moroſum ad ſolvendum *intereſſe*: & alicubi iſtius intereſſe eſt ſex, alibi quatuor &c.

V. Multi falſarum opinionum, & conſuetudinis fere univerſalis præiudiciis occupati, tuta conſcientia exigunt a debitoribus moroſis (utinam & a non moroſis) proventum taxatum a ſtatuto, vel iudice (vulgo *a uſo di ciò che fa la piazza*) ſive interſit, ſive non interſit creditori. Porro quam evidens hæc corruptela ſit, & quam manifeſte iniuſta, continuo percipies, ſi adverteris, nullam legem, nullum ſtatutum poſſe iuri naturali, & divino derogare. Uſura utroque iure vetita eſt. Ergo quando nullus verus & realis titulus occurrit qui acceſſionem præter ſortem licitam efficiat, uſuræ ſcelus perpetratur; quod nulla humana lege honeſtari valet. Ergo quoties mutuatori reipſa non ceſſat lucrum ob dilationem ſolutionis, nihil exigere iure valet. Aut ſi ceſſet, ſed non ea in quantitate quam iudex, aut leges taxant, non poteſt exigere niſi id quod eidem vere & realiter ceſſavit. Et contra, ſi plus detrimenti paſſus ex dilatione fuerit quam leges præſcribant, tum mutuatarius ad æqualitatem recompenſare damnum aſtringitur, tametſi in foro exteriori ad hoc non aſtringatur. Hæc doctrina deberet ab omnibus, ut ego quidem arbitror, admitti.

§. VIII.

Senſus ſecundæ conditionis, quæ vult pecuniam expoſitam eſſe negotiationi. Laxæ opiniones Leonardi Leſſii, Bonacinæ, Tamburini, Laymani, Sporer, & aliorum refelluntur.

I. SEcunda conditio requirit ad verum titulum lucri ceſſantis ut pecunia ſit expoſita negotiationi, a qua ſubtrahatur mutui cauſſa. Splendida uſuræ veſtis forinſecus ſpectata apparet hæc pecuniæ ſubtractio a negotiatione; at ſi penitius introſpiciatur, qua ratione a pluribus iunioribus contexitur, continuo uſuræ crimen ſe prodit. Ad rem ergo.

II. Tunc pecunia vere deſtinata negotiationi, aut proxime deſtinanda dicitur, & dici debet, quando non ſolum mutuator eam efficaciter deſtinavit mercaturæ, aut rebus frugiferis emendis; verum etiam, ultra hanc efficacem voluntatem, ha-

habet actu, vel proxime præſentes occaſiones, merces, aut res frugiferas emendi; quas occaſiones relinquat, ut indigenti mutuo ſuccurrat. Hic eſt præfatæ conditionis germanus ſenſus: & hoc in ſenſu conditionem illam explicant, inquit P. Minutulus O. P. *p. p. art.* 8. quadraginta tres Doctores, quos cum S. Thoma, & Scoto citat Antonius Merenda *tract. de cambiis nundinalibus cap.* 111.

III. Leſſius, Azorius, Valentia, Filliucius, Reginaldus, Navarrus, Bonacina, Tamburinus, Lugo, aliique Probabiliſtæ defendunt, ſat eſſe ut mutuator deſtinaverit pecuniam negotiationi; licet ob defectum occaſionum, actu, aut proxime præſentium, reipſa pecuniam non exponat. Quæ opinio falſa eſt, & uſuras fere omnes de mundo aufert.

IV. Quæſt. I. *Ad verum lucri ceſſantis titulum ſat ne eſt quod quis in locis negotioſis, ſeu in emporiis pecunias habeat ad lucrandum?* Reſp. Sententia negans certa eſt; & oppoſita falſa, ac erronea. Pecunia ſua natura ſterilis eſt. Quod eam quis habeat in emporiis, & in locis ubi mercatura floret, aut fundi venales abundant, non propterea quidquam acquirit ultra proprium valorem. Nec enim vel iſtis in locis pecunia fertilis evadit ſemper, ſi deſint manus hominis induſtrioſi, aut ſi occaſiones negotiandi non occurrant. Agricola commoratur in terra fecundiſſima: frumentum habet Octobris menſe; ſed nec ſatum eſt, neque proxime ab agricola ſatui addictum. Numquid ob meſſem in ſpe vendere illud poteſt? Numquid qui illud furatur, quidquam ultra ſortem reſtituere tenetur? Et tamen frumentum inſitam virtutem ad meſſem habet, ſecus pecunia. Tandem ſi pecunia in emporiis, in civitatibus ubi mercatura viget, & fundi venales abundant, fecunda reputanda eſſet, exularent ab his locis uſuræ omnes, ſaltem moderatæ. Poſſent mercatores a commerciis abſtinere, & ex mutuo lucrari. Denique contraria opinio non differt ab errore Molinæi.

V. Quæſt. II. *Ad verum titulum lucri ceſſantis ſatis ne eſt quod quis pecuniam deſtinatam habeat negotiationi, ſi occaſiones emendi occurrerint?* Reſp. Sententia negans vera eſt; & oppoſita falſa. Qui habet pecuniam deſtinatam negotiationi, vultque reipſa, & ſincere emere, ſi occaſiones occurrerint (interim occaſiones reipſa non occurrunt, nec ſunt proxime præſentes) is non habet lucrum in ſpe, niſi fictum, & mente conceptum. Cedo. Si per annum, aut duos menſes negotia reipſa non occurrant, quamtumvis pecunia negotiationi ſit efficaciter deſtinata; numquid aliquid lucraris hoc intervallo? Non certe. Ergo pecunia pro hoc tempore nihil habet in ſpe; niſi dicere velis, quod nihil ſit aliquid. Rurſus. Tum lucrum ceſſans eſt titulus ad honeſtandam acceſſionem ſupra ſortem, quando mutuatori ceſſat cauſſa mutui. Sed hoc in caſu lucrum ceſſat, quod negotia deſint. Ergo non mutui cauſſa. Neque enim pecuniam ſubtrahis negotiationi, ut roganti amico illam mutuo tradas. At, inquis, negotia, fundi venales occurrere poſſunt. Interim dum

Digitized by Google

pecuniam mutuam trado, occaſione occurrente, eadem careo, & lucrandi occaſionem amitto cauſſa mutui præteriti. Hæc ſunt avaritiæ ſophiſmata, quæ ſi conſiſterent, vix ulla in mundo uſura eſſet. Dum negotia præſentia actu, aut proxime non ſunt, mutuator dumtaxat voluntatem mutat; & pecuniam quam aut fundis frugiferis emendis, aut negotiationi deſtinaverat, nunc mutuam tradit. Porro numquid mutatio voluntatis mercatoris eſt pretio æſtimabilis? At probabiliter occurrere occaſiones poſſunt. Fateor. At etiam probabiliter deeſſe valent. At probabilius eſt quod occurrant. Bene. Sed interim, dum non occurrunt, non lucraris. Ergo lucrum non ceſſat mutui cauſſa, ſed ex negotiorum defectu. Tandem ſi probabilitas, tametſi maior, quod occaſiones lucrandi occurrere poſſint, ſat eſſet ad fundandum titulum lucri ceſſantis, nullum in mundo fenus eſſet. Accedit quod, licet in emporiis, aliiſque locis probabilius ſit futuras eſſe occaſiones applicandi pecuniam negotiationi, non ideo tamen ſemper probabilius eſt te ex ea negotiatione lucraturum. Lucrum debet eſſe certo futurum, ſaltem in genere, ut fundet iuſtum titulum quidquam lucrandi ſupra ſortem. Dum una conditio explicatur, non ſunt prætereundæ ceteræ; ſed ſimul omnes concurrere debent.

VI. Quæſt. III. *Quid dicendum de opinione P. Tamburini, aſſerentis mercatorem poſſe aliquid exigere titulo lucri ceſſantis, etiamſi is dubitet num pecuniam ſit applicaturus negotiationi?* Reſp. Hæc opinio falſa, laxa, & omnium uſurarum pallium eſt. Hæc ſunt verba Tamburini *Lib. IX. tract. 1. cap. 111. §. 4. num. 3.* „ Si „ quis ſit dubius an negotiationi deſtinanda ſit pecunia in occaſionibus *quæ ſe* „ *forte* offerrent, non poteſt totum lucrum accipere; ſed ad rationem dubii a „ prudenti viro decernendum." Adeſte prudentes viri, audite mercatorem dubium, & perplexum, veſtrum conſilium poſtulantem. Pecunias habeo: dubius hæreo, applicaturus ne ſim negotiationi. Occaſiones nunc deſunt; at forſitan occurrent; & tum forte illas negotiabor. Quantum lucri ob hanc dubitationem mihi adiudicatis? Quanti facitis vos occaſiones probabiles, circa quas, etiamſi adeſſent, anceps hærerem, eſſem nec ne illas amplexurus. Attentionem inſtaurate. Poteſt forte occaſio vini emendi occurrere: & dubius ſum fuerit ne mihi tale negotium futurum commodum. Offerri ſe poteſt negotium olei, frumenti, lanarum, ſericorum, gemmarum: cuinam ex his negotiis ſim daturus operam, ipſe ignoro, & in utramque partem animus vacillat. Quid lucri pro iſtorum dubiorum rata parte mihi conceditis? Prudens, maturumque conſilium veſtrum imploro. Sic lepide deridendum propinat P. Nicolaus Gennaro Tamburini commentum, *recog. 2. §. 2. num. 14.*

VII. Quæſt. IV. *Quid de opinione Bonacinæ, aſſerentis ob ſolam probabilitatem, quod pecunia ſit negotio deſtinanda, poſſe aliquid exigi?* Reſp. Qui probabiliter deſtinaturus eſt pecuniam negotiationi, probabiliter lucraturus eſt. Si hanc pecu-

niam

Digitized by Google

niam mutuam tradit, amittit lucrum probabile. Ergo pro rata probabilitatis exigere lucrum poterit, inquit Bonacina *cit. diſp.* 111. *punct.* 4. *num.* 13. ubi inquit: *Sequitur, aut probabiliter illam deſtinaturus erat &c.... ſecus dicendum de eo qui non habet voluntatem, neque conditionalem (ſi ſe offerat occaſio) negotiandi*. Falſum hoc eſſe cenſeo. Mutuator qui *probabiliter* deſtinaturus pecuniam eſſet negotiationi, ſi ſe offerret occaſio, non deliberavit reipſa illam deſtinare; ſed probabiliter indifferens eſt ad eam applicandam, & non applicandam. Ergo nihil in re eſt quo honeſtari acceſſio ſupra ſortem poſſit. Siquidem neque dubium, neque probabilitas mutuatoris quidquam valoris pecuniæ confert. Nonne poſſibile eſt ut quælibet pecunia otioſa deſtinetur negotiationi? Quæ dum mutuo traditur, ceſſat poſſibilitas ad deſtinationem. Quis tamen dixerit, id eſſe pretio æſtimabile? Cur ergo pecunia ſub dubio, aut ſub probabilitate deſtinationis ad negotium pluris valet; licet, dum mutua traditur, ceſſet a deſtinatione dubia, vel probabili? Nullum ſane aliud diſcrimen aſſignari poteſt, niſi quod poſſibilitas remotior ſit dubio, & probabilitate: & ideo minus lucrum pro rata poſſibilitatis quam pro rata dubii, vel probabilitatis pendendum eſſet. Prætereo contradictiones quibus ſemetipſos iugulant Auctores iſtius ſententiæ.

VIII. Quæſt. V. *Probabilis ne eſt opinio PP. Leſſii, Laymani, Tamburini, aſſerentium, ad lucrum ceſſans ſat eſſe, ſi mutuator dicat: Vellem negotiari, niſi multi peterent mutuum?* Reſp. Hæc opinio non minus falſa, & laxa, immo laxior eſt præcedentibus. Ne vero quidquam ad conflandam invidiam dictum eſſe quis ſuſpicetur, exſcribo verba P. Leſſii, qui *Lib. II. cap.* XX. *dubit.* 11. *num.* 90. hæc habet. „ Tertius modus eſt. Si pecuniam deſtinarim negotiationi, non abſolute, „ ſed dumtaxat ſub conditione; ut ſi dicam: Vellem negotiari, niſi multi mu„ tum peterent: de quo modo eſt difficultas. Quidam enim doctiſſimi viri pu„ tant, etiam tunc poſſe aliquid exigi ratione lucri ceſſantis. " Non leve beneficium contuliſſet P. Leſſius Caſuiſtis, ſi *hos doctiſſimos* viros manifeſtaſſet. Sed forte hi ſententiam ſcriptis non conſignarunt. Quinque rationes ibidem fuſo calamo in huius opinionis præſidium promit. Deinde *num.* 95. ſic concludit. „ Ob has ra„ tiones hæc ſententia mihi olim viſa eſt probabilis, & etiam nunc videtur, „ præſertim ſpeculative conſiderata, modo ille non exigat amplius quam ſpes „ illa lucri, detracta laborum, & expenſarum æſtimatione, valebat, & ſemper „ retineat animum negotiandi, ſi mutuum non peteretur. In praxi tamen ob per„ iculum palliandi uſuras *non eſt facile admittenda*. " Admittatur, ſed *non facile*, ob periculum palliandi uſuras. Periculum ne tantum eſt palliandæ uſuræ? Ecquid plus requiritur ad verum pallium? Quin iſtud, ut mox dicam, lacerum, & commentitium pallium eſt, ineptum ad uſuram tegendam.

IX. Hanc Leſſii opinionem tranſcribunt, & adoptant P. Tamburinus *Lib. IX.*

Ee iiij *cap.*

cap. III. §. 4. *num.* 4. P. Laymanus *Lib. III. tract.* IV. *cap.* XVI. *num.* 8. totidem fere verbis. Is inſuper, ut fieri ſolet, omittit clauſulam: *In praxi non eſt facile admittenda*: ſed tantum dicit cavendum uſuræ pallium. Hanc eamdem opinionem de more tranſcribit P. Patritius Sporer *tract.* VI. *in* 7. *præcept. cap.* IV. *ſec.* 2. *num.* 44. Hæc opinio falſa, & ad ſummum laxa. Non pallio uſuram tegit; ſed uſuram, ut ego quidem arbitror, manifeſte promovet. *Vellem negotiari*, inquit P. Leſſius, *niſi multi mutuum peterent*. Ergo vis abſolute, & efficaciter lucrum ex mutuo; & ſolum inefficaciter, ac conditionate lucrum ex mercatura. Quem alium ſenſum produnt hæc verba, niſi hunc? Quia multi ſunt qui petunt mutuum, volo lucrari ex mutuo, & non ex negotiatione. Si deeſſet lucrum ex mutuo, tunc vellem lucrum ex negotiatione. Si deeſſet occaſio fenerandi, vellem mercaturam; ſed quia multi ſunt qui fenebre mutuum petunt, ideo nolo lucrum mercatorium. Expende mature hæc verba: *Semper retineat animum negotiandi, ſi mutuum non peteretur*. Quid hæc aliud ſignificant, niſi volo lucrum ex mutuo, quia minori periculo, moleſtia, & incommodo illud aſſequor? Si hoc deeſſet, committerem tunc pecuniam negotiationi. Hæc P. Leſſii, Laymani, & Tamburini doctrina occaſionem mihi præbet aliam inſtituendi diſputationem in favorem mutuatoris hoc pacto. Si mercator adiret hunc mutuatorem, & diceret: Relinque mutuum, ut mecum negotieris: poſſet ne mutuator reſpondere: Negotiarer, niſi multi peterent mutuum; at quia multi petunt mutuum, nolo negotiari: ſi autem vis ut tecum negotia ineam, detrahere mihi de iuſto pretio aliquid debes? Quid? Audi. Qui relinquit negotiationem cauſſa mutui, aliquid præter ſortem ex mutuo exigere iure valet, quia relinquit lucrum ex negotiatione. Ergo a pari, qui relinquit certum lucrum ex mutuo, ut periculoſæ negotiationi, quæ nonniſi lucrum dubium, & incertum præbet, pecuniam ſuam exponat, aliquid præter iuſtum pretium exigere iure poteſt, in compenſationem lucri certi, quod percipiebat ex mutuo amiſſo cauſſa negotiandi tecum. Inepta, inquis, argutatio. Ineptiſſima, repono ego. Sed aptiſſima ad manifeſtanda abſurda quæ præfatam opinionem conſequuntur.

X. Ne plus iuſto diſputationem protraham, nimiaque prolixitate rem certam, & claram dubiam, & obſcuram efficiam: ut lucrum ceſſans ſit verus titulus qui licitam reddat acceſſionem ſupra ſortem, pecunia debet eſſe expoſita negotiationi, & occaſiones negotiandi debent eſſe præſentes, aut pro præſentibus haberi; & inſuper lucrum percipiendum debet eſſe moraliter certum ſaltem in genere, ut dictum eſt. Multi diſputant, num ſatis ſit occaſiones eſſe certo futuras, aut proxime probabiles. Deinde in diſcrimen adducunt, quid ſit futuritio, quid probabilitas proxima, quid remota: & innumeris ambagibus implicant evangelicam doctrinam: *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. Volumen implerem, ſi omnia ſophiſmata expendere, & refutare vellem.

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

Tertia conditio, quod mutuator non habeat aliam pecuniam otioſam, expenditur. Laxæ opiniones plurium iuniorum refutantur.

I. Pecunia otioſa dicitur ea qua non indiget mutuator: nam ea quam paratam habet ad familiæ proviſionem, ad alimenta, ad emendum aliquod officium, ad filiarum quæ nuptui proximæ ſint, dotem tradendam, non dicitur otioſa. Ut lucrum ceſſans ſit titulus iuſtus aliquid præter ſortem exigendi, mutuator non debet aliam pecuniam otioſam in arca habere, quam loco pecuniæ mutuo traditæ ſubſtituere valeat. Hæc veritas adeo manifeſta eſt, ut vix probatione egeat. Si enim alia pecunia in promptu illi ſit, negotiationi ſubſtituenda, revera illi non ceſſat lucrum. Habet mutuator quadringenta ſcuta. Ducenta mercaturæ deſtinavit: alia ſervat in arca. Hæc deſtinata negotiationi non habent aliquem valorem peculiarem, quo careant alia; & æque illa ac iſta deſtinari negotiationi poſſunt, cum hæc præ illis non ſint plus aut minus apta. Partitio itaque hæc mere mentalis eſt, inepta ad fundandum verum & realem titulum; immo ad uſuram tegendam unice inventa. Si enim quæratur a mutuatore, cur ducenta deſtinata negotiationi, & non ducenta otioſa mutuo tradat; quid reponet? Non profecto aliud, niſi quod velit tum ex mercatura, tum ex mutuo lucrari; quod eſt manifeſtum fenus. Clarius rem explico, ut pateat quam ridicula, nedum falſa, & laxa, ſit contraria opinio. Mutuator admonere debitorem debet de lucro quod ratione mutui ſibi ceſſat, eique dicere: Adverte, me habere quadringenta ſcuta: ducenta otioſa in arca, & ducenta negotiationi deſtinata. Si quæ otioſa in arca teneo, accipis; nihil a te repetere præter ſortem valeo. Si quæ ſunt negotiationi deſtinata, præbeo; quinque in centum ſolvere debes ratione ceſſantis lucri. Cachinnis, & ſibilis hanc propoſitionem mutuatarius ſuſciperet. Nonne reſponderet, omnia eſse eiuſdem valoris, & aptitudinis? Sive otioſa, ſive mercaturæ deſtinata mihi præbeas, perinde mihi eſt. Verum ſi tu hac laboras dementia, ut pluris facias hæc præ illis, da mihi quæ in mente tua ſunt otioſa; cum propter iſta nihil tibi rependere debeam.

II. Quis ſenſu communi præditus in animum ſibi inducere poſset, hæc tam manifeſta principia in diſcrimen vocanda a Theologis eſse? Et tamen non unus aut alter, non aliqui de Caſuiſtarum vulgo, ſed graviores, doctioreſque iuniores contrariam opinionem propugnant, & commenta huc pertinentia adeo feſtiva

ex

excogitarunt, ut eadem ob oculos referre operæ pretium exiſtimem, quo inde colligas quam caute legenda ſint non paucorum opera.

III. Quæſt. I. *Probabilis ne eſt opinio Tamburini, concedentis titulum lucri ceſſantis mutuatori habenti pecuniam ſuperfluam?* Reſp. Hæc opinio falſa eſt, & laxa. Eam docet P. Tamburinus *Lib. IX. tract. 1. cap.* III. *§. 4. num. 2.* his verbis. „ Si habes domi aliam pecuniam otioſam, hanc tamen quam mutuas, ne„ gotiationi deſtinaveras, adhuc potes, ſi hanc deſtinatam mutues, exigere lu„ crum ceſſans: quia revera ratione mutui ceſſat tibi eiuſmodi lucrum ex hac „ deſtinata pecunia." Eamdem defendit *Lib. VIII. cap.* VIII. *§. 3. num.* 11. ubi pro ſe citat Aragonium, & Valentiam Tom. III. diſp. V. quæſt. XX. part. 2. *quia*, inquit, *hæc tibi fructificatura erat, & non alia*. Hæc eadem verba Tamburini de more tranſcribit Patritius Sporer *tract.* VI. *in 7. præcept. cap.* IV. *ſect. 2. §. 3. num.* 44. ubi citat *Molinam*, *Leſſium*, *Laymanum*, *Lugo*. Ex iis quæ dixi, conſtat laxitas & falſitas opinionis. Ut autem evidentius pateat, exemplo ſenſibili veritatem confirmo. Faber ferrarius habet duos malleos eiuſdem conditionis, & ad ſuæ artis opera æqualis aptitudinis. Latro unum rapit, deſtinatum in diem craſtinum ad opera exercenda. Faber habens alterum malleum, labore neglecto, otioſam vitam agit. Numquid latro, præter mallei reſtitutionem, lucrum ceſſans fabro compenſare aſtringitur? Numquid faber exigere compenſationem iſtam iure valet? Nonne omnes qui ſenſu communi non carent, dicent, lucrum ceſſaſse fabro ob eius ignaviam, & deſidiam, ſecus ob furtum? An non idem dicendum de mutuatore qui, præter centum mutuo tradita, habet alia centum prompta, otioſa, eiuſdem omnino valoris, & aptitudinis ad lucrandum? Falſa itaque eſt, & feneratitia opinio Molinæ, Leſſii, Laymani, Tamburini, Sporerii, & La-Croix, qui *Lib. III. part.* II. *num.* 861. docet, te poſſe petere lucrum ceſſans ex *pecunia mutuata*, etiamſi aliam pecuniam habeas quam *ex nimia etiam ſollicitudine reſerves familiæ*. Alia ibi docet magis laxa, ut mihi videtur.

IV. Quæſt. II. *Quid de opinione* Lugo, *qui diſtinguit lucrum in genere cauſſæ finalis, & efficientis?* Reſp. Cardinalis de Lugo Theologus quo acutior, eo aptior ad liniendam Ethices chriſtianæ ſeveritatem, proponit ſuper hac ſecunda conditione hanc quæſtionem *diſp.* XXV. *ſect. 6. §. 1. num. 91.* „ Circa eamdem conditio„ nem quæritur ſecundo, an dicatur lucrum ceſſare cauſa mutui, ita ut pro eo „ poſſit aliquid a mutuatario exigi, quando aliquis ſervat aliquam pecuniam „ apud ſe, quam ideo noluit ad negotiationem applicare, ut haberet ad manus „ pecuniam pro iis qui mutuo peterent? . . .

„ Leſſius num. 88. & ſequentibus hunc caſum dividit in alios duos.

„ Primus eſt, quando ſcio te poſtea petiturum mutuum, & in gratiam tui „ ſub-

Digitized by Google

„ ſubtraho negotiationi pecuniam aliquam, ut poſſim tibi poſtea mutuare: in „ quo caſu dicit, poſſe ultra ſortem exigi . . .

„ Secundus caſus eſt, quando non ſcis de aliquo in particulari mutuum peti„ turo; ſed quia multi poſtea mutuo indigebunt, ſubtrahis pecuniam negotiatio„ ni, ut poſſis iis, quicumque ſint, mutuare: quo caſu dicit probabile videri „ quod poſſit poſtea exigi lucrum ceſſans, præſertim ſpeculative loquendo, ſi „ animus retineatur negotiandi, ſi pecunia illa non mutuo daretur &c.

„ Claritatis gratia poſſumus primum caſum in alios duos ſubdividere. "

V. Ut prolixitatem nimiam evitem, omitto tranſcribere hanc caſuum diviſionem, cum eodem fere recidat. Ubique enim admittit titulum lucri ceſſantis; & doctrinam, mihi ſane mirificam, promit num. 93. his verbis.

VI. *Unde ad rationem dubitandi dicere poſſumus, etiam tunc mutuum eſſe cauſſam lucri ceſſantis: quod dupliciter explicari poteſt.*

Primo in genere cauſæ finalis: ideo enim a negotiatione, & lucro præſenti ceſſas, ut poſtea poſſis mihi mutuare: nec videtur requiri quod mutuum ſit cauſa efficiens, & antecedens PRIORITATE REALI ceſſationem lucri; ſed videtur ſufficere quod in genere cauſæ finalis ſit cauſa ceſſandi a lucro: ſicut etiam NOSTRA SALUS ET IUSTIFICATIO dicitur CAUSA PASSIONIS CHRISTI, quia fuit finis propter quem Chriſtus mortuus eſt: nec minus gratus eſſe debeo ei qui damnum patitur, ut me liberet, quam ſi, me petente ut patiatur; licet in primo caſu mea liberatio ſit cauſa finalis, & in ſecundo meæ preces ſint cauſa moralis efficiens.

VII. *Secundo addere poſſumus, voluntatem mutuatarii futuram prævisam eſſe cauſam moralem efficientem deſiſtendi a lucro negotiationis. Nam licet non movearis a mutuo præviſo futuro* abſolute *ad ſubtrahendam pecuniam: non enim ideo deſiſtis a negotiatione, quia mutuaturus es; ſed ideo mutuaturus es, quia deſiſtis a negotiatione: ſed tamen moveris a præviſa voluntate mea futura petendi mutuum. Quare vere mea voluntas, & petitio mutui eſt cauſa moralis ceſſantis lucri, quod ſufficit ad exigendum intereſſe &c.*

VIII. Nimis fortaſſe ſubtilia & acuta hæc tibi videntur: ideo fuſius hæc ipſa exponit poſt varias ſpeculationes. Hæc enim ſubdit *num. 94.*

IX. *His ſuppoſitis circa utramque partem prioris caſus dicendum videtur conſequenter, in poſteriori etiam poſſe exigi lucrum ceſſans, quando nullus in particulari prævidetur petiturus, ſed aliqui in communi, in quorum gratiam pecuniam a negotiatione ſubtraxiſti; prout abſolute, & ſine ſcrupulo concedit Malderus . . . . Ratio ex dictis colligi poteſt: quia inter hunc ſecundum caſum & primum ea ſola differentia eſſe videtur, quod in primo ego in particulari præviſus fuerim mutuum petiturus; in ſecundo autem non ſum ego præviſus in particulari, ſed ali-*

qui

qui in confuſo, & indeterminate. Hoc autem ad propoſitum parum referre videtur . . . Quod explicari poteſt exemplo ſupra adducto PASSIONIS CHRISTI. Licet enim Chriſtus ante voluntatem patiendi non prævidcrit determinate peccatum futurum huius hominis; ſed aliquos homines mortaliter peccaturos, ad quorum iuſtificationem voluit ſanguinis pretium perſolvere: adhuc vere dicitur peccatum huius hominis fuiſſe cauſa ut pateretur. Ratio autem eſt, quia ſub illa diſtinctione cognoſcuntur omnia futura diiunctim; & ita volendo mori pro his liberandis qui peccaturi erant, voluit mori pro hoc, ſi hic de facto peccaſſet. Si ergo vis reſervare pecuniam pro illo qui petiturus eſt, quicumque ille ſit, prævidens aliquem petiturum, pro illo de facto voluiſti reſervare, quamvis indeterminate cognito.

X. Hæc, lector, perpende; & ſerio recogita, quibus humanis cogitatiunculis graviora evangelicæ Moralis mandata involvantur, quibus commentis arbitrariis deludantur. Quo diſputatio procederet, ſi revocare ad ſeveriorem criticen vellem ſacratiſſimæ Chriſti IESU Paſſionis, ſalutis noſtræ æternæ, & iuſtificationis ſublimia, divinaque arcana, rei mercatoriæ, lucroque intercepto applicata? Quid, ſi palam facerem comparationis iſtius commentum? Ex tanta myſteriorum ſanctitate uſurarum pallia eruuntur? Et tamen iſtæ argutationes illæ ſunt quas poſteriores, & vulgares Caſuiſtæ tamquam oracula e cælo delapſa ſuſcipiunt, & magnifaciunt. Hanc doctrinam de lucro ceſſante citat P. Sporer *loc. cit. num.* 44. ubi inquit: *Vide Lugo, de hoc late, & doctiſſime diſſerentem.*

§. X.

Examen quartæ, & quintæ conditionis, nempe quod debitor moneatur de lucro ceſſante; & quod initio contractus exigi nequeat. Opiniones Leſſii, Azorii, Lugo, Tamburini, Caramuelis, Salas, Baunii, & aliorum laxæ.

I. Lucrum ceſſans conſideratur vel tempore mutui, vel poſt elapſum mutui terminum. Reſpectu poſterioris lucri non requiri pactum, docent plures Auctores: quia debitor moroſus culpabilis furi comparatur, qui retinet rem alienam invito domino. Et reipſa debitor qui ultra præfinitum tempus reſtitutionem differt, non ob impotentiam, ſed ob malitiam, invito domino, nulla præcedente admonitione, ſive pacto, ad compenſationem aſtringitur. Admonitio requiritur, ne debitor præſumat conſenſum creditoris in ſolutionis dilationem. Ut vero

Digitized by Google

ro debitor teneatur, ſive ad damnum emergens, ſive ad lucrum ceſſans tempore mutui, neceſſe eſt ut moneatur; quemadmodum ſupra iam oſtenſum eſt. Quoniam ut onus, & gravamen mutuo extrinſecum ſubeat, eius conſenſus neceſſarius eſt.

II. Non deſunt qui doceant, in mutuo accepto a mercatore non eſſe neceſſariam admonitionem, neque pactum. Quandoquidem mercatores pecunias ſuas negotiis expoſitas habent; neque mutuas tradere ſolent ſine recompenſatione intercepti lucri. Quare eo ipſo quod mutuatarius petat mutuum a mercatore præſumitur in ceſſantis lucri compenſationem aſſentiri, nullo expreſſo pacto, vel monitione.

III. Id a me non probatur. Contractus mutui initus cum mercatore, idem eſt ac initus cum nobili, & quocumque alio. Reſpectu omnium officium eſt caritatis, & liberalitatis; & omnes ICti illum vocant ſtricti iuris. Vi iſtius contractus nihil præter ſortem debetur. Ineundus itaque alius contractus præter contractum mutui, dum aliquid ſupra ſortem ſolvendum eſt. Utrinque ergo mutuus requiritur conſenſus.

IV. Quæſt. I. *Licita ne eſt exactio lucri ceſſantis initio traditi mutui?* Reſp. Omnes abſolute docent, recompenſationem iſtius lucri non poſſe ſtatim ac traditum mutuum eſt, exigi: & eſt conditio quinto loco enumerata, quam omnes requirunt ut neceſsariam. Ratio evidens eſt. Nam ſi dum mutuo tradis centum, decem continuo accipias pro lucro ceſsante, mutuo tradis dumtaxat nonaginta. Accedit quod dum mutuo pecuniam das, non es paſsus detrimentum ceſsantis lucri. Quo ergo titulo pretium poſcis? Non ratione mutui, quia fenerator eſses. Non ratione detrimenti, quod adhuc non ſuſtinuiſti. Ergo iure nullo. Hæc adeo clara & manifeſta ſunt, ut nemo crederet potuiſse a quopiam in diſcrimen adduci. Sed acuti quidam Auctores, quo veritates evidentiores ſunt, eo fortius nervos intenderunt, ingeniumque acuerunt, ut eaſdem ad mores hominum inflecterent. Animum tuum para ad audienda commenta incredibilia, & paradoxa ſane prodigioſa.

V. Quæſt. II. *Probabilis ne eſt opinio* Azorii *aſſerentis licitam eſſe initio contractus lucri ceſſantis compenſationem; dummodo non pecunia, ſed diverſa merce fiat ſolutio?* Reſp. Azorius non eſt vulgaribus Caſuiſtis accenſendus; ſed inter iuniores gravis Theologus eſt, atque eruditus, & utriuſque iuris peritiſſimus: nihilominus Probabiliſmi caligine & ipſe obductus non raro ad laxiora declinat. Reſcribam quæ docet, dum hanc conditionem explicat *III. Part. Lib. V. cap.* v. *quæſt.* III. Primum defendit communem opinionem his verbis. „ An lucrum ceſ„ ſans poſſit ſolvi antici, ta ſolutione? Reſpondetur ex communi conſenſu non „ poſse. Sed notandum eſt, hoc intelligi *ſic*. V. g. mutuat Titius Caio centum, &

„ quia

„ quia convenit inter eos ut ratione lucri ceſſantis Caius ſolvat Titio quinque ; „ dicitur anticipata ſolutio, ſi Titius det Caio nonaginta quinque, & ratione lu- „ cri ceſſantis retineat quinque . Hoc omnino eſt illicitum : quia eſt uſura mani- „ feſta. Nam perinde eſt ac ſi mutuet nonaginta quinque, ut poſtea ſibi reddan- „ tur centum. “

VI. Hactenus tradidit communem doctrinam , obviam , & evidentem . Audi nunc linimentum . *At vero non eſt illicitum, ſi anticipata ſolutio intelligatur ſic . Mutuat Titius centum Caio , & convenit inter eos ut ratione lucri ceſſantis Caius ſolvat Titio quinque , v. g. certam portionem olei, vini, frumenti, vel paria gallinarum , quæ dat Caius ratione illorum quinque , de quibus ſolvendis convenit inter eos ratione lucri ceſſantis.*

VII. Artificium iſtud vetuſtum eſt. Hoc eodem velamine tempore Ambroſii ; & Hieronymi uſuras obtegebant feneratores. Verſutum inventum explodit S. Ambroſius Lib. de Tobia cap. VI. *Plerique . . . non in pecunia uſuras exigunt, ſed in mercibus eorum . . . Fraus enim iſta , & circumſcriptio legis . . . Et eſca uſura eſt, & veſtis uſura eſt. Quod velis, ei nomen imponas , uſura eſt.* Hanc eamdem cavillationem inſectatur Hieronymus *Lib. VI. Com. in cap.* XVIII. *Ezech.* inquiens: *Putant quidam uſuram tantum eſſe in pecunia . . . Alii pro pecunia accipiunt munuſcula diverſi generis* , puta oleum , vinum , par gallinarum . *Et non intelligunt uſuram appellari ſuperabundantiam , & quidquid illud eſt.* En quomodo Patres ſancti in anteceſſum labefactarunt iuniorum commenta.

VIII. Non modo omni probabilitate caret hæc opinio Azorii ; ſed laxa ſimul , & ridicula eſt ; & eadem prorſus ac illa confutata a SS. Ambroſio, & Hieronymo. Quid ? Dum mutuum tradis , nequis ſimul exigere lucrum ceſſans , puta quinque in centum in pecunia ; at potes exigere *aliquid aliud quod æſtimatur quinque, v. g. portionem olei , vini , frumenti , vel paria gallinarum ?* Præclara profecto caſuiſtica inventio . Dum ergo mutuo tradis oleum , potes recipere *aliquid aliud quod æſtimatur quinque* , nempe quinque ſcuta . Et dum mutuo das frumentum , potes recipere *aliquid aliud quod æſtimatur quinque* , nempe quinque cados olei . Et dum mutua tradis centum paria gallinarum , potes recipere *aliquid aliud quod æſtimatur quinque* , nempe quinque paria columbarum . Non aliis argumentis hæc puerilis cavillatio explodenda eſt, ne, ſi ſerio confutetur , aliquid, iuxta Tertulliani, dictum, gravitatis acquirat . Eam deteſtatur vel ipſe Tamburinus *Lib. VIII. cap.* VIII. *num.* 20. quia, inquit, *illa olei, vel vini portio , licet phyſice non ſit pecunia , eſt tamen æquivalenter* . Opinionem tamen Azorii defendit Salas, & probat de Lugo *diſp.* XXV. *ſect. 6. §. 1. num.* 106.

IX. P. Thomas Tamburinus , ut ſæpe dixi , iunioribus fere omnibus palmam in linienda chriſtiana Morali præripuit , ſive ſtili, & ordinis perſpicuitatem, ſive

Digitized by Google

ve libertatem, & leporem, quo cogitationes ſuas exponit, ſpectes. Verſat hanc quæſtionem *Lib. IX. cap.* III. *ſ.* 3. &, improbatis aliorum cavillationibus, inquit: *Nos aliqua remedia, ſeu iuſta artificia tradidimus* Lib. VIII. in Decal. tract. III. cap. VIII. *ſ.* 3. num. 16. *quorum auxilio aliquid anticipato ſumi poſſit*. In examen itaque veniant hæc *iuſta artificia* P. Tamburini.

X. Quæſt. III. *Iuſta ne ſunt artificia ad honeſtandum lucrum ceſſans, ſolutum initio contractus mutui, quæ invenerunt P. Leonardus Leſſius, Caramuel, & Tamburinus?* Reſp. Ut iuſtum iudicium feratur in hæc artificia, prius exponenda illa ſunt propriis Auctorum verbis. P. Thomas Tamburinus *cit. Lib. VIII. tractat.* III. *cap.* VIII. *ſ.* 3. *num.* 16. his verbis refert primum artificium Caramuelis, qui *Lib. II. Theolog. moral. num.* 755. „ tollit ſic difficultatem. " *Fiant duo contractus: alter mutuationis, alter venditionis; & ſic poterit mutuans ſumere nunc decem, ſeu ſaltem octo vel ſex.* „ Explico (inquit Tamburinus.) Mutuans nunc mutuat centum aureos cum ſpe ut recipiat hinc ad annum ex lucro licito, præter ſortem, alia decem. Vendat nunc anticipato hanc ſpem denarii lucri ipſi mutuatario, quæ ſpes valebit v. g. omnibus ab experto viro expenſis, ſex, vel octo aureis: nam ſtatim nunc poterit ſine labe uſuræ hos ſex, vel octo aureos ſumere, non quidem ex vi mutui, ſed ex vi venditionis ſperati a ſe lucri, & venditi mutuatario. "

XI. Hactenus Tamburinus, qui propriis verbis exponit artificium Caramuelis abſque ulla alteratione, ſi rei ſubſtantiam ſpectes. Ceterum, quia Caramuel acutior eſt Tamburino, & non minus intrepidus, ac lepidus in ſuis promendis inventis, intereſt verba ipſa Caramuelis reſcribere, quæ *loc. cit.* eiuſmodi ſunt. „ Reſpondeo ibi celebrari duos contractus, alterum mutuationis, venditionis alterum: hunc eſſe extra conceptum alius, & ſe habere ad illum ſolummodo concomitanter. Dantur mutui centum aurei, & venditur incommoditas lucri ceſſantis pro aureis duodecim. Dico igitur ex regula V. C. *plus valere pecuniam numeratam quam numerandam* &c. " Hoc capitale principium probabiliſticum conſueta ſua perſpicuitate non expoſuit Tamburinus, qui ibidem *num.* 20. hoc Caramuelicum artificium probat: *nam*, inquit, *ſi ſincere exhibeatur, nihil continet iniquitatis*. Et tamen ut iniquum damnatum eſt ab Apoſtolica Romana Sede. Hoc ergo artificium, quo iniqui feneratores incipiunt ſupputationem ſummæ mutuatitiæ, dicentes *ſex, octo, duodecim*, ſi ſincere exponatur, *nihil continet iniquitatis?* Nonne vel ipſum vulgus tam crudelem uſuram perhorreſcit? Sed prætereamus nunc ſeveram argumentationem.

XII. P. Tamburinus ibidem *num.* 18. inquit: LESSIUS *Lib. II. cap.* XX. *dub.* II. *num.* 100. *ab eadem difficultate ſic ſe liberat*. Audiſtin'? Ab hac uſuræ *difficultate ſic ſe liberat*. Sed reſcribamus verba Leſſii, relata a Tamburino. *Mutuet quis*

tibi

Digitized by Google

tibi centum, ita ut mutuet cum intereſſe ſolum 91. & 9. ſine intereſſe. Nam mox hæc 9. reddere mutuanti potes ſine ulla ipſius iniuſtitia pro intereſſe debito illis 91. Tunc enim tu mutuatarius non ſolves lucrum ex ipſa ſumma mutuata cum intereſſe, ſed ex alia; quo pacto plus æquo non gravaberis. Hæc ſunt verba P. Leonardi Leſſii, relata a Tamburino: quæ licet non ſint illa ipſa *materialiter*, ſunt tamen formaliter. Legi enim & Leſſium in fonte, ut facio ſemper, dum res poſtulat.

XIII. Adverſus hanc doctrinam Leſſii clamabit mutuatarius, ſe crudeliter gravatum eſſe, quod debeat ſolvere lucrum ceſſans, antequam mutui beneficium expertus ſit; & quod reipſa, ſublatis artificiis, loco centum recipiat 91. Senſit acutus Tamburinus difficultatem, quam ſibi opponit, & attice reſpondet ſic. *Dices: Gravabor ex eo quod anticipato ſolvo quod nondum debeo. Reſpondeo ſic pro Leſſio. At certo debebis: & ex alia parte moleſtia dandi nunc quod debebis poſtea, compenſari ſufficienter videtur ex eo quod mutuans gratis mutuat tibi, & ſine intereſſe illa novem.* Ambo artificia Caramuelis, & Leonardi Leſſii adprobat Tamburinus *ibi* his verbis. *Primus, & ſecundus* (modus) *approbentur. Nam, ſi ſincere exhibeantur, nihil continent iniquitatis.* Tamburinus ipſe hæc duo artificia Caramuelis, & Leſſii expoſuit. Quis ergo de ſincera expoſitione ambigere auſit?

XIV. Ne verborum multitudine ambiguum reddatur artificium Leſſianum, ſimplici, & perſpicua explicatione declarandum eſt. Mutuaris a Caio centum ad annum. In fine anni deberes reddere centum & novem. Centum, quia tantumdem reddendum: novem, ratione lucri ceſſantis. Caius non vult expectare anni finem, ſed vult iſta novem illo ipſo tempore dum tibi mutuum centum dat. Hoc omnes, etiam ipſe Leſſius, uſuræ damnat. Verum ut ſine uſuræ labe id facere poſſis, hoc artificium excogitavit mentale. Caius loco ſortis intendat computare ſolum nonaginta & unum. Alia novem intendat gratis mutuo tradere. Hæc novem ſtatim illico reponenda ſunt in manu Caii mutuatoris. Cui poſtea in fine anni non nonaginta & unum debebis reddere, ſed centum. Ut vides, hic eſt merus verborum luſus, & artificium, quod undique dolis, & fraude ſcatet. Quid? Gratis mutuo das novem: & hæc novem ſtatim in manus redire tuas debent? Ergo mutuum chimæricum, & inane iuxta omnes ad unum tum Ictos, tum Theologos: quia inter mutui traditionem & reſtitutionem interfluere congruum tempus debet. Patet ergo ex hoc ſolo capite artificii futilitas. Rurſus feſtivum artificium prodit uſuram manifeſtam ex omni parte. Fatetur P. Leſſius cum ceteris omnibus Theologis, quod mutuo tradere centum, & exigere *ſtatim* decem, novem, vel ſex, ſit uſura. Veritas iſta nec in diſputationem vocatur. Quoniam dum ex centum mutuo traditis ſubtrahis illico decem tibi retinenda, remanent nonaginta dumtaxat pro mutuatario, qui elapſo anno reddere centum debet

debet

Digitized by Google

debet ob nonaginta accepta. Quodnam remedium verum, & reale in re ponit P. Leſſius, ut hanc pluſquam iudaicam uſuram honeſtet? Quodnam? Intentionem mutuatoris. Intendat is mutuo tradere cum intereſſe lucri ceſſantis nonaginta; decem vero gratis mutuo det. Quid tum? Recipiet continuo in manus ſuas illa decem pro intereſſe ſolvendum ob nonaginta. Quid? Battologia hæc tibi videtur? His diſtinctiunculis poſſent honeſtari adulteria, fornicationes, furta, & quid non? Falleris, reclamat P. Tamburinus, qui *pro Leſſio*, inquit, *reſponderem ſic. At certo debebis: & ex alia parte moleſtia dandi nunc quod debebis poſtea, compenſari ſufficienter videtur ex eo quod mutuator gratis mutuet illa novem*. Novum caſuiſticæ ſubtilitatis commentum. Gratis itaque mutuum dare novem, vel decem eſt pretio æſtimabile? Quando ergo Chriſtus dicit, *Mutuum date, nihil inde ſperantes*, docet ut aliquid recipiamus? Siquidem hoc nihil *ſperare*, nedum recipere, eſt quid pretio dignum. Si mutuatarius per annum retineret illa decem, ex eorum negotiatione aliquid lucraretur, quo facilius integræ fortis ſolvere *intereſſe* poſſet. Hæc ſunt nimis acuta. Solvat ſtatim, quia gratis accepit illa decem. Iraſceris, quod deridenda tam inaudita, & feſtiva inventa exhibeam? At numquid ſolidiori argumentatione confutari ſimilia poſſunt? Si plura contra hoc artificium, quo P. Leſſius a fenore liberare Chriſtianos ſibi blanditur, cupis, legeſis P. Magiſtrum Gennaro, qui fuſo calamo invehitur contra hæc commenta *recog.* 2. *ſ.* 2. ubi frequenter exclamat, numquam in hoc artificio reperiri poſſe *voluntatem ſinceram, immo ſemper doloſam, & fraudulentam. Require in hoc mutuatore voluntatem ſinceram: invenies plenam dolo, & fraude.. O iuſtum artificium!*

XV. Quæſt. IV. *Quid dicendum de iudicio P. Dianæ ſuper his artificiis Azorii, Leſſii, Salas, & Tamburini?* Reſp. Ex tribus recenſitis artificiis, quorum auxilio P. Tamburinus aſſerit, abſque uſuræ labe te poſſe exigere *ſtatim* lucrum ceſſans, detrahendo de ſumma mutuatitia *novem*, aut *decem*, vel *octo*, quodnam ſit magis craſſum, non facile dixerim: nam omnia de palma certant. P. Antoninus Diana, alter caſuiſticæ benignitatis facile Princeps, reſcribit duo artificia Leſſii, Azorii, & Salas, *Tom. VI. coord. tract.* 111. *reſol.* 47. *num.* 3. inquiens. *Oſtendam Confeſſariis duos modos, in quibus pœnitentes mutuando poſſunt paciſci ut ſtatim ſibi lucrum reddatur ex illo mutuo.* (Lucrum ex illo mutuo? ſcilicet.) *Primus modus eſt Leonardi Leſſii* &c. *Secundus eſt Ioannis de Salas... & Ioannis Azorii* &c. Audi concluſionem. *Notabunt hæc Confeſſarii, & in praxi ſe expedierint. Ad tollendas occaſiones peccatorum his MONITIS utantur.* Similibus monitis non modo a lege uſuras vetante, verum etiam ferme dixerim ab univerſo Decalogo in praxi ſeſe expedient. Hi ſunt novi agni, qui *tollunt occaſiones peccatorum*. Obſtrepent Probabiliſtarum aliqui nos minus reverenter Caſuiſtas ſuſpicere, & ab eorum libris volvendis lectores avertere. Perſonas ſuſpicimus, ſed laxas deteſtamur opinio-

Digitized by Google

nes, a quibus legendis, & exequendis omnes pro modulo noſtro avertere ſtudemus.

XVI. Quæſt. V. *Quid dicendum de opinione P. Baunii, qui abſque ullo artificio vult ſtatim lucrum ſolvi occaſione mutui?* Reſp. P. Antoninus Diana *loc. cit. reſ.*48. proponit his verbis quæſtionem. *An ſit uſura velle ut mutuatarius initio mutui ſolvat lucrum occaſione mutui?* Secluſo ſcandalo, negative reſpondet Baunius Theol. Mor. Tom. V. Lib. II. quæſt. XXII. *Primo* (inquit Baunius) *quia eſt tempus quidpiam uſuræ extrinſecum. Ergo ab eo lucri ceſſantis ſolutio non trahit uſuræ maculam, ac vitium.* Plures alias rationes tranſcribit P. Diana ex P. Baunio, quas brevitatis gratia miſſas facio. Poſtea concludit P. Diana num. 6. *Sed hæc opinio mihi non placet, & ſingularis contra communem Doctorum videtur.* Si vel Dianæ opinio P. Baunii non placet, quiſque iudicet quam ſit laxa. Caramuel, Leſſius, Salas, Azorius, Tamburinus deſudarunt ut invenirent artificia coniungendi ſimul cum traditione mutui ſolutionem lucri ceſſantis. P. Baunius duobus verbis totam litem dirimit: *Eſt tempus* (inquit ille) *quidpiam uſuræ extrinſecum. Ergo ab eo lucri ceſſantis ſolutio non trahit uſuræ maculam.* Argumentatio iſthæc non eſt artificioſa, ut illa Leſſii, Azorii, Caramuelis, Salas, Tamburini; ſed ſimplex, & clara. Tempus eſt extrinſecum uſuræ. At nonne extrinſecum eſt tempus adulterio, homicidio, furto, fornicationi, & ceteris actionibus? Quid hæc obtrudis, buæ numquam licita ſunt? Sed neque uſura aliquando licita eſt. Cur ergo tempus extrinſecum in ſubſidium advocas? Sed numquid ego otio abutar in convellenda opinione iam improbata a Diana, tamquam contraria communi Doctorum juniorum ſenſui?

§. XI.

Ceteræ conditiones neceſſariæ ad iuſtum titulum lucri ceſſantis.

I. Quæſt. I. *Ut mutuator queat licite lucrum ceſſans exigere, debebit ne lucrum velle potius ex negotiatione quam ex mutuo?* Reſp. Sexta conditio, quam Conradus, & ceteri communiter Theologi requirunt ad honeſtam exactionem ceſſantis lucri, eſt, ut mutuator malit lucrum ex pecunia expoſita negotiationi quam ex eadem pecunia mutuo tradita. Hæc pecunia debet negotiationi, cui deſtinata erat, ſubduci ad preces mutuatarii, & ſincera voluntate ſuccurrendi eiuſdem neceſſitati, non cauſſa ex mutuo lucrandi. Verum quia lucrum illud percepturus ex negotiatione eras, & tibi ceſſat cauſſa proſpiciendi egeſtati petentis; ideo

ideo conſequenter poteris illud exigere. Primum ergo velle ſincere debes egeſtatem ſublevare petentis; & poſtea lucri, quod ex negotiatione amittis, compenſationem exigere.

II. Quando hæc in praxi occurrunt? Tamburinus *Lib. VIII. in Decal. tract.* I. *cap.* VIII. *§.* 3. *num.* II. cum Leſſio, Lugo, Maldero, ut iam ſupra vidimus, docet ſat eſſe voluntatem conditionatam; ideſt, vellem hanc pecuniam applicare negotiationi; ſed quia multi petituri mutuum ſunt, nolo illam negotiari, ſed mutuo tradere, & lucrum capere ex mutuo. Quis non videt hoc eſſe uſuræ pallium? Efficaciter enim vult lucrum ex mutuo, & inefficaciter ex negotiatione.

III. Quæſt. II. *Quid de lucro quod ex negotiatione ceſſat, detrahi debet, ut iuſtus titulus ſit in mutuo?* Reſp. Communiter defenſores lucri intercepti docent, non poſſe totum lucrum percipiendum ex negotiatione, exigi a mutuatario; ſed diminuendum eſſe, ſpectatis expenſis, laboribus, periculis, incertitudine &c. Verum quis erit rectus, & aptus iudex horum omnium? Prudens, & bonus vir, inquiunt. At ubi reperiendus, qui a partium ſtudio immunis ſit? Iſti difficillimam hanc taxationem reputant, non modo quia deficere probationes ſolent ad demonſtrandum quod lucrum vere ceſſaverit, verum etiam quia vix probari poteſt quantum ceſſaverit. Iuniores Theologi mutuo diffident. Tamburinus *Lib. VIII. cap.* VIII. *§.* 3. *num.* 15. cum Leſſio, Salas & aliis advertit, homines communiter malle laborare lucrando quam otiari ſine lucro; ideo non niſi parvum pretium detrahendum eſſe ob ceſſationem ab hoc labore. Lugo *diſp.* XXV. *ſec.* 6. *§.* 1. *num.* 97. fuſe refert varias Theologorum opiniones, & ipſe *num.* 99. concludit, *parum, aut nihil detrahi debere ob laborem mercatoris.* Martinus Bonacina *diſp.* III. *quæſt.* III. *punct.* 4. *prop.* 2. tantum exigi poſſe docet, quantum daret mutuator alteri qui redderet illum ſecurum de lucro ſperato; tantumque detrahendum pro labore, & moleſtiis ſubeundis in negotiatione, quantum ipſe daret, ut ſe a labore, & moleſtiis liberaret. Diana *loc. cit. reſol.* 48. fatetur, taxationem hanc ſcrupulis plenam eſſe. Alii ſtandum eſſe contendunt ſtatutis Principum, & conſuetudinibus locorum propriis. Alii reiiciunt hanc regulam pro foro conſcientiæ: quia accidere poteſt, nihil lucri ceſſare ex negotiatione, cui deſtinata pecunia erat. Et tum, quamvis ſtatuta Principum concedant lucri exactionem in foro externo, ob præſumptionem lucri reipſa intercepti, in foro tamen interno exigi nequit: quia reipſa, cum deficiat tunc titulus lucri intercepti, exigeretur acceſſio ſupra ſortem vi mutui; quod nulla Principum lex in foro conſcientiæ honeſtare poteſt.

IV. Alii ſuſtinent, nihil detrahendum eſſe, quando lucrum certum, & determinatum eſt tam in genere, quam in individuo, ſeu in quantitate; quando vero lucrum certum eſt in genere, & indeterminatum in individuo; tum diminuendum lucrum eſſe ſubdunt. Alii docent, ſpectandam eſſe negotiorum varietatem,

Digitized by Google

perſonarum induſtriam, & plura alia. Hæc ſunt iuniorum, qui defendunt titulum lucri ceſſantis, placita. Quid a me in tanta opinionum varietate expectas? Dicam ſ. ultimo.

V. Quæſt. III. *Quid de duabus ultimis conditionibus dicendum?* Reſp. Ultimæ duæ conditiones levioris momenti ſunt: ideo paucis exponendæ. Septima igitur conditio eſt, quod mutuum non ſit præceptum & imperatum a lege. Nam tum evidens eſt, gratis tribuendum eſſe, omni lucro ſemoto. Neque hoc in controverſiam vocatur. Sermo enim ſemper eſt de mutuo quod cadat ſub conſilio, non ſub præcepto. Octava, & ultima conditio eſt, quod mutuator non ſe infamet, ſed ſcandalum declinet. Conditio hæc non iuſtitiam, ſed honeſtatem actionis ſpectat. Et, ut mea præfert opinio, conditio iſta ſuperflua eſt. Nam ſemel poſito quod titulus lucri ceſſantis ſit iuſtus, non video cur infamare ſe mutuator poſſit, aut ſcandalum pati mutuatarius, vel ceteri. Potius qui hanc conditionem invexerunt, de iſtius tituli iuſtitia dubitarunt; cum vel ipſe populus ſcandalum patiatur, dum videt lucrum ex mutuo percipi.

§. ULTIMUS.

Pauca lectori conſideranda proponuntur.

AUCTORIS CONSILIUM.

I. Conſideratio prima. Paucis, quid in praxi agendum ſit, perſtringam. Animadvertas primum omnium velim, grave diſſidium, & diviſionem Theologorum in præcipuo quæſtionis puncto, ſit ne admittendus titulus lucri ceſſantis. Altum de hoc titulo apud antiquos ſilentium; cum contra de damno emergente loquantur vel ipſi vetuſti Patres. S. Thomas lucrum ceſſans improbat, aut ſaltem improbare videtur: cui accedunt graviores illius temporis Theologi. Secundo conditiones quas præſcribunt illi ipſi Theologi qui hunc titulum defendunt, ſub una oculorum acie reducas oportet. Eas ego diſtincte, & fuſe etiam expendi, atque germanum earumdem ſenſum expoſui; & denuo illas tibi paucis meditandas propono. Neceſſe eſt primo ut mutuator rogatus ſit, & amore ſubveniendi proximi egeſtati mutuum tradat, non lucri, & propriæ commoditatis ſpe allectus. Quare mutuator ultroneus & paratus, fenerator eſt. Secundo lucrum iſtud non fictitium & imaginarium, ſed verum & reale ſit neceſſum eſt: inſuper determinatum aut in genere, & quantitate, aut ſaltem in genere tantum. Tertio mutui cauſſa unice ceſſare lucrum debet: quod contingit, dum pecunia

nia revera negotiationi eſt deſtinata, & occaſionibus ultro ſe offerentibus, aut proxime præſentibus negotiandi, & lucrandi ſubtrahitur, ut proximo ſubveniatur; aliaque pecunia otioſa, mercaturæ ſubſtituenda, deſit. Quarto monendus debitor eſt. Quinto lucrum exigendum ſtatim non eſt, ſed ſolum dum mutuum redditur. Sexto expendenda ſunt pericula, moleſtiæ, incertitudo fauſti eventus, & labores in negotiatione ſuſtinendi, ut iuſta lucri quantitas taxari poſſit.

II. *Conſideratio ſecunda*. Si una, vel altera ex his conditionibus deficiat, fenebris eſt lucri acceſſio ſupra ſortem. Interroget quiſque conſcientiam ſuam, quandonam in praxi hæc contingant. Præterea quis in tanta conditionum varietate certum ferre iudicium valet? Propugnatores lucri ceſſantis primo aſpectu benignitatis ſpecie te demulcent; at, ut ego quidem arbitror, quot conditionibus lucrum iſtud circumſepiunt, tot te implicant laqueis. Conditiones præſcribunt quæ vix, ac ne vix quidem ſervari reipſa ſolent. Quamobrem opinio quæ benignitatis larvam extrinſecus præfert, omnibus mature expenſis, intrinſecus crudelis eſt: quia innumeris perplexitatibus, & anguſtiis animum tuum angit, & excruciat.

III. *Conſideratio tertia*. Ut hoc evidentius pateat, in mentem revoca artificia, cavillationes, & laxitatum portenta, quæ plures iuniores Theologi excogitarunt, ut conditiones iſtas extenuarent. Ipſe audiſti paradoxa incredibilia, quibus ab uſura purgare lucrum iſtud conantur. Iſtorum ne opinatiunculæ conſcientiæ tuæ regulæ erunt? Horum ne auctoritati unicum æternæ ſalutis tuæ negotium committes? Animum tuum in divinarum Scripturarum oracula adverſus fenora, & feneratores converte. Sanctorum Eccleſiæ Patrum graviſſimas declamationes contra uſuras ſerio meditare. Quorſum tanta ſeveritate Scripturæ, & Patres improbarent uſuras, ſi ſola verborum diverſitate lucrum ex mutuo honeſtum evaderet? At ſi hunc ceſſantis lucri titulum damnas, languent commercia, egentes pereunt, & Chriſtiani damnantur. Ita ne vero? Cedo. Ignoravit ne Deus, qui indefinite, & nullo adiecto linimento, uſuras damnavit, quæ ſint commerciis opportuna, quæ ſubſidia egentibus congruant, quæ ſaluti æternæ ſint neceſſaria? Quinam ferventius animarum ſalutem anhelant, ſitiuntque, iuniores Theologi, benignique Caſuiſtæ, an Patres ſancti? Nihil hodie ad fucandas uſuras invenere homines quod Baſilio, Gregorio Nyſſeno, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino oppoſitum non fuerit. Videbant & ipſi hominum commercia uſuris polluta. AEſtuabant & ipſi non minus quam Theologi noſtri hominum ſalutis deſiderio, ac fervore. At non propterea legis ſeveritatem delinierunt, & ad hominum mores illam inflexere: non propterea fucis periculorum, lucri ceſſantis, triſtitiæ conceptæ ob pecuniæ alienationem, fenoris horrorem occultarunt. Sed quo acutiores erant feneratores in excogitandis pro uſura cavillationibus, eo ipſi vehementius in uſuram invecti ſunt,

Digitized by Google

ſunt, & prætextus omnes diſſiparunt, effugia præcluſerunt, & pro doctrinæ integritate acerrime pugnarunt.

IV. *Conſideratio quarta*. Si opiniones conſiſterent quas hactenus recenſui ex iunioribus, & quidem gravioribus Probabiliſtis, exularet a mundo uſura fere omnis. A multis annis tota mentis indagine hanc controverſiam verſavi. Molinæi, Calvini, Salmaſii, & iſtius furfuris aliorum doctrinam, pro moderatis uſuris invectam, ſerio perpendi. Hæreticam opinionem depictam vidi fucis ſane delicatioribus, & commentis acutioribus, & ad ſeducendum, hallucinandumque aptioribus, a nonnullis, probis alioquin, piiſque Theologis, qui hæreticorum errorem deteſtantur. Heinc eſt quod Franciſcus Budæus in ſuis Inſtitutionibus Theolog. moral. *II. Part. cap.* 111. *ſect.* 5. *§.* 27. adverſus Catholicos obganniens bacchatur. *Turpiter autem hic ſe traducunt Pontificiorum Moraliſtæ, qui dum acriter contendunt omnes uſuras eſſe illicitas, adeo ut hæreſis ſit, ſi fenus carere peccato dicatur, lepidiſſimis tamen commentis, aliiſque rebus impoſitis nominibus, uſuris iniquiſſimis locum concedunt*. Baſilice fallitur Lutheranus Doctor, dum quorumdam Caſuiſtarum commenta univerſæ impingit Eccleſiæ Romanæ.

V. Sciat ergo Lutheranus homo, Romanam Eccleſiam iſtorum Caſuiſtarum paradoxa diris devoviſſe. Sed, miſſis Lutheranis, ad lectores meos catholicos orationem converto. Vos enixe rogo, ut ſanctarum Scripturarum, Conciliorum, Patrum ſanctorum, & graviorum Theologorum adverſus uſuram doctrinæ conſtanter adhæreſcatis, ſpretis quorumdam iuniorum arbitrariis interpretamentis, quæ ut vidiſtis, vel ipſis heterodoxis ſcandalum ingerunt.

VI. *Conſilium* igitur meum paucis habetote. Recompenſationem damni emergentis iuxta regulas ſupra traditas admitto. Lucri ceſſantis titulum ob moram culpabilem debitoris probo: quia vim tum patitur creditor, dum, eo invito, illius pecuniam retinet debitor: & ius habet ad compenſationem huius iniuriæ ſibi illatæ ob pecuniæ, gratis traditæ cum onere reſtituendi tantumdem, violentam detentionem. Quare læſio mutuæ conventionis reparari iuſto pretio debet. Nec tamen id abſolute concedo; ſed ſolum poſitione facta quod ob moram culpabilem debitoris revera damnum lucri ceſſantis paſſus mutuator ſit. Si enim indemnis a damno mutuator fuerit, nihil repetere a debitore etiam moroſo debet. Quia tum, licet peccaverit debitor contra fidelitatem, differendo ultra terminum reſtitutionem; tamen ſi nullum hac ſua mora damnum intulit, nihil compenſare tenetur. Hæc omnia, niſi me amor fallit, clara ſunt, certa, & comperta.

VII. Ad merum lucrum ceſſans quod attinet, quod nempe ceſſat mutuatori libero, tametſi rogato, ſi id quod ſentio, candide fateri debeam, ut revera debeo, vix ego alicui auctor ero ut hoc titulo quidquam lucretur. Occurrere ne ali-

aliquando caſus poſſit iſtius lucri, omnibus quas explicui conditionibus ornatus, ignoro. Unum ſcio, vix umquam in praxi revera omnes illas contingere: quarum tamen ſi una deficiat, fenebre lucrum eſt. Interrogentur omnes mercatores, omnes mutuatores, qui continenter mutua tradunt, num calleant, & memoria teneant recenſitas conditiones? Riſu interrogationem excipient. Quid quod nec ipſi Theologi, lucri intercepti aſſertores, in ſenſu harum conditionum exponendo conveniunt? Lucrum, deſtitutum conditionibus narratis, fenebre eſt. Mutuatores conditiones, earumque ſenſum verum ignorant. Conditiones iſtæ vulgi captum excedunt: conſcientias implicant, & torquent: uſuram non eliminant, ſed tegunt, & fovent. Nec eſt quod *Tutioriſtæ*, & *Rigoriſtæ* cenſuris me iuniores concidant; quodque audaciæ, & temeritatis me redarguant, quia communi torrenti me opponere auſim. Miſereantur potius ignorantiæ meæ, & timoris tum propriæ, tum aliorum ſalutis periclitandæ. *Artificia illa quorum auxilio* nos uſuræ crimen evitaturos ſpondet Tamburinus cum aliis quibuſdam iunioribus, laqueos eſſe, quibus miſere ſtrangulantur feneratores, deprehendimus. Iure igitur & merito in graviſſima, ac periculoſiſſima quæſtione, quod tutius, quod ſecurius exiſtimamus, amplectimur, & amplectendum conſulimus aliis. Neminem cogimus, cuique libertatem relinquimus eam ſeligendi opinionem quæ magis ſibi placuerit.

VIII. Sed, ut ſenſu aliquo tangantur benigni homines, audiant *Conſilium*, non meum, ſed duorum qui inter lucri ceſſantis defenſores præcipuum locum tenent, *Medinæ*, & *Toleti*. Medina cod. de rebus per uſur. reſtit. quæſit. *In quibus caſibus licitum eſt mutuanti* &c. hæc ſcribit. *Sed quoniam in his qui mutuantur, rariſſime hæc omnia requiſita concurrunt; ideo tales contractus, in quibus aliquid ultra capitale ratione intereſſe lucri ceſſantis exigitur, diſſuadendi ſunt, ut fiant.* Toletus *in inſtruct. Sacerd. Lib. V. cap.* XXXIII. ſub finem capitis hæc habet. *Hæc igitur de lucro ceſſante dicta ſint. Securius eſt a tali abſtinere lucro, & gratis mutuare, cum nullum damnum emergit.* Audiant inſuper P. Paulum Comitolum, cuius auctoritas non parvo Caſuiſtarum manipulo prævalet, Lib. III. Reſp. moral. quæſt. XXXV. num. 6. *Neque eo quartum Navarri dictum correxi, quod communem recentiorum Doctorum opinionem falſitatis arguam, cum rem ſuam mutuam danti ſperati lucri actionem, & pactionem concedunt; ſed ne quis hanc opinionem ut certam ſequatur, neve ſibi perſuadeat actionem lucri futuri, quod multipliciter impediri poteſt, æque iuſtam, certamque eſſe ut eſt illa ex omnium ſententia quæ datur ob damnum acceptum. Nam lucri ceſſantis actionem mutuam ſuam pecuniam dantibus negari apud Venetos Magiſtratus perſpicuum eſt; idque mihi Patricii Veneti non ſemel confirmarunt.*

IX. Tandem, ſi umquam caſus occurrere poſſet in quo licitum lucrum ceſſans re-

Digitized by Google

reputari deberet, ille profecto eſſet quem proponit S. Archipræſul Antoninus *II. Part. tit.* I. *cap.* VII. *§.* 15. his verbis. „ Quid, cum haberem pecuniam, & volebam ire ad nundinas, & ibi merces emere, & ad alium locum deferre, vel „ ſervare lucri cauſa, vel poſſeſſionem emere? Tu indiges pecunia illa. Recipis „ eam mutuo a me, offerens paratum te illam reſtituere cum lucro ſperato in „ termino, & loco: eſt ne uſura? Reſpondet INNOCENTIUS in *cap. fin. eod.* „ *tit.* dicens, quod, licet *QUIDAM contrarium dicant*, ipſe putat *hunc contra-* „ *ctum uſurarium*; nec ſcit ſic contrahentem excuſare. Hoſtienſis vero in cap. „ *Salubriter* dicit, quod talis eſt mihi obligatus ad intereſſe illius lucri quod fa- „ cturus eram veriſimiliter ex pecunia, dummodo nihil fiat in fraudem uſura- „ rum. IOANNES ANDREAS approbat dictum INNOCENTII. Et quod dici- „ tur de intereſſe, habet locum poſt moram debitoris; *& contrarium dicendo pa-* „ *raretur via aperta ad fenus*. Et hoc etiam placet IOANNI CALDERINO. „ Sed IOANNES DE LIGNANO dicit, quod *quamvis* COMMUNITER TE- „ NEATUR CUM INNOCENTIO, ne via fraudibus aperiatur, ipſe tamen „ credidit veram opinionem *Hoſtienſis*, dummodo fiat nil in fraudem. *Tutum ta-* „ *men eſt ab hoc abſtinere*. Laurentius de Ridulphis. Quod etiam dicit Hoſtien- „ ſis de lucro, videtur intelligendum, deducto etiam dubio lucri; cum ſcilicet „ potuiſſet etiam non lucrari, vel perdere. *Et ante factum* prohibendus eſt; poſt „ factum vero in foro conſcientiæ, ubi credendum eſt pro ſe, ſicut contra ſe, „ cum aſſerit ſine fraude feciſſe, *videtur poſſe tranſire*.. *Sed ſi extra caſum ne-* „ *ceſſitatis, & pietatis, precibus amici hoc facit, tunc eo ipſo convincitur, quod* „ *potius vult uti, ut uſurario, mutuo, quam in mercationibus, ut vero capitali:* „ *unde contractus erit uſurarius*. Sicut etiam ſi quis mutuaret alicui pecuniam „ cum pacto quod, ſi in termino conceſſo non reſtituit, ex tunc teneatur ad in- „ tereſſe probabilis lucri. Sed ſi hoc facit, quia credit illum non poſse in termi- „ no reddere, ut ſic inde lucretur, uſuram committit *art.* XIV. *quæſt.* III. *Pleri-* „ *que de reg. iur. cap. Certum eſt Lib. VI.* ſecus, ſi ſimpliciter facit, ad tollendam „ moram ſcilicet debitoris, & ſe conſervandum indemnem. *Sic etiam in propoſi-* „ *to. Si indigentia amici eſſet caſus extremæ neceſſitatis, vel quaſi, ita quod tene-* „ *retur ex præcepto hoc ſciens ad illi ſubveniendum, & dandum; tunc nihil de-* „ *bet expetere ultra capitale, cum multo magis teneatur ad mutuandum quam ad* „ *dandum in caſu huius neceſſitatis. Quia ergo homines ſe ipſos amantes, nimis* „ *ſe decipiunt in huiuſmodi; ideo potius ſecundum INNOCENTIUM ſunt diſ-* „ *ſuadendi iſti contractus quam admittendi, etiam cum piam haberent intentio-* „ *nem*.“

X. Quis nunc arguere iure poteſt ſeveritatis *conſilium* meum, quo ſuadeo doctrinam quam ſanctiſſimus, unaque doctiſſimus Pontifex INNOCENTIUS, quam S. Tho-

Digitized by Google

S. Thomas, Durandus, Scotus docent: quam *communem* in Eccleſia tempore Innocentii fuiſse teſtantur illi ipſi qui lucri ceſsantis titulo favent? Perpendenda ſunt ultima S. Antonini verba. Homines lucro inhiant: ſeipſos nimis amant: pietatis, & beneficentiæ fuco avaritiam tegunt, uſuram colorant. Quid? Si urget caritatis præceptum, gratis tradendum mutuum eſt. Quot ſunt qui hoc impleant præceptum? Quando conſilium dumtaxat mutuum ſuadet, abſtinere abſque peccato a mutuo vales. Deſine ergo mutuum dare, ut peccandi periculum declines. Quid te ad mutuum impellit? Caritas? Gratis ergo dandum. Lucrum poſtulas? Ut minus periculo fenerandi te exponis. Cur ſponte huic te committis periculo? Ut ſuccurras amico? At ſi ſubvenire amico negligis, immunis & a peccato, & a peccandi periculo es. Ergo apertiſſime ſtultus es, qui cum periculo æternum pereundi diſtrahere pecuniam tuam vis, quando abſque ullo peccandi periculo retinere in arca pecuniam tuam ſecure potes. Verum reipſa ſtultus non es; ſed manifeſtus fenerator: quia non amore ſubveniendi amico, ſed deſiderio lucrandi ex mutuo, mutuum tradis. Argumentatio iſthæc interiorem animi tui avaritiam, & uſuram evincit.

XI. Verum, ut omnem lectoribus meis anſam, quod ad me attinet, carpendi *conſilium* meum eripiam, lucri ceſſantis titulum probare volo, dummodo recenſitæ conditiones revera occurrant. Si quis vero caritatis zelo ſuccenſus erga pauperes, animo ſincero & chriſtiano iiſdem ſuccurrendi, excluſa omni cupiditate lucrandi, omittit emere parata prædia, promptas merces, atque adeo occaſionem moraliter præſentem lucrandi quatuor & ultra in centum, ut hanc pecuniam mutuam credat in præfatum finem, hic recipiat, me etiam auctore, moderatam acceſſionem. Quid a me amplius poſtulas? Verum quia in praxi me latet, hac ne caritate, & zelo quis ardeat; & e contrario manifeſtum eſt homines lucri cupiditate communiter accenſos eſſe: ideo in praxi vix alicui conſulerem ut petentibus mutuum, potiſſimum ad negotiationem, ad lucra captanda, traderent cum onere ſolvendi acceſſionem. Quiſque ergo animum ſuum conſulat, & penitius luſtret; ac ſi experiatur coram Deo ſe caritate moveri ad omittendum lucrum moraliter certum, quod ex pecunia negotiatoria captare poſſet, ut proximo ſubveniat; tum forte lucri ceſſantis titulo uti poterit. Solus ergo mutuator iudex in hac ſua cauſſa eſſe poteſt legitimus.

XII. Fuſius fortaſſe quam opus erat, *conſilium* meum manifeſtavi. Paucis nunc illud confirmo. Sententia damnans lucri ceſſantis titulum, tempore Pontificis INNOCENTII communis erat. Quid inde? Quid? Communis ergo fuit in Eccleſia ante Pontificem Innocentium præfata doctrina. Ergo doctrina hæc perpetua fuit in Eccleſia: quia nemo redarguit Pontificem Innocentium, quod quidquam innovaverit, dum hanc doctrinam propugnavit. Simili prorſus argumento

per-

perpetuitatem doctrinæ noſtræ propugnamus contra novatores Luthericos, & Calvinicos: & eodem nunc utimur in ea quam verſamus quæſtione. Opinio quæ ſtat pro lucro ceſſante, nova eſt. Conradus Sunhemart fere primus eam cum timore & pavore propugnavit, octo conditionum præſidio munitam. Conditiones iſtæ vix, ac ne vix quidem in praxi ſervantur; easque vel ignorant, vel earum intelligentiam non tenent mutuatores; immo ipſi Theologi in oppoſitos, erroneoſque ſenſus, ut vidimus, eas detorquent. Hanc opinionem aleæ plenam fatentur eiuſdem patroni; & graviores ab eadem abſtinendum ſuadent. Contra, doctrina quam nos ſuademus, tredecim & fere quatuordecim ſæculorum intervallo communis in Eccleſia fuit. Doctiſſimi Theologi etiamnum amplectuntur illam. Rurſus hæc tuta & ſecura a cuiuſque culpæ periculo eſt.

XIII. Ex quibus omnibus collige cautionem, & moderationem meam, dum doctrinam quam veram iudico, quia traditam a maioribus noſtris ſcio, tibi amplectendam conſulo; oppoſitam vero nec approbo, nec improbo; nemini tantum auctor eſſe volo ut me vade & ſponſore illam ad praxim deducat. Quod ſi poſt hæc omnia me nimii rigoris redarguere volueris, reponam quæ ſcribit P. Nicolaus Gennaro loc. cit. recog. 2. §. 2. ſub §. 2. num. 26. *Non me turbat aliquorum benignitatem, ut aiunt, ſed melius laxamenta dicerent, ſectantium cenſura, qua me auſterum appellent. O utinam hanc, immo maiorem auſteritatem atramento ceteri, & praecipue recentiores adiunxiſſent. Calamus chartam lineando tam amplam, & profundam voraginem uſurarum, quæ quamplurimos noſtris temporibus deglutit, non effodiſſet . . . Replicabis: Nemo te ſequetur. Reſpondeo: Nullam de hoc curam habeo. Non quæro aſſeclas, ſed veritatem inquiro. Non poſſum, nec debeo contra conſcientiam ſcribere in materia tam periculoſa. Rationes me convincunt. Contra rationes me convincentes non audeo docere, ne me convictum ante tribunal Chriſti de doctrina contra conſcientiam Satanas audeat accuſare. Si lector meas rationes conſiderando, velit meæ doctrinæ acquieſcere, acquieſcat; ſi tamen nolit, ſuæ eum opinioni relinquo: functus ſum officio meo.* Hactenus verus Dominicanus P. Magiſter Nicolaus Gennaro, Theologus valde celebris.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De peccato feneratoris mentalis, ſeu quænam ſpes lucri conſtituat uſuræ peccatum. Caietani, Serræ, Pradi, Molinæ, Tamburini, & aliorum opiniones periculi plenæ.

I. QUI mutuum tradit ea intentione, & ſpe, ut lucrum aſſequatur tamquam ſibi debitum, licet nullum pactum ſive tacitum, ſive expreſſum interveniat, uſuræ peccatum committit. Manifeſtus quippe eſt evangelicus textus: *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. Luculenta quoque eſt reſolutio Urbani Papæ III. cap. *Conſuluit* de uſur. ubi hæc habet. *Eum qui mutuat, alias non mutuaturus, eo propoſito, ut licet omni conventione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat, pro eiuſmodi mutui intentione iudicandum eſſe male agere, & efficaciter ad reſtitutionem inducendum.*

II. Uſura mentalis duplex. Altera, quæ intra mentem ſiſtit, omni actione exteriore ſecluſa. Hæc numquam onus reſtitutionis infert; ſicut qui furandi animum habet, ſi nihil reipſa furatur, nihil reſtituere debet. Mentalis, coniuncta cum exteriori officio, inducere onus reſtitutionis valet. Hæc mentalis uſura, quam actus exterior, puta acceſſio ſupra ſortem, comitatur, a reali diſtinguitur non penes rem exteriorem, ſed penes pactum. Realis quippe acceſſionem ſperat, & accipit acceſſionem ſupra ſortem ex pacto aut implicito, aut manifeſto. Mentalis vero acceſſionem hanc ſperat, & recipit, omni exteriori pacto ſublato.

III. Convenit penes omnes, mutuatorem uſuræ mentalis reum eſſe, ſi ſperat lucrum ex mutuo tamquam pretium debitum: & ſi illud re accipit, tenetur ad reſtitutionem. Contra, ſi mutuatarius intenderet reddere, ut pretium mutui, acceſſionem aliquam, committeret uſuræ mentalis peccatum; etiamſi mutuator intenderet illam accipere ut gratis donatam. Et tunc mutuator, prava intentione debitoris cognita, reſtituere id deberet in quo locupletior eſſet factus. Quando uterque pravo animo laborat, uterque peccatum uſuræ mentalis committit; & mutuator reſtituere acceptum aſtringitur. Denique quando mutuator intendit lucrum ex mutuo, dum debitor revera gratis illud donat, tenetur illud reſtituere, ſi ignorat voluntatem liberalis debitoris; ſecus ea cognita. In praxi, niſi evidentia occurrant argumenta iſtius liberæ gratuitæ donationis, præſumendum eſt coacte datum eſſe; & reſtitutioni aſtringendus creditor eſt. Quare ſi aliqua dubitatio

Digitized by Google

tatio oritur, ſit ne gratuita donatio, præſumendum eſt fuiſſe coactam: quia raro, & difficile homines gratis omnino dant: & in re adeo gravi, & periculoſa tutior pars amplectenda eſt. Probabiliſtæ docent, mutuatorem qui poſitive dubitat, ſit ne gratuita acceſſio, habetque in utramque partem rationes probabiles, poſſe licite retinere lucrum. Sed tu cave ab hac doctrina, quam alibi labefactavi. His poſitis, quæſtio proponitur.

IV. Quæſt. I. *Licet ne intendere, & ſperare aliquid ex mutuo?* Reſp. Attento evangelico textu, ſuperflua videtur quæſtio. Et tamen iuniores diſtinctiunculis, & argutationibus eam implicant. Primum omnium doctrina S. Thomæ, quam tradit 2. 2. *quæſt.* LXXVIII. *art.* 2. reſcribenda eſt. *Si vero accipiat aliquid huiuſmodi, non quaſi exigens, nec quaſi ex aliqua obligatione tacita, vel expreſſa, ſed ſicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam, antequam pecuniam mutuaſſet, licite poterat aliquod donum gratis accipere: nec peioris conditionis efficitur per hoc quod mutuavit. Recompenſationem vero eorum quæ pecunia non menſurantur, licet pro mutuo exigere; puta benevolentiam, & amorem eius qui mutuavit, vel aliquid huiuſmodi.*

V. Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* III. *punct.* 4. *num.* 33. ad verba S. Thomæ, *gratis accipere*, ex arbitrio adiiciunt, *& ſic ſperare*. Doctor ſanctus hoc verbum *ſperare* nec in toto hoc articulo, nec in tota Summa adhibet. Et cum ſignificatum valde amplificet, ideo additio omitti debet. Nam aliud eſt accipere, & aliud ſperare aliquod donum. Qui enim donum gratuitum ſponte oblatum accipit, quin illud ſperaverit, a quocumque uſuræ periculo immunis eſt. Qui vero illud & ſperat, & accipit, periculo uſuræ, ſub ſpe latitantis, eſt obnoxius. Non me latet, S. Thomam in *diſput. quæſt.* XIII. *de malo art.* 4. verbo *ſperare* uti; ſed ab eodem in Summa abſtinuit. Quæ non ideo dico, quaſi improbare quamcumque ſpem gratuiti muneris velim; ſed ut oſtendam, Angelicum Præceptorem caſtigatiori ſermone uſum eſſe in Summa quam in diſputatis.

VI. Ceterum quid ipſe ſentiam de hac intentione, & ſpe, breviter dico; & ad quæſitum reſpondeo, licitum eſſe cuilibet ſperare benevolentiam, & amicitiam. Quin ſi aliquis ideo mutuum traderet, ut benevolum, & amicum ſibi mutuatarium redderet, & hæc eſſet potiſſima mutui ratio, ab omni culpa eum liberum aſſero. Siquidem hæc gratuita beneficia eo pertinent ut mutua benevolentia, & amicitia foveatur. Neque hæc ſub nomine pecuniæ, vel pretii continetur.

VII. Quæſt. II. *Licet ne lucrum ſperare ex mutuo tamquam ex gratitudine debitum?* Reſp. Ut perſpicua reſponſio præbeatur, ob oculos ſemper habendus eſt evangelicus textus: *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. Conſideranda quoque eſt propoſitio damnata ab Innocentio XI. *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; ſed ſolum ſi exigatur tamquam ex iuſtitia debitum.* Hanc damnatam theſim propugnarunt plures iuniores, &

Digitized by Google

& nunc quoque extat in eorum operibus, quæ manibus omnium teruntur. Omnes fatentur, ſperare aliquid ex mutuo tamquam ex iuſtitia debitum, eſſe uſuram mentalem. Diſputatur tantum, ſit ne licitum ſperare lucrum ex benevolentia, vel ex gratitudine. Exigere aliquid tamquam ex gratitudine debitum, uſura eſt, ut ex propoſitione damnata conſtat. Ergo ſi illud ſperas, uſuram committis. Si enim vitioſa actio eſt, eiuſdem quoque ſpes mala ſit neceſſum eſt. Neque exigere ergo licet, neque ſperare aliquod lucrum tamquam ex gratitudine debitum. Verum ſicut licet aliquid accipere ex gratitudine ſponte oblatum, ita licet illud ſperare. Quoniam tum nihil ex mutuo ſperas, ſed tantum ex gratitudine: neque illud ſperas ut debitum, ſed tamquam libere donatum. De hac ſola ſpe loquitur S. Thomas in *diſp. loc. cit.*

VIII. Caietanus 2. 2. *quæſt.* LXXVIII. *art.* 2. quem ſequuntur Serra, Pradus, & plures alii iuniores, docet, non modo licitum eſſe habere hanc intentionem, & ſpem internam; ſed inſuper maniſeſtare te poſſe hanc intentionem, dicendo te ſperare opera amici, & beneficium mutuo factum remunerandum eſſe; dummodo ex pacto nulla exponatur obligatio. *Sed hæc doctrina* (inquiunt Salmanticenſes loc. cit. num. 34.) *non eſt coram avaris divulganda, ne inde anſam accipiant palliandi uſuras*. Coram avaris? An coram aliis? Doctrina hæc falſa eſt, & non coram avaris modo, verum etiam coram omnibus refellenda, tamquam textui evangelico oppoſita, & periculorum plena.

IX. P. Thomas Tamburinus ultra pergit *Lib. VIII. cap.* VIII. *§.* 2. *num.* 6. ubi inquit. *Ex dictis collige primo, licitum per ſe, & ſpeculative eſſe, mutuantem, etiam antequam mutuet, rogare, vel excitare mutuatarium, immo & cum illo paciſci, ut aliquid ſupra ſortem impertiatur ex mera liberalitate, & vere voluntarie: quia ſic nihil expectatur vi mutui. Ita Molina diſp.* CCV. Speculative offertur uſuræ pallium: poſt adiiciuntur aliquæ conditiones quibus ipſum pallium iterum obvolvitur. Infinitus eſſem, ſi referre omnia ſophiſmata vellem quibus Lugo, & Molina, a Tamburino citati, hanc ſpem lucrandi circumſepiunt. Dicunt, ſperari poſſe lucrum, non tamquam pretium, ſed tamquam conditionem; & alia ſimilia uſurarum pallia multiplicant, quæ prætereo, ut prolixitatem, quoad fieri poteſt, evitem.

X. Paucis ergo iuniorum doctrinam perſtringo. Communiter iſti docent, ſperari lucrum poſſe non ex mutuo, & tamquam iuſtitiæ pretium, ſed ex liberalitate, & benevolentia mutuatarii. Adduntque parum referre quod lucrum ſit cauſſa principalis, & impellens ad mutuum tradendum, vel minus principalis, & alliciens. Verum cum homines nimio ardore in lucrum abripiantur, dum lucrum iſtud eſt cauſſa princeps, & movens ad mutuum, præſcindere illi non ſolent ſpem lucrandi ex mutuo, a ſpe lucrandi ex liberalitate debitoris. Quare, miſſis ſpeculationibus, inhærendum eſt textui evangelico: *Mutuum date, nihil inde ſperan-*

rantes. Nec video qua ratione excuſari ab uſura mentali valeat in praxi, ſpectata corrupta hominis natura, qui ad mutuum dandum movetur propter lucrum tamquam propter cauſſam finalem. Tum enim ſi ceſſaret lucrum, ceſſaret mutuum. Verum habet, inquiunt. Sed lucrum ſperatur non ex mutuo, neque ex iuſtitia, ſed ex liberalitate donatarii. Eſto. Sed ſublata liberalitate hac ex gratitudine mutuum non datur. Ad praxim quod attinet, lucrum eſt quod movet, quod impellit mutuatorem. Et quamquam metaphyſice differat ſperare lucrum ex iuſtitia, vel ex mera liberalitate, & benevolentia; tamen in praxi reſpectu mutuatoris, lucro inhiantis, perinde fere eſt. Et quia nec nos, nec mutuatores ipſi diſcernere valent unam intentionem ab altera, dum principalis cauſſa mutui eſt lucri ſpes; ideo grave periculum eſt ſperare lucrum, quocumque ex capite proficiſcatur. Porro prudentis medici, & Theologi ne eſt proponere ut probabilem doctrinam, graviſſimo periculo obnoxiam?

XI. Mutuator itaque abſolute, & gratis mutuum tradat. Ita paratus ſit, ut ceſſante quacumque gratuita remuneratione, mutuum daret. Si hanc animi diſpoſitionem aliqua ſpes muneris gratuiti comitetur, non eſt uſuræ mentalis damnandus. Hæc eſt S. Thomæ doctrina. Ceterum ſi lucri ſpes eſſet cauſſa princeps, numquam in praxi illum ab uſura ego liberarem. Quid quod reipſa iuniores hanc ſpem periculi plenam fatentur? Diſſuadenda ergo, non vanis ratiunculis, & arbitrariis ſpeculationibus confirmanda. S. Raymundi præceptionem tranſcribo ex *Lib. II. cap. de uſuris §.* 4. ubi hæc habet. *Ideo hanc naturalem obligationem non poteſt creditor deducere in pactum expreſſum, vel ſaltem ſperare effectum ipſius obligationis naturalis: quia creditor nullo modo debet pactum apponere, nec principaliter ſpem, vel intentionem in tali retributione habere; ſed propter Deum, & ex caritate debet mutuare indigenti. Et tunc forte, ſi ſecundario ſperet quod ille debitor ſibi remutuet, vel aliquid ſimile, ſi opus fuerit, forte non eſt reprobandum.* Eadem eſt S. Thomæ doctrina. Nemo antiquorum dixit licitam eſſe ſpem cuius cauſſa princeps lucrum ſit. Cavendum ergo ab opinione Caietani, Molinæ, Lugo, Leſſii, Serræ, Tamburini, Viva, Sporer, & aliorum: quia eorum ſpeculatio implicandis, exagitandiſque conſcientiis unice in praxi deſervit. Ceterum mutuatarii qui ingrati ſunt mutuatoribus ſuis, qui, occaſione data, ſigna benevolentiæ, & liberalitatis exhibere negligunt, & ipſi improbandi. Siquidem propter ingratitudinem, & infidelitatem debitorum, accipientium mutuum, & avaritiam mutuatorum, caritatis officia exulant a Chriſtianis, & uſquequaque uſuræ, ac iniuſtitiæ graſſantur.

CA-

CAPUT XVII.

Falſa, & laxa eſt opinio Emanuelis Sa, Lugo, Tamburini, Tanneri, Sporer, La-Croix, Dianæ, & aliorum, qui docent, eum qui bona fide celebravit contractum uſurarium, qui poterat celebrare contractum juſtum, poſſe quod acquiſivit, retinere, etiam cognito poſtea uſuræ crimine.

I. QUæſtio propoſita non eſt ſpeculatrix, ſed practica, & frequentiſſima, inquiunt Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* III. *punct.* 5. *num.* 37. Explicandus eſt primo contractus. Caio tradis centum, mutuo, ex quo exigis acceſſionem ſupra ſortem. Manifeſtam uſuram committis. Pecuniam hanc poteras applicare vel ſocietati, vel emptioni, vel contractui aſſecurationis &c. Diſputatur, num ſi tu bona fide exigis uſuram, putans eſſe licitam, poſſis retinere tale lucrum feneratitium, cognitione habita quod reipſa ſit uſurarium. Adfirmant citati Theologi.

II. Cardinalis de Lugo *diſp.* XXV. *ſec.* 9. fuſe verſat hanc quæſtionem *num.* 180. & refert ſententiam P. Leonardi Leſſii, qui *Lib. II. cap.* XX. *dub.* 12. commemorat viros aliquos doctos, ſentientes id poſſe fieri: quam ſententiam ipſe dicit videri poſſe ſaltem habere locum in aliquibus caſibus. 1. ſi intendat lucrari omni meliori modo quo poteſt. 2. ſi intendat accipere lucrum eo modo quo conſuevit accipi a mercatoribus. 3. magis generaliter, ſi habeat animum lucrandi iuſto modo.

III. Alii, ſubdit Lugo, adhuc *magis generaliter ſententiam illam approbare videntur*. P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. cap.* VIII. *§.* 3. *num.* 21. poſt relatam probabilem opinionem Leſſii, dictis tribus terminis circumſcriptam, hæc ſcribit. *Immo Sa, Tannerus, de Lugo, Diana.... benignius loquuntur, & abſolute poſſe concedunt*. Nimium auſterus, & rigidus eſt P. Leſſius in limitanda opinione tribus præfatis conditionibus, quæ requirunt bonum animum *lucrandi iuſto modo*. Cardinalis de Lugo recitat verba Emanuelis Sa ver. *Uſura*, quæ ſunt eiuſmodi. *Qui fecit contractum uſurarium, bona fide credens iuſtum, poteſt tantum lucrum retinere, quantum acquiſiviſſet alioquin per contractum licitum*. Idem, ſubdit Lugo, docet Tannerus in 2. 2. *diſp.* IV. *quæſt.* VII. *dub.* 3. *num.* 99. Diana *tract. de contract. reſ.* 47. & eamdem propugnat ipſe Lugo ibidem.

IV. P. Patritius Sporer *tract.* VI. *cap.* IV. *ſec.* 4. *num.* 106. docet, id *probabiliſſime*

eſſe

Digitized by Google

eſſe licitum, ſaltem quando mutuans intendit, & exprimit ſe velle contrahere omni meliori modo. Ita late Leſſius.. Ita optime Lugo; vel abſolute ſine limitatione Emanuel Sa... Item Tannerus, & Diana.

V. Iſtorum rationes hæ ſunt. Qui bona fide contrahit, cenſetur habere animum ſaltem implicitum contrahendi, & lucrandi honeſto modo. Et ideo celebrat contractum uſurarium, quia exiſtimat licitum. Idcirco iudicandum eſt, illum velle ſaltem virtualiter quocumque modo licito lucrari. Nec requiritur expreſſus bonus animus, & aperta intentio celebrandi contractum iuſtum omni meliori modo, ut contendit Leſſius; ſed ſat eſt intentio virtualis, ut docent Sa, Tannerus, Lugo.

VI. Diana *Tom. VI. tract.* 111. *reſ.* 50. inquit: *Pulchra quæſtio, & ſæpius in praxi occurrens.* Defendit, tamquam probabilem, de more opinionem Emanuelis Sa, & citat etiam Sanctarellum. Deinde *reſol.* 51. narrat, ſe propugnaſſe hanc opinionem in *tract. de contract.* & lætabundus ſubdit, ſe *noviſſime inveniſſe, hanc ſententiam docere etiam Tannerum.* Poſt, reſcriptis rationibus Tanneri, pro laxa opinione concludit: *Ex quibus Confeſſarii multos ab onere reſtitutionis liberabunt.*

VII. P. Claudius La-Croix *Lib. III. part.* 2. *num.* 875. refert ſententiam Leſſii, Tamburini, & opiniones quas Tamburinus vocat benigniores, congerit, atque lectori proponit ut probabiles, aut probabiliores. Scribit ibi. *Hinc docent plurimi, ut notabimus num.* 924. *&* 1024. *poſſe in mutuo ad annum dato ſine uſura exigi* 4. *aut* 5. *in* 100. *non conſiderando, ſed ſupponendo adeſſe aliquem iuſtum titulum.* Subdit, Auctores laborare in aſſignando iuſto titulo: & multorum placita infarcit. Remittit lectores ad Leſſium, & Lugo, qui *materiam illam optime explicant.* Tandem concludit num. 877. *Tannerus de iuſt. diſ.* IV. *quæſt.* 111. *d.* 3. *putat adhuc aliter iuſtificari poſſe acceptionem* 5. *in* 100. *nempe per hoc quod ſit utilis Reipublicæ, a qua cum permittatur, cenſetur validari poteſtate dominii alti, quod Reſpublica habet in bona ſubditorum, qui etiam ad hoc inviti non ſunt. Favet huic explicationi Beſoldus in conſid. polit. Lib. I. cap.* V. *a. num.* 9. *Vindex Gobat ad propoſ.* 18. *num.* 25. *hunc titulum abſolute defendit pro Germania: impugnat quidem illud Vading. Sed huius argumenta conatur ſolvere Haunoldus t.* IX. *num.* 421.

VIII. Vindex ergo Gobat hunc titulum iuſtum eſſe pro Germania defendit? Et pro Italia, & pro Gallia, & pro Hiſpania? Quiſque propugnet ſua. Ita ne vero? Evangelicus textus, *Mutuum date, nihil inde ſperantes*, excipit ne Germaniam? Hanc doctrinam Tanneri, Haunoldi, Pichleri, Vindicis Gobat integra *quinta diſſertatione* in opere *de contract. trin.* ut falſam, & erroneam refelli. Vide ſupra *cap.* V. quæ ſcribit vel ipſe *Chemnitius Lutheranus* contra hanc laxam doctrinam.

IX. Recenſita opinio Sa, Tanneri, Lugo, Dianæ falſa eſt, & laxa. Conditiones

nes quas adiicit Leſſius, licet laxitatem temperent, probabilem tamen, ut ego quidem arbitror, opinionem non reddunt. Prima pars manifeſta eſt. Mutuator præfatus reipſa conſentit in contractum fenebrem. Eius habitualis diſpoſitio ad celebrandum contractum alium iuſtum hic & nunc inepta eſt: nihil in re ponit. Quod ſit recte diſpoſitus mutuator ad alium iuſtum ineundum contractum, non tollit quin reipſa conſentiat in uſuram, ut vocant, materialem. Sibi imputare mutuator debet, quod feneratitium contractum celebret, cum poſſet iuſtum celebrare. Eiuſdem bona fides excuſare illum valet a culpa, ſecus a reſtitutionis onere. Secunda pars quoque patet. Nam quod mutuator qui ex mutuo bona fide lucrum recipit, intendat omni meliori modo lucrari, non tollit quin actualiter conſentiat in contractum feneratitium. Animus iſte vagus erga aliquem iuſtum titulum chimæra eſt ineptiſſima ad lucrum feneratitium honeſtandum. Nam reipſa mutuator iſte nullum iuſtum titulum determinatum vult: quia hic & nunc nullum agnoſcit. Nihil autem volitum, niſi præcognitum. Vult ergo uſuram dumtaxat. Qui vendit bona fide ſupra iuſtum pretium, vel emit infra iuſtum, an, cognita veritate, retinere pretii exceſſum poteſt? Numquid iſte obtrudere alium contractum poteſt, vi cuius maius aſſecutus lucrum fuiſſet? Quid plura? Si hæc univerſalis, & indefinita intentio ſat eſſet ad honeſtandum lucrum fenebre, poſſet quoque honeſtare congreſſum fornicarium. Volunt homines agnoſcere mulierem omni meliori modo quo poſſunt; & ſub hac univerſali intentione, pioque animo cum eadem congrediuntur. Volunt ergo matrimonium? Coire ergo cum muliere poterunt ſola, aut virtuali, ut contendunt Sa, Tannerus, Lugo, Diana, Gibalinus, aut expreſſa intentione coeundi aliquo poſſibili modo licito? Non diffiteor, aliquam eſſe inter hæc duo diſparitatem. Ceterum verum etiam eſt plurima ſcelera tali intentione excuſari poſſe, ſemel admiſſo quod honeſtari uſura queat. Rurſus quæro a P. Leſſio, & ceteris adverſariis: quando mutuator adiicit præfatas clauſulas, quænam ſit cauſſa movens eiuſmodi additionis. Quia mutuator dubitat? Fenerator ergo eſt iuxta omnes. Non dubitat. Cur ergo illas adiicit? Cur contractum quem iuſtum iudicat, tot præſidiis munit? Iterum: notarii, & ſcribæ omnia ſua inſtrumenta roborare hac clauſula, *omni meliori modo*, ſolent. Si contractus, ſi teſtamentum reipſa nullum ſit, numquid clauſula adiecta validum reddit? Sed de hoc infra. Nolo prolixius refellere opinionem cuius & falſitas, & laxitas cuique, Probabiliſmi præiudiciis non occupato, patet. Legeſis quæ fuſe habentur *diſſert.* IV. *cap.* VI. adverſus contractum trinum. Sed iterum ſermo infra redibit contra has chimæras ſane inauditas contractuum implicitorum intentionalium.

CAPUT XVIII.

Cuinam debeantur fructus pignoris, traditi mutuatori in aſſecurationem ſortis. Quid de uſuris pupillaribus, & dotalibus?

I. DE fructibus pignoris, dati in aſſecurationem ſortis, diſſerit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxviii. *art.* 2. *ad* 6. & hæc decernit. *Si quis pro pecunia ſibi mutuata obliget rem aliquam, cuius uſus pretio æſtimari poteſt, debet uſum illius rei ille qui mutuavit, computare in reſtitutionem eius quod mutuavit: alioquin ſi uſum illius rei quaſi gratis ſibi ſuperaddi velit, idem eſt ac ſi pecuniam acciperet pro mutuo, quod eſt uſurarium: niſi forte eſſet talis res cuius uſus ſine pretio ſoleat concedi inter amicos; ſicut patet de libro accommodato.*

II. Angelicæ doctrinæ ſubſcribunt omnes: quia pignoris dominium manet penes mutuatarium. Res autem quælibet domino ſuo fructus parit. Immo tenetur mutuator compenſare etiam fructus quos ex ſua culpa lata non collegit. Si negligens fuerit in colendo agro, in locanda domo, quam in pignus accepit, recompenſare mutuatarium debebit.

III. Quæſt. I. *Licitum ne eſt pactum legis commiſſoriæ in pignorum traditione?* Reſp. Hoc pactum perperam lex vocatur; cum aliud non ſit quam conventio mutua inter partes, quatenus conveniunt ut pignus ſit mutuatoris, quando præfixo tempore ſors non reſtituitur: & ideo dicitur legis *commiſſoriæ*, quia ſi debitor non ſolvit, incidit in commiſſum; videlicet, rei ſuæ ius amittit. Illicitum eſſe hoc pactum leges decrevere, ut conſtat cod. *de pactis pignor.* cap. *Significante*: & fatentur omnes. Quoniam pignus communiter pretium ſortis mutuatitiæ excedit. Idcirco pactum fenebre præſumitur. Contra, ſi pignus eiuſdem omnino valoris eſſet ac debitum, tum nulla pollueretur pactum uſura. Hæc penes omnes certa ſunt. Iuniorum quidam defendunt, quod adiici conditio poſſit, ut pignus ſit creditoris, etiamſi pluris valeat pignus quam debitum, ſi debitor in mora ſolvendi fuerit; dummodo non ſit nimius exceſſus. Sed commentum iſtud iam ſupra profligavi.

IV. Quæſt. II. *Quid de uſuris pupillaribus, & dotalibus dicendum?* Reſp. Icti fuſe diſputant, ſeu potius implicant hanc quæſtionem. Uſuræ pupillares vocantur non illæ quas pupilli a mutuatariis exigere valent; ſed eæ quas tutores aut curatores ob fraudem in adminiſtranda pupillorum pecunia ſolvere debere contendunt aliqui; ut quando pupilli pecuniam in proprium commodum tutores convertunt;

Digitized by Google

tunt; aut quia præſatam pecuniam otioſam ſervarunt; aut quia pupillis non ſuccurrerunt neceſſitatis tempore, eorumdem pecuniam apud ſe retinentes. In his, & ſimilibus caſibus pupillis uſuras deberi decrevit ius civile, ut patet ex *leg. 38. de negot. geſt. leg. 34. ff. de adminiſtr. tut.* ICtorum aliqui contendunt, etiamnum leges iſtas obtinere in foro exteriori. Sed hæc opinio falſa eſt.

V. Reſpondeo igitur, ius civile, adiudicans pupillis, & viduis uſuras, abrogatum eſſe iure canonico, ſeu verius, ſemper iure divino, & naturali improbatum fuiſſe. Neque enim aliud Evangelium eſt pro pupillis, & viduis; aliud pro ceteris Chriſtianis. Niſi ergo adſit iuſtus titulus, nihil ex propria pecunia pupillis debetur.

VI. De fructibus pignoris dotalis Innocentius III. cap. *Salubriter* de uſuris hæc ſtatuit. *Sane generum ad fructus poſſeſſionum, quæ ſibi a ſocero ſunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in ſortem non credimus compellendum; cum frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonii ſupportanda.* Miſſis variis explicationibus, quibus textum hunc interpretantur Bannez, Tapia, Sotus, & alii, germanus ſenſus eſt, generum poſſe ſuſcipere fructus pignoris, quemadmodum fructus dotis. Dos ad onera matrimonii ſuſtinenda datur. Ergo iure gener, uſquedum dote caret, pignoris fructus percipit. Sicut enim ex iuſtitia debetur ei dos, ita debentur ei fructus dotis. Pignus ſupplet dotis vicem. Ergo quo iure ex dote, eodem ex pignore, dotis loco dato, percipere fructus valet. Spectandus tamen eſt contractus dotalis. Nam ſi mutua conventio fieret inter partes, ut pignus eſſet dumtaxat ad dotis ſecuritatem, tum fructus pignoris gener recipere non poſſet, ſed computandi in ſortem forent. Gener enim ſicut abſque dote ducere ſponſam valet, ita poteſt ad tempus remittere dotis fructus. Ne multa: ſpectandi ſunt contractus dotales, ſpectandumque, num ſint ad iuſtitiæ regulas celebrati. Quoniam, ut dixi, nullum eſt, vel eſſe poteſt privilegium vi cuius contractus dotales exempti ſint a lege divina, & naturali, uſuras omnes vetante. Si enim gener non præſtaret alimenta, nec ſuſtineret familiæ onera, nec domi ſuæ uxorem retineret; tum certe non poſſet pignoris fructus percipere.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Reſolvuntur plures quæſtiunculæ de pactis quæ mutuo adiici ſolent. Laxæ opiniones Tamburini, Laymani, Sporer, & aliorum refelluntur.

I. QUæſt. I. *An in pactum deduci poſſint amicitiæ, iniuriarum condonationes, & quæ ſunt debita vel ex caritate, vel ex religione, vel ex iuſtitia?* Reſp. Iam ſupra ex S. Thoma dictum eſt, tantum abeſſe ut pactum mutuæ amicitiæ, ſigna benevolentiæ, & grati animi, uſuræ labe mutuum polluant; quin mutui officium huc maxime pertinet ut amoris & benevolentiæ fœdere conſociet fidelium animos. Pactum quoque de iniuriis privatis condonandis mutuum uſura non inquinat: quoniam privatorum nemo ius habet ad privatam vindictam; ſed vi legis & naturalis, & evangelicæ quiſque remittere iniurias aſtringitur. Similiter qui mutuum tradit hoc pacto, ut omnia ſibi ex iuſtitia debita ſolvantur, ut iniuſtæ perſecutiones ſuſpendantur, nullius uſuræ reus eſt.

II. De iis quæ debita ſunt ex caritate, & religione, diſputant iuniores Theologi. Medicus ex caritate mederi, Advocatus pauperum cauſſis patrocinari, dives graviter indigenti ſuccurrere aſtringitur. Tu his mutuum das, pacto inito, ut hæc officia impleant. Te uſuræ reum damnant *Bonacina*, *Azorius*, *Reginaldus*, *Trullenchus*, *Salas*, quia novum gravamen iiſdem imponis. Siquidem quod ante mutuum ex ſola religione, poſt mutuum pacto circumſcriptum, ex iuſtitia præſtare aſtringuntur. Severitas profecto mirifica, quæ, cum innumeris fucis ab uſura purget lucrum mutuatoris, modo uſuræ arguit mutuatorem ipſum, qui nullum ſibi percipit commodum, ſed unice proximi bonum intendit. Dico itaque, ſi pactum ſincerum ſit, & unice bonum mutuatarii, vel proximi ſpectet, mutuatorem hunc ab omni uſura indemnem eſſe. Obligatio nova impoſita non cedit in utilitatem mutuatoris, ſed mutuatarii. Non eſt pretio æſtimabilis, & quæ ad pecuniam revocetur; ſed unice tendit in commodum debitoris, & proximorum utilitatem ſpectat. Unde ergo tanta conſcientiæ teneritudo, unde tanta ſeveritas in citatis iunioribus, qui tam amplas uſuræ habenas laxarunt? Si verentur ne ſub hoc ſpecioſo caritatis pallio includantur tacita pacta, quæ tandem in utilitatem mutuatoris recidant; nulla eſt diſputatio. Omnes tunc pacta eiuſmodi improbant, aut improbare debent.

III. Caute advertendum eſt, vel ſub ipſis amicitiæ pactis latitare uſuram poſſe. Nam ſæpe homines confundunt amorem amicitiæ cum amore concupiſcentiæ: & dum ſimulant, & ementiuntur amicitiam, quæ mutuum amorem tantum prodit, non

Digitized by Google

non amorem, ſed effectus amoris, nempe temporalia bona, quærunt. Ut has latebras declines, ab omni pacto abſtine, & abſolute mutuum trade, dum potes, & occaſiones poſtulant.

IV. Dixi, licitum eſſe pactum de condonatione privatæ iniuriæ, & vindictæ omittendæ: quia debitor ad id ex iuſtitia, & caritate aſtringitur. Contra autem dicendum, ſi mutuatarius ius habeat ad ſatisfactionem pro iniuria ſibi illata exigendam. Si a iudice pecuniæ mulcta condemnatus ſis ob iniuriam irrogatam, & mutuum dares cum pacto condonationis; fenerator proculdubio eſſes. Iniuria lædit honorem, & famam: cuius læſionem damna etiam temporalia conſequuntur. Contendunt aliqui, non fore uſuræ reum illum qui mutuum tradendo exigeret condonationem, non ex iuſtitia, ſed ex amicitia faciendam. Quoniam hæc titulo amicitiæ remitti, & condonari ſolet. Negant alii: quia titulus amicitiæ latebra eſt ſub qua uſura occultatur. Theologi aliqui ſæpe metaphyſicis ſpeculationibus indulgent, & quæ mente facile ſeiungi poſſunt, ut licita proponunt exequenda. Verum quo facilius mente hæ diſtinctiones concipiuntur, eo difficilius in prax contingunt. Heinc dum tecum benigni eſſe volunt, dum ſimilibus ſpeculationibus lucrum ab uſura ſeparant, communiter ſævi ſunt: quia pluribus laqueis conſcientiam tuam implicant, & involvunt. Ideo ab eiuſmodi pactis omnino abſtinendum eſt, cum vel ipſi adverſarii periculorum plena fateantur.

V. Quæſt. II. *Fenerator ne eſt qui mutuum dat, ut beneficium, vel officium, vel munus a lingua, ab obſequio, a manu aſſequatur?* Reſp. Conſueta diſtinctione utuntur plures recentiores. Si in pactum ducatur ut mutuatori beneficium, vel officium ex mera liberalitate, & *antidorali*, ut aiunt, gratitudine, & amicitia conferatur; nulla uſura eſt: ſecus, ſi pactum apponatur, ut ex iuſtitia remuneratio fiat. Sed hæc quoque diſtinctio, ut uſuræ pallium, reiicienda eſt, ut docet S. Thomas *Opuſ.* XXI. ad Duciſſam Brabantiæ. *Circa quod dicendum videtur, quod ſi pacto hoc mutuum dant ut officium accipiant, abſque dubio pactum eſt uſurarium quia pro mutuo accipiunt officii poteſtatem. Unde in hoc datis eis occaſionem peccandi, & ipſi tunc tenentur reſignare officio taliter acquiſito. Si tamen gratis officia dederitis, & poſt ab eis mutuum acceperitis, quod de ſuo officio poſſint recipere, hoc abſque omni peccato fieri poteſt.* Faceſſant ergo ſpeculationes, & gratuitum mutui beneficium ab eiuſmodi pactis liberum ſit.

VI. Ad alteram quæſiti partem reſpondet idem Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. LXXVIII. art. 2. ad 3. *Dicendum, quod ſi aliquis ex pecunia mutuata expectet, vel exigat, quaſi per obligationem pacti taciti, vel expreſſi, recompenſationem muneris ab obſequio, vel a lingua, perinde eſt ac ſi expectaret, vel exigeret munus a manu: quia utrumque pecunia æſtimari poteſt; ut patet in his qui locant operas ſuas, quas manu, vel lingua exercent. Si vero munus ab obſequio, vel a lingua non quaſi ex*

obligatione rei exhibetur, ſed ex benevolentia, quæ ſub æſtimationem pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expectare. Munus a *lingua* eſt allocutio ad Principem, ad Magnatem, laudibus efferre, & ſimilia. *Ab obſequio* caput denudare, peculiaria reverentiæ ſigna exhibere, comitari, ſalutare &c. *A manu* operas locare, laborare, inſervire, dona reipſa præbere.

VII. Diſputant Bonacina, & Trullenchus, num mutuum dare feminæ pacto, & intentione, ut ſui corporis copiam præbeat, fenus includat? Solita diſtinctione uſuram fucant. Si, inquiunt, eo ſpectat mutuum, ut dulce amicitiæ fœdus ineas, & media amicitia copulam obtineas; abeſt uſura. Contra, ſi mutuo recta copulam intendis, uſuræ reus es. Hanc quoque diſtinctionem ut ineptam reiicio.

VIII. Quæſt. III. *Qui mutuum dat cum pacto ut ad eius molendinum, officinam &c. mutuatarius accedat, fenerator ne eſt?* Reſp. Quidquid oneris imponitur mutuatario præter ſortem, quod pretio ſubiaceat, uſura eſt. Quare ſi ei mutuum tradas his pactis ut ad emendas in tua officina merces accedat, ut ad molendum frumentum tuum molendinum adeat, ut tuum agrum iuſto pretio emat, aut ut tuam domum conducat, vel ſuam tibi opportuno tempore indigenti remutuet, uſuram ſemper committis. Diſtinguunt etiam hic iuniores amicitiæ fœdus, & iuſtitiæ debitum. Immunis ab uſura es, inquiunt, ſi hæc tibi amicitiæ titulo præſtari intendas: feneratorem vero te eſſe fatentur, ſi ex iuſtitia hæc exigas. Sed repeto quod dixi, eiuſmodi diſtinctiunculas ſplendida eſſe uſurarum pallia: ideo non admittendas.

IX. Quæſt. IV. *Uſura ne committitur, quando duo mutua officia inter ſe exercent?* Reſp. Quando ſponte, & libere duo aliquid viciſſim ſibi præbent, nihil uſuræ redolet; immo illa mutuæ caritatis officia exercent quæ lex iubet. Item uſura non eſt, ſi dum ego tibi mutuam pecuniam trado, accipiam a te mutuo frumentum, vinum, aut aliam mercem, qua ego indigeo; dummodo id tibi detrimento non ſit, & nihil fraudis interveniat. Res clara eſt. Quia hæc ſunt mutua benevolentiæ, & communicationis officia: & congruum eſt ut dum ego tibi beneficium confero, tu mihi aliud, cum poſſis, impertias. Pacta tamen quæ obligationem inducant uni parti tantum, omnino vitanda ſunt. Præclare S. Thomas 2. 2. quæſt. lxxviii. art. 2. ad 4. *Et ideo licet ſimul mutuanti unum aliquid aliud mutuum recipere; non autem licet eum obligare ad mutuum in poſterum faciendum.* Recipere, inquit, non exigere: quia ſi exigis, debitum imponis, forte cum detrimento alterius.

X. Quæſt. V. *Licet ne mutuum dare cum pacto ut alter impoſterum remutuet?* Reſp. Licet quæſiti ſolutio ex iis quæ indicavi, pateat; tamen iuniores ad conſuetam diſtinctionem civilis, & antidoralis obligationis ſe recipiunt. *Angelus*, *San-*

rez,

nez, *Serra*, *Trullenchus*, *Aragon* docent, te nullam uſuram committere, ſi mutues, ut viciſſim alter remutuet, ut veniat ad tuum molendinum, ut agrum tuum iuſto pretio colat: dummodo, inquit P. Leonardus Leſſius *Lib. II. cap.* xx. *dub.* 8, *n.* 56. obligationem civilem non imponas, ſed ſolum obligationem gratitudinis Quam opinionem & falſam reputo, & in propoſitione damnata ab Innocentio XI. contineri exiſtimo. Sed adhuc laxius remittere habenas videtur P. Leſſius *ibidem num.* 61. ubi pactum ad obligationem civilem extendit, quando onus carendi pecunia tanto tempore par ſit civili obligationi impoſitæ. Laymanus *Lib. III. de iuſt. tract.* IV. *cap.* XVI. *de pactis & contract. num.* 3. aliam invexit diſtinctiunculam videlicet non eſſe uſuram, ſi obligatio remutuandi, accedendi ad tuam officinam, ad tuum molendinum imponatur tamquam *conditio ſine qua non*. Verum hæc omnia pallia ſunt fenoris, omniaque vitanda: gratis enim tradendum mutuum eſt. Quando onus aliquod pretio æſtimabile imponitur mutuatario reipſa ſubeundum, quid in praxi refert quod ſolvere illud debeat per modum *conditionis ſine qua non*, vel per modum obligationis *antidoralis*, vel civilis, quando revera ſolvere illud debeat? Reſolutio S. Thomæ perſpicua eſt. *Non autem licet eum obligare ad mutuum in poſterum faciendum*. Ne ergo otio abutar, uno verbo dico, omnia hæc, & ſimilia pacta prorſus abeſſe a mutuo debere. Heinc uſuram committis, ſi mutuum tradis ea conditione, ut mutuatarius in partem mutui recipiat quod tibi alius tertius debet, quodque ſine labore, & expenſis recuperare non vales. Item fenerator es, ſi mutuo tradis frumentum hoc loco, alibi cum gravamine mutuatarii reſtituendum. Quod ſi abſque incommodo debitoris id fieri poſſet, & cum commodo tuo, nulla eſſet uſura.

XI. Quæſt. VI. *Fenerator ne eſt mutuator qui obligat mutuatarium ad reddendam eamdem tritici, vini, olei &c. menſuram, ſi pretium auctum ſit?* Reſp. Quæſtio propoſita varios habere aſpectus poteſt, & formas. Primo convenit penes omnes quod licitum pactum ſit de reddenda eadem menſura, quantitate, & qualitate dictarum mercium, quando æque dubitatur, num minuendus, vel augendus valor ſit. Quia tunc æquale eſt commodum, & incommodum. Similiter quando bona fide mutuum traditur, nullo habito reſpectu ad augmentum, vel decrementum pretii, reſtituenda eſt eadem menſura. Mutuos tradidiſti decem modios tritici, urnas vini, vel olei tempore quo vilius erat pretium. Tot menſuras reddere mutuatarius debet, etiam ſi valor creverit. Et contra, ſi pretium decreverit, totidem, & non plures menſuras accipere mutuator tenetur. Ratio eſt, quia ſi pretii varietas ſpectetur, iam non mutuum, ſed venditio eſt. Traditur enim tum merx, ut pretium recipiatur. Natura autem mutui poſtulat ut tantumdem eiuſdem generis, ponderis, menſuræ, & qualitatis reſtituatur. Mutuo tibi menſe Ianuarii decem modios tritici, reddendos menſe Maii, quos in familiæ ſuſtentatio-

Digitized by Google

nem reſervavi. Tempore reſtitutionis frumentum pluris valet : reddere ergo mihi deberes v. g. novem : & tum ob mutuum detrimentum mihi emergeret. Si frumentum minoris valeret, deberes mihi reddere undecim : & tum ego ex mutuo lucrum perciperem; quod eſt uſura. Reſtituenda ergo eſt eadem menſura eiuſdem qualitatis, & quantitatis. Quoniam in eiuſmodi mercibus quæ uſu phyſice conſumuntur, non conſideratur valor extrinſecus, & moralis, ſed phyſica, & intrinſeca bonitas; adeoque ſervanda eſt menſura, numerus, & pondus. Multas congerunt tum ICti, tum Theologi quæſtiones quæ materiam implicant, non explicant; & propterea illas miſſas facio. Nam cum diſputant, utrum qui mutuum dat frumentum, ſervaturus in tempus maioris pretii, poſſit exigere hoc maius pretium; venditio eſt, non mutuatio. Nam dum eſt verum mutuum, nonne præfigere tempus vales ultra quod non differatur ſortis reſtitutio; licet non poſſis obligare debitorem ne antea reſtituat? Porro vel ante tempus reſtituit frumentum; & tu ſerva illud uſque ad tempus maioris pretii : vel reſtituit tempore præfixo maioris pretii; & tum vende illud : vel eſt moroſus, & regulis compenſationis cauſsa moræ ſubiectus debitor eſt. Evaneſcunt ergo quæſtiones illæ quas iuniores hac de re inſtituunt.

XII. Quæſt. VII. *In reſtitutione pecuniæ mutuatitiæ valor ne, an ſpecies conſideranda?* Reſp. mutuos tradidiſti centum aureos tempore quo ſinguli valent viginti iulii; tempore vero reſtitutionis valent viginti quatuor, aut duodeviginti. Innumeræ ſunt ſubtilitates quas ſuper hac quæſtione excogitarunt ICti. Communis Theologorum ſententia eſt, in reſtitutione pecuniæ mutuatitiæ, non ſpeciem, ſed pretium pecuniæ ſpectandum eſſe; atque adeo non monetam eiuſdem ſpeciei, ſed pretium quo valebat tempore traditionis, reſtituendum eſſe. Ratio eſt, quia quamquam in mutuo communiter tantumdem eiuſdem ſpeciei in numero, pondere, & menſura reſtituendum ſit; tamen pecunia excipitur, in qua non conſideratur eius phyſica ſpecies, ſed valor extrinſecus, qui non ab ipſa materia, ſed a Principis voluntate ſumitur. Hic enim valor conſtituit formaliter monetam in ratione monetæ, prout communi ſocietati, & commercio deſervit. Ergo quoties ſolvitur pretium quo tempore traditionis moneta conſtabat, iam reſtituitur mutuum in eadem ſpecie, ut ſic dicam, formali.

XIII. Hæc eadem ratio magis declaratur. Accepiſti mutuo quatuor tritici modios, vel vini, oleive urnas. Poſt acceptionem Princeps auget menſuras iſtas. Tu non debes reddere frumentum, vinum, oleum &c. quæ æquent menſuras auctas a Principe, ſed quæ æquent menſuras quas tu accepiſti; quemadmodum ſi diminutæ a Principe menſuræ eſſent, deberes reddere res mutuatitias æquantes menſuras priores. Eadem ergo ratione quando accepiſti mutuo centum aureos, quorum valor lege publica poſtea crevit, reddere haud debes centum aureos

reos in ſpecie, ſed pretium uodconſtabant aurei tempore acceptionis; ſicuti hoc idem pretium reſtituere aſtrictus eſſes, ſi pretium aureorum lege publica decreviſſet. Quæ omnia ex illo certo & inconcuſſo principio manant quod res mutuatitia tranſit in dominium mutuatarii, cui utpote domino creſcit, vel decreſcit.

XIV. Quando mutuator pactum apponit, ut eadem pecunia in ſpecie reddatur a mutuatario, ſervandæ ſunt regulæ generales. Si æquale ſit periculum incrementi, & decrementi; pactum licitum eſt. Si vero periculum non ſit æquale; fenebre pactum eſt. Qualitas pacti, & mens etiam contrahentium conſiderari debet. Si enim pactum ſolum ſpectet monetæ qualitatem, puta quod reſtituantur tales aurei; tum, aucto pretio, non totidem aurei reſtituendi eſſent, ſed dumtaxat quot ſatis ſunt ad æquandum valorem qui tempore acceptionis obtinebat. Si vero pactum comprehendit & qualitatem monetæ, & valorem; & periculum æquale ſit; totidem aurei in ſpecie reſtituendi ſunt. Si pactum comprehendat tantum & ſpeciem, & valorem, & incrementum, & decrementum monetæ; non vero futuram prohibitionem eiuſdem monetæ, quæ fieri a Principe poteſt: tum debitor, valore monetæ prohibito, deberet reddere aliam monetam tanti valoris, quanti illa quam accepit, erat. Quoniam hæc prohibitio non eſt ſub pacto comprehenſa. Verum difficultas hæc, & aliæ ſimiles quas verſant iuniores, nullius momenti ſunt. Quoniam communiter pactum ſit de illis monetis, nempe aureis, vel argenteis, quæ numquam a Principe reprobantur; ſed quarum valor tantum augetur, vel diminuitur. De ceteris monetis inferioribus, quæ interdum reprobari ſolent, vix ſit pactum, ut eædem in ſpecie reſtituantur. Addendum dumtaxat, feneratitium eſſe pactum quo aſtringeretur mutuatarius ut reſtitueret ſortem in moneta diverſæ ſpeciei: quia licet quacumque moneta æquante pretium acceptæ ſortis reſtituere ille poſſit; tamen ſi eum obliges ut hac potius quam alia moneta ſolvat, onus ei imponis pretio æſtimabile; quod eſt uſura.

XV. Quæſt. VIII. *Quid dicendum de mulierculis, quibus quinque in centum concedere videtur P. Tamburinus?* Reſp. Narrat P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. in Decal. cap.* VIII. *§. 3. n.* 28. doctiſſimum Theologum conceſſiſſe nobili viduæ ut decem pro centum in annum repeteret pro dato mutuo. Hanc ipſe opinionem improbat. Inſuper aliquo modo damnat aliam muliercularum novam negotiationem. Dant, inquit, unum vel alterum aureum cuipiam petenti, hac lege; ut ſingulis hebdomadis repetant duos tarenos, ſeu iulios, donec aureum integrum ſolvant; & inſuper alios tres, quatuorve iulios pro lucro. Damnat aliquo modo hanc negotiationem. Aliquo modo eam probat, nempe ſi adſit periculum ſortis, cui ſe exponunt mulierculæ. Quod periculum, ut iuſtum lucri titulum, cum aliis admittit. Sublato vero omni prorſus titulo, hanc improbat novam negotiationem *loc. cit.*

XVI.

Digitized by Google

XVI. Verum ibidem *§. 5. num.* 19. hæc in favorem nobilis viduæ, & mulierculaꝛum ſcribit. *Ex his collige primo, viduæ illi allatæ* §. 3. num. 28. *poſſe concedi, ſi vera eſſet doctrina numeri ſecundi hactenus expenſa, quinque pro centum; nempe propter bonam fidem iudicare poſſumus eam celebraturam fuiſſe contractum hunc promiſſionis, non repetendi* &c. Viden', quam facile ſit remedium purgandi lucrum ab uſura? Promiſſio non repetendi mutuum per annum unum aut alterum, iuſtus titulus eſt purgans lucrum ab uſura? Tempus breve, inquit Tamburinus *ibid. num.* 11. puta unius hebdomadæ, vel menſis, plus minuſve, eſt imbibitum in mutuo: & ob promiſſionem non repetendæ ſortis intra tempus adeo breve non licet exigere lucrum. At ſi tempus ſit longius, tunc eſt extrinſecum, ut docet Baunius, mutuo; & tunc evadit titulus iuſtus lucrandi, dum mutuator ſe obligat ad non repetendam ſortem. *Hinc collige ſecundo* (ſubdit Tamburinus) *cur mulierculis illis allatis eodem* §. *num.* 30. *negandum ſit quidpiam lucri percipere*. Quia unus aureus ad rationem quinque pro centum vix unum obulum potuiſſet *ex hoc titulo promiſſionis parere* in anno. Et tamen avariſſimæ illæ mulierculæ repetebant aliquos iulios, *nec poſt annum, ſed poſt hebdomadas*. Malum! Hoc eſt fenus immaniſſimum, inquit Tamburinus ipſe. Si vero promiſſio non repetendæ ſortis eſſet per annum, per duos, per tres, per decem, per viginti annos, per totam vitam; lucrum quinque pro centum in annos ſingulos eſſet iuſtum, & ab uſuræ labe intaminatum: & ſic nobiles viduæ, & mulierculæ, quæ ire ad nundinas nequeunt, habent modum lucrandi ex mutuo, & conſtituendi ſibi annuos reditus, medio fundo pecuniæ mutuatitiæ. Obligatio ſola non repetendæ ſortis infra unum, vel plures annos, ſat eſt ad illas eximendas ab evangelicæ legis iugo: *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. Hæc obiter, ut animadvertas, quam caute legendi ſint libri qui non raro ſimilia docent.

XVII. Ad quæſitum reſpondeo, perſonarum conditionem non infringere evangelicam legem adverſus uſuras. Ab hac nec pupilli, nec viduæ nobiles, nec virgines nobiles, nec homines pauperrimi, nec mercatores exempti ſunt. Ob oculos revocandum eſt teſtimonium S. Auguſtini in Pſalmum cxxviii. quod alibi retuli. *Audent feneratores dicere: Non habeo aliud unde vivam. Et hoc latro mihi diceret, deprehenſus in fauce: hoc & effractor diceret, deprehenſus circa parietem alienum: hoc mihi & leno diceret, emens puellas ad proſtitutionem: hoc & maleficus, incantans mala, & vendens malitiam ſuam. Quidquid tale prohibere conaremur, reſponderent omnes: quia non haberent unde viverent, quia inde ſe paſcerent: quaſi non hoc ipſum in illis maxime puniendum eſt, quia artem nequitiæ delegerunt, unde vitam tranſigant; & inde ſe volunt paſcere unde offendant eum a quo omnes paſcuntur*. Simile ſophiſma, a neceſſitate petitum, ſibi opponit Tertullianus *Lib. de corona militis cap.* xi. ubi hæc reponit. *Non admittit ſtatus fidei neceſſitates. Nulla eſt ne-*

neceſſitas delinquendi, quibus una eſt neceſſitas non delinquendi. Nam ad ſacrificandum, & directo negandum neceſſitate quis premitur tormentorum, ſive pœnarum; tamen nec illi neceſſitati diſciplina connivet. Quia potius eſt neceſſitas timendæ negationis, & obeundi martyrii, quam evadendæ paſſionis, & implendii officii. Ceterum ſubvertit omnem ſubſtantiam ſacramenti cauſatio huiuſmodi, ut etiam voluntariis delictis fibulam laxet.

XVIII. Quæſt. IX. *Quid de de mutuo locorum piorum?* Reſp. Loca pia quæ vulgo appellantur Congregationes, Confraternitates &c. & etiam Monaſteria, præcipue Monialium, quæ laicorum regimini ſubditæ ſunt, ſæpe habent peculia vel ex reditibus, vel ex piis legatis. Aliquis ex confratribus Congregationis, aut ex curatoribus, ſeu procuratoribus Monaſterii, accipit peculium iſtud, aut partem, & proventum in annum ſolvit, ſi tamen ſolvit. Uſura ne hæc eſt? Quis ambigere poteſt? Nam nulla neceſſitas, neque operis pietas honeſtare uſuram valet. Nec eſt quod Conciliorum auctoritates, vel rationes promam; cum res manifeſta ſit. Neque pro redimendo captivo ab infidelium tyrrannide conceſſit Alexander III. lucrum ex mutuo.

XIX. Quæſt. X. *Probabilis ne eſt opinio Tamburini, qui non committi uſuram docet, dum mutuatarius in fideiuſſorem elegit mutuatorem?* Reſp. Quæſtiunculam hanc proponit P. Thomas Tamburinus *Lib. IX. tract. 1. cap. 11. §. 2. num. 6.* Item Lugo *diſp.* XXV. *ſec. 6 num. 61.* Contendit Tamburinus cum aliis, fideiuſſionem titulum eſſe pretio æſtimabilem. Et ſicut mutuatarius poteſt eligere tertium pro fideiuſſore, ita & ipſum mutuatorem; & ſicut tertio pro fideiuſſione, ita & mutuatori ſolvere pretium valet. Ut quo procedit iſtius opinionis laxitas, teneas, duo præmitto. Primum. Si mutuator amittit lucrum ceſſans, aut damnum emergens patitur; poteſt, inquiunt, compenſationem exigere, ſputa ſex, decem, plus minuſve, iuxta varias circumſtantias: deinde pretium recipere, quemadmodum reciperet tertius, pro fideiuſſione. Similes uſuræ, quæ alicubi inter non paucos ſerpunt, vix graſſantur apud Iudæos. Secundum. Fideiuſſionem ad mutui, vel præſtiti beneficii rationem revocant communiter graviores ICti, & Theologi. Fideiuſſionem, & aſſecurationem multi confundunt ob proximam affinitatem; cum fideiuſſio ſit quædam aſſecuratio, & aſſecuratio quædam fideiuſſio. Sed revera diſcrepant, & quidem valde. Nam aſſecurator ſortis periculum in ſe ſuſcipit, & pretium paciſcitur. Sorte naufragio, furto, incendio ſublata, pretium ſolvere aſſecurator tenetur creditori. Fideiuſſor periculum dumtaxat quod eſt apud mutuatarium, ſuſcipit, quatenus ſi mutuatarius aut impotentia, aut infidelitate ſortem non reſtituat, ipſe reddere tenetur; at actionem retinet in mutuatarium, quem ad compenſandu, ſiui ſit ſolvendo, cogere iure valet. Verum aſſecurator ſortis iacturam compenſare aſtringitur, nulla retenta actione in creditorem. Aſſecurator ergo ſuſcipit periculum extrinſecum, ſeu *iuris*; fideiuſſor ſuſcipit periculum intrinſecum, ſeu *facti*.

XX.

Digitized by Google

XX. His poſitis, evinco improbabilitatem opinionis Tamburini, & Lugo. Dum Titius mutuum dat Caio centum, & pro eodem fideiuſſoris officium præſtat, reipſa nullum onus ſuſcipit quod mutuo non cohæreat, & non ſit eidem inſitum. Nam cum mutuator fideiubet pro mutuatario, periculum ſortis ſuſcipit, quod eſt penes mutuatarium. Sed hoc periculum eſt intrinſecum mutuo. Ergo nihil ſuſcipit quod non ſit mutuo inſitum. Clarius rem explico. Si mutuatarius fideiuberet pro ſe apud mutuatorem, ſuſciperet ne aliquod novum onus Si mutuatarius fideiuſſorem ſe pro ſeipſo exiberet mutuatori, nonne ridiculum, & ſtultum ſe proderet? Ergo non minus ridicula, & ſtultitiæ plena eſt fideiuſſio quam ſibi ipſi præſtat mutuator pro mutuatario. Nam hæc fideiuſſio mutuatoris, ſibi præſtita pro mutuatario, nullam omnino maiorem ſecuritatem adiicit quam ſi abeſſet. Numquid hæc fideiuſſio magis fidelem, magis divitem efficit mutuatarium? Numquid mutuator poſt hanc ſuam fideiuſſionem, indemnis eſt a periculo vel infidelitatis, vel inopiæ, vel impotentiæ mutuatarii? Nec eſt quod opponas paritatem aſſecurationis, ut iſtius chimæricæ fideiuſſionis vanitatem tegas. Quoniam, ut dixi, dum mutuator onus aſſecuratoris ſuſcipit, pacto pretio, ſorte deperdita, liberatur mutuatarius ab ea ſolvenda. Quare, niſi alia obſtarent, contractus aleæ eſſet; & æqualis conditio commodi & incommodi inter aſſecuratorem & aſſecuratarium, ut ſic claritatis gratia loquar. At in caſu noſtro, ſorte pereunte, non liberatur mutuatarius ab ea ſolvenda mutuatori fideiuſsori. De hac vero fideiuſſione loqui Tamburinum evidens eſt. Nam de illa fideiuſſione loquitur quam Covarruvias, laudatus a Tamburino ibidem, docet contra Navarrum eſse gratuitum officium, pro quo nullum exigi pretium poſſit. Probatum ergo evidenter remanet, hanc fideiuſſionem mutuatoris ſibi præſtitam pro mutuatario eſse feſtivam chimæram, quæ ſub eodem omnino periculo relinquit mutuatorem, & eidem oneri obnoxium mutuatarium.

XXI. Quæſt. XI. *Probabilis ne eſt opinio quam defendit Lugo, inquiens, fideiuſſionem fictam purgare lucrum ab uſura?* Reſp. Implexa eſt quæſtiuncula propoſita, & ſubtiliſſima. Ne in eiuſdem expoſitione errem, lubet eam tranſcribere verbis P. Claudii La-Croix, qui *Lib. III. part.* 11. *num.* 890. ſic illam proponit.
„ Immo Lugo *num.* 62. & Tamburinus *num.* 4. putant, ſi *Titius* a te petat mu-
„ tuum, & tu des mutuum *Caio*, petaſque ut *Caius* mutuet *Titio*, tu autem
„ te *Caio* ſtatuas fideiuſsorem pro *Titio*, te poſse ideo aliquid accipere a *Titio* "
„ quia pro illo ſubis onus ad quod non tenebaris ex vi mutui *Caio* dati, Sed hic
„ eſt ſaltem periculum uſuræ palliatæ, uti per ſe patet. "

XXII. Mutuum iſtud *circulatorium* vocare poſsumus: quia per circuitum gyrat, ut mutuatarium, quin advertat, in uſuræ laqueum detrudat. Audiamus ipſum Lugo, qui *diſp.* XXV. *ſect.* 6. *num.* 62. hoc inauditum genus mutui ſic nobis

ex-

explicat aliquo modo clarius quam P. La-Croix. „ Petes ſecundo, an detur uſura „ in *fideiuſſione ficta*. V. g. *Petrus* petit a te mutuum. Tu dicis : Nolo tibi mu- „ tuare, ſed *Paulo*, qui poſtea mutuabit tibi. *Paulus* mutuat *Petro* id quod a te „ mutuo accepit, & vult te fideiubere pro *Petro*. Tu fideiubes, & pro fideiuſ- „ ſione pretium exigis a Petro, quod iam ultra ſortem lucraris. Dicitur autem „ hæc *fideiuſſio ficta* : quia revera non te obligas ad ſolvendum *Paulo*, licet *Pe-* „ *trus* non ſolvat; cum *Paulus* tantumdem tibi debeat. "

XXIII. Hæ ſunt quæſtiones quas ignorarunt Patres, quaſque verſant, ut phraſi utar P. Reginaldi, Doctores temporum. Nonne ſola expoſitio faſtidium, & indignationem excitat? Tot excogitantur circuitiones, tot ambages, tot cuniculi, ut graviſſima chriſtianæ Moralis lex circumveniatur, & hæreticorum cachinnis propinetur. Vis dare mutuum *Petro* petenti; ſed, ut lucrum aſsequaris abſque uſura, hoc mutuum debet pervenire ad manus *Pauli*; deinde a manibus *Pauli* pergere ad manus *Petri*, ut hoc longo circuitu fæcem uſuræ exuat lucrum quod hinc captare anhelas. Fatetur ipſe Lugo, S. Antoninum, Sylveſtrum, & alios apud *Salas* improbare ut fenebre lucrum iſtud. Subdit, Navarrum, Salonium, & *Salas* defendere in tali contractu iniuſtitiam reperiri, non uſuram. Verum ipſe concludit, nullam adeſse iniuſtitiam, neque uſuram, ſi fideiuſſio pro Petro ſit revera periculoſa. Periculoſa autem ſemper eſt : quia periculum plus minuſve ſemper inſitum mutuo eſt. Hæc fideiuſſio peior eſt illa quam quæſtione præcedenti reieci, ut ridiculariam, & commentitiam. Simplex illa; hæc ficta, verſuta, & fraudulenta. Tota hæc artificioſa machinatio eo tandem recidit, ut Petrus mutuatarius ſolvat tibi mutuatori quinque præter propter in centum pro mutuo. Quocumque te vertas, uſuram declinare nequis. Quoniam fideiuſſio pro mutuatario, ſive Petro, ſive Paulo, ſive Caio, ſive Mævio, reſpicit dumtaxat periculum facti mutuo intrinſecum. Idcirco, ſi lucrum perceptum ex mutuo uſurarium eſt, feneratitium quoque eſt lucrum exactum pro fideiuſſione mutui. Nec in re manifeſte uſuraria, & fictitia explodenda immorandum diutius eſt.

XXIV. Quæſt. XII. *Probabilis ne eſt opinio Layman, & Sporer, qui mutuatori, accipienti pignus a mutuatario, ſimul lucrum concedunt?* Reſp. P. Paulus Layman *Lib. III. tract.* IV. *cap.* XVI. *num.* II. hanc quæſtiunculam, ſeu caſum proponit his verbis. „ Civis maiore anni parte pecunias paratas habet, ex quibus in- „ digentibus opificibus, præſertim textoribus, mutuum dare poſſit, *relicto ipſi in* „ *ſecuritatem ſolutionis pignore, v. g. tela*. Cum autem, recepto pignore, ſolutio „ facienda eſt, poſt annum medium in ſingulos florenos mutuo datos auctarium „ adiiciendum eſt, v. g. unus *pazius*. Conſiderandum enim eſt, auctarium iſtud „ non accipi ratione mutui, ſed ratione obligationis, oneris, ac curæ quam ci-

„ vis

„ vis ille ob gratiam textorum in ſe ſuſcipit, ut toto ferme anno pecunias pro „ illis in promptu habeat, quocumque tempore in domum ſuam adventantes „ intromittat, *pecunias numeret* &c. quæ obligatio pretio æſtimabilis eſt. "

XXV. P. Patritius Sporer *tractat. VI. cap. IV. ſect. 2. §. 2. num. 39.* hanc opinionem Laymani adoptat; immo pro eadem citat Molinam, aitque eſſe communem. Tamburinus, ut vidimus ſupra, eam defendit *Lib. IX. cap. III. §. 2. num. 5.* Admiſſa P. Pauli Layman opinione, nemo tam immunis ab uſura quam publici, & indefeſſi feneratores. Nam non *anno medio*, non *toto ferme anno*, ſed decem, viginti, quadraginta annis, & tota ferme vita paratas pecunias tenent, non pro textoribus modo, verum etiam pro omnibus indigentibus. Quin iſti exigere pignus non ſolent; ſed alicui ſe exponunt periculo. Libenter ſuſcipiunt omnes *in domum ſuam adventantes*, *pecunias numerant* &c. Quidni ergo exigere pro ſingulis florenis unum *pazium*, pro ſingulis ſcutis duos *pazios*, pro ſingulis duplionibus ſex *pazios* poterunt? Ubi ergo uſura in mundo? *Telam* opificum in pignus accipiunt cives Germani, & ſimul *paziorum* auctarium exigunt? Si hæc uſura non eſt, quænam erit? At recipiunt acceſſionem, non mutui vi, ſed quod ſe obligent ad mutuum tradendum, & ob onus excipiendi in domos ſuas adventantes, & numerandi pecuniam, & cuſtodiendi pignus *telæ*. An hæc omnia, & maiora non præſtant publici feneratores omnes? Fuerunt ne ab orbe condito feneratores qui pecunias mutuo traditas non numeraverint, qui paratos non ſe præbuerint ad excipiendos adventantes in domos ſuas?

XXVI. Reſpondeo itaque, hanc Laymani, Sporerii, Tamburini opinionem non modo improbabilem, falſamque eſſe, ſed præter modum laxam, quæ de mundo aufert uſuras omnes. Scandalum patiuntur vel ipſi quaſi avari, dum audiunt aliquos feneratores ita efferatos, ut cum *pignore in manu* lucrum exigant. Oſtendenda autem opinionis falſitas. Obligatio mutuandi, extrinſecus impoſita, onus eſt pretio æſtimabile. Quamobrem diximus eum qui mutuum dat, uſuram committere, ſi mutuatatio onus remutuandi imponat. Contra, obligatio mutui tradendi, ſpontanee & ultronee ſuſcepta, omni pretio caret. Hæc propoſitio aut evidens eſt; aut nulla uſura occurrit. Onus alicui impoſitum vendendi tales merces ad ſe accedentibus, pretio dignum eſt. Si ſponte illud ſuſcipit, pretio caret. Alioquin qui ſe ſponte offerunt ad vendendos vitulos, carnes, oleum, vinum, frumentum, & alias merces Collegiis, Univerſitatibus, Monaſteriis, & ceteris omnibus, vendere carius iuſto pretio poſſent: quod nemo hactenus aſſeruit. Ergo onus mutui tradendi, ſponte libereque ſuſceptum, pretio caret. Qui enim ultronee & libere aliquod onus ſuſcipit, gratis illud ſuſcipere debet: alioquin omnes avari, omnes feneratores poſſent ultronee onera vendendi, fenerandi, emendi ſuſcipere; & vi iſtius tituli ſponte ſuſcepti rerum pretia augere, vel di-

Digitized by Google

diminuere, mutuationes lucratorias efficere, & univerſam legem, ac præcepta pervertere, corrumpere, depravare. Evidens itaque eſt obligationem mutuandi libere & ultronee ſuſceptam, omni carere pretio. Altera propoſitio non minus evidens eſt, cives Germanos, de quibus loquuntur PP. Layman, & Sporer, ſponte ſuſcipere onus opificibus mutui tradendi, iiſdem numerandi pecunias, eoſdem adventantes in proprias domos excipiendi, & *telam* in pignus acceptam cuſtodiendi: id fatentur adverſarii. Ergo evidens quoque eſt conſequentia, videlicet acceſſionem *paziorum* ſupra ſortem eſſe uſurariam.

XXVII. Duo effugia quæ ibidem indicat Layman, vana ſunt, & futilia. Primum, quod in *montibus pietatis* exigitur acceſſio ſupra ſortem. Nam non pro onere, & obligatione mutuandi, ſed pro debito alendi miniſtros, acceſſio ſupra ſortem exigitur. Dum P. Layman uſuram hanc Germanorum manifeſtam fucare *montium pietatis* conſuetudine, in Concilio Lateranenſi probata, contendit, invidiam ſummam iiſdem ſacris montibus, & ipſi Concilio Lateranenſi inadvertenter conflat. De ſacris his montibus dicam infra, ubi evidentius patebit paritatis vanitas.

XXVIII. Alterum effugium non minus ineptum eſt. Subdit enim P. Layman loc. cit. *Deinde addi poteſt, lucrandi illam rationem defendi poſſe titulo ſocietatis cum annexo pacto aſſecurationis*. Prætereo modo, hanc ſocietatem chimæricam eſſe, & monſtroſam, damnatam a Sixto V. ut quatuor integris diſſertationibus palam feci. Hoc, inquam, nunc prætereo, & dico, etiam admiſſo hoc trino contractu etiam implicito, non poſſe P. Layman hunc trinum contractum in uſuræ Germanicæ pallium advocare. Quandoquidem ideo hic trinus contractus ſecundum Layman, & omnes eiuſdem propugnatores iuſtus, licituſque eſt, quia principali contractui ſocietatis adiicitur contractus alius aſſecurationis, quo unus ſociorum periculum capitalis ſuſcipit, & mercedem recipit. At in caſu præfatæ negotiationis Germanicæ nullus eſt huic aſſecurationis contractui locus. Cur? Quia mutuatores *telæ pignus* recipiunt. Quid? Capitale pignore munitum eſt & ſalvum: & inſuper aſſecurationem talis capitalis quæres? Si clamamus, hæc ridicularia, feſtiva, & incredibilia paradoxa eſſe; an non iure meritoque clamamus? Quod ſubdit P. Sporer, mutuationem hanc Germanicam reduci poſſe ad contractum innominatum, *Do, ut des*, non eſt minus acutum, & lepidum. Mutuo uſurario cuilibet ineſt contractus iſte, *Do, ut des*: do pecuniam mutuam, ut des acceſſionem ſupra ſortem: ſuſcipio onus fenerandi, ſeu mutui tradendi, ut tu des compenſationem acceſſionis ſupra ſortem. Non eſt quod pluribus convellam hoc paradoxon, videlicet quod obligatio mutuandi ſponte ſuſcepta, & a iunioribus Probabiliſtis excogitata, ſit titulus purgandi lucrum ab uſura: quoniam ſupra penitus illud labefactavi.

XXIX.

Digitized by Google

XIX. Alias quæſtiunculas ad criticen revocare poſſem. Innumeras enim iuniores commenti ſunt. Sed tempus, & charta me deficerent, ſi expendere omnes vellem. Excuſanda eſt bona iuniorum Theologorum intentio. Viderunt illi in propriis regionibus, Tamburinus in Sicilia, Layman, & Sporer in Germania, eiuſmodi negotiationes invectas, conſuetudine roboratas, populorum multitudine vallatas. Auſi illi non ſunt patrias damnare conſuetudines, & contractus diu obtinentes reiicere. Sed quod altius eos perterrefecit, ſequens eſt ratiocinium. Si contractus illos fenebres declaramus, innumeri populi damnantur. Nam ex una parte ſperare minime poſſumus fore ut iſti ab hac inveterata conſuetudine negotiandi abſtineant. Ex alia parte bona fide hos contractus ineunt, & conſcientia placida atque tranquilla. Si feneratitios eoſdem declaramus, bonam fidem tollimus, conſcientiam peccandi excitamus, & tandem infinitam gentem in orcum æternum detrudimus. Invenienda ergo eſt doctrina, & ex vaſto fundo ſaltem probabiliſmi expiſcanda diſtinctio aliqua eſt, qua eiuſmodi contractus ab uſura purgentur. Centies P. Diana hæc ratiocinia inculcat Confeſſariis, ut *bis monitis tollant peccata mundi*. Igitur iuniores bono zelo ſalvandi animas laxas opiniones commenti ſunt. Pia illorum deſideria laudanda, commendandus eorum zelus. At ſi falſæ ſint opiniones, ſi uſuram reipſa populi perpetrent, neque pia deſideria Theologorum, ut inquit Auguſtinus, nec laxæ opiniones, nec error, quia publicus, inquit Cyprianus, animas inferno ſubtrahunt. Hæc ideo dicta ſunt, ut intelligant lectores, me non contra perſonas, ut millies dixi, ſed contra opiniones quas falſas, & erroneas reputo, ſtilum armare, vocis ſonitum occaſione data exaltare. Lex evangelica urget ut excitem torpentes, & opinionum illicio faſcinatos dedoceam, atque ad veritatem amplectendam exhorter. Si me errare contigerit, ut ſæpe fortaſſis continget, eadem me menſura metiantur poſteri qua ego menſus ſum alios.

CAPUT XX.

De montibus pietatis.

I. PAuca de his ſacris montibus, qui alio nomine vocantur *montes Chriſti*, vel *depoſita apoſtolica*, delibabo. *Mons pietatis* ſumma pecuniæ eſt, ex piorum fidelium eleemoſynis in pauperum levamen, & ſubſidium collata, ut iiſdem indigentibus mutuo tradatur, pignore depoſito, & acceſſionis contributione, qua miniſtri alantur. Hæc montium origo primum Peruſii anno 1464. obtinuit. Ideo dicuntur *pietatis*, quia, ut pauperes Iudæorum uſuris mordentibus ſubducerentur, pii fideles, ſacrorum Concionatorum, potiſſimum inclyti Ordinis Minorum, zelo

ex-

Digitized by Google

excitati, ſummam pecuniæ contulerunt; a publicis miniſtris iiſdem pauperibus præfato modo diſtribuendam. Alii ſucceſſu temporis inſtituti ſunt montes, partim ex eleemoſynis, partim ex cenſibus (ideoque mixti appellantur) partim ex ſolis cenſibus. Et hi quoque ob ſanctum finem ſuccurrendi pauperibus *pietatis* montes nuncupantur.

II. Adeo fideles eo tempore ab uſuræ crimine abhorrebant, ut vel hæc ſacra pietatis opera turbas, & acerrimas diſputationes excitarint, ob quamdam feneratitii lucri ſpeciem, quam præſeferre aliquibus videbantur. Sed diſſidiis finem impoſuerunt Romani Pontifices, Paulus II. anno 1467. Sixtus IV. anno 1672. Innocentius VIII. & tandem anno 1515. Concilium Lateranenſe, ſub Leone X. celebratum, in quo ſacri iſti montes approbati fuere. Decreto Concilii ſubſcripſere Theologi omnes, exceptis Caietano, & Soto, qui etiam poſt Concilii decretum, nimio ſane auſu, uſuræ arguere præfatos montes non ceſſarunt. Archiepiſcopus quoque Tranenſis Concilii definitioni factum oppoſuit, quod montes iſti plus damnoſi quam utiles, ut ipſe arbitrabatur, eſſent.

III. Explicanda nunc ſupereſt acceſſio quæ ſupra ſortem exigitur in his ſacris montibus. Sacrum Lateranenſe Concilium in hunc finem exigi hanc acceſſionem concedit, videlicet *ad ſolas miniſtrorum expenſas, & aliarum rerum ad illorum conſervationem, ut præfertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra ſortem, abſque lucro eorumdem montium*. Si hæc acceſſio in montium lucrum aliquo modo cederet, fenebris eſſet: idcirco Concilium dicit: *Abſque lucro eorumdem montium*, ſed in ſolum miniſtrorum ſtipendium, & aliarum rerum conſervationem. Quibus expenſis, & oneribus ſuccumbere montes nequeunt abſque eorumdem deſtructione, & interitu, nedum damno. Titulus itaque iſtius acceſſionis præter ſortem eſt evidens damnum emergens. Quare erronea eſt interpretatio quorumdam iuniorum, qui, ut ſuis opiniunculis patrocinium quærant, comminiſcuntur ob obligationem mutuandi præfatam acceſſionem in iſtis montibus exigi. Supra oſtenſum eſt, & quidem, niſi me amor fallit, evidenter, hanc obligationem mutuandi eſſe merum uſuræ pallium.

IV. Tres conditiones præſcriptæ communiter ſunt pro æquo iſtorum montium regimine. 1. ut pecunia pauperibus tradatur intra limites certæ ſummæ, pro tempore determinato reſtituendæ. 2. ut pignus a debitoribus exhibeatur, quod a miniſtris proprio cuſtodiri periculo debet. Si pecunia tempore præfinito non reſtituitur, venditur pignus ſub haſta, pretio quod monti debetur, retento; & ſi quid ſupereſt, domino pignoris reſtituitur. 3. ut tennis ſupra ſortem acceſſio exigatur in miniſtrorum mercedem, montiumque expenſas, quæ pro domorum conductione, & aliis rebus fieri debent.

V. Ex quibus omnibus conſtat iſtorum montium inſtitutionem unice pauperum

Digitized by Google

levamen, & utilitatem ſpectare. Nihil in eorumdem montium utilitatem, & commodum cedere debet. Heinc ſi ex acceſſionibus quæ præter ſortem exiguntur, aliquid, ſolutis expenſis, & miniſtrorum ſtipendiis, ſuperſit, non in montium augmentum, qui numquam lucrari poſſunt, ut ex Concilio Lateranenſi dictum eſt, ſed vel ipſis mutuatariis pro rata, ſi fieri poteſt, reſtituendum, vel in pauperum eleemoſynam convertendum eſt. Contingere poteſt quod ipſi montes interdum egeſtate laborent, & neceſſitate ſuccurrendi pauperibus premantur; & tunc montes loco pauperum haberi poſſunt, atque ipſis tamquam eleemoſyna poteſt applicari quod ſupereſt. Hoc ſiquidem conceſſiſſe & monti Bergomenſi Sixtus V. & monti Ferrarienſi Clemens X. perhibetur.

VI. Quæſt. I. *An qui pauperes revera non ſunt, neque ob paupertatem levandam mutuam pecuniam a ſacro monte accipiunt, peccent, & ad reſtitutionem teneantur?* Reſp. Aliqui, avaritiæ æſtu ſuccenſi, levi acceſſione monti ſolvenda allecti, pecunias petunt mutuas, ut eaſdem vel negotiationi applicent, vel cum maiori acceſſione aliis mutuas tradant. Iſti & furti, & avaritiæ iniquitate inficiuntur. Animo quippe fraudulento, & pravo montem decipiunt; ac pecuniam, deſtinatam pauperum indigentiis levandis, mutuam ſurripiunt, ut propriæ avaritiæ indulgeant. Tenentur iſti & pecuniam illico monti reſtituere; & damnum, ſi quod pauperibus, quibus ob hanc pecuniæ diſtractionem conceſſum non fuit mutui beneficium, emerſit, compenſare. Si tamen lucrum ex tali pecunia negotiationi expoſita acquiſierunt, non tenentur monti reſtituere: quia lucrum iſtud fructus non pecuniæ, ſed induſtriæ eſt. Si quid vero per uſuram perceperunt, reſtituendum eſt mutuatariis, quos uſura vexarunt.

VII. Quæſt. II. *Probabilis ne eſt opinio Paſqualigi, aſſerentis eos qui collocant pecuniam in his montibus, poſſe recipere acceſſionem dempto titulo?* Reſp. P. Paſqualigus *deciſ.* clxxxiii. contendit, ex pecunia collocata in montibus pietatis percipi poſſe acceſſionem præter ſortem, ſublato titulo damni emergentis, & lucri ceſſantis. Antequam reſpondeo, advertendum eſt, plures reperiri pietatis montes, quos diximus mixtos, quatenus præter pecuniam a piis fidelibus in eleemoſynam traditam, alias pecunias conquirunt, ut indigentibus ſubveniant. Pecuniarum collatoribus penſionem ſolvunt. Diſputari cœptum eſt, num hæc acceſſio immunis ab uſura ſit. Theologi omnes, & Canoniſtæ eam ſemper uſuræ damnarunt. P. Paſqualigus omnium primus communi doctrinæ ſeſe oppoſuit, & falſam laxamque opinionem evulgavit, qua ab uſura purgare conatur præfatam acceſſionem. Et quia nulla tam laxa opinio ab uno Caſuiſta evulgatur quæ aliquem non ſibi conciliet clientem, Paſqualigum ſecuti ſunt Baſſæus, & Pignatellus. Heinc vi Probabiliſmi reflexi facile ab aliquibus Probabiliſtis fuco probabilitatis depingi poſſet, niſi eiuſdem manifeſta falſitas demonſtretur.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Primum omnium convellendum eſt fundamentum quo nititur Paſqualigus. Opponit ipſe apoſtolicas Pauli III. litteras pro Ferrarienſi monte datas anno 1549. in quibus licite concedi poſſe aſſeritur acceſſionem annuam iis qui pecuniam otioſam in præfato monte collocant. Et ſimiles litteræ datæ dicuntur pro montibus Bononienſi, & Mutinenſi. Cl. Petrus Ballerinus *opuſ. de his mont. §. 3.* luculentiſſimis argumentis evincit apocryphas, & ſuppoſititias eſſe eiuſmodi litteras. Quare non eſt quod in iiſdem convellendis nos tempus teramus, actumque agamus. Oppoſita potius doctrina Sedis Apoſtolicæ indicanda, quæ falſam Paſqualigi opinionem, ſuppoſititio documento nixam, damnat.

IX. Porro Paulus III. pro monte Mutinenſi litteris datis anno 1542. Iulius III. pro monte Vicentino anno 1555. Pius IV. pro monte Veronenſi anno 1563. non aliis ſolvi acceſſionem concedunt niſi illis qui *caritatis zelo adducti, ac pro pauperum ſubventione, non fenerandi animo, pecunias deponunt tempore illo quando merces paratas, ac prædia ad emendum parata haberent, ex quorum reditu, quatuor & ultra pro centenario percipere poſſent*. Paſqualigus e contrario docet, demptis eiuſmodi titulis, licitam eſſe acceſſionem illis qui non caritatis amore, ſed lucri cupiditate ducti collocant in præfatis montibus ſuas otioſas pecunias. Hæc autem opinio directe pugnat cum Sedis Apoſtolicæ doctrina. Nec eſt quod Paſqualigus opponat, ſummum Pontificem Paulum III. declaraſſe, legem naturalem, & divinam adverſus uſuram non obligare his in caſibus. Quoniam quæ intrinſecus, & natura ſua mala ſunt, nulla humana lege licita fieri valent. Quomodo lex naturalis aliquo in caſu non obliget, ſuſe *Lib. I.* explicatum eſt, quin neceſſe ſit actum agere.

X. Ut itaque *id quod intereſt* collocantium pecunias in montibus, licitus & iuſtus titulus ſit, ſive etiam ut lucri intercepti titulus occurrat, conditiones quas ſupra explicuimus, neceſſariæ ſunt. Potiſſimas obiter iterum indicabo, quas ipſi Romani Pontifices, probantes montes mixtos, requirunt. Prima eſt, ut merces, vel prædia emenda *prompta moraliter* ſint. Nec ſat eſt animus negotiandi, vel emendi: quia tum lucrum poſſibile, non moraliter certum eſſet. Secunda, & quidem potiſſima, eſt, quod non *fenerandi*, *non lucrandi animo*, ſed caritatis zelo ſuccurrendi pauperibus quis moveatur, impellaturque ad pecuniam collocandam in montibus, quæ pauperibus diſtribuenda eſt. Sed quis eſt hic, & laudabimus eum? Quare ſerio cavendum ne fenoris aſpis latitet ſub herba ementitæ caritatis. Quandoquidem ſi quis eo animo pecuniam in montibus collocaret quidem ad pauperum levamen, atque ſubſidium, ut heinc lucrum illud aſſequeretur quod ex negotiatione captare poſſet, hic fenoris ſuſpectus eſſet. Ut fenoris crimen evadat, cauſſa princeps movens eſſe debet caritas ſuccurrendi pauperibus, non cupiditas lucrandi ex mutuo. Rem clarius explico, ut occultiſſimas fenoris latebras pan-

Digitized by Google

dam. Præſens occaſio eſt ex una parte emendarum mercium, vel prædiorum cum ſpe moraliter certa lucrandi. Inſtat ex altera parte neceſſitas ſubveniendi pauperibus cum acceſſione lucri. Optio tibi datur alterutrum eligendi. Si revera malles lucrum ex negotiatione, quia maius, aut ex prædio, quia commodius, & perpetuum; ſed has commoditates, & utilitates ſperneres, quia amor caritatis ſuccurrendi pauperibus in animo tuo prævalet; & ideo omitteres lucrum ex prædio, vel ex mercatura, quod tibi carius, quod tibi utilius, quod tibi commodius eſſet, ut pecuniam huic lucro deſtinatam in pauperum ſubſidium collocares: hac hypotheſi vera extante, tum acceſſionem, ſeu compenſationem intercepti lucri percipere poſſes. Si contra eligeres mutuum, ſeu collocationem pecuniæ in montibus, utique in pauperum commodum, ſed ſimul quia commodius eſt lucrum hac via perceptum, ita ut malles lucrum ex mutuo quam ex negotiatione, tum ſenerator eſſes.

XI. Quid de illis dicendum qui pecuniam ideo in ſacris montibus collocant, quia licet lucrum ſit tenue, tamen ſecurum eſt, certum, & a periculis, laboribus, moleſtiis, turbationibuſque negotiationis, a prædiorum grandine, tributis, ab agriculturæ calamitatibus, & colonorum infidelitate liberum, & immune? Quid de illis qui pecunias otioſas habentes, eas in montibus collocant, ut lucrum captent; ſed repetendas continuo ac occaſio occurrerit emendi prædii, cenſus, vel exercendæ opportunæ negotiationis? Hi omnes manifeſti ſunt ſeneratores.

XII. Nihil hactenus dictum eſt, quod conceptis verbis non contineatur in litteris pontificiis probantibus montes mixtos. Pius IV. perſpicue loquitur, ſic inquiens. *Qui caritatis zelo adducti, ac pro pauperum ſubventione, non ſenerandi animo, pecunias deponunt tempore quo parata habent prædia, vel merces ad emendum, ex quorum reditu quatuor, & ULTRA percipere poſſent* &c. Paulus III. Qui ex prædiis, vel mercibus *maiora lucra habere potuiſſent*. Iulius III. Ex quibus prædiis, vel negotiatione non ſolum *quatuor* (quæ ſolvi a montibus ſolent) ſed *& quinque, & ſex, & forſitan ULTRA pro centenario percipere poſſent; & caritatis zelo deponent ad quatuor pro centenario.*

XIII. Hæc tertia conditio, quæ exigit maius lucrum moraliter certum ex prædiis, cenſibus, & negotiatione, quam ſit percipiendum ex pecunia collata in montibus, neceſſaria potiſſimum eſt: tum ut periculum evitetur ne acceſſio ex mutuo ſuperet lucrum ex negotiatione, aut prædio acquirendum; quia tunc uſura contingeret: tum ut indicium habeatur quod non lucri cupiditate, ſed caritatis amore pecuniæ collocentur in monte. Alias conditiones neceſſarias pro lucri ceſſantis iuſto titulo prætereo, quia eaſdem fuſius ſupra declaravi.

XIV. Oppones. Si quæ hactenus paucis perſtrinxiſti vera ſunt, verum quoque ex una parte dicendum eſt conſilium quod ſupra *cap.* XIV. *ſ. ult.* datum fuit; at

ex

Digitized by Google

ex altera parte doctrina hæc deſtruit omnes ſacros Chriſti montes, bono publico perniciosa, pauperibus crudelis & immanis, civitatibus, & communitatibus exitioſa eſt. Quis in poſterum ad montes iſtos ſuas pecunias deferet? Quis tam maniſeſto fenerandi periculo ſe ſe exponet? Conſuetudo, huic doctrinæ oppoſita, univerſalis eſt, Theologorum auctoritate fulta, communi populorum conſenſu firmata. An perire pauperes, occludi montes, emendicare miniſtri, omnia perverti debent? Huc tandem recidunt Rigoriſtarum ſententiæ.

XV. Sophiſma iſtud *diabolicum* a Patribus vocatur. Doctrina quam hic expoſui, ab Apoſtolica Sede, ut imbecillitati meæ videtur, manavit. Si tibi non arridet, eam reiice, eam falſitatis revincito. Rationes in medium adducito. Abſurda quæ oppoſuiſti, mihi commentitia ſunt. Audi. Corunnt Chriſti montes omnes: fame conficiuntur pauperes, periclitantur pupilli, & viduæ: miniſtrorum familiæ langueſcunt, interrumpuntur commercia, mercatura ceſſat, pervertuntur omnia; mundus totus incendio flagrat. Unico mendacio ſalva ſunt omnia. Quid? Licetne mentiri? Licet ne mendacium officioſum, nulli noxium? Non licet mendacium; & licebit fenus? Hoc probandum, inquis, lucrum iſtud fenebre eſſe. Fenebre illud eſſe mihi videtur. Iuſtum tibi apparet? Utere iudicio tuo.

XVI. Unum te monere intereſt, quod montium pietatis gubernatores, & miniſtros ſpectat. Montes iſti depoſita apoſtolica, pauperum patrimonia ſunt. Miniſtri horum montium pauperum miniſtri ſunt, pauperum mercede conducuntur, pauperum ſtipendio aluntur. Quid? Pauperum mercenarii ſplendide vivunt? Pauperum miniſtri curru incedunt, veſte fulgent, divitiis affluunt? Quid, ſi magnam redituum portionem miniſtrorum multitudo abſorberet? Quid ſi miniſtri iſti non levem pecuniæ portionem, variis titulis ſibi negotiandam, applicarent? Quid, ſi miniſtri iſti pignora ſub haſta exponerent, & aliorum ope eadem vili pretio emerent? Iſti ne pietatis montes? Iſti ne Chriſti montes? Montes iſti montes non pietatis, ſed impietatis forent. Nihil tam ſanctum, quod hominum depravari malitia nequeat. Immò quo ſanctius opus eſt, eo ſceleſtius adulterare dæmon pertentat. Cauti ergo ſint ſacrorum montium miniſtri, & gubernatores. Qui gratis exercere officia nequeunt, levi ſtipendio contenti ſint, memores quod pauperum, non divitum, miniſtri ſint. Officia iſta, & miniſteria non iis conferantur qui indigent, qui abſque labore pauperum ſanguine ſaginari cupiunt, & ſtudent; ſed piis probiſque viris. Dum ſeligendi ſunt, pauperum habeatur ratio, non familiarum ſuſtentatio. Multæ familiæ vivunt ſacrorum montium miniſterio; ſed verendum ne multæ æternum ſint perituræ ob voratum pauperum patrimonium. Hæc pauca de his montibus delibaſſe ſat eſt.

Digitized by Google

CAPUT XXI.

De contractu trino, familiari, & frequenti uſuræ pallio.

INtegro volumine, Romæ anno 1746. typis edito, contractum hunc trinum profligavi omni argumentorum genere. Verum quia opus iſtud rarum iam eſt, & emptu difficile, ideo ne penitus ignorent lectores mei iniuſtitiam feneratitiam iſtius contractus, quem obvium habent in omnibus Moraliſtarum, qui ad manus ſunt, libris, paucis quæſtionem de hoc trino contractu diſpiciam.

§. I.

Contractus trini deſcriptio, & conditiones, eius origo, & progreſſus.

I. TRium contractuum primus eſt *ſocietatis*, alter *aſſecurationis*, tertius *venditionis*. Singuli explicandi. Contractus *ſocietatis* conventio duorum eſt, vel plurium de contribuendo aliquid pretio æſtimabile in commune lucrum, & damnum pro rata. Omnium conſenſu licitus & honeſtus eſt contractus iſte. Quatuor conditiones poſtulat. I. Qui pecuniam, aut quamcumque aliam mercem ponit, puta animalia, periculum ſubire debet. II. Negotiatio, aut ars, in qua collocandum vivum eſt, honeſta ſit oportet. III. AEquitas ſervetur. IV. Capitale tradendum eſt perſonæ induſtriæ, nempe pecunia mercatoribus, animalia ruſticis &c. In hoc primo contractu Caius ponit pecuniam, Mævius mercator induſtriam, & ambo lucri, iacturæve participes ſunt. Secundus contractus *aſſecurationis capitalis* vocatur. Caius qui pecuniam contulit, paciſcitur cum Mævio, ut ſuum capitale ab omni periculo immune reſtituat. Et pro hac aſſecuratione partem lucri remittit. Dedit 100. Lucrum ex negotiatione percipiendum, ut præſumitur, eſt duodecim. Remittit quatuor pro capitalis ſecuritate, a Mævio præſtanda. Tertius eſt *venditionis lucri maioris incerti* pro lucro *minori certo*. Itaque Caius poſt duos contractus ſocietatis, & aſſecurationis, tertium init, quo vendit Mævio *mercatori* illud maius lucrum ſperatum incertum, nempe octo in 100. pro minori certo reddendo, puta quatuor. Quibus peractis, Caius quatuor in centum percipit, omni labore, moleſtia, periculoque ſublatis.

II.

II. Sola quæſtionis perſpicua, & ſimplex expoſitio uſuram tibi in oculos proiicit. Si Caius ſimplici ſermone dicat: Do tibi, Mævi, mutuo centum, ut quatuor in annos ſingulos mihi pendas, ſenerator eſt. Si præfato verborum involucro, & circuitione utatur, uſuræ ſcelus declinavit. Mirifica ſane ars, quæ ſola verborum circuitione vitia tranſmutat in virtutes.

III. Trini iſtius contractus originem iuniorum Theologorum gloriæ vertit P. Thomas Tamburinus, quem ego, ſive ingenii acumen, ſive ordinis perſpicuitatem, ſive ſcribendi elegantiam ſpectes, inter iuniores nemini ſecundum reputo. Is *Lib. IX. de contractib. cap. v. §. 3. num. 1. & 2.* hæc ſcribit. „ Ex vi ſolius contractus ſocietatis non licere totum periculum in ſocium reiicere, nimis clare „ patet.... *Verum* INGENIOSI THEOLOGI, forte ab ipſis mercatoribus, quorum res intereſt, *admoniti, invenerunt MODUM reiiciendi totum periculum in* „ *UNUM ex ſociis ſine iniuſtitia.*

IV. Vin' meliora? Societas, & ſecuritas duo ſunt quæ natura ſua ſimul ſtare nequeunt. At ingenioſi iuniores *modum* invenerunt ſimul coniungendi extrema quæ ſunt natura ſua contraria. Primus, qui contractus trini aliqua iecit ſemina, fuit Oſtienſis *Lib. V. tit. de uſur.* Sed obiter, & ambigue loquitur. Eius opinionem confutant S. Antoninus, Panormitanus, Ioannes Andreas, & communiter Canoniſtæ. Ioannes Maior, Doctor Univerſitatis Pariſienſis, primus omnium contractum trinum defenſitavir, ſuamque vocat opinionem ipſe ſingularem. Et reipſa P. Thomas Mercadus, qui anno 1569. edidit *tract. de contract.* teſtatur, omnes ad unum Doctores eiuſmodi contractum improbare.

V. Dominicus Soto præ ceteris poſt Caietanum liberiori ſtilo contractum trinum profligavit: & Martinus Navarrus poſt Ioannem Maiorem pro contractu trino adverſus Dominicum Soto pugnare aggreſſus eſt, ſuæ tamen ſententiæ incertus: quamobrem Pontificis definitionem percupiebat, quæ anno quo Navarrus obiit, emanavit in eiuſdem ſententiæ condemnationem. Siquidem Sixtus V. anno 1586. conſtitutionem edidit quæ incipit, *Deteſtabilis avaritiæ*, in qua contractum trinum damnari, in citato opere *Uſura contract. trini diſs. 1.* evidenter, ut ego quidem arbitror, palam feci.

VI. Antequam Sixtus V. damnaſſet contractum trinum, eiuſdem inventores, & aſſertores clamabant, contractum periculi plenum eſſe. Oſtienſis ait, non eſſe tutum in conſcientia qui illum ad praxim reducit. Ioannes Maior primus inventor admonet, non eſſe proponendum populo, ſed diſſuadendum. Mercadus teſtatur, contractum hunc ab omnibus Doctoribus oppugnari. Navarrus pontificiam deciſionem avebat. In opere citato iſtorum Auctorum verba reſcripſi.

VII. Primus qui poſt Sixtinam conſtitutionem propugnavit contractum trinum,

Digitized by Google

fuit P. Leonardus Leſſius, quem ſecuti ſunt Layman, Caſtropalaus, Lugo, Bonacina, Diana, & alii plures. Miraberis forte, quod primi inventores adeo pavidi, & ancipites dubitaverint de contractus iſtius uſura; quod poſt pontificiam conſtitutionem altius hunc timorem exaggeraverint Bail, Abelly, Reginaldus, Salmanticenſes, Baſſæus, aliique eiuſdem contractus patroni. Sed admirandi rationem omnem amolitur P. Ioſeph Gibalinus, acerrimus contractus trini propugnator, qui *Lib. VI. de uſur. cap. v. artic. 2. pag. 383. num. 3.* hæc ſcribit. „ *Monoo* „ dumtaxat impræſentiarum, *plurimas ſententias*, ubi primum in ſcholis inductæ „ ſunt *contra opiniones receptas*, & vulgares, nonniſi *timide admodum* a ſuis Au„ ctoribus fuiſſe prolatas: tum ne vulgus Doctorum offenderent, quorum pleri„ que ex præiudicatis opinionibus cenſent, & fere *pedarii ſenatores* ſunt: tum „ ne alii nondum bene diſcuſſas ſententias damnarent: & denique ne qui illis „ male intellectis abuterentur. Ubi vero aliquamdiu penſiculatius examinatæ „ ſunt eiuſmodi ſententiæ, & diſcuſſa nube, luce veritatis perfuſæ, *magno con*„ *ſenſu recipiuntur*, *quæ primum natæ vix parentem prodere audebant* . . . Idem „ *in noſtro caſu prorſus accidit*. Cum enim ſocietas æqualitatem conſtituat inter „ ſocios; hæ obligationes certi lucri, quamvis minoris, & ſecuritatis ſortis præ„ ſtandæ ab altero ſocio, *cum ſocietatis natura pugnare iure merito ſapientibus* „ *viſæ ſunt*: ubi vero adverterunt hæc onera non imponi ſocio vi contractus „ ſocietatis; ſed per nova pacta, & novos contractus, ad quos etiam celebran„ dos minime obligentur ſocii vi eiuſdem ſocietatis; ſed volentes, & ſponte il„ la pacta, tamquam ſibi commodiora, celebrent, in quibus etiam ſervatur æ„ qualitas; cum onus quod imponitur uni ſocio, ad quod vi ſocietatis non te„ netur, compenſatur eiuſmodi pactis, quæ in ſe ſpectata æquiſſima, & legiti„ ma ſunt, & paſſim celebrantur, *coniuncta vero non ſe deſtruunt*, *magno conſen*„ *ſu trium iſtorum contractuum conſiugem probarunt*, *hodieque omni timore diſcuſ*„ *ſo probant*, *& ſuadent*. "

VIII. En quam fecunda ſit & ferax probabiliſticæ Theologiæ fodina. *Magno conſenſu* ſuſcipitur doctrina contractus trini? Ecquidni? Favet cupiditati, pugnantia conſociat, ſoloque verborum aggeſtu uſuram incredibili tranſmigratione in virtutem iuſtitiæ mutat. Evangelica Moralis e cælo delapſa eſt, numquam purior, numquam ſplendidior quam cum primum illuxit. Ceteræ artes hominum induſtria partæ temporis intervallo perficiuntur. Contra doctrina revelata perfecta a Deo prodit in lucem; nec hominum ore, & ratiociniis perficitur, ſed ſæpe involvitur, & obſcuratur. Contractus trini inventum ignorarunt Evangeliſtæ, ignorarunt Patres, & Theologi quatuordecim ſæculorum. Iuniores inter pavorem & timorem quamdam adumbrarunt imaginem, eam perpolivere ſucceſſores, & tandem noviſſimi Probabiliſtæ ultimam appoſuerunt manum, & foras

ex-

Digitized by Google

excuſſo omni timore, tamquam validiſſimum contra uſuras omnes antidotum, divendunt. Si plura cupis, legeſis præfatam noſtram *diſs.* II.

§. II.

Auctoritate tum iuris civilis, tum Romanæ Sedis, tum Epiſcoporum, commentum triplicis contractus exploditur ut manifeſtum uſuræ pallium.

I. PLurimis documentis, quæ fuſe expoſui *loc. cit.* arceſſitis tum a Conciliis, potiſſimum Nicæno, tum a Patribus, miſſis, pauca delibo. Ius civile ſocietatem in qua ſocii pro rata non ſint damni, & lucri participes, damnat tamquam ſocietatem leoninam, iniuſtam, & crudelem. Ulpianus ff. *Pro ſocio* Lib. LII. *ſ.* 4. *Sicut lucrum, ita damnum quoque ſociis commune eſſe oportet, quod non culpa ſocii contingit*. Item Paulus *Lib. LXVII. ff.* Pro ſocio. *Cum ſocietas contrahitur, tam lucri, quam damni communio initur*. Addit Ulpianus *Lib. LV. ff.* Pro ſocio. *Æquum eſt ut cuius participavit lucrum, participet & damnum.*

II. Summorum Pontificum teſtimonia, Innocentii III. Alexandri III. Gregorii IX. Gregorii XIII. quæ *loc. cit.* retuli, prætereo. Ex conſtitutione dumtaxat Sixti V. quam integram ibidem attuli, pauca quæ rem conficiunt, tranſcribo. „ Multi ſpecioſum & honeſtum ſocietatis nomen ſuis feneratitiis contractibus prætexendo, hoc quaſi colore & fuco *mercatoribus*, *opificibus*, & *negotiatoribus*, & aliis perſonis . . . pecunias ſuas, & alias res ſocietatis nomine conferunt . . . ea conditione ut ſors ipſa, ſeu capitale, *tam pecuniarum*, *quam animalium*, & rerum *ſalvum* ſemper & integrum exiſtat pro eo qui non induſtriam, aut operas, ſed *pecunias*, & animalia, aut res eiuſmodi in ſocietatem confert, ut omne periculum & damnum ab altero ſocio recipiente ſuſtineatur, *contra æquitatem*, & ſocietatis iuſtitiam diverſimode paciſcuntur: eos denique ſocios cum quibus contrahunt, plerumque pauperes, & egenos, ſuoque labore, & induſtria victitantes, quicumque tandem caſus, & rerum eventus conſequatur, pacto & obligatione conſtringunt, *ſimulque etiam certi lucri quantitatem*, & *ſummam*, *veluti tot pro quolibet centenario in ſingulos annos*, *aut menſes*, *per alterum ſocium*, *durante ſocietate ſolvendam præfiniunt*, *ac præſcribunt* . . . . Proinde nos . . . huiuſmodi morbi contagium, antequam in communem fidelium perniciem ſerpat, quantum Deo favente poſſumus, tollere cupientes, de attributæ nobis apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione *damnamus*, *reprobamus omnes* & *quoſcumque contractus*, *conven-*

„ *tio-*

Digitized by Google

„ *tiones*, *& pactiones poſthac ineundos, ſeu ineundas*, *per quos*, ſeu quas cavebi-
„ tur perſonis, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res ſocietatis nomine tra-
„ dentibus, ut, etiam ſi fortuito caſu quamlibet iacturam, damnum, aut amiſ-
„ ſionem ſequi contingat, ſors ipſa, ſeu capitale *ſemper ſalvum ſit*, & integrum
„ a ſocio reſtituatur : *ſive ut de certa quantitate*, *vel ſumma in ſingulos annos*,
„ *aut menſes*, *durante ſocietate*, *reſpondeatur* : ſtatuimuſque huiuſmodi contra-
„ ctus, conventiones, & pactiones *uſurarios*, & *illicitos* poſthac cenſeri debere :
„ atque in poſterum non licere iis qui pecunias, vel animalia, aut alias res in
„ ſocietatem tradent, de *certo lucro*, ut præfertur, perficiendo inter ſe paciſci, &
„ concordare, neque etiam ſive ad certum, ſive ad incertum lucrum convene-
„ rint, ſocios qui ea recipient, ad ſortem, ſeu capitale ſalvum, & integrum,
„ ubi illud caſu fortuito perierit, vel amiſſum erit, quovis pacto, aut promiſ-
„ ſione ſibi obligare. Ac ne de cetero *ſocietates* ineantur ſub *huiuſmodi pactis &*
„ *conditionibus*, *quæ uſurariam pravitatem ſapiunt*, *directe interdicimus*, *& pro-*
„ *hibemus*. "

III. Tam luculenta & perſpicua eſt conſtitutio Sixtina, ut Leſſius, Lugo, Filliucius, Bonacina, & alii ingenioſi iuniores ſubtiliſſima interpretamenta excogitaverint. Celebre eſt *vivæ vocis oraculum*, quo Pontifex oppoſitum declaraſſe contendunt plures; ac ſi Pontifex ſummus ſolemni conſtitutione decepiſſet Eccleſiam, ſuam doctrinam ei proponendo, quam privato *vivæ vocis oraculo* retractavit. Omnia iſtorum commenta *loc. cit. diſſ.* I. penitus labefactavi. Qui ad vivæ vocis oraculum confugiunt, fatentur conſtitutionem adeo compertam, & ineluctabilem eſſe, ut opus fuerit oppoſita Pontificis declaratione. Sed inventum iſtius *vivæ vocis oraculi* fabulam eſſe, Pontifici, & Eccleſiæ iniurioſam, quaſi una doctrina publice, altera contraria privatim Romæ traderetur, manifeſtavi *loc. cit.*

IV. Coſmas Philiarcus Florentinus, Sixto V. ſuppar, in opere eidem Pontifici Summo dicato, *Lib. V. cap.* IX. *pag.* 59. hæc ſcribit. *Magna inter Doctores fuit hucuſque controverſia*, *an ſocius poſſit alterius capitale aſſecurare &c. . . . Sed hæc controverſia iam ſublata eſt per conſtitutionem* Deteſtabilis, Sixti V. *in qua damnantur & reprobantur illæ ſocietates in quibus fiunt cum ſocio illi duo contractus aſſecurationis capitalis*, *& certæ quantitatis fructuum*. P. Ioannes Azorius, qui pariter tempore editæ conſtitutionis vivebat, idem teſtatur III. Part. Lib. IX. cap. IV. *Pontifex conſtitutione edita declaravit*, *feneratitiam & uſurariam eſſe ſocietatem in qua pactum eſt ut ſocius pecuniam quæ in commune confertur*, *ſuo damno & periculo ſuſcipiat*, *ita ut in omni eventu tantumdem reddere debeat*, *quantum accepit*. *Optabat Navarrus ut Pontifex declararet*, *tale pactum in ſocietate licitum eſſe*, *& iuſtum*. *At contrarium Pontifex declaravit*, *ac DEFINIVIT*; *ut*

ſu-

Digitized by Google

ſuperiori capite dixi in VI. *quæſt. Theologorum, & utriuſque iuris Doctorum ſententia ſemper fuit tale pactum eſſe feneratitium.*

V. Conſenſus Epiſcoporum Europæ, qui Sixtinam conſtitutionem in ſuis diœceſibus promulgarunt, & commentariis illuſtrarunt, damnat contractum triplicem. Novem Archiepiſcopi, & Epiſcopi Hiſpaniarum non ſolum improbant contractum hunc; ſed damnandum etiam ſupplices obtulerunt Apoſtolicæ Sedi, ſimul cum aliis 332. laxiſſimis propoſitionibus, ſuaſque preces inſtaurarunt apud regnantem Pontificem ſummum BENEDICTUM XIV. Libellum, typis editum, continentem 332. propoſitiones damnandas penes me habeo: & reipſa cenſuris Romæ fuerunt notatæ propoſitiones, ſed decretum hactenus publicatum non eſt; ſperamus tamen fore ut ſapientiſſimus Pontifex feliciter regnans BENEDICTUS XIV. brevi ſolemniter evulgaturus illud ſit. Porro inter præfatas propoſitiones præſcribendas hæc recenſetur num. 157. *Ex contractu trino aliquid ultra ſortem in pactum deducere non eſt letale.*

VI. Illuſtriſſimus D. Bartholomæus De *Eſpeio*, & *Ciſneros*, Epiſcopus Malacitanus, Sixtinam conſtitutionem, in linguam hiſpanicam verſam, in ſua diœceſi evulgavit, eamque doctiſſimo commentario typis edito illuſtravit an. 1698. Titulus Commentarii hic eſt: *Tractatus de uſura perſonata in contractu trino*. Ex ungue leonem. Refert inſuper decretum ſacræ Inquiſitionis Hiſpanicæ adverſus eumdem contractum.

VII. Univerſitas Pariſienſis anno 1665. contractum trinum damnavit. *Si contractui ſocietatis adiungatur contractus aſſecurationis capitalis, ac venditionis lucri incerti pro certo, virtute trium horum contractuum licitum eſt exigere lucrum certum cum aſſecuratione capitalis.* Hæc eſt propoſitio caſuiſtica. Audi in eamdem latam cenſuram. *Falſa eſt, ſcandaloſa, inducens ad uſuras committendas, variaſque aperit artes eas palliandi, iuſtitiam, & caritatem violandi, & a ſacra Facultate iam damnata.* Cenſuram hanc renovavit eadem ſacra Univerſitas Pariſienſis anno 1717. *Vi trium, ut aiunt, contractuum, ſcilicet ſocietatis, aſſecurationis ſummæ principalis, & venditionis maioris lucri incerti pro minori quod certum ſit, lucrum exigere, vel intendere uſura eſt.*

VIII. Sixtinam conſtitutionem acceptatam in Belgio fuiſſe teſtatur Anſelmus in *Tribon. Belgico cap.* XLVI. Synodi Mechlinenſis *tit. de uſuris*, Cameracenſis *tit.* XXIII. Iprenſis *tit.* XXX. & Atrebatenſis contractum trinum ut feneratitium damnant.

IX. Italiæ Epiſcopi ſimiliter hunc diris devoverunt contractum tamquam uſurarium. Cardinalis *Denhoff*, Epiſcopus Ceſenatenſis, in ſuo edicto paſtorali, typis edito an. 1694. *Pontifex* (Sixtus V.) *damnavit ſua bulla*, Deteſtabilis avaritiæ, *ſocietatem trini contractus tamquam uſurariam, & vetuit ne in poſterum coiretur . . .*

Digitized by Google

tur . . . iure ſummo eum damnavit non modo in foro exteriori , verum etiam in interiori . . . & revera quicumque ſerio animo ſecum reputaverit , colliget nullas in mundo illicitas fore uſuras , dummodo moderatæ ſint , ſemel admiſſa trini contractus iuſtitia : quoniam ſemper in quolibet negotio iactabitur contractus trinus ; ſin expreſſus , ſaltem implicitus . Latine verſa ex italica lingua fide ſumma. Lucas Trapanus , Epiſcopus Iſclanenſis , in Synodo celebrata an. 1716. *Part.* I. *cap.* VI. *§.4. num.3.* inter feneratitios contractus numerat illum qui *famoſus contractus trium contractuum nominatur .* Franciſcus Layerius , Epiſcopus Umbraticenſis, in Synodo habita an. 1727. *tit.* IX. hæc ſtatuit . *Contractus trium contractuum (quamvis raro , vel numquam in noſtra diœceſi iniri contingat) ſocietatis ſcilicet , aſſecurationis , & venditionis lucri maioris incerti pro lucro minori certo , tamquam uſurarios , & proſcriptos eſſe apoſtolica conſtitutione* (Sixti V.) *noſtris diœceſanis volumus innoteſcere , ut ab illis caſu occurrente valeant abſtinere .*

X. Infinitus eſſem, ſi omnia Synodorum, & Epiſcoporum decreta in damnationem contractus trini lata referre vellem . Conſule quæ ſcripſi *differt.* I. & II. *cit. oper.*

§. III.

BENEDICTUS XIV. *feliciter regnans declaravit contractum trinum damnatum eſſe a Sixto V. Inaudita paradoxa Leſſii, Gibalini, & aliorum.*

I. SApientiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. ad Eccleſiæ catholicæ ſplendorem, & ornamentum feliciter regnans, in ſuo percelebri doctiſſimoque opere de *Synodo* &c. ſæpius laudato , *Lib. VII. cap.* I. declarat , Sixtum V. damnaſſe tamquam uſurarium contractum triplicem. Hæc ſunt illius verba . „ Hic „ porro eſt trinus ille contractus quem celebrem fecit exorta inter Dominicum „ Sotum & Martinum Navarrum diſcordia . Putabat nimirum Navarrus , tres „ prædictos contractus ſimul, & cum eadem perſona , tuta conſcientia iniri poſ- „ ſe; *atque ab uſuraria pravitate* immunes eſſe ob rationes quas adducit in ſuo „ Manuali *cap.* XVII. *num.*254. & *ſeqq.* Sotus ex adverſo aſſerebat , trium illo- „ rum contractuum coniunctionem degenerare in mutuum feneratitium, & ſo- „ cietatis leges quæ lucri, damnique communionem expoſcunt, evertere ; ſuam- „ que aſſertionem pluribus propugnabat argumentis , quæ videri poſſunt in eius „ opere de iuſtitia *Lib. VI. quæſt.* VI. *art.* 2.

„ Cauſa delata eſt ad Sixtum V. Pontificem Maximum , qui , diligenter quæ- „ ſtio-

„ ſtione diſcuſſa, *duplicis ſecuritatis pactionem, ſocietati adiectam,* USURARIAM „ PRONUNTIAVIT: EAMQUE DEINCEPS FIERI PROHIBUIT *ſua con-* „ *ſtitutione 68. quæ incipit*, Deteſtabilis, *edita anno 1586. Tom. IV. Bull. pag.* „ *263.* "

II. Quid ad hæc iuniores? Reponent, Pontificem ſummum non loqui ex cathedra, ſed tamquam privatum Doctorem. Eſto. At ſapientiſſimi Pontificis, etiam ut privati Doctoris, auctoritas prævalet centum Probabiliſtis. Quod ibidem *num.* 4. ſubdit Pontifex ſanctiſſimus, videlicet *plures, & non obſcuri nominis Theologos poſteriores trinum contractum ab uſura abſolvere*, omnium piorum lacrymas exprimere debet. Quandoquidem innumeræ ſunt opiniones a iunioribus invectæ, ſane laxiſſimæ, quæ Moralem chriſtianam corrumpunt; ut teſtatur Alexander VII. Novæ benignitatis non pauci aſſertores, dum eaſdem falſitatis, & improbabilitatis accuſatas audiunt, clamant non eſſe ab Apoſtolica Sede damnatas. Ergo inferunt, eas ut probabiles reputandas. Si Apoſtolica Sedes eaſdem damnat; tum unica diſtinctiuncula damnatio eluditur, & pontificiæ conſtitutiones vaniſſimis commentis fruſtraneæ redduntur. Vix una ex tot ſummorum Pontificum conſtitutionibus adverſus novas opiniones, amplificantes ſuperſtitionis, cupiditatis, & libidinis confinia, prodiit, quin vanis commentis, & cavillatoriis interpretamentis fuerit obnoxia. Inter Theologos, a Pontifice Maximo BENEDICTO XIV. citatos, qui poſt Sixtinam conſtitutionem ab uſura abſolvunt contractum trinum, præcipui ſunt *Leſſius, Gibalinus, Lugo*. De duobus primis aliqua nunc, de tertio alibi.

III. P. Leonardus Leſſius, non inferioris ſubſellii Theologus, primus fere omnium Sixti V. conſtitutionem vanam reddere, & pro trino contractu, veluti pro aris & focis, pugnare aggreſſus eſt. Vix ullam morum controverſiam tam fuſe verſavit quam hanc de contractu trino, ut ipſe teſtatur. Ne quid per invidiam dictum appareat, præcipua commenta contra præfatam conſtitutionem, & argumenta illius pro hoc contractu paucis indicabo. Inter plurima argumenta quæ pro contractu trino adfert, hæc nunc tranſcribo, infra cetera excuſſurus. Inquit igitur Lib. II. cap. xxv. dub. 3. *Sentio eſſe expediens, præſertim hoc tempore, & ad ſalutem animarum, & ad commodum Principum, & ad compendium viduarum, & pupillorum hanc formam* (contractus trini, & quidem impliciti) *non prohiberi, ſed permitti. Quod ad ſalutem animarum expediat, probatur. Quia ſi hæc forma prohibeatur, ſubtrahitur plurimis qui reditus non habent, nec venales inveniunt, ratio vivendi, ſalva ſorte, quam tamen omnes conſervatam volunt.* Hoc eſt principium capitale. Omnes ſalvam volunt ſortem: omnes quoque ſimul lucrari: omnes item ſimul peccare nolunt. Ergo invenienda doctrina eſt quæ hæc omnia ſimul conciliet *hoc præſertim tempore*. Hoc præſertim tem-

po-

Digitized by Google

pore ? Non tempore Chriſti , non tempore Apoſtolorum , Patrum ; ſed *hoc præſertim tempore*, quo Sedes Apoſtolica hunc contractum damnavit . Alioquin, pergit continuo ibi *num.* 32. P. Leſſius , *conferent ſe ad iniquas artes , ad occultas uſuras* (minus ne malum quod ſint publicæ ?) *ad fraudes emptionum, & venditionum, ad cambia ſicca, & ficta, ad mohatras, monopolia, furta. Alii paucis annis ſortem conſument : ſicque filiæ non poterunt honeſte collocari , nec filii in ſtudiis liberalibus ali; aliaque plurima incommoda ſequentur.*

Quod ad commodum Principis, & Reipublicæ attinet , patet . Si enim hic contractus prohibitus fuerit , non poterunt mercatores Principi ſuppeditare pecuniam : niſi ſub maximis detrimentis &c.

Quod etiam ad commodum viduarum , pupillorum , & plurimorum aliorum , qui alia ratione fructuoſe ſuam pecuniam non poſſunt impendere , expediat hunc contractum permittere , conſtat ex dictis : alioquin conſument ſortem, & tandem redigentur ad inopiam, & ad turpia lucra ſe convertent.

IV. Ab hac argutandi ratione chriſtianæ Moralis relaxatio profecta eſt. Quia nolunt homines , inquit Auguſtinus , ſe conformare ad legem Dei , detorquent Theologi non pauci legem Dei ad mores hominum . Hæc argutandi ratio funditus evertit , ut mea minima præfert opinio , univerſam ſacram Scripturam , & totum Decalogum . Sed audiamus quid ad Sixtinam conſtitutionem reſpondeat .

V. *Nec obſtat* (ſubdit ibi num. 33.) *quod Sixtus V. in conſtitutione edita an.* 1586. 12. *Kal. Nov. damnet , & reprobet omnes contractus impoſterum ineundos , per quos cavebitur &c. . . . Quia, non obſtante hac conſtitutione, in Italia maxime viget, & ſemper viguit iſta forma contrahendi.*

VI. Bella ſane argumentandi forma . Evangelio promulgato , graſſantur ſcorta, adulteria , furta , periuria . Ergo hæc ſcelera Evangelio non adverſantur ? Poſt conſtitutiones pontificias contra propoſitiones Baianas , Ianſenianas , Queſnelianas , ſuperſtitiones Sinenſes , & Malabaricas , vigent errores Baiani , Ianſeniani , Queſneliani , ſuperſtitiones Sinicæ , & Malabaricæ &c. Quid inde ?

VII. Reponit ibidem P. Leſſius , in Italia Sixtinam conſtitutionem numquam fuiſſe receptam . *Multo minus* , inquit , *fuit recepta hic in Belgio , ubi neque fuit umquam promulgata , neque cognita .*

Simili modo Pius V. an. 1569. *multa ſtatuit de cenſibus , v. g. ut ſtatuantur ſuper re immobili , frugifera , certis finibus deſignata , ut re pereunte , pereat cenſus pro rata , ut pecunia reipſa numeretur . . . & iubet contractum cenſeri uſurarium , ſi aliqua ex his conditionibus defuerit : tamen , quia hic in Belgio illa conſtitutio non eſt recepta , nemo ſibi facit ſcrupulum , etiamſi eam non ſervet .*

VIII.

Digitized by Google

VIII. Opportuniſſima eſt doctiſſimi Ieſuitæ P. Michaelis Elizalde reſponſio, *Lib. VIII. quæſt.* VIII. *ſ.* 8. „ Oraculo pontificio... conſtat nobis, quibus Sedes Apo„ ſtolica in ſuo loco eſt, irrepſiſſe modum de rebus conſcientiæ opinandi, omnino „ alienum a ſimplicitate evangelica, & a doctrina SS. Patrum. *Si qui vero erunt* „ *qui oracula pontificia pro re ſua maximi faciant* (N. B.) *contra ſe vero nihil pen*„ *dant, hoc ſane bonum non eſt.* " Si conſtitutiones ſummorum Pontificum, quos Deus conſtituit regere Eccleſiam ſuam, quibus morum controverſiæ definiuntur, tanta facilitate eludunt pro arbitrio, ac reiiciunt nonnulli benignioris Ethices patroni; quæ eſſe cum illis diſputatio poteſt? Numquid conſtitutiones pontificiæ, quæ morum præcepta divina interpretantur, a populorum acceptatione pendent? Quam anſam non præbet Ianſeniſtis, pontificiis definitionibus reſiſtendi, hic opinandi modus? Clamant reipſa homines iſti, conſtitutiones contra ſemetipſos latas, obſequio ſummo, excluſis cavillationibus, acceptari; e contrario alias conſtitutiones contra opiniones laxas, ſuperſtitionis & ſcandali plenas, cavillari, extenuari, deludi.

IX. Tandem concludit P. Leſſius ſuam prolixam diſputationem his verbis. *Hæc fuſius præter morem meum perſecutus ſum, quod videam adhuc a quibuſdam propter UMBRAS quaſdam USURÆ hunc contractum damnari, cuius prohibitionem hoc tempore cum damno publico futuram non dubitaverim.* Papæ! Propter umbras uſuræ? Umbræ ergo ſunt Romanæ Sedis conſtitutiones, tot Epiſcoporum, tot Synodorum, tot Univerſitatum ex univerſa Europa decreta contra uſuram iſtius contractus? Umbræ ne iſtæ? Quid quod Paulus Apoſtolus ab umbra mali cavendum clamat? Quid quod non modo ante Sixtinam conſtitutionem omnes Eccleſiæ Doctores, tribus, aut quatuor Theologis exceptis; & poſt hanc conſtitutionem nobilior Theologorum, & Canoniſtarum natio ut feneratitium damnant hunc contractum; verum etiam argumenta luculentiſſima, a iure naturali repetita, eiuſdem evincunt uſuram; & P. Leſſii, atque aliorum rationes, ut mox videbimus, vanæ ſunt? Sed ad P. Gibalinum tranſeamus, alterum trini contractus celebrem patronum.

X. Itaque P. Gibalinus *Lib. VI. cap. V. art. 3. num. 5.* commenta P. Leſſii tranſcribit contra Sixti V. conſtitutionem, nempe aut non eſſe receptam in Gallia, in Belgio &c. aut intelligendam de aſſecuratione vi ſocietatis adiecta. Sed hæc interpretatio eſt mera chimæra. Nam vi ſocietatis non poteſt poni niſi contractus ſocietatis. Societas, cum includat eſſentialiter lucri, & damni communionem, natura ſua excludit aſſecurationem. Luce meridiana clarius Sixtus V. loquitur de duobus adiectis ſocietati contractibus, de quibus tum controverſia erat, quam Pontifex definivit. Numquid inter Sotum & Navarrum lis erat de aſſecuratione vi ſocietatis adiecta? Se recipit Gibalinus ad fabulam vivæ vocis oraculi: & tan-

Digitized by Google

tandem coactus fatetur, eiuſmodi contractus ſolum prohiberi *iure poſitivo*, *ubi SIXTI conſtitutio recepta fuerit*. Nullibi pedem figunt; ſed huc atque illuc ſe rotant, ut ab hac pontificia conſtitutione elabantur. Sed hæc obiter.

XI. Robuſtum argumentum reſcribendum eſt, quo P. Gibalinus damnat Theologos contractum trinum diſſuadentes. Scribit ille *Lib. VI. cap. v. art. 1. num. 5. pag. 384.* Sempronium, conſcientia tactum, conſulere *Sulpitium*, virum doctum, de hoc contractu; aitque *iniectam ſibi fuiſſe ab aliquo viro pio religionem uſurariæ labis, de qua ipſe numquam cogitavit.... Rogat igitur ut illum ſibi ſcrupulum evellat, paratum ſe eſſe ad omnia præſtanda quæ ipſe arbitratur: ſive abſtinere iubeat ab eiuſmodi contractibus, & pecuniam ſuam repetere, illamque in alia quævis impendere; aut, ſi id nequeat, otioſam potius relinquere quam inique, & per uſuras agitare, ſeque lucra omnia, ſi ipſe iniqua cenſeat, reſtituturum: denique ſe malle ſuæ iacturam pecuniæ, ac fortunarum omnium quam animæ, atque ſalutis facere. Quare fidenter pronuntiet quid cenſeat; & ad omnia ſe obſequentiſſimum fore pollicetur.*

XII. Quis exemplo iſtius *Sempronii* ſe divini amoris igne ſuccenſum non experitur? Felices Confeſſarii, ſi tales ſemper haberent *Sempronios*, ad omnia conſilia ſuſcipienda promptos, paratoſque ad fortunarum omnium iacturam ſubeundam potius quam periculo æternum pereundi animam committere. Accipe nunc *Sulpitii*, docti probique Theologi, conſilium, quod tibi narrare perſequitur P. Gibalinus.

XIII. *Sulpitius reſpondet, illum deluſum fuiſſe, & in fraudem inductum, uſuram, & iniuſtitiam, quamvis ignarum & invitum, commiſiſſe. Itaque illi auctor eſt ut deinceps ab huiuſmodi iniquo commercio abſtineat, repetat ſuam pecuniam, & in alia quæpiam lucra legitima impendat, reditus annuos, aut prædia coemat, uſuras acceptas reſtituat, aut ſibi condonari a ſuo mercatore procuret.* Reſpondet *Sempronii* pietati, ſinceritati, & ſanctitati prudentia, zelus, & chriſtiana *Sulpitii* Theologia.

XIV. Aures arrigito, animumque intendito, ut audias P. Gibalinum irruentem, atque his verbis declamantem in miſerum *Sulpitium* Theologum *Antiprobabiliſtam. Dico EGO*, Sulpitium *hoc reſponſo imprudenter abuſum eſſe* Sempronii *facilitate, illique gravem intuliſſe iniuriam, atque etiam damnum, quod REPARARE TENETUR. Quæ omnia ſigillatim oſtendo... Qui enim ex conſcientia probabili* (N. B.) *operatur, ex recta conſcientia, & legitima operatur... Ille porro agit ex conſcientia probabili qui opinioni practice probabili inſiſtit. Ergo &c.*

XV. Lugendum ne hic eſt, an exclamandum? O tempora! O mores! Sulpitius abutitur facilitate Sempronii pœnitentis, parati ad tutiſſimam doctrinam ſuſcipiendam? Reus eſt, quod tam piis votis obſecundavit? Ut tuis armis iugulum

tuum

Digitized by Google

tuum petam: ſi qui ex opinione probabili operatur, prudenter operatur; *Sulpitio* autem probabilis opinio eſt quæ uſuræ damnat contractum triplicem; cur ergo eumdem *temeritatis*, *imprudentiæ*, *iniquitatis* arguis? Sed meis te premere armis volo. Concedere tibi gratis volo, probabilem eſſe opinionem tuam, quam falſam, chimæricam, bonoque ſenſui adverſam mox oſtendam. Quid inde? *Sulpitius*, Romanæ Sedis auctoritate præſertim fultus, *probabiliorem*, immo unice veram, reputat ſuam ſententiam. Pœnitentem *Sempronium* videt Dei amore ſuccenſum, ſalutis ſuæ deſiderio flagrantem, ad omnium divitiarum iacturam ferendam paratiſſimum, ut perdendæ animæ periculum declinet. Et *Sulpitius imprudens*, *temerarius*, *iniquus* erit, quod tam pio Chriſtiano ſecuriorem viam attingendi portum aperiat? Quis vel laxiorum Caſuiſtarum umquam dixit, ſub letalis culpæ pœna amplectendam eſſe opinionem minus probabilem? Quis umquam negavit, Chriſtiano optime parato ſuadendam eſſe ſaniorem doctrinam? Quid quod in materia iuſtitiæ vel ipſorum Probabiliſtarum plures *Probabiliſmum* damnant? Reſtitutioni ne ſubiicies, & peccati damnabis iudicem, qui iuxta ſecuriorem doctrinam de iuſtitia controverſias dirimit? Sed quid te, Gibaline Pater, argumentis urgeo? Nonne ipſe faſſus ſupra es, hunc contractum *timide admodum* inventum eſſe? Nonne omnes iſtius contractus inventores, & fautores clamant, eumdem eſſe aleæ plenum; tutumque eſſe ab eodem abſtinere? Et tu, homo Dei, imprudentiæ, pravitatis, & temeritatis damnas *Sulpitium*, quod optimo Chriſtiano *Sempronio* ſuadeat doctrinam tutam, ab omni periculo Deo diſplicendi, proximumque lædendi immunem? Huccine malorum Probabiliſmus detrudit? Si plura de hoc cupis, lege citatum noſtrum tractatum *diſſ.* II. *cap.* III. ubi fuſe reſcripſi doctrinam P. Gibalini, & pluribus eamdem profligavi.

§. IV.

Luculenta rationum momenta, quæ evincunt, contractum trinum eſſe merum figmentum caſuiſticum, ſpectatis dumtaxat contractuum naturis mutuo pugnantibus.

I. Natura ſocietatis quatuor conſtat, conſenſione voluntatum, perſonarum coniunctione, rerum operarumque collatione, lucri damnique communione. Contractus trinus, ſi factum ſpectes, chimæra eſt. Quænam inter hos contrahentes *fraternitatis* neceſſitudo? Quænam *amicitiæ* fœdera? Quænam inter eos communis *arca*, in qua collocanda pecunia ſit? Quænam bonorum, & damno-

rum *communio?* Quid quod mercator acceptam pecuniam pro ingenio diſtrahit, aut in latifundia emenda, aut in filiam nuptui tradendam, aut in negotia arbitraria, ſocio inconſulto? Nec ſocius pecuniæ collator de hoc queritur; immo ne cogitat quidem. Societas ergo iſta, ſi vel ipſum *factum* ſpectes, chimæra caſuiſtica eſt, ad tegendam uſuræ iniquitatem excogitata ab *ingenioſis Theologis*, inquit P. Tamburinus.

II. Secundum rationis momentum arceſſo ex natura primi contractus ſocietatis, cui repugnant duo adiecti contractus, aſſecurationis, & venditionis reſpectu eiuſdem perſonæ. Ut argumentationis efficacitatem teneas, præmoneo, nullum nunc eſſe de iniuſtitia, aut uſura iſtius contractus ſermonem. Sola ſocietatis eſſentia expenditur. Quibus poſitis, hanc formo argumentationem.

III. Contractus ex tribus ſpecie diverſis, & mutuo pugnantibus contractibus coaleſcens, figmentum eſt, ſola mente conceptum. Eiuſmodi eſt contractus trinus. Ergo chimæra. Probo minorem. Naturam primi contractus ſocietatis perſpectam ex iis quæ dixi, habes. Quæ ſit aliorum contractuum natura, expono. Eſſentia ſecundi contractus *aſſecurationis* ſuſcipit rei alienæ periculum. Periculi iſtius præſtatio, ſeu ſuſceptio, excludit omnem *communionem* damni & lucri, ſocietati neceſſariam. Eſſentia tertii contractus venditionis & emptionis lucri maioris ſperati transfert dominium a venditore in emptorem eiuſdem lucri ſperati ex negotiatione: quod dominium eſſentialiter in ſocietate commune ſit neceſſum eſt. Poſito autem venditionis contractu, nullo modo venditor, & emptor communicant in hocce dominio, quo, iure emptionis, emptor ſolus potitur, & iure venditionis, venditor omnino caret. Ergo contractus triplex, ex his tribus contractibus mutuo eſſentialiter pugnantibus conflatus, larva, & chimæra eſt. Nec eſt quod reponas, pretio redimi periculum iſtud, & æqualitatem conſtitui. Quoniam, ut dixi, non de iuſtitia, ſed de contrarietate, & pugna horum contractuum nunc nobis certamen eſt. Tollatur duabus pactionibus adiectis, per me licet, iniuſtitia, inæqualitas, uſura, de quibus infra. At non aufertur propterea implacabilis pugna, & oppoſitio, qua ſe mutuo hi tres contractus perimunt, & deſtruunt. Sed, ſocietate perempta, fatentibus omnibus adverſariis, lucrum eſt uſurarium. Ergo chimæricum fateri contractum trinum coguntur.

IV. Evidentius expono eſſentialem contradictionem. In hoc triplici contractu idem omnino *Sempronius* reſpectu eiuſdem rei haberet, & non haberet bonorum, malorumque communionem; eſſet, & non eſſet rei periculo obnoxius. Haberet periculum rei ſuæ, quia ſocius; non haberet, vi aſſecurationis emptæ. Haberet ius ad lucrum, quia *ſocius*; non haberet, quia illud *vendidit*. Socius operarius haberet lucrum incommunicabile, quia, ut *emptor*, eiuſdem abſolutus evaſit dominus; haberet vero communicabile, quia *ſocius*. Periculum pecuniæ aſſecuratæ ſub-

Digitized by Google

ſubiret ſolus, quia *aſſecurator*; non ſubiret ſolus, quia *ſocius*. Hæ manifeſtæ contradictiones occurrunt reſpectu eiuſdem omnino & rei, & perſonæ. Heinc collige quam puerilis, & levicula ſit adverſariorum argutatio, cui unice fidunt. Poteſt contractus aſſecurationis iniri cum tertio: ergo & cum ſocio. Non advertunt acuti Logici, ad tollendam contradictionem, & pugnam ſat eſſe variari *ſubiectum*, ſeu perſonam. Sed de hoc infra.

V. Nimis metaphyſica hæc ſunt, inquis. Habeto eadem faciliori expoſita ſermone. Cautione poſita de ſorte præſtanda, & lucro maiori incerto vendito pro minori certo, quid remanet ſocietatis? Remanet, ſubdis, dominium penes deponentem pecuniam. Remanet, quia dicis; non remanet, quia illud vendidit. Evinco. Eſſentialis dominii proprietas eſt ut res domino ſtet, aut cadat. Si hæc a dominio auferas, non minus dominium deſtruis, ac deſtrueres hominem, ſi ab eodem ratiocinium auferres. Remanet, inquis, dominium apud deponentem: quia ſocius operarius nequit pro arbitrio pecuniam niſi in negotiationem diſtrahere. Hæc, ut vidimus, manifeſta falſitas eſt. Immo, quia reipſa pro arbitrio, poſitis duobus contractibus, illam pecuniam aut ad prædia emenda, aut in commercia ineunda, aut in filias nuptui tradendas diſtrahunt, ſocietatem chimæricam diximus. Sed verum ſit quod reponis. Ergo hæc ſocietas pluſquam leonina eſt. Nulli incommodo ſubiacere vis, nullique periculo; & una arctate ſocium contendis, ut nonniſi in eam quæ tibi arridet, negotiationem diſtrahat pecuniam illam quæ unico illius commodo, & incommodo ſtat? Tyrannidem, non ſocietatem, non fraternitatem, hæc ſapiunt.

VI. Reponis. Contractus aſſecurationis eſt præter, non contra naturam ſocietatis; quemadmodum non contra, ſed præter naturam eſt commodati, locati, depoſiti. Hæc exempla iugulum tuum petunt. Socius accipit pecuniam conſumendam. Depoſitarius cuſtodiendam, eamdemque numero reſtituendam: idcirco depoſitarius aſſecurare pecuniam ſub depoſito acceptam poteſt. Concede depoſitario non cuſtodiam tantum, ſed uſum pecuniæ cum onere reſtituendi tantumdem, quid tum? Depoſitum immigraret in mutuum; & dominium transfiret in depoſitarium, ſeu mutuatarium. Quod ſi velis, cum natura depoſiti uſum pecuniæ quam deponis, coniungere; tum chimæram ex duabus naturis mutui, & depoſiti oppoſitis conflas. Adverſarii, vim ratiocinii noſtri elevare neſcientes, ſe recipiunt ad paritates, ſeu *paritatulas*, quæ quemdam fucum imperitis facere valent, ob quamdam unius rei cum altera affinitatem; ut aliquo modo e vinculis elabantur. Sed ſophiſtarum hæ artes ſunt, non Theologorum.

§. V.

Duo contractus aſſecurationis, & venditionis lucri incerti maioris pro minori certo, adiecti contractui ſocietatis, figmenta ſunt.

I. ACumine abutuntur ſuo ingenioſi Theologi, dum contractum aſſecurationis in ſocietatis contractum intrudunt. Aſſecurationis contractus cum tertio verus contractus; cum ſocio pura putaque chimæra. Cervus ſua conſtat natura; hircus ſua: ſeparatim nullo modo pugnant; coniunctim hircocervi chimæram efficiunt. Aſſecuratio abſolute ſpectata, & in eum ob quem inſtituta finem eſt, peracta, legitimum contractum efficit. Contractui ſocietatis coniuncta in materia iuſtitiæ hircocervum conſtituit. Evinco. *Sempronius capitaliſta* quingentos ducatos *Caio mercatori* in ſocietatem tradit. Caius pecunia accepta merces emit aut in ſuis officinis vendendas, aut per mare, vel loca terreſtria periculis obnoxia ad alias nundinas aſportandas, vendendas, permutandaſve. De hoc facto diſſidium nullum. Si merces emit in propriis officinis vendendas, a quibus cavere periculis ſortem debet? A periculis maris, incendii, piratarum? locaris? A quibus ergo? A periculis debitorum, dum merces credito vendit? At pro cavendo periculo recipere *Caius mercator* a *Sempronio capitaliſta* pretium nullo modo poteſt: tenetur enim *Caius mercator* ſocietatis iure eam præſtare diligentiam quam in re propria adhiberet, ut emptoribus qui ſint ſolvendo, merces vendat. Quod ſi de illorum fidelitate ambigat, pignus poſtulare debet. Nec maior in ſocietate deſiderari diligentia poteſt. Pretium ergo pro iſtius diligentiæ, vi ſocietatis præſtandæ, aſſecuratione exigere non valet. An aſſecurationem de ſui ipſius fidelitate præſtare debet? At quis umquam ab orbe condito aſſecuravit ſe fore in miniſterio fidelem, & pro tali aſſecuratione pactum pretium recepit? Quis nunc eſt qui non videat quam ſit ridicula, quam vana, quam lepida eiuſmodi aſſecuratio?

II. Quid ergo ſupereſt niſi ut aſſecuratio præſtetur de iacturæ periculo, aut diminutionis ſortis præter ſpem negotiationis obvenientis? Merces enim marceſcere, creſcere, decreſcere pretio valent: tractandæ, cuſtodiendæ, diſtrahendæ a famulis mercatorum ſunt. Ab his periculis *Sempronius capitaliſta* poſtulat ſibi aſſecurari a *Caio* ſocio *mercatore*. Verum pericula hæc intrinſeca ſunt negotiationi. *Sempronius*, fatentibus adverſariis, vult ſocietatem, vult negotiationem. Vult negotiationem? Ergo neceſſario vult pericula quæ intima, & inſeparabilia a negotiatione ſunt. Alioquin non ſocietatem, non negotiationem, ſed chimæram vellet. Ergo aſſecura-

ra-

rationem ab his periculis negotiationi inſitis recipere, ſeu emere nullo iure Sempronius valet. Intelligant ergo acuti iuniores, aſſecurationem fieri dumtaxat poſſe de periculis extrinſecus negotiationi obvenientibus, quæ vocantur pericula iuris, non facti.

III. Luculentiſſimo exemplo doctrinam explico. Cedo. Cur *Caius* mercator, & ſocius cautionem *Sempronio* præſtat; cum illius induſtria ſæpe pecuniæ valorem æquet? Caſum ſub oppoſito aſpectu expendamus. *Sempronius* capitaliſta *Caii* mercatoris ſocii operas, induſtriamque aſſecuret, ita ut ſi negotium ſiniſtre vertat, debeat *Sempronius* operarum, induſtriæque valorem *Caio* ſocio mercatori ſolvere. Quæro: eſt ne iſthæc aſſecuratio? Minime, inquis. Cur? Quod periculum amittendæ operæ, induſtriæque intimum eſt negotiationi. Quoties enim *Caius* mercator ſubire periculum iſtud refugit, exigitque pro ſua induſtria & opera mercedem, locat operas, & negotiationem prorſus reſpuit. Tranſiret ergo tum aſſecuratio in locationem. Simili omnino ratione, dum *Sempronius* capitaliſta ſubire recuſat pericula negotiationi intrinſeca, ſed pacto pretio eadem in *Caium* ſocium reiicit, neceſſario reſpuit negotiationem, ab his periculis inſeparabilem, vultque purum mutuum. Quandoquidem ſicuti abſque pecunia negotiatio non conſiſtit, ita neque abſque labore, & induſtria; ſed ex his duobus coaleſcit. Ergo ſi induſtriæ, & operarum *Caius* ſocius aſſecurationem, ſocietate conſiſtente, exigere nequit, pariter nec *Sempronius* capitaliſta petere poteſt ut *Caius* ſocius aſſecurationem præſtet de ſortis periculis, quæ intrinſeca ſocietati ſunt, non ſecus ac induſtria negotiationi. Provoco omnes Probabiliſtas, ut quid diſcriminis aſſignent; Porro ſi merces emptæ per loca aut maritima, aut terreſtria tranſvehendæ eſſent; tum aſſecuratio locum haberet, quatenus a periculis extrinſecus advenientibus cavere ſortem aſſecurator deberet. Tum enim ſi ſors aut piratarum rapinis, aut maris naufragio periret, reſtituere illam aſſecurator deberet. Verum nunc ſermo non eſt de hac aſſecuratione, quæ eſt contractus aleæ, ut infra dicetur; & a ſolis periculis *iuris*, ſeu extrinſecus advenientibus indemnitatem præſtat. Loquimur nunc de aſſecuratione a periculis quæ negotiationi intrinſeca ſunt. Nam iuxta regulas veræ aſſecurationis, ſi merces evadant pericula maris, piratarum, incendii &c. pereant vero in negotiatione, vel quia marceſcunt, vel quia pretio decreſcunt, & tandem ſub finem negotiationis in nihilum recidant; nihil reſtituere aſſecurator debebit: quia tantum de tribus, quatuorve periculis, extrinſecus contingentibus, cautionem ſpopondit. Verum aſſecuratio caſuiſtica, contractui trino adiecta, ab omnibus periculis tum extrinſecis, tum intrinſecis cavere debet: & ideo imaginaria, inaudita, chimærica, ut ego arbitror.

IV. Tertius contractus, quo lucrum maius incertum pro minori certo venditur, non minus commentitius eſt. Nam poſito ſecundo aſſecurationis contractu,

Digitized by Google

iam ſors perit, vel frugifera, ſeu lucroſa evadit aſſecuratori. Ergo lucrum quod ex tali forte redit *Caio* aſſecuratori, emptionis materia non eſt: & *Sempronius* iniuſte vendit quod ſuum non eſt. Præterea quodnam pretium ſolvitur in hoc contractu? Diminutio futuri lucri, quod forte percipi, & non percipi poteſt. Porro diminutio futuri lucri incerti ſperati, pretium aſſecurati lucri certi, quantumvis minoris, eſſe nequit, ut omnia iura clamant. Omnia ergo in contractu hoc triplici commentitia. Ficta ſocietas, aſſecuratio chimærica, ficta venditio, ficta emptio.

§. VI.

Iniuſtitia triplicis contractus evidenter demonſtratur.

I. SOcietas quæ omnia pericula in unum ſociorum reiicit, leonina eſt, & iniuſta. Verum eſt, inquis, niſi pericula hæc pacto pretio compenſentur. Quodnam pretium iſtud? Diminutio futuri lucri. Sed quid hoc aliud, quæſo, eſt, niſi quod merx ſit ſimul & merx, & pretium; cum pretium extrahendum ſit ex fructu eiuſdem mercis? Præterea lucrum futurum poteſt, & non poteſt evenire. Nulla autem æqualitas inter mercem certo reſtituendam una cum pretio ſolvendo, & lucrum futurum incertum, licet maius. Hoc lucrum futurum incertum æquare ne poteſt & ſecuritatem ſortis certo reſtituendæ, & ſecuritatem pretii certi in omni eventu ſolvendi? Horrorem inæqualitatis exemplo declaro. *Sempronius* cum *Caio* mercatore ſocietatem init in annos decem. Confert *Sempronius capitaliſta* mille ducatos negotiandos. *Caius* ponit induſtriam, & operas, quæ pecuniæ plus minuſve valorem æquant. Paciſcuntur, quod *Caius* præſtare ſortem debeat, elapſo decennio, & ſingulis annis ſolvere quatuor in centum. *Sempronius* nec obolum numerat pro lucro certo ſolvendo; ſed totum pretium deducendum erit ex maiori lucro futuro incerto ex negotiatione percipiendo. Primo, aut ſecundo anno Caius naufragio, vel incendio, vel furto capitale integrum amittit. Quid in hoc eventu & probabili, & non raro? Quid? Iuxta patronos contractus trini *Caius* ſocius ſolvere quotannis quadraginta ducatos debet; & decennio elapſo reſtituere integram ſortem debet. Proventus annualis ſolvitur, ſocietate ſublata. Proventus ergo uſurarius eſt adverſariorum confeſſione. At, uſura miſſa, de qua infra, ubi æqualitas, ubi iuſtitia?

II. Alio ex capite demonſtro iniuſtitiam huius triplicis contractus. Ut ſecuritatis pactum iuſtum ſit, pretium ſolvendum eſt proportionatum periculo ſortis præſtandæ. Porro aſſecuratio quam pro trino contractu excogitarunt ingenioſi Theologi, adeo ſingularis & peregrina eſt, quemadmodum ſupra indicavi, & nunc

Digitized by Google

nunc oſtendo, ut nemo rei mercatoriæ peritus illius meminiſſet, niſi acuti iuniores quidam Theologi illam vanis ſpeculationibus evulgaſſent. Contractus a ſecurationis, quem iura admittunt, de hoc, aut illo iuris periculo, extrinſecus contingente, cavet, nempe a piratarum incurſione, a tempeſtatis naufragio, ab incendio &c. Aſſecuratio hæc caſuiſtica, adiecta trino contractui, cavet ab omnibus periculis tum extrinſecis, tum intimis mercaturæ, uſque ad negotii conſummationem. Cavet a periculis terræ, maris, diminutionis pretii, difficilis venditionis, mercium corruptionis: a periculis infidelitatis famulorum, vel emptorum, qui decoctores fiant. Ubinam ſimile aſſecurationis ſpectrum? Quis prudens, niſi ſit neceſſitate habendæ pecuniæ coactus, ſimilem præſtabit, aut præſtabit umquam aſſecurationem?

III. Sed finge, aliquem talem præſtare aſſecurationem, ſicut reipſa præſtant trini contractus ſocii: quodnam tum pretium iuſtum, quod tam amplæ aſſecurationi reſpondeat? Animadvertunt rei negotiatoriæ peritiſſimi, adeo magnum debere eſſe pretium, omnibus his de quibus cavetur, periculis reſpondens, ut nulla apud nos negotiatio illud pariat. Deberet negotiatio reddere ſaltem quadraginta in centum. Nam magna iſtius lucri pars detrahenda eſt ad aſſecurandum caput, ſeu capitale ſocii mercatoris, nempe induſtriam, & operas quas ipſe ponit. Altera æqualis pars ad aſſecurandam pecuniæ ſortem. Poſtremum altera portio ad ſolvendum incertum maius emptum pro minori certo. Hæc ſola tria capita abſorbent quodcumque negotiationis, etiam fecundiſſimæ, lucrum. Et tamen duæ adhuc portiones ſupereſſe deberent. Altera pro ſolvendo certo minori proventu quatuor, aut ſex in annos ſingulos. Et tandem altera portio pro ipſo ſocio negotiatore. Hæc obvia ſunt, & ſub ſenſu cadunt, ut inquit Cardinalis de Luca, cuius auctoritas in hac materia prævalet non parvo Caſuiſtarum manipulo. Is *Lib. V. de uſur. diſcurſ.* 1. *num.* 16. hæc ſcribit. *Hoc autem impracticabile videtur in lucro retrahendo ex pecunia numerata. Quoniam ad effectum ut creditor, ſeu mutuator aſſecuratus tam de ſorte, quam de lucro obtineat quinque pro centenario, oporteret dare lucrum in pluſquam quadraginta pro centenario, dum ex lucro detrahere prius oportet portionem quodammodo colonicam, debitam ipſi mutuatario, tamquam ſocio ponenti operas, pro iſtarum congrua, & proportionata remuneratione. Deinde vero de eo quod ſupereſſet ad commodum creditoris, tamquam ſpecies portionis dominicalis, detrahenda eſt magna, & notabilis quantitas, quæ veriſimiliter ſit congrua merces dictæ duplicis aſſecurationis, etiam a quolibet tertio negotiatore faciendæ, quod videtur impracticabile.* Hoc idem advertunt duo celebres Theologi Siculi, *Minutulus*, & *Gennarus*. Porro negotiationes noſtræ, etiam fecundiſſimæ, vix duodecim, aut quindecim in centum reddunt; ut rei mercatoriæ periti teſtantur. Ubi ergo æqualitas, ubi proportio,

quam iactant trini contractus patroni? Nonne evidens argumentatio hæc eſt, ab ipſius artis experientia arceſſita, quæ iniuſtitiam contractus trini pateſacit? Faceſſant ergo a ſcholis noſtris inanium ſubtilitatum nugæ, dum de praxi, & reali commercio ſermo eſt. En quam futilis ſit cavillatoria illa argutatio, cui maxime fidunt adverſarii. *Aſſecuratio licita eſt cum tertio: Ergo & cum ſocio*. Tertius ſortem cavet ab hoc vel illo periculo extrinſecus contingente, accepto pretio. Socius inauditum aſſecurationis portentum præſtat: cavet enim de omnibus periculis poſſibilibus tum extimis, tum intimis, tum iuris, tum facti uſque ad negotii conſummationem, nullo certo pretio accepto; ſed totum illius & pretium, & lucrum ſitum eſt in fallaci ſpe incerti magni lucri. Hæc omnia ſimul accepta luce clarius evincunt iniuſtitiam iſtius chimærici contractus; atque commentum eum eſſe vaniſſimum pateſaciunt.

§. VII.

Contractus trinus larvata uſura pollutus. Dominici Soto *argumentatio luculenta*. *Reſponſa* Navarri, Leſſii, Gibalini *vana*. *Theologorum, & Canoniſtarum auctoritate confirmatur ſententia noſtra*.

I. Paucis perſtringitur argumentatio qua P. Dominicus *Soto* contra Navarrum trini contractus uſuram evincit. Contractus ſocietatis, duabus aliis pactionibus circumſcriptus, recidit in merum mutuum. Quoniam pecunia in ſocietatem primum collata, accedentibus aliis duobus contractibus, in dominium immigrat ſocii mercatoris. Ergo tranſit reipſa in purum mutuum.

II. Negant adverſarii dominii tranſlationem, non ratione aliqua, ſed neceſſitate negandi uſurarium contractum ducti. At illos ſic ad incitas redigo. Tota dominii natura in hoc ſita eſt, quod dominus poſſit pro libito de re cuius dominio potitur, diſponere. Hæc eſt tota dominii natura. Ex qua conſequitur quod ſi res pereat, domino pereat; ſi ſtat, domino ſtet. Contingere poteſt ut res pereat, & non domino; quemadmodum patet in aſſecuratione ab hoc, vel illo periculo iuris: tum enim perit aſſecuratori, & non domino. Si tamen ſtat, non aſſecuratori, ſed domino ſtat. Quamobrem fieri nequit ut res alicui pereat, & ſi non pereat, eidem remaneat; & ſimul dominus non ſit. Atqui in trino contractu, ſi pecunia perit, ſocio mercatori perit; ſi ſtat, eidem ſtat. Ergo verus eiuſdem dominus.

III. Reſpondet P. Gibalinus *Lib. VI. cap. III. art. 3. num. 5.* ex Navarro, Leſſio,

ſio, ceteriſque aſſeclis, argumentationem *Soto* inſtingi exemplis commodatarii, depoſitarii, locatarii. Exempla hæc tantis Theologis digna non ſunt. His exemplis utuntur Calvinus, Molinæus, Salmaſius, & omnes uſurarum patroni. Contendunt hi, quod ſicuti locatur domus, ager, equus, ita locari pecunia poſſit. Omnes Catholici negant, locari pecuniam poſſe. Et omnes fatentur, licitam eſſe locationem domus, equi, agri &c. ob rationes quas ſupra dedi larga manu. Pudere ſane adverſarios deberet talia obtrudere exempla, quæ errorem hæreticorum confirmant, ſeu ab ipſis hæreticis decerpta ſunt. Manifeſtum quippe eſt Calvinum, Molinæum, Salmaſium, ceteroſque primos fuiſſe qui iſtis exemplis uſi ſunt, ut licitam pecuniæ locationem evincerent. Alterutrum ergo neceſſarium. Aut exempla hæc futilia, vana, inepta ſunt; aut ſi quid probant, evincunt uſuram licitam eſſe.

IV. Intelligant ergo tandem aliquando adverſarii, nos non inferre ex quacumque aſſecuratione dominii translationem; ſed tantum ex aſſecuratione rei quæ uſu conſumitur, quæque proprie mutui materia eſt. Et quia in contracta trino aſſecuratur modo dicto pecunia, quæ uſu conſumitur; ideo neceſſario eiuſdem dominium transfertur. In domo, equo, agro locatis, vel commodatis uſus diſtinguitur a rei ſubſtantia: ideo aſſecuratio non transfert dominium, ſicuti nec locatio.

V. Reponunt Leſſius, Lugo, Gibalinus, & alii. Socius operarius nequit pro arbitrio in quoſcumque uſus acceptam pecuniam diſtrahere; ſed tantum negotiationi applicare. Ergo non eſt eiuſdem dominus. Aut verum eſt antecedens; aut falſum. Si ſecundum, lis finita eſt. Si primum: ergo nova iniquitas in contractu trino. Proprietas dominii eſt quod res commodo, & incommodo domini ſtet. Sed in contractu trino reipſa ſic ſtat pecunia ſocio operario. Ergo is dominus verus eiuſdem eſt. Quo poſito, nova iniquitas eſt in trino contractu, quod veri domini vinculis devincire manus velis, ne is valeat in quoſcumque uſus rem ſuam diſtrahere. Si res perit, eidem perit; ſi lucrum parit, eidem parit. Et uti eadem ad libitum nequit? Quæ maior iniquitas quam talem impedire voluntatem? Quid, amabo te, intereſt creditoris capitaliſtæ, quod ſocius operarius in quoſcumque uſus pecuniam acceptam diſtribuat? Pecunia creditoris aſſecurata eſt. Proventus certi, ſimulque ſecuri. Anne creditori quidpiam creſcit, vel decreſcit, quod ſocius operarius pro arbitrio pecuniam applicet vel prædiis, & cenſibus emendis, vel filiæ maritandæ, vel negoriationi exercendæ? Nihil ſane, ſi contractus trini natura ſpectetur. Ergo irrationabilis, ſtulta, & iniqua eſt creditoris illius voluntas, quæ liberam ſocio operario impedit diſpoſitionem, ex qua neque commodum ille percipit, neque detrimentum patitur; ſed hæc omnia ad ſocium pertinent.

Digitized by Google

VI. Evidentiſſima hæc ſunt. Verum quia, his conceſſis, uſurarius contractus neceſſario apparet: ideo adverſarii voce tenus, ſophiſtarum more, negant hanc dominii translationem. Sed præter argumentationem factam eoſdem redarguunt omnes, quotquot medio contractu trino pecunias tradunt mercatoribus. Illi omnes clamant: Ideo ſimplicem reſpuimus ſocietatem, ut moleſtias, turbationes, incommoda declinemus. Quia ſocii mercatores audaces ſunt, & temerarii, qui pecunias noſtras, in ſimplicem ſocietatem acceptas, exponunt mercaturis, & negotiationibus periculoſiſſimis, ingentis lucri cupiditate ſuccenſi; ideo ut hæc nos pericula declinemus, & illi libere negotiari valeant, parvo contenti ſumus lucro, ut tranquille vivamus. Pro libito ſocii pecunias applicent, dummodo ad nos vivum tutum, ſecurique proventus præſtituto tempore redeant. Quid noſtra intereſt quod ſocius vel in prædia, vel in hanc aut in illam negotiationem pecuniam diſtrahat? An ex hac præ illa applicatione creſcunt proventus noſtri?

VII. Heinc altera eruitur argumentatio. *Sempronius* capitaliſta, celebrato trino contractu, omnem maioris lucri ſpem præſcidit. Ergo & negotiationi ſe ſubduxit. Finis quippe negotiationis lucrum eſt. Ergo dum lucro renuntiat, negotiationem reſpuit. Qui enim finem recuſat, & ea quæ in finem tendunt, reiiciat neceſſum eſt.

VIII. Inſiſtunt Leſſius, Gibalinus, Lugo, & ceteri. Etiam contractu trino poſito, ſemper periculum remanet ne mercatores decoctores fiant. Verum habet. Sed hoc periculum non oritur ex contractu; immo vi contractus omne periculum ceſſat. Quemadmodum nullum periculum adeſt, dum pecuniam in ſcrinio clauſam habes; & tamen perire furto, incendio, aliove eventu poteſt. Similiter in præſentia. Vi triplicis contractus periculum quod aliunde oriri pericula poſſint, non tollit uſuram contractus trini. Numquid in venditione, & quolibet alio contractu excedere iuſti pretii limites vales, quia pericula contingere poſſunt, ut emptores decoctores fiant? Si hoc afferatur; nulla amplius in commerciis iuſtitia, fides nulla. Verum de hoc plura iam dicta ſunt. Inſtat P. Gibalinus: Si eſſet mutuum, non eſſet neceſſarium pactum aſſecurationis. Effugium lepidum. Societas non eſt mutuum ante pactum aſſecurationis; ſed, pacto adiecto, ſocietas immigrat in mutuum. Non modo ergo iniuſtus eſt contractus trinus, & chimæricus, verum etiam uſurarius, quemadmodum illum definivit Sixtus V.

IX. Præter auctoritatem ſummorum Pontificum, & invicta rationum momenta quæ hactenus expoſui in favorem ſententiæ noſtræ, accedit quoque graviorum Theologorum patrocinium. Eam defendunt *S. Thomas*, *S. Bonaventura*, *S. Raymundus*, *S. Antoninus*, *Gerſon*, & omnes qui ante *Maiorem* ſcripſerunt. Ex recentioribus

Caie-

Digitized by Google

Caietanus, *Mercadus*, *Soto*, *Bannez*, *Ledeſma*, *Ioannes a Cruce*, *Ioannes a S. Thoma*, *Pradus*, *Tapia*, *Minutulus*, *Natalis ab Alexandro*, *Gennarus*, *Billuart*, *Rebellus*, *Sylvius*, *Azorius*, *Aragonius*, *Azorius Gaytte*, *Steyart*, *Gennetus*, *Henricus a S. Ignatio*, *Eſpeio*, *Ballerinus*. Ex Canoniſtis *Accurſus*, *Ancharanus*, *Calderinus*, *Parladorius*, *Sarmiento*, *Filliucius*, *Gomez*, *Raphael a Fume*, *Binsfeldius*, *Panormitanus*, *Cardinalis de Luca*. Mitto celebres Iℂtos. Lege *diſſ.* IV. *de uſura contr. trin.*

§. VIII.

Diluuntur adverſariorum ſophiſmata. Argumentationes P. Leſſii, & P. Viva expenduntur.

I. ILlud ſemper mirandum, & ſerio meditandum eſt, quod ingenioſi iuniores nullum Eccleſiæ documentum, nullum alicuius, ſive Epiſcopi, ſive Synodi, decretum allegare in ſubſidium propriæ opinionis hactenus potuerint. Sed hoc illis in more eſt. Opponit quidem P. Gibalinus cap. *Per veſtras* &c. Sed hæc eſt, inquit Cardinalis de Luca, *manifeſta fallacia*. Vide *loc. cit. diſſ.* III. *cap.* I. *§.* 2. P. Gibalinus prolixum Auctorum cenſum texit. Citat *Angelum*, *Sylveſtrum*, *Fumum*, *Tabienam*, *Gabrielem*, *Maiorem*, *Ekium*, *Angles*, *Medinam*, *Toletum*, *Garziam*, *Valentiam*, *Lopez*. Qui omnes expungendi ex eiuſdem catalogo ſunt, partim quod de trino contractu non loquantur, partim quod *Maior*, *Lopez*, & *Garzias* trinum contractum proponant tamquam fraudum, & uſurarum periculis obnoxium.

II. Ceteri Theologi, citati a P. Gibalino, ſunt *Leſſius*, *Molina*, *Caſtropalaus*, *Bonacina*, *Homobonus*, *Malderus*, *Megala*, *de Lugo*, *Scortia*, *Reginaldus*, *Filliucius*, *Salon*, *Diana*. Citat quoque plures Canoniſtas, quorum plures oppoſitum docere adverti *de uſur. contract. trin. diſſ.* III. *cap.* I Exiguus quatuordecim Probabiliſtarum manipulus quidquam ne probabilitatis tribuere poteſt opinioni quam Sixtus V. teſte BENEDICTO XIV. tot Univerſitates, tot Synodi, tot Epiſcopi, & nobilior Theologorum pars, ut pravitate uſuraria plenam, damnant?

III. Obiiciunt 1. Liciti ſunt hi tres contractus cum tribus perſonis. Ergo & liciti cum eodem ſocio. Contractus qui ſeorſim iniri valent, quidni ſimul celebrari poſſunt? *Iſta ſiquidem* entia moralia (inquit P. Gibalinus loc. cit.) *ex pluribus etiam in ſeſe integris, & perfectis coaleſcere per unionem quamdam moralem poſſunt*. Quid hanc unionem impedit? Non iniuſtitia, non uſura. Ergo liciti.

IV.

Digitized by Google

IV. Reſp. Hoc ſophiſma plane ineptum non plus virium habet quam iſta. Petrus eſt prædeſtinatus, Iudas eſt reprobus: ergo idem Petrus prædeſtinatus, & reprobus eſſe poteſt. Licitæ ſunt plures uxores ſucceſſive: ergo licita eſt ſimultanea uxorum multitudo. Contractus emptionis, & revenditionis licitus eſt cum diverſis perſonis: ergo *contractus mohatra licitus eſt etiam reſpectu eiuſdem perſonæ*. Hæc ſunt maſcula adverſariorum ratiocinia.

V. P. Leonardus Leſſius poſt Sixti V. conſtitutionem damnantem contractum trinum, præ aliis omnibus non modo eiuſdem contractus defenſionem ſuſcepit; ſed in ſanæ doctrinæ propugnatores invectus eſt, veluti in eos qui *propter umbras* turbarent pacem, & publicam commerciorum felicitatem, viduarum, pupillorum, nobilium commoda impedirent. Porro is qua ratione defendit contractum *mohatra*, eadem defendit contractum trinum. Probo. P. Leſſius *Lib. II. cap.* XXI. *dub.* 16. *pag. mihi* 223. *num.* 130. hac ratione defendit contractum *mohatra*. Proponit titulum. *Utrum venditiones, & emptiones reciprocæ eiuſdem rei diverſo pretio, quas Hiſpani vocant Baratas, & Mohatras, ſint licitæ?* Et expoſito contractu reſpondet. „ Quidam DD. exiſtimant id eſſe iniuſtum, & palliatam „ uſuram, quando idem redimit qui vendidit. *Sed verius eſt non eſſe iniuſtum*, „ etiamſi revendat ipſe venditor, modo infra limites iuſti pretii conſiſtat .... „ Ratio eſt: quia & venditio *prima* iuſta eſt, cum fiat iuſto pretio, quamvis „ ſummo; & *ſecunda* etiam iuſta eſt, quia eædem merces revenduntur. Nec „ refert quod hæc revenditio fiat pretio infimo: tum quia pretium infimum eſt „ etiam iuſtum, præſertim in numerata pecunia: tum quia merces quæ a venditore ingeruntur, vileſcunt. Nec etiam refert quod idem ſit emptor qui ante erat venditor. QUIA SI ALIUS QUIVIS POTERAT ILLO PRETIO „ EMERE, CUR NON ET ILLE QUI VENDIDIT? "

VI. Imploro nunc defendentium contractum trinum ſinceritatem. Nonne ipſiſſimis rationibus defenditur contractus triplex ac contractus mohatra? Contractus venditionis ſeparatus eſt licitus, licet pretio ſummo. Contractus revenditionis ſeparatus eſt licitus, licet pretio infimo. *Nec refert quod idem ſit emptor qui ante erat venditor: quia ſi alius quivis poterat illo pretio emere, cur non & ille qui vendidit?* Contractus *aſſecurationis*, & contractus *venditionis* liciti ſunt ſeparatim, & cum tertio: ergo liciti ſunt coniunctim cum eodem ſocio. Sunt ergo illæ ipſæ rationes & pro contractu mohatra, & pro contractu trino. Damnatus eſt contractus mohatra. Ergo damnatus eſt contractus trinus. Contractus mohatra, in quo pactum prævium intervenit revenditionis, damnatus eſt. In contractu trino interveniunt expreſſa pacta aſſecurationis, & venditionis. Ergo vi iuſti ratiocinii tanta evidentia damnatus eſt contractus trinus, quanta evidentia damnatus eſt contractus mohatra.

VII.

Digitized by Google

VII. Hæc ſolum evincunt, inquient, damnatum eſſe contractum trinum. Scilicet. Hoc mihi ſat eſt. Plus non expoſco. Quorſum hæc oppoſitio? Quorſum? P. Leſſius non defenſitat contractum mohatra cum pacto prævio. Non? Propugnat contractum quem Hiſpani vocant *Baratas*, & *Mohatras*, quem poſtea damnavit Eccleſia. Quid plus exigis? Verum ne quis ſuſpicetur invidiam conflatam eſſe P. Leſſio, reſcribo quæ *loc. cit.* immediate ſubiicit. „ Adverte tamen, „ hunc modum contrahendi *ſæpe* non carere culpa in mercatore, qui ex COMPOSITO ita vendit, ut pretio infimo redimat. Nam primo peccare poteſt „ contra caritatem, *ut ſi cogat miſerum aliquem hominem* (quid, ſi miſer non „ ſit?) emere merces quibus non eget, *magno* (quid, ſi parvo?) *illius diſpendio; cum poſſit illi facile, & abſque ſuo incommodo mutuum dare. Secundo præbendo malum exemplum*. Nam contractus ille habet ſpeciem mali, & ſuſpicionem uſuræ. *Tertio ſeipſum, & ſuos infamando. Non tamen tenetur ad reſtitutionem, ut inquit Navarrus: quod intellige ex iuſtitia.* "

VIII. P. Dominicus Viva in hanc *prop.* 40. damnatam ab Innocentio XI. *num.* 1. inquit. *Communiter tamen docent apud Lugo . . . Leſſium . . . Dianam . . . eſſe iniuſtum, & uſuram palliatam continere. Nec reperio inter Auctores qui oppoſitum docuerit*. Ergo Innocentius XI. abſque neceſſitate propoſitionem chimæricam, a Catholicorum nemine propugnatam, damnavit. Numquid dum Romana Sedes, Epiſcoporum ſupplicatione exorata, opiniones erroneas, falſas, ſcandali plenas proſcribit, non Theologorum catholicorum, ſed Abyſſinorum, AEthiopum, Sinenſium opiniones damnat? *Communiter*, inquit P. Viva, *docent* Theologi noſtri eſſe *iniuſtum*. P. Leonardus Leſſius contra docet. *QUIDAM exiſtimant eſſe iniuſtum; ſed VERIUS eſt non eſſe iniuſtum*. Si huius tempeſtatis eruditi viri artem criticam adeo neceſſariam inculcant in detegendis Scriptorum erratis, quæ frequenter res nullius momenti ſpectant: quis explicare pro dignitate poterit iſtius critices neceſſitatem, qua opiniones illæ a quibus animarum ſalus pendet, manifeſtentur; & libri qui eaſdem continent, noti evadant lectoribus, ut ſibi ab eorumdem lectione caveant, aut caute eoſdem legant? Non raro P. Viva aut arbitrariis diſtinctionibus eludit propoſitiones damnatas; aut in Theologorum libris eas non reperiri indicat. Excuſanda ſemper eſt pia Auctorum intentio, quoad fieri poteſt; ſed caritatis erga Chriſti fideles habenda ratio eſt. Admonendi iſti ſunt, quibus in libris errores reperiantur, ne decepti pereant.

IX. Paucis ſophiſma, cui maxime fidunt adverſarii, refello. Plures contractus ſeparatim iuſti ſunt qui coniuncti iniuſti evadunt; ut patet ex cap. *Naviganti*, ex contractu *mohatra*, ex *fideiuſſione*, quæ cum mutuo, ſeu mutuatore componi nequit, & a tertio præſtari poteſt. Ut dixi ſupra, quando variantur perſonæ „ aufertur contrarietas, & uſuræ vitium. Aſſecuratio quæ a tertio præſtatur „ diverſi

verſi omnino generis eſt, & toto cælo diverſa, ut oſtendi, ab aſſecuratione quæ præſtatur a ſocio in trino contractu. Ergo præcipuum, & unicum fundamentum, cui adverſarii innituntur, ineptiſſimum ſophiſma eſt.

X. Obiicit 2. P. Leonardus Leſſius *cit. Lib. II. cap.* XXV. *dub.* 3. *num.* 25. ubi tandem reſtringit contractum trinum ad contractum innominatum. Lubet ipſius verbis oppoſitionem referre. „ Hinc patet hos tres contractus poſſe fieri per modum „ unius contractus innominati : *Do, & facio, ut des, & facias*; nimirum, tra- „ do tibi hanc meam pecuniam ad negotiandum, exponens eam periculo, & „ PRIVANS ME ILLIUS COMMODITATE, & do tibi totum lucrum, ut tu „ ea negotieris, & te obliges ad reddendam ſortem, & ad ſolvendum 6. & $\frac{1}{4}$ „ in centum. “ Concluditque : *Hic enim ſunt tres contractus a ſe mutuo independentes; ſed unus ſolus involvens omnia, quæ utrimque ſunt conferenda, & commutanda* .

XI. Ut mea minima præfert opinio, non plus docent Molinæus, Calvinus, Salmaſius, & omnes uſurarum patroni. P. Leſſius, ut verborum ſuperfluitatem declinet, hos tres contractus, tot conditionibus circumſeptos, ad ſimplicem, & unicum contractum innominatum revocat : *Do, & facio, ut des, & facias* . Chriſtus dicit : *Date mutuum, nihil inde ſperantes*. P. Leſſius contra dicit : *Da pecuniam, ut det 6. $\frac{1}{4}$ in centum*. Si hæc uſura non eſt, quænam erit? Falleris. Eſt contractus innominatus, *Do, ut des*. Peregregie. Etiam Molinæus, & ceteri omnes uſurarum patroni hoc titulo *contractus innominati* uſuram moderatam propugnant. Nec diſcrimen, præter vocum diverſitatem, imbecillitas mea deprehendit. Nam uſurarum fautores ſic argutantur. Lucrum ex pecunia mutuo tradita mercatori, eſt licitum : quia uſura moderata non eſt prohibita. Contra clamant Moraliſtæ iſti catholici : Omnis uſura a Deo vetita eſt ; ſed lucrum ex pecunia tradita mercatori, eſt licitum : quia non eſt ex vi mutui, ſed ex vi contractus innominati, *Do, ut des*. At malum! Nonne omnis ſenerator dicit, *Do, ut des?* An non iure clamat Franciſcus Budæus Lutheranus Mor. Inſt. II. Part. cap. III. ſect. 5. §. 27. *Turpiter autem hic ſe traducunt Pontificiorum Moraliſtæ, qui dum acriter contendunt, omnes uſuras eſſe illicitas, adeo ut hæreſis ſit, ſi ſenus carere peccato dicatur, lepidiſſimis tamen commentis, aliiſque rebus impoſitis nominibus, uſuris iniquiſſimis locum concedunt*. Oro, efflagitoque ut adverſarii aliquod verum diſcrimen, non vocale, ſed reale exhibeant inter hanc doctrinam P. Leſſii, & aliorum Moraliſtarum, ac errorem ſenebrem quem propugnant Molinæus, & Salmaſius cum ceteris.

XII. Verum, ut evidentius confirmem quæ dixi, lubet in medium afferre principium quo P. Leſſius *loc. cit.* ſuam ſententiam ſuſtinet. Ex una parte Leſſii propoſitionem, ex altera proſcriptam propoſitionem Innocentii XI. colloco,

ut

Digitized by Google

ut Budæus Lutheranus pudore ſuffundatur, dum lapſum aliquorum Moraliſtarum in Moraliſtas pontificios indefinite regerit.

Propoſitio P. Leſſii.	Propoſitio 41. damnata ab Innocentio XI.
Secundum (quod confertur ex parte deponentis) *æſtimatio* (eſt) *commoditatis, quam habebat ex pecunia præſenti. Commodum enim cuique eſt habere pecuniam ſuam expeditam ad omne lucrum quod ſe FORTE offert. Hæc æſtimatio eſt facile duorum, vel trium in mille.*	*Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit qui non maioris faciat pecuniam præſentem quam futuram, poteſt creditor ALIQUID ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.*

XIII. Verba diverſa ſunt : ſenſus, ſpiritus, & ſcopus utriuſque propoſitionis omnino idem. Commodum cuique eſt, inquit P. Leſſius, ſuam habere pecuniam præſentem, expeditam ad omne lucrum quod *forte* occurrere poteſt. Tò *forte* exprimit omnem lucri poſſibilitatem, nedum probabilitatem. Privatio commoditatis pecuniæ præſentis pretio æſtimabilis eſt, inquit P. Leſſius ; *atque adeo nullus eſt qui non maioris faciat pecuniam præſentem quam futuram* : quæ ſunt verba proſcriptæ theſis. *Hæc æſtimatio*, ſubdit P. Leſſius, *eſt facile duorum, vel trium in mille*. Exiguum ſane lucrum. Sed cautior eſt damnata theſis, in qua dicitur, *Poteſt creditor ALIQUID ultra ſortem exigere.*

XIV. Alterutrum ergo. Aut commentitia eſt doctrina Eccleſiæ contra uſuram; aut damnata eſt doctrina P. Leſſii. Primum vel ſuſpicari nefas eſt. Ergo verum ſecundum, niſi me amor fallit.

XV. Opponis. Cur P. Leſſium in ſcenam toties reducis, cum omnes contractus trini defenſores eamdem propugnent doctrinam? Reſpondeo, quia ſcilicet ceteri Moraliſtæ magna in parte exſcripſerunt quæ P. Leſſius primus ex inſtituto poſt Sixtinam conſtitutionem trini contractus propugnator docuit. Hoc confutato, ceteri ſeipſis iacent. Accedit quod P. Leſſius celebris Theologus eſt, quem epiſtola S. Franciſci Saleſii commendatum referunt. Idcirco, ne tanti Theologi auctoritate imperiti lectores decipiantur, inſtituti mei ratio poſtulat ut eos errandi periculo ſubducam. Plurima commendanda, & laudibus extollenda docuit celebris P. Leſſius; quemadmodum plus minuſve & ceteri Theologi, quos frequenter refello. At non propterea quæ falſa, & cum Eccleſiæ doctrina pugnantia evulgarunt, vera ſunt. In quocumque Auctore pretioſum a vili ſeparandum eſt; & perſonæ omnes debito obſequio ſuſpiciendæ. Quod ſæpiſſime repeto, ne adverſarii

Digitized by Google

ſarii criminentur, me perſonas ipſas, quas ſincere colo, vellicare. Factum proteſtationi repugnat. Ita ne vero? Quoties ergo adverſus laxas, & proſcriptas ſententias vocem extollimus, & inclamamus, ut dormientes imperitos excitemus, in Auctores ipſos invehimur? Quis prudens hoc dixerit? Interioris animi ſolus Deus iudex eſt.

CAPUT XXII.

Contractus trinus immigravit in chimæram contractus intentionalis. Nova contractuum implicitorum intentionalium, lucrandi omni meliori modo, inventio de mundo omnes uſuras tollit. Docent hanc opinionem VIRI PROBI, ET PII*: ergo probabilis. Sophiſma vanum eſt.*

I. INgenioſi Theologi iuniores nulla præfiniunt cogitatiunculis ſuis confinia; ſed uſquequaque circumvagantur, & nova ſemper inventa producunt. Eadem methodo contractum trinum, ac Probabiliſmum, defendunt. Dum Probabiliſmum primo aſpectu, & abſolute proponunt, pluribus clauſulis muniunt, & temperant. Audiviſti leges, conditiones, limitationes contractus triplicis. Tres ſint oportet contractus diſtincti. Vera coiri ex utraque parte ſocietas debet. Aſſecurationis contractus eo peragendus modo eſt ac ſi cum tertio fieret. Contractus tertius emptionis, & venditionis ad regulas generales iſtius contractus eſt revocandus. Cuique contractui ſuæ præſcribuntur clauſulæ, videlicet pretia iuſta, negotiationis peragendæ debitum, ſincerus contrahendæ ſocietatis animus, libertas ex parte ſocii ponentis operas, reſpuendi ſecuritatis præſtandæ pacta. Hæc, & alia plura ſpecioſo, & grandi verborum apparatu in quæſtionis limine explicantur; clamantque defenſores huius opinionis aliqui, contractum hunc aleæ plenum eſſe: quia vix in praxi hæ conditiones obſervantur, ob quarum defectum fenore contractus polluitur.

II. Oculos nunc, animumque intendite, ut novum ſpectetis commentum, omnium ſubtiliſſimum. Omnia quæ narravi, in *ſolam virtualem implicitam intentionem* hæc peragendi recidunt. Quid? In *intentionem implicitam*? Quid prodit intentio iſthæc implicita? Quod intendas ſigillatim omnes tres inire contractus? Heus tu, Rigoriſta? Onus iſtud importabile vulgo, ignoranti has contractuum ſpecies, eſt. Quid ergo? Sat eſt ut *animum habeas iuſte lucrandi omni meliori modo* quo lucrari poſſe docent ingenioſi, pii, doctique iuniores Theologi. Quid? Etiamſi igno-

Digitized by Google

ignorem quid ſit ſocietas, quid aſſecuratio, quid venditio? Dubio procul. Iure ergo dixi, contractum hunc trinum cum univerſo ſuo clauſularum, ſeu conditionum apparatu in nihilum, & chimæram recidere. Et quia hæc incredibilia videntur, tranſcribenda ſunt verba ipſa quibus hæc quæ dixi, docent contractus trini principes propugnatores.

III. Porro P. Gibalinus, qui communi omnium ſuæ opinionis defenſorum voce loquitur, hæc ſcribit *Lib. VI. cap.* VI. *ſec.* 2. „ Implicite fiunt iſti contractus, quo-
„ ties datur pecunia mercatori ad negotiandum, ſalva ſorte, & lucro moderato,
„ *eo modo quo dari poſſe licite cenſent viri probi, & DD. neque explicatur diſtincte*
„ *iniri ſocietatem cum mercatore, & celebrari contractum aſſecurationis, in cuius*
„ *compenſationem detur totum lucrum, excepta aliqua minori parte, ex qua etiam ali-*
„ *quid detrahitur, ut minor pars certa, & determinata obtineatur*: hæc tamen
„ omnia implicite intenduntur: *quandoquidem contrahunt modo ſolito, & communi*
„ *viris probis, atque adeo licito; neque aliter contrahere vellent*. V. g. in hac for-
„ mula: Confero Caio negotiatori mille ad negotiationem ut quotannis mihi ſol-
„ vat quinque, ſalva ſorte. *Intendo autem hæc omnia facere eo modo quo paſſim*
„ *viri probi exiſtimant fieri licite poſſe*.... quamvis diſtincte illam ſuam mentem
„ non explicent; immo neque fortaſſis diſtincte de ſingulis illis pactis cogitent:
„ ſatis enim fuerit (ut ait Leſſius *Lib. II. cap.* XX.) ad intendendum iuſtum titu-
„ lum implicite, ut intendant lucrari prout paſſim fit ab illis qui hoc genus con-
„ tractus celebrant. V. g. inquit, *ut in Burſa Antverpienſi fit: quia tunc implicite*
„ *ſpectat illum iuſtum titulum ex quo conſuetudo, & uſus ortum duxit, quamvis*
„ *i llum titulum IGNORET*. "

IV. Hæc ſplendidiora ſunt quam ut explicatione egeant. Concludit autem P. Gibalinus ſic. „ His obſervatis dicendum eſt, ſufficere, ſi tres iſti contractus *im-*
„ *plicite intendantur uno aliquo ex illis modis adductis*, modo aliunde ſervetur
„ æqualitas. *Qui dat igitur ſuam pecuniam mercatori, ut, ſalva ſorte, quotannis*
„ *quinque accipiat in ſingula centena, non debet velle dare mutuo; alioquin vi mu-*
„ *tui lucrum acciperet, & uſuram committeret; ſed velle dare negotiatori ad lucran-*
„ *dum, & negotiandum eo modo quo VIRI PROBI faciunt communiter; aut velle*
„ *lucrari ex illa ſua pecunia negotiationi expoſita eo titulo quo id facere poteſt: cum*
„ *enim non ſit alius iuſtus titulus, aut modus quam iſti tres contractus; revera il-*
„ *los implicite intendit, ut ait Leſſius, qui nihil aliud requiri ſapienter dixit Lib. II.*
„ *cap.* XXV. *num.* 31. *De Lugo diſp.* XXX. *num.* 47. *Molina tract.* II. *diſp.* CCCCXVII.
„ *Navar. Maior, & alii paſſim pro noſtra ſententia laudati*. "

§. I.

Chimæra contractuum implicitorum, ſeu intentio lucrandi omni meliori modo quem excogitarunt aliqui Moraliſtæ, ſenſui communi repugnat.

I. Contractus iſtos intentionales penitus profligavi in opere ſæpius citato, *Uſur. contr. trin.* & quoniam nihil novi addendum occurrit, deſtinaveram te illuc remittere. Verum melius conſultus, quæ ibi paragraphis duobus docui, iſthuc transferre deliberavi Amanuenſis ope, ne ipſe tempus teram in actis agendis. Hæc autem ibidem ſcripſi.

II. Contractum trinum, utrimque expreſſe conceptum, cum ſuis limitationibus, & regulis larvam eſſe, ſpectrum, atque inaniſſimum figmentum, hactenus omni argumentationum genere demonſtravimus. Quid nunc de contractu trino implicito dicendum? Quid de ſola intentione virtuali lucrandi omni meliori modo quo fieri iuxta ingenioſos iuniores poteſt? Si contractus expreſſe conceptus, & pluribus limitationibus, ac clauſulis circumſcriptus, uſurarius eſt; quodnam monſtrum erit, ſi ſublatis regulis, limitationibus, clauſulisque, indefinite concipiatur? Adeo monſtroſa eſt doctrina hæc, ut non confutatione, ſed redargutione potius, vehementique oratione deteſtanda veniat. Tamen quam ſit ea primis communis ſenſus ſcintillulis adverſa, paucis evincam luculentiſſime.

III. Adeſdum. Omnis voluntas implicita in aliqua explicita iure contineri debet. Ubinam voluntas expreſſa trini contractus, in quam revocetur voluntas implicita? At, ut evidentius conſtet chimæricam eſſe virtualem hanc intentionem, formulæ trini contractus, a P. Gibalino propoſitæ, in medium recurrant.

PRIMA EST.

Confero Caio negotiatori mille ad negotiandum, ut quotannis mihi ſolvat quinque, ſalva ſorte.

SECUNDA.

Do negotiatori mille aureos, ut, ſalva ſorte, ſingulis annis quinque tribuat in ſingula centena.

IV. Quilibet contractus oneroſus mutuum ex utraque parte conſenſum requirit. Conſenſus iſte mutuus ſignis, aut verbis externis manifeſtetur neceſſum eſt. Angeli ſoli ſola conceptuum internorum directione voluntates patefaciunt. Requi-

quiritur præterea intimatio voluntatis contrahentium, qua mutuo ſeſe obligent. Implicita intentio nec mutuum conſenſum includit, nec externo aliquo ſigno eumdem conſenſum prodit. Ergo vana, & commentitia eſt intentio iſthæc virtualis. Quodnam in utriſque formulis veſtigium trium contractuum? Quodnam verbum, ſaltem remote, hanc artificioſam, trinamque machinam deſignat?

V. Reſpondet P. Gibalinus *loc. cit.* poſſe contractum trinum explicite celebrari, *etiamſi contrahentes ignorent iuſtum titulum contractus quem celebrant: quia revera iuſtum aliquem titulum intendunt, & non alium.* Si titulum contractus ignorant contrahentes, qui fieri poteſt ut eumdem velint? Ignorantia antecedens tollit omnem libertatem. Quoniam *nil volitum, quin præcognitum*. Ergo velle contrahentes nequeunt titulum quem ignorant. At volunt aliquem iuſtum lucri titulum: & in hac voluntate univerſali volunt trinum contractum. Ita ne vero? Volunt luxurioſi aliquem honeſtum congreſſum cum muliere: ergo volunt matrimonium. Coire ergo cum muliere poterunt, ſola virtuali intentione coeundi aliquo poſſibili modo licito. Coitus cum muliere, inquiunt, natura ſua vetitus eſt; idcirco nequit intentione bona honeſtari.

VI. Contrahentes volunt contractum trinum? Quot verba, tot errores. Quomodo volunt contractum trinum, ſi illum ignorant? Quomodo volunt contractum trinum, ſi in rerum natura non eſt, ut iam vidimus? Numquid volendo ſimplici intentione interna contractum trinum, eumdem efficiunt? At ſolius omnipotentis Dei eſt voluntas tam fecunda, quæ quod vult efficiat. Si duo homines contractum trinum ſola virtuali, & bona intentione volentes, eumdem re ipſa efficiunt: ergo homines volentes bona intentione, modo poſſibili licito cognoſcere puellam, matrimonium efficient, & modo matrimoniali illam cognoſcent. Eſt ne aliqua diſcriminis ratio? Nulla profecto, niſi quod carnalia malitiam redolent ſenſibus obviam; ſpiritualia vero, ſeu a ſenſibus remota, ut avaritia, & uſura, propriam deformitatem rationi, non ſenſibus produnt.

VII. Hæc eadem ratio ſub alio proponitur aſpectu. Sublata cauſſa, nullus conſiſtit effectus. Contractus trini cauſſa mutuus eſt contrahentium aſſenſus. Hic aſſenſus mutuus non habetur, niſi aut verbis, aut nutibus, aut ſcriptura exprimatur. Conſenſus iſte mutuus nullo omnino proditur ſigno. Ergo nullus. Ergo nulla contractus trini cauſſa. Verum enimvero, nedum nullo modo externo ſigno proditur conſenſus iſte, ſed neque interius concipitur, cum ignoretur. Conſenſio, quæ naturam efficit ſocietatis, tria producere debet: ut coniungantur ſocii, ut aliquid conferant ad negotiandum, ut quæſtus participes ſint. Cur dicuntur ſocii, niſi quia coniuncti in fraternitatem? Cur coniunguntur, niſi ut aliquid in commune conferant negotiandum? Cur aliquid in commune conferunt, niſi ut lucrentur?

Digitized by Google

VIII. Altera demonſtratio adverſus hanc cavillatoriam, & ſane ridiculariam virtualem intentionem lucrandi omni meliori modo invento ab *ingenioſis Theologis iunioribus*, hæc eſt. Pactio ſecuritatis ſortis, & venditio lucri initam ſupponere ſocietatem neceſſario debent. Quomodo enim aſſecurari ſors poteſt, niſi ſors iſta expoſita periculo ſit? Porro ſors hæc nequit periculo exponi, niſi ſocietate coita; ſicut neque lucrum ſperari iuſte poteſt, niſi ex ſocietate; ut vel ipſi adverſarii fatentur, ne dicant, lucrum ex mutuo proficiſci. Præcedat ergo ſocietatis coitio neceſſe eſt: quoniam quod non eſt, aſſecurari nequit. Aſſecuratur ſors ſimul cum lucro. Ergo præſupponitur coita ſocietas, vi cuius ſors periculo, & quæſtui expoſita ſit. At impoſſibile eſt ut virtuali intentione præiaciatur ſocietas hæc, ſeu conſtituatur prius ſocietas quam duo poſteriores contractus. Ergo puerilis, inepta, atque prorſus chimærica eſt eiuſmodi *pia intentio lucrandi modo meliori quo fieri poteſt*. Minor propoſitio ſe ipſa evidens eſt pluribus titulis: tum quod contrahentes vel ipſam ſocietatem ignorant: tum quod etiamſi illam agnoſcerent, una ſimplici virtuali intentione nequirent eam ponere. Societas enim, ut toties diximus, duorum, aut plurium conventio eſt, quæ abſque aliquo externo ſigno prodire in lucem nequit. Hæc demonſtratio evincit evidenter, neque expreſſis verbis fieri poſſe ſimul hos tres contractus, quorum unus alterum præcedat oportet, & deſtruat.

IX. *Ingenioſi iuniores*, ſpeculationibus innutriti, forſitan reponent, coitam ſocietatem præcedere prioritate rationis, & naturæ, non temporis. Bene habet. Ergo eodem temporis inſtanti ſunt ſimplex ſocietas, & duplex ſecuritatis pactio. Hæc autem evidentem includunt contradictionem. Siquidem ſors eſſet eodem reali inſtanti ſecura, & non ſecura. Non eſſet ſecura vi ſocietatis; eſſet autem vi aſſecurationis. Similiter lucrum vi ſocietatis eſſet incertum, vi aſſecurationis certum.

X. Quid ad hæc, quæ excludunt evidenter ſimultaneam trini contractus coitionem? Reponent, plura requiri inſtantia phyſica. Ergo undique cauſſa cadunt, & trinum contractum ſimultaneum, ſive expreſſe, ſive implicite, impoſſibilem fatentur. Et quidem eadem ſimplex virtualis intentio plura inſtantia phyſica metiri nequit. Porro ſi plura phyſica inſtantia requiruntur: ergo ſimul tempore neque expreſſe hi tres contractus conſiſtere valent, nedum virtuali intentione. Accedit quod quilibet horum contractuum humano more iniri debeat: humanus autem operandi modus, non modo varia inſtantia phyſica, verum etiam diverſum morale tempus includit ad paciſcendum, ad contrahendum, ad firmandam mutuam obligationem. Ergo vera eſt ſententia Caietani, quod neque expreſſis verbis hi tres contractus fieri ſimul queant. Hinc luculentiſſime patet, formulas PP. Leſſii, & Gibalini eſſe manifeſta uſuraria pravitate plenas. Hæ quippe formulæ

Digitized by Google

mulæ contractum mutui explicant. Ergo neque implicite, neque explicite continere contractus ſocietatis, & aſſecurationis valent. Fatetur hoc P. Gibalinus *Lib. VI. cap.* VI. *confeſſ.* 3. monetque, nihil hoc obſtare, quominus lucrari homines valeant. En eiuſdem verba, alibi etiam recitata. *Vides igitur cauſam vulgaris loquendi modi, & cur dicantur eiuſmodi pecuniæ dari cambio; quamvis non contrahatur verus cambii contractus; ſed alius longe diverſus, nempe ſocietatis, cum pacto duplicis aſſecurationis, ſervata tamen æqualitate, & iuſtitia. Deluduntur igitur adverſarii hoc loquendi modo, ſicut & alio vulgari Gallico, PRAESTARE AD LUCRUM: PRESTER AVEC PROFIT; quod exiſtimarunt ſignificare dare mutuo ad lucrum, in quo foret ſine dubio uſura; cum illa vox* præſtandi *ambigua ſit apud Gallos; & non modo mutuum, ſed & commodatum ſignificet, & alium quemcumque contractum, in quo ad quempiam uſum datur aliqua ſors integra recipienda.*

XI. Hæc R. P. Gibalini doctrina leges quaſque ab imis ſuffodit radicibus, & labefactat. Si legum verba non ſecundum obvium naturalemque ſenſum accipienda ſunt; actum ſane de omnibus legibus eſt. Ediſſerat nobis P. Gibalinus cur ſocietatis contractus intelligi nequeat in hac Gregorii IX. formula: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem, uſurarius eſt cenſendus.* Aut fuit celebratus contractus trinus hic; aut ſecus. Hinc evadere nequis. Si celebratus: ergo uſurarius eſt cenſendus. Nec obtrudere amplius futilem illam negationem NON vales; cum certum iam ſit deeſſe in omnibus codicibus tum mss. tum editis. Si non fuit celebratus: ergo implicite non intelligitur celebratus contractus trinus eo ipſo quod detur pecunia mercatori ad negotiandum. Factum recenſitum a Gregorio IX. aptius eſt ad celebrandum contractum trinum quam formulæ Gibalini, & Leſſii. Quia in facto a Gregorio deſcripto traditur pecunia mercatori eunti ad nundinas, in quibus pecunia negotianda erat. Quare omnis ſuſpicio aberat quod in prædia emenda, aut dotandam filiam eſſet diſtrahenda. In pactum ſecuritatis ibi deductum periculum ſortis. Ergo factum illud aptiſſimum erat, ut ex eo implicite ſaltem intelligeretur contractus trinus. Quid enim in eo facto obſtat? Verbum *mutuandi?* At hoc verbum, iuxta RR. PP. Gibalinum, & Raynaudum, æquivocum eſt, & ambiguum. Ergo nil impedit quominus bono in ſenſu accipi poſſit; maxime cum homines intentionem iuſte lucrandi habeant omni meliori quo fieri modo poteſt. Sic enim arguit Gibalinus *loc. cit. confeſſ.* 2. Qui ſtatuit lucrari in aliquo contractu omni titulo quo iure id poteſt; dum contrahit, iuſto titulo illum lucrari præſumere debemus, etiamſi de nullo ſingulari iuſto titulo cogitet, immo etiamſi iuſtum ignoret titulum. Quare licet de aliquo cogitaret titulo qui iniuſtus eſſet, dummodo tamen alius iuſtus adſit, hunc re ipſa inten-

 dit:

Digitized by Google

dit: quia omnem iuſtum intendit, & iniuſtum quem vult, re ipſa non vult. At hanc moralem acutamque Philoſophiam reprobavit Gregorius IX. Ergo reprobatus manet contractus trinus.' Nec reponas, in facto a Gregorio deſcripto periculum ſuſcipi a tradente, non ab accipiente pecuniam. Quoniam hoc vim auget argumentationis factæ. Siquidem minus periculum eſt uſurariæ pravitatis, quando tradens pecuniam iacturæ periculo ſubiacet quam cum accipiens.

XII. Quarta demonſtratio adverſus hanc virtualem contractus trini, etiam ignorati, piam intentionem. Tres iſti contractus ſunt ſpecie diverſi, ut evidens eſt. Contractus quippe ſocietatis eſt conventio duorum, vel plurium in communem fraternitatem: aſſecuratio eſt contractus commutationis: & tertius eſt contractus venditionis. Porro unus contractus nequit natura ſua includere alios duos ſpecie diverſos. Neque virtualis intentio edere tres fetus ſpecie diverſos poteſt. Quænam cauſſa creata unico partu producere tres effectus ſpecie diverſos poteſt? Et, quod futiliorem efficit hanc cavillationem lucrandi omni meliori modo quem excogitarunt docti iuniores, eſt quod contrahentes etiam tum pariunt hos tres contractus, cum eos ignorant, ut vidimus ex P. Gibalino.

XIII. Quinta demonſtratio, evincens contractum trinum merum eſſe figmentum, & chimæram. In vera ſocietate, quando negotiator ſit decoctor, foroque cedit, capitale, ſeu ſors tota tribuenda inter creditores eſt, nihilque remanet ipſis ſociis, poſito quod ſolvendo non ſint, ſeu quod nihil iis bonorum remaneat. Hoc principium certum eſt, & omnium mercatorum aſſenſu confirmatum. At in contractu trino, a iunioribus invecto, *capitaliſta* inter creditores computatur; & pro rata creditum exigit, eique ſolvitur, non ſecus ac ceteris creditoribus. Quod ſi *capitaliſta* eſſet, veruſque ſocius, ſumma pecuniæ traditæ tamquam verum capitale reputaretur in communem ſociorum utilitatem, & detrimentum; atque adeo in decoctionis caſu ambo ſocii nihil accipere poſſent, uſquedum ſatisfaetum omnibus creditoribus non ſit. Et tum, ſi quod ſuperſit, deberent illud pro rata inter ſe partiri. At oppoſitum omnino ſit in qualibet depoſitione pecuniæ quam tradere homines avari, & uſurarii negotiatoribus ſolent. Decoctione manifeſtata, ſtatim nomina inter creditores collocant, & eamdem ac creditores ceteri fortunam ſuſtinent. Utique negotiator ob duplicem cautionem factam ſuis peculiaribus, & non ſocietatis bonis, ſolvere deberet ſortis pretium capitaliſtæ, ſi vera præcederet ſocietas. Fieri tamen hoc minime debet, quia ficta, & chimærica eſt fraternitas iſthæc; non ſecus ac illa monaſtica, in qua dominium aſſeritur commune; interim vero quiſque ſua utitur pecunia, & qui ea carent, ſuis neceſſitatibus conſulere nequeunt, cum toto dominio, uſu deſtituto. Et quod ſocietas ficta ſit, factum ipſum evincit, dum inter creditores capitaliſta reputatur, ut experientia conſtat. Ne multa. Intentio, ſive implicita, ſive explicita, factum non efficit; ſed ſupponit

tri-

Digitized by Google

trinus contractus intentionem, non præcedit. Ergo omnia, quæ excogitarunt iuniores in trino contractu, larva ſunt, & ſpectra.

XIV. Sexta demonſtratio. Negotiatio una altera fecundior eſt, maiuſque lucrum parit. Dum ergo pecunia traditur negotianda in hac aut illa mercatura, pro negotiationis diverſitate pretium augeri, aut diminui debet, quo aſſecuratur ſors, & emitur lucrum certum. Maius enim lucrum reddit negotiatio maritima quam terreſtris: & ex his una felicior altera eſt. Pluribus hæc quam illa periculis ſubiacet. Hæc omnia manifeſta ſunt. At non minus certum luculentumque eſt, eumdem in qualibet reſpective provincia ſemper a mercatore proventum ſolvi; idemque pretium a creditore & ſolvi, & exigi, nullo reſpectu habito ad maius vel minus negotiationis lucrum. Ergo manifeſtiſſima experientia liquet, ne cogitare quidem ſive mercatores, ſive mutuatores de ſocietatis contractu. Hoc ſocietatis nomen unice uſurpatur, ut occultetur uſuræ ſcelus.

§. II.

Intentio pia virtualis lucrandi omni meliori modo iuxta mentem DD. error eſt pernicioſiſſimus, omnes de mundo uſuras auferens.

I. Contractum quem ſupra propoſui, iterum ſub oculos revoco, ut denuo evincam, nullam in mundo uſuram eſſe, admiſſa ſententia quæ docet, ſat eſſe ad iuſtum lucrum intentionem lucrandi omni meliori modo quo fieri poteſt. „ Titius pecuniam tradit Sempronio minime pauperi, ſed rei familiari „ augendæ intento, qui præfatam pecuniam accipit negotiandam, ad prædia, „ domoſque emendas, & in alium quemlibet uſum, ex quo lucrum notabile per- „ cipere ſperat, diſtrahendam, hoc pacto ut, ſalva ſemper ſorte, quotannis qua- „ tuor in centum ſolvat, uſquedum ſortem reſtituat. "

II. Præfatum contractum uſurarium eſſe liquido conſtat ex iis quæ dicta ſunt. Uſurarium illum declaravit Gregorius XIII. in Reſcripto ad Ducem Bavariæ. Nec declaratione opus eſt: ſua quippe natura mutui ſpeciem præfert. Audias tamen velim ingenioſos iuniores noſtros.

III. Sempronius, inquiunt, noſter plures in hoc contractu perſonas ſuſtinet. Quatenus pecuniam a Titio acceptam in commercium diſtrahit, mercatoris perſonam gerit, & implicite trinum contractum intendit. Si *Sempronius* accepta pecunia fundos, domoſve emit, cenſum realem cum Titio init. Si *Sempronius* artifex ſit, cenſum perſonalem intendit. Si *Sempronius* paterfamilias fuerit, pecunia-

Digitized by Google

que opus habeat, ut filiabus nubendis, Deoque ſacrandis provideat, vel ut legationem obeat, aut ingentem pecuniæ iacturam in ludo factam, aliave perſolvat debita; tum vi contractus *innominati* moderatum pretium Titio ſolvet. Titio enim nolenti tenere pecuniam ſuam otioſam, ſemper adeſt aliquis titulus iuſte lucrandi.

IV. Hæc ſunt lepidiſſima Caſuiſtarum quorumdam commenta, quæ leges omnes unico bonæ intentionis prætextu de medio tollunt, & ſcelera vel horrenda honeſtant, atque Religionem ipſam ſibilis, & cachinnis hæreticorum excipiendam exponunt; ut vel ipſi buccinant Proteſtantes. Et revera quæ hac de re potiſſimum excogitarunt Caſuiſtæ non pauci, ſomnia videntur, chimæræ, & errores adeo pernicioſi, ut leges omnes enervent, atque e mundo auferant. Idque evidentiſſime, niſi me omnia fallunt, demonſtro. Intentio, inquiunt, implicita lucrandi *omni meliori modo* ſat eſt ad iuſte lucrandum, quando contractus ineundus excipere aliquem iuſtum titulum valet. Et quia in propoſito contractū poteſt reipſa adiici aut contractus trinus, aut cenſus perſonalis, vel realis, aut contractus innominatus; ideo intentio implicita lucrandi aliquo ex his modis ſufficit ad iuſtum lucrum. Intentio itaque humana implicita tantæ virtutis, & efficacitatis eſt, ut ſe ſola efficere contractum quemlibet valeat? Poterunt ergo, ut innui ſupra, iuvenes, & puellæ congredi cum implicita intentione congrediendi aliquo modo licito, nempe matrimoniali. Congreſſus iſte fieri matrimonialis poteſt, non ſecus ac propoſitus contractus capax eſt admittendi contractum trinum, cenſumve perſonalem, aut realem. Ergo quemadmodum ſola intentio virtualis efficit contractus negotiatorios; ſic intentio virtualis efficiet contractum matrimonialem, ſaltem in ratione contractus. Cur, quæſo, hæc intentio potens eſt unum efficere contractum realem, ſecus alterum? Diſcriminis rationem nobis aſſignent Caſuiſtæ. Uſura iure naturæ, non ſecus ac fornicatio, vetita eſt. Congreſſus maris cum femina fornicationis malitiam exuit, accedente matrimoniali contractu, qui penes Catholicos ſimul eſt ſacramentalis. Accedente trino contractu lucrum, quod aliunde eſſet uſurarium, uſuræ malitiam amittit. Trinus contractus adeſt ſola pia intentione lucrandi iuſte, etiamſi contractus trinus ignoretur. Ergo eadem intentione pie cognoſcendi puellam contractus matrimonialis celebratus intelligitur, & congreſſus mutuus maris cum femina licitus evadet. Alterutrum deglutiant Probabiliſtæ neceſſum eſt. Aut retractent hanc doctrinam, nempe intentionem implicitam iuſte lucrandi efficere contractum trinum, vel cenſum perſonalem: aut admittant oportet, hanc eamdem piam intentionem congrediendi omni meliori modo viri cum muliere, & contra mulieris cum viro, efficere contractum matrimonialem; cum uterque capax matrimonii ſit.

V.

Digitized by Google

V. Sed miſſis abſurdis, miſſis rationibus, quod res eſt, dicamus, hæc nimirum omnia quæ recenſuimus, mera eſſe figmenta, mera ſomnia, mera ſpectra, in ſolis Auctorum mentibus reſidentia. Ceterum chriſtiani homines nec implicite hæc feſtiva ſomnia, hæc ludicra machinantur. Non aliud homines in traditione pecuniarum cogitant quam ut aurum multiplicent, augeantque. Tricas, & machinulas caſuiſticas ipſi ignorant, ut fatentur vel ipſi triplicis contractus patroni.

§. III.

Alio ex capite profligatur ſophiſma iſtud ſeditioſum: Docent hanc opinionem VIRI PROBI, PII, ET DOCTI: ergo probabilis: ergo non eſt proſcribenda.

I. NUlla in univerſa Theologia illuſio pernicioſior, nulla argutatio fraudulentior, nulla ad ſeducendos, pervertendoſque imperitos potentior cavillatio ea quæ hic nobis obiicitur: idcirco undique verſum profliganda eſt. Et primum, quo in tribunali declarata eſt iſtorum pietas, & probitas? Nemo præſumendus malus, niſi probetur. Verum habet. At quid inde? Sint probi, ſint pii laxarum opinionum patroni: propterea ne veræ illorum opiniones? Si coniecturis indulgendum eſſet, ſic potius inſtituenda argumentatio foret. Mala eſt doctrina: ergo mali Auctores. Arbor enim bona non edit fructus malos. Quæro a recentioribus noſtris, qui propoſitum ſophiſma exaggerant. Si inſtituendum examen in ſacra Rituum Congregatione eſſet ſuper virtutibus heroicis cuiuſdam Moraliſtæ, laxarum opinionum patroni; numquid perdocti eiuſdem Congregationis Theologi hoc pacto arguerent. Hanc opinionem laxam docuit Servus Dei: ergo laxa non eſt? Qui ſic arguerent, nonne ſe deridendos propinarent? Omnes contra ratione præditi hanc formarent argumentationem. Hæc opinio quam docuit Moraliſta noſter, eſt laxa, & falſa: ergo hic Auctor non eſt catalogo Servorum Dei accenſendus.

II. Sophiſma ſub alio aſpectu diluamus. Theologi Moraliſtæ qui docuerunt propoſitiones damnatas ab Alexandro VII. & ab Innocentio XI. fuerunt ne viri docti, probi, & pii? Ais? Ergo futilis eſt conſequentia, qua ex doctrina, & pietate Doctorum colligis ſententiæ probabilitatem. Negas? Non ergo pii, doctique Bonacina, Leſſius, Molina, Tamburinus, Sanchez, Eſcobarius, Diana, ceterique plurimi. En Charybdim, in quam incidis, cupiens vitare Scyllam.

III.

III. Pro veritate dicendum, ipſos Sanctos potuiſſe errare, & reipſa interdum erraſſe; raro tamen, & in re aliqua valde obſcura. Sed erroris deprehendendi, cognoſcendique indicia reliquerunt. Quoniam admonuere, cauſſam implicatam eſſe, obſcuram, atque ſecuriorem viam amplectendam: vel adeo caute, & dubitanter locuti ſunt, ut prudens lector poſſit ſibi cavere. Non invenies Sanctos aliquos ceu tutas ſecuraſque venditaſſe opiniones quæ antiquitati adverſabantur, vel quæ a Pontificum conſtitutionibus proſcriptæ erant. Inveniant adverſarii Sanctorum quempiam qui fateatur, aliquam doctrinam ſingulari conſtitutione pontificia damnatam eſſe; ſimulque eo prætextu defendat, quod pontificia conſtitutio, Romæ publicata, acceptata non fuerit in provinciis. Inveniant mihi Sanctos aliquos qui paſſim docuerint propoſitiones laxas, falſas, proſcriptas.

IV. Verum adhuc inſtant, urgentque. Quod docuit Alcoxer, prius docuit Bizozer; & quod docet Kazemberger, prius docuit Mazzuchellus; item quod Mazzuchellus, ſimul docuit Sammarugus. Ergo nec iſte, nec ille damnandus.

V. Sophiſma iſtud quo ineptius, eo frequentius. Vix percipi valet, ſimilia ab hominibus ratione præditis obtrudi poſſe. Et tamen quoties proſcribendus liber eſt, aut doctrina aliqua, continuo inclamatur: Non ſolus hic Auctor hoc docet: id ipſum prius docuerunt alii. Ita hac via a multitudine peccantium errori patrocinium quærunt. Laxam doctrinam ab uſura immunem contendunt, quod turba magna illam amplectatur. Quid! clamat ex S. Baſilio Theodorus Studita epiſt. xlviii. Lib. I. *Multitudine mendacium defendis? Hinc mali vim declaraſti. Quo enim ad plures malum pertingit, eo maior eſt calamitas*. Et ſane quo peſtis latius ſævit, eo eſt maior medicinæ neceſſitas.

VI. Sed audiendus eſt Iacobus Pignatelli, nimii rigoris nequaquam ſuſpectus, qui *Tom. IV. conſult.* 75. *num.* 52. egregie in hanc rem loquitur. „ Quare non „ mihi quiſquam quaſi aliquid ſolidius dicturus occinat, quemadmodum perſpi„ cuo crimini palliando fieri video: Princeps, Rex, Imperator, iſte, vel ille ſi„ militer fecit. Abſit modo calumnia, nec ſe fatiget. Qui ſimiliter fecit, ſimili„ ter iudicabitur. *Peſſimum peccati patrocinium eſt multitudo peccantium*. Ubi ve„ ritas non accipit perſonam, nec ego accipio. Hoc damno quod illa damnave„ rit. Neque hic ego arrogantiæ invidiam formidaverim. Securum me fecit Au„ guſtinus, qui dixit Lib. IV. contra Creſcon. cap. lxvi. *NON EST ARRO„ GANTIAE VEL QUAERERE, VEL ASSERERE VERITATEM. Nam eam „ ſollicite quærere, quando latet, caritatis inchoatio eſt; pie conſtanterque aſſerere, „ quando patet, caritatis conſummatio; in eius luce geſtire, inchoatæ conſummatæ„ que felicitatis*. “

VII.

Digitized by Google

VII. Obiiciunt Layman *Lib. III. de iuſt. tract.* IV. *cap.* XVIII. *num.* 12. & Gibalinus *Lib. VI. cap.* III. *art.* 4. *num.* 9. Quoties contractus quiſpiam in aliqua regione, provincia &c. celebrari ſolet; & a viris doctis, & piis approbatur, quamvis dubii iuris ſit, ſpeciemque uſuræ præferat, non debet iniuſtus, & uſurarius reputari. Sed hic contractus trinus paſſim in Germania, Gallia, Hiſpania, & Italia celebratur, & a viris timoratis approbatur. Ergo licet imaginem præferat uſuræ, non debet tamquam uſurarius improbari. Conſuetudo quippe provinciarum vim legis obtinet.

VIII. Hæc argumentatio ceteris peior eſt; & Auctorum qui ſimilia obtrudunt, afflictam deſperatamque cauſſam evincit. Et in primis ea pugnat cum Chriſti Evangelio, quod a mali, & periculi ſpecie cavendum iubet. Contractus uſura non ab illius natura, ſed a provinciæ conſuetudine colligenda eſt? Tam vana paradoxa vel refellere pudet. Audiamus Cardinalem de Luca *Lib. V. de uſur. diſc.* I. *num.* 17. hæc reſpondentem. „ Uſus Galliæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, ac etiam Italiæ, *per dictos Morales atteſtatus*, & in quo præſertim magnum fundamentum conſtituit Cibalinus, huiuſmodi contrahendi formulæ *maior Defenſor*, apud me, verſantem in Curia Romana, atque in iudicando cum eius opinionibus procedere debentem in hac materia eccleſiaſtica, utpote totius Orbis Metropoli in eccleſiaſticis, & ſpiritualibus, nullam faciebat impreſſionem. Quoniam de facto videmus in pleriſque regnis, & provinciis uſu non recipi in cenſibus Bullam Pii V. eiuſque formam non ſervari, ſive ſuſtineri conventiones ab initio de certo lucro, ſeu certa acceſſione, ratione intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, etiam non probatis in ſpecie ſolitis requiſitis, ut practicatur in Regno Neapolitano, & alibi; & tamen in iſtis, & ſimilibus in Rota, & Curia huiuſmodi uſus reputantur ABUSUS, ET CORRUPTELAE, ac reprobantur, ut in Lucan. diſc. XVIII. in dict. Sabonenſ. diſc. XII. & in aliis hoc titulo frequenter. “ Hoc conſuetudinis, ideſt putidæ corruptelæ, ſpectrum alibi exploſimus.

IX. Heinc intelligant oportet Probabiliſtæ illi quorum id intereſt, ſe nuper abſque ullo ſolido fundamento pugnaſſe, dum alacres erectique pro hac (quam certe falſiſſimam eſſe hucuſque probavimus) propoſitione publice dimicarunt. *Pecunia quæ datur mercatori cum ſtipulatione determinati lucri, non eſt mutuum; & conſequenter lucrum iſtud uſurarium eſſe nequit. Illa pecuniæ traditio dici poteſt, & eſt revera triplex contractus implicitus, cuius adminiculo numquam in mutuis illis, prætenſis factis mercatoribus, reperiri poteſt uſura, præſertim in urbibus negotiationis, quales ſunt Marſilia, Lugdunum, Amſtelodamum* &c. Intelligant, inquam, ſe propoſitionem falſiſſimam docuiſſe; ſapientiſſimoque Cardinalis de Luca, rei mercatoriæ peritiſſimi, iudicio tandem aliquando ſe ſubdant.

§. IV

Digitized by Google

§. IV.

Nonnullæ aliæ opiniones Molinæ, Lugo, Gibalini, & La-Croix exploduntur.

I. P. Ludovicus Molina *tract.* 11. *de iuſt. diſp.* ccccxvii. *num.* 8. ſingulare excogitavit remedium, omnibus aliis ignotum, quo contractus trinus, etiam implicitus, ab uſura purgatur. Preſſus enim argumentatione *Soti*, qui demonſtrat, poſita aſſecuratione, trinum contractum deſinere in purum mutuum, Tranſeat gratis, reſpondet ... Nam, ſublato aſſecurationis pacto, adhuc *capitaliſta* percipere lucrum iure valet ex pecuniæ traditione ad negotiandum. Quo titulo? Titulo lucri ceſſantis. Ecce. *Capitaliſta* paratus erat inire contractum triplicem ſocietatis, in quo ſalvum eſt vivum, & lucrum. Si deſiſtat ab hoc triplici contractu, iam allegare valet titulum lucri ceſſantis. Acutiſſime. Sed omnes Doctores aiunt, debere lucrum ceſſare ex iuſto, non feneratitio contractu, ut evadat iuſtus titulus. Gratis conceditur, poſita aſſecuratione, contractum trinum tranſire in mutuum, atque fenebrem contractum eſſe. Ergo neceſſario concedendum eſt, titulum hunc lucri ceſſantis eſſe feneratitium. Quia vix credi poteſt, hæc a tam celebri Theologo doceri, e re mea eſſe puto illius verba tranſcribere ex *loc. cit.* „ Illud admonuerim, eſto gratis daremus, dominium capitalis eo ipſo quod apponitur aſſecurationis contractus cum altero ſocio, „ tranſire in eum ſocium, & deſinere eſſe in eo qui illud apponit; ſane quando „ qui capitale apponit, initurus erat verum eumdem ſocietatis contractum, eſto „ non ſubiungeretur contractus aſſecurationis, præſertim ſi conſideret ſocium ſincere rem peracturum, *poſſet licite propter lucrum* EX EO ipſi ceſſans, quod a „ ſocietatis contractu ea via deſiſtat, totumque lucrum quod inde ſperatur, ei „ concedat qui operas apponit, accipere *capitale ſuum ſalvum*, & inſuper certum moderatum lucrum, tamquam pretium iuſtum lucri ceſſantis; *quod multi* „ *non attendunt*: atque adeo ille eſſet legitimus titulus ad iuſtificandum tunc „ eum contractum. “

II. Non ſolum *multi non attendunt*; ſed nemo ante P. Molinam tantum arcanum noverat. Duo quoque monita, quæ *num.* 9. adiicit, ſunt valde mirifica. Alterum eſt. *Numquam ſimplices, qui hæc* (pacta) *diſtinguere neſciunt, condemnandos eſſe*, ſi pecuniam ſuam cum eiuſmodi pactis ei tradant *quem non dubitant velle eam ad negotiandum, & lucrandum: quoniam virtute ſaltem eam tradere intendunt quarto modo explicato*. Alterum eſt. *Si is poſtea non negotietur, nibilominus*

nus teneri ſolvere integrum capitale, & incrementum lucri: quoniam per ipſum ſtat quod non negotietur, & quod ſuo periculo, & damno proſequi non velit ſocietatis contractum.

III. Si contractus trinus celebretur; uſura omnis ceſſat, & lucrum licitum eſt: ſi non celebretur; ſuccedit lucrum ceſſans, vi cuius lucrum licitum evadit. *Simplices*, qui has tricas ignorant, *numquam ſunt damnandi*: quia omnes intendunt licite lucrari meliori modo quo poſſunt. His poſitis, ubinam in orbe terrarum uſura? Penes ſimplices hanc reperiri timendum erat, quod neſcirent hæc ſubtilia arcana. Sed eorum ſimplicitas titulus eſt legitimus qui ab uſuræ labe lucrum purgat.

IV. Concludit tandem P. Molina *num.* 11. Conradum docuiſſe, huiuſmodi contractum *generare ſcandalum, & infamare contrahentem*. Sed ipſe definit, *falſum hoc eſſe*. Nec eſt, ſubdit, quod, ſi fiant meliori quo poſſunt modo eiuſmodi contractus, *uſuræ ſuſpicio eſſe debeat, aut cur ſcandalum generetur . . . tametſi aliqui trepidi ſint, ob Doctorum quos citavimus opiniones in contrarium*. Trepidi ſunt, & timentes, ubi vere eſt timor, Oſtienſis, Maior, Conradus, Navarrus, ceterique. Verum ſicut P. Molina intrepide novum de gratia ſyſtema invexit, ut ipſe teſtatur; ita in hac morum cauſſa, excuſſo timore quo premebantur ceteri Doctores, ipſe animoſe omnium primus hac in cauſſa legem laxavit iuſtitiæ, ut ego quidem arbitror, viamque aliquibus ſociis aperuit novæ ſcientiæ mediæ in Moralem chriſtianam invehendæ.

V. P. Gibalinus *Lib. VI. cap.* VI. *conſect. 6.* opponit, in contractu trino præter duo pacta aſſecurationis, & venditionis exigi inſuper pignus poſſe: & adducit teſtimonium Cardinalis de Lugo ex *diſp.* XXX. *ſect.* 4. *num.* 51. „ Secundo dubitari „ poteſt, an ſocius qui dat capitale, poſſit pro eius ſecuritate pignus ab alio ſo„ cio exigere. Reſpondetur licere, ut ſi forte ex culpa ſocii pereat, vel quia pe„ cuniam contra pactum alteri negotiationi expoſuit, ſolvere cogatur. Ita Anto„ nius Navarrus, & alii, quos affert, & ſequitur Rebellus . . . Unde iuxta no„ ſtra principia idem dicendum videtur, quando pactum fuit de ſecuritate capi„ talis integri reddendi, etiamſi pereat caſu fortuito, vel etiam pro ſecuritate lu„ cri certi promiſſi, quando id pactum licite fit: ſemper enim petitio pignoris „ ſecundum ſe non reddit pactum illicitum, dum tamen, ſi pignus fructiferum „ ſit, fructus ipſi in partem debiti computentur. " Approbat hæc P. Tamburinus *Lib. IX. tract.* VIII. *cap.* V. *§.* 3. Oppoſitum docent Calvinus, Molinæus, Salmaſius, & omnes uſuræ moderatæ patroni.

VI. Hæc Lugo, & Gibalini doctrina æquitati, & commercio pernicioſa eſt. Nec opus eſt ut multis illam refellam. Pignus exigi iure nequit, niſi ob aliquod debitum certum, in quod creditor actionem habeat; ut patet ex l. *Si pignus ff. de*

de pignor. Societas quædam fraternitas eſt, in qua ſocii dominium individuum habent & commune. Quare ſi pecuniæ collator pignus poſtulat, eadem ratione ſocius operarius pignus exigere poteſt in ſecuritatem & dati pignoris, & operarum. Nam in ſimplici ſocietatis contractu, de quo primo loco loquitur P. Gibalinus, ſi ſors pereat abſque ſocii operarii culpa, vel dolo; tum capitaliſtæ perit. Hoc in caſu, ut ſocius de reſtitutione dati pignoris ſecurus ſit, pignus exigere iure poterit. Alioquin datum pignus creditoris infidelitati maneret expoſitum. Quæ quam ſint civili commercio, pro quo amplificando ingenioſi Theologi ſe ſcribere dicunt, perniciosa & exitialia, nemo non videt.

VII. Adde, quod non modo in ſimplici ſocietate, verum etiam in contractu trino peracto exigi pignus poſſe defendit P. Gibalinus *loc. cit.* quod iniuſtitiæ, & uſuræ crimen auget. Tum enim capitaliſta vult & negotiationem, & ſecuritatem ab omni periculo etiam poſſibili. Vult indemnitatem duabus pactionibus, aſſecurationis ſortis, & emptionis lucri certi: & poſt exigit pignus in maiorem ſecuritatis acceptæ confirmationem. Hoc autem quid aliud eſt niſi uſuras uſuris accumulare? Vel ipſi feneratores aliquantulum moderati perhorreſcunt illos uſurarios qui accepto pignore lucrum exigunt. Clamant ipſi, ut alias dixi, *Uſure col pegno in mano?* Perhorreſcunt, dum audiunt feneratorem mutuantem, ſic incipientem numerare: *Al nome di Dio, ſei, otto,* & aliquando *dieci*. Et tamen hæc omnia infauſtus ille novus opinandi modus, quem in materia ſaltem iuſtitiæ damnatum aſſerunt Probabiliſtæ plures, honeſtat, & ab uſuræ crimine purgat; ut ex Azorio, Leſſio, Caramuele, & aliis ſupra vidimus.

VIII. P. Claudius La-Croix de more omnium ingenioſorum Theologorum opiniones molliores colligit. Frequenter nec probat illas, nec improbat; ſed lectoribus ſeligendas relinquit. Is *Lib. III. part.* II. *cap.* III. *dub.* 7. *num.* 877. hæc ſcribit. *Tannerus de iuſtit. d.* IV. *quæſt.* VII. *d.* III. *putat adhuc iuſtificari poſſe acceptionem quinque in centum, nempe per hoc quod talis contractus ſit utilis Reipublicæ, a qua cum permittatur, cenſetur validari poteſtate dominii alti, quod Reſpublica habet in bona ſubditorum, qui etiam ad hoc inviti non ſunt. Favent huic explicationi Beſoldus. Et Vindex Gobat hunc titulum abſolute defendit pro Germania. Impugnat quidem illum VVadingus; ſed huius argumenta conatur ſolvere Haunoldus.*

IX. In has ſententias nec verbum profert *P. La-Croix*. Scit beneficio probabilitatis quemlibet eam amplexurum quæ magis commoda illi fuerit. Ideo, ne alicui diſpliceat, iudicium ſuſpenſum tenet. Nec advertit, hac ſua methodo Scepticiſmum, & Pyrrhoniſmum in Moralem invehi chriſtianam. Quod iure naturali, & divino proſcriptum eſt, honeſtare vi alti dominii Principes non valent. Plura reſcribit P. La-Croix, quin illa refutet. Hanc methodum frequentiſſime uſurpat Au-

Auctor iſte, qui, ſi advertiſſet quam ſit pernicioſa, dubio procul illam non uſurpaſſet. Aliud exemplum huius pyrrhonicæ methodi ſubiicio in hac ipſa materia. Scribit enim *loc. cit.* P. La-Croix num. 875. „ Leſſius item, Tamburinus, aliique „ dicunt, ſatis eſſe, quamvis contrahentes neſciant determinate de ullo iuſto ti- „ tulo, ſi intendant contrahere omni modo optimo quo iuſte fieri poteſt, dum- „ modo non ſciant deeſſe omnem bonum titulum, & voluiſſent facere contra- „ ctum iuſtum, ſi hic & nunc ſciviſſent modum faciendi. Hinc docent pluri- „ mi . . . poſſe in mutuo exigi 4. aut 5. in 100. *non conſiderando, ſed ſupponen-* „ *do adeſſe aliquem iuſtum titulum.* " Felix ſuppoſitio iſthæc! Subdit, Auctores laborare in inveniendo iuſto titulo evitandi uſuram. Nam Leſſius, inquit, & Tamburinus defendunt iuſtum hoc lucrum, ſi intendatur mente cenſus. Alii confugiunt ad implicitam intentionem contractus trini; quem titulum & ipſe probat. Tandem hæc ſcribit *num.* 924. „ Si datum eſt, & acceptum ob vim mu- „ tui, *& mala fide*, potuiſſet tamen dari, & accipi ex alio iuſto contractu, „ quem celebraſſent, ſi ſciviſſent, putat *Verricelli* poſse retineri. Sed merito ne- „ gant Tamburinus, & Sporer. Admittunt tamen cum *Sa*, *Tann. Dian. Pyrh.* „ *Steph.* poſse retineri, ſi proceſserint bona fide; maxime ſi mutuans intenderit, „ & expreſserit ſe velle contrahere omni meliori modo, uti cum multis aliis do- „ cet Leſſius. " Tandem *num.* 1024. hæc ſubdit. „ Quamvis neſcias modum con- „ trahendi per cenſum, vel alium contractum licitum; ſi tamen videas viros „ probos, & prudentes paſſim contrahere hoc vel illo modo, & velis contrahere „ modo optimo; ſi modus ſit quo excuſantur alii, etiam tu excuſaberis, licet il- „ lum explicite neſcias. Ita *Valent. Leſſ. Laym. Tambur.* "

X. Hæc recenſere volui, ut, data occaſione, nova tradendæ Theologiæ chriſtianæ ratio lectori pateat. Lucrum, etiam *mala fide* partum, retineri poſse, docet *Verricelli*. Doctrinam *Verricelli* reſcribit *La-Croix*, & lectoribus proponit: quia licet *merito* oppoſitum doceant Tamburinus, & Sporerius; hoc tamen non officit quin vi Probabiliſmi opinio Verricelli eligi poſſit. Nec P. La-Croix eam ut falſam, ſcandalique plenam reiicit: quia nova benignitas has duriores, acerbaſque formulas deteſtatur.

XI. Plura alia paradoxa, in hac materia a Theologis excogitata, refellere omitto, tum prolixitatis vitandæ gratia, tum quia ex iis quæ dicta ſunt, facile corruunt cetera omnia quæ vulgares Caſuiſtæ ex Leſſio, Lugo, Gibalino, Tamburino, Diana, & aliis tranſcripſere. P. Patritius Sporer *tract.* VI. *cap.* VI. *ſect.* 3. *num.* 58. ſcribit, communiorem DD. ſententiam docere, *contractum prædictum, iam praxi orbis receptum, & a Magnatibus practicatum, licitum eſſe & iuſtum.* A Magnatibus *practicatur*, & praxi orbis recipitur? Ergo inveniendæ ſunt rationes quibus licite *practicetur*. Frequentiſſimæ ſunt eiuſmodi argumentationes in P. Sporer, & plurimis Probabiliſtis.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

De duplici ſocietatis contractu, & ſocietate animalium.

I. QUæſt. I. *Licitus ne contractus ſocietatis duplex, in quo aut capitale, aut lucrum aſſecuratur?* Reſp. P. Carolus Billuart *diſſ. IV. art. 3.* & ipſe trinum contractum improbat; contendit tamen ex conſtitutione Sixti V. non inferri eiuſdem damnationem, eo quod poſt attentam lectionem non minus reperiat improbatum contractum duplicem quam triplicem. Sed quia ipſe defendit contractum duplicem, ideo negat damnatum contractum triplicem. Hæc interpretandi ratio inepta eſt.

II. Nihilominus non ſolum P. Billuart, ſed etiam continuator Turnely *II. Part. cap. IV. art. I. concl. 2.* defendit contractum duplicem, in quo ſocius vel aſſecurat ſortem, ſed non lucrum; vel aſſecurat lucrum, ſed non ſortem. Quoniam, inquiunt, tum contractus non degenerat in mutuum, ſicut triplex contractus. Licet enim ſocius aſſecuret ſortem; tamen de ea ad libitum diſponere nequit, ſed illam negotiationi impendere debet. Si aſſecurat dumtaxat lucrum, non aſſecurata ſorte, evidentior res eſt, quod non ſit dominus ſortis.

III. Sententia hæc duas habet partes. Prima ſpectat aſſecurationem ſortis. Hanc abſolute falſam, praxi potiſſimum ſpectata, reputo, ſi ſors aſſecuretur ab omni periculo: quia, miſſis aliis rationibus, ſors aſſecurata ab omni periculo non poteſt eſſe lucroſa capitaliſtæ neque ratione induſtriæ, nec ratione periculi. Hi autem ſunt duo tituli ſoli quibus lucroſa in mercatura pecunia redditur. Accedit quod reipſa numquam ſolvitur pretium quod æquet omnia pericula tum extrinſeca, tum intrinſeca. Eſt periculum, inquiunt, nihil lucrandi. Sed hoc periculum non eſt illud quod pecuniam ſecundam reddit. Periculum iſtud, ſubdunt, pretio redimitur, & non ficte, ut in contractu triplici. Nam etiamſi nihil lucri negotiatio pariat, adhuc capitaliſta ſolvere pretium debet: quo in caſu tam capitaliſta, quam ſocius ſunt pares. Pares? Socius laboravit anno integro, operas, induſtriam, applicationem, incommoda, & ea omnia quæ negotiationem comitantur, præſtitit: quæ omnia ſæpe aut æquant, aut ſuperant caput mille ducatorum, quod accepit ſocius a capitaliſta. Quodnam pretium accipit pro aſſecuratione? tria, aut quatuor ad ſummum in centum. Finge, quod ſæpe accidit, negotiationem nihil lucri reddere; immo quod iactura contingat, ſaltem alicuius partis, ſin minus ſortis totius. Tum ſocius iacturam patitur ſuæ induſtriæ, operarum, & ſortis.

Digitized by Google

tis. At, ſubdunt, ſi ſors non perit, ſocius percipit lucrum quadraginta, etiamſi negotiatio nihil reddat. Reſpondeo primum, quod pretium iniuſtum & inæquale ſit. Secundo dico, quod in praxi vix umquam contingit. Conſule omnes capitaliſtas: nec unum invenies qui, dum poſt annum ſortem pecuniæ integram domum reportat, detrahat ex mille quadraginta, ſolvenda ſocio in pretium aſſecurationis datæ. Reſpondebunt, ſe loqui in hypotheſi quod ſerventur conditiones adiectæ. Si enim hæ negligantur, tunc non ex contractus iniuſtitia, ſed ex iniquitate contrahentium tota oritur malitia. Et ego repono. Magna uſurarum pars oritur ex ſpeculationibus plurium Theologorum, qui in cubiculo ſuo præciſiones, diſtinctiones, diviſiones, & plura commenta excogitant, quæ in metaphyſica abſtractione veriſimilia apparent; pro praxi vero ineptiſſima ſunt, & viam aperiunt fraudibus, ac uſuris manifeſtis. Conditiones iſtæ tot pericula ſunt, & laquei, in quos homines lucri cupidi incidunt. Prudentis Theologi eſt ea potiſſimum indicare, & inculcare quæ homines periculis ſubducunt, non quæ eos in pericula detrudunt. Ceterum ſi iuſta pretii taxatio fieri poſſet, & iſtud revera traderetur, nec ipſe hac in hypotheſi iniuſtitiæ damnare contractum auderem.

IV. P. Carolum *Billuart*, cuius laxas opiniones data occaſione vellicavi, nunc iure commendo, quod, licet defendat contractum iſtum, tamen ſubdit *loc. cit.* „ Hic tamen contractus duplex non eſt facile admittendus in praxi: quia facile „ poteſt irrepere uſura, ut ſi aſſecuratus de ſorte, aſſignet pretium aſſecurationis, „ accipiendum ex lucro ſperato, quod forte non erit... Similiter ſi non ſerva- „ tur æqualitas inter pretium aſſecurationis ſortis, & eius periculum, vel inter „ ſpem lucri, & lucrum certum aſſecuratum. Quibus de cauſis poſſet iure pro- „ hiberi, & *de facto videtur prohibitus per Bullam Sixtinam in locis ubi viget.* “ Immo evidenter prohibitus eſt, ut legenti illam patet.

V. Ut evidentius deprehendas quam falſa, & laqueis plena ſit opinio hæc, quæro: quis valet iuſtum pretium conſtituere pro aſſecuratione ſortis ab omni periculo ſolvendum? Pretium pro aſſecuratione ab hoc aut illo periculo, extrinſecus occurrente, uſus platearum iam introduxit; ſed nullibi in toto terrarum orbe taxatio facta umquam fuit pretii ſolvendi a capitaliſta ſocio aſſecuranti ſortem ab omni periculo tum iuris, tum facti. Aſſignabunt, inquiunt, rei negotiatoriæ periti? En quo tota res recidit. Theologi ſuas conditiones, præciſiones, & cogitatiunculas comminiſcuntur. Deinde hominibus ſacræ doctrinæ ignaris, cupiditatis præſtigiis obductis, eaſdem ſubiiciunt. Utique plura in executione ab artis prudentum iudicio pendent. Nemo vero eorum quæ recenſui, legitimus iudex eſſe poteſt. Idcirco iure Sixtus V. hæc omnia prohibuit. Neque illius prohibitio a locorum diverſitate pendet; ut male ſcribit P. Billuart: *In locis ubi viget.*

Digitized by Google

Quid? Pontificiæ conſtitutiones quæ morum integritatem, quæ ius divinum, & naturale interpretantur, obligant tantum *in locis ubi vigent?*

VI. Difficultas inſtitui poſſet de aſſecuratione ab hoc vel illo periculo extrinſecus adveniente, ut a periculo itinerum. Capitaliſta timet de temeritate ſocii mercatoris, ne merces malis debitoribus credat, qui decoctores evadere ſolent, & fidem fallere. Hæc aſſecuratio quamdam apparentiam præfert. Sed & hanc omnino reiicio ob rationes datas, & quia viam uſuris aperit, & quia in praxi iuſta confinia non admittit. Præterea ad præcavenda hæc pericula ſat eſt ut in contractu ſocietatis pacta præſcribantur exercendæ negotiationis, ut loca deſignentur, & quæ vitanda, quæve agenda ſunt, ſtatuantur.

VII. Mercatores, inquis, facile omnia ſpondent. Sed cum alienam pecuniam negotientur, temerarii ſunt, & audaces, & ſæpe fidem fallunt. Verum habet. Quid inde? Hæc omnia, & peiora intima ſunt hominum ſocietati. Exire de mundo debes, ſi ab hominum infidelitate cavere tibi contendis. Tute tibi infidelis es. Graviora mundi negotia, bella, fœdera, miniſteria publica, & privata, matrimonia, & cetera graviſſima negotia ab hominum fide pendent. Numquid aſſecurari hæc cautione aliqua valent? Numquid exigi, numquid obtineri poteſt aſſecuratio?

VIII. Verum, ut magis appareat quam futilis ſit hæc oppoſitio, quam non pauci magnifaciunt, animum intende. Socius mercator vel cautiſſimus neceſſario ex natura negotiationis merces emptas credere cogitur, modo decem, modo viginti, modo centum hominibus, quibus eaſdem vendit, aut quas cum iiſdem permutat. Itaque in negotianda capitaliſtæ pecunia ex natura mercaturæ is pendere debet a decem, a viginti, a centum plus minuſve hominum fide, quorum plures, qui honeſtatem ſinceritatem, & ſecuritatem vel experrectis mercatoribus præferunt, & iſti ſæpius fidem fallunt. Et capitaliſta refugit pendere ab unius ſocii fidelitate? Ubinam, quæſo, æquitas & iuſtitia in exigenda cautione? Nullam itaque cautionem admitto, quæ ſortem a quovis periculo aſſecuret. Eligat capitaliſta honeſtiores, & fideliores, quoad poterit, ſocios mercatores, & iiſdem ſuam ſortem tradat; negotiumque, ut Chriſtianum decet, divinæ commendet providentiæ.

IX. Quid de altera opinionis parte, nempe de aſſecuratione lucri certi? Sors periculo expoſita lucrum parit. Hoc lucrum incertum eſt. Quidni iniri contractus valet inter ſocium & capitaliſtam ſuper iſtius lucri quantitate? Lucrum iſtud modo maius, modo minus eſt. Ut plurimum eſt octo, vel decem in centum. Illud emit ſocius pro quatuor, aut quinque. Nulla hic videtur iniuſtitia; cum ſit contractus aleæ, in quo pro utraque parte eſt æquale periculum, & æqualis ſpes. Si naturam contractus conſidero, nullam deprehendo iniuſtitiam. Verum quia Sixtus V. in ſua con-

Digitized by Google

conſtitutione hæc pacta abſolute vetat, ideo neque hunc venditionis contractum probo. Semel olim illum conſului, cuius me pœnitet: re enim ſerius conſiderata, non permittendum exiſtimo. Neque dicas, Sixtum V. prohibere tria pacta ſimul coniuncta, ſecus ſeparata. Quia gratis hoc aſſetitur. Luculentiſſima enim ſunt Sixtinæ conſtitutionis verba, quibus diviſim aſſecurationem, ſive lucri certi, ſive capitalis, prohibet. *Ita ut non ad certam aut quantitatem, ab omni periculo, & damno, ut præfertur, immunem lucri nomine perſolvendam, NEQUE ad capitale, ſi caſu fortuito periit, reſtituendum ſocius accipiens teneatur*. Lege integram conſtitutionem, & nullus tibi erit ambigendi locus.

X. Verum ſi contractus iſte venditionis abſolute ſpectatus nullam prodit iniuſtitiam, cur prohibitus aſſeritur? Quia contractus non peraguntur in metaphyſica præciſione, & ut ſunt in hominum mentibus. Videndum num talis contractus, attenta hominum cupiditate, & conſideratis periculis fraudum, & uſurarum quæ ſecum defert, communiter ad praxim reduci ſine peccato poſſit. Et quia præfatus contractus reipſa in praxi eiuſmodi periculis obnoxius eſt, ideo iuſte illum prohibuit Pontifex.

XI. Accedit quod illæ ipſæ rationes quibus ſuaderi contractus ſolet, me ad iſlum improbandum movent. Nolunt, inquiunt, capitaliſtæ pati faſtidia ſupputationum, neque moleſtiam revidendi rationes; nolunt ſubiacere mercatorum infidelitati; ſed parvo potius lucro contenti, volunt tranquillam vitam agere. En quo recidant omnia. Vellent homines pecunioſi otio diffluere, ludis, recreationibus, deliciis indulgere, & ſuam pecuniam aliorum ſudore, ac induſtria lucroſam efficere, omni ſublato faſtidio. Mirifici homines, ſed mirabiliores Theologi, qui ut iſtorum ignaviæ, mollitiei, & cupiditati obſequantur, mentem & ingenium cruciant in excogitandis titulis quibus ea liceant quæ iſtis favent. Non dives aliquis, non Magnates, non Principes, non Reges ſua patrimonia iam acquiſita, ſine moleſtia, labore, & inquietudine poſſidere, ac conſervare valent; quin perpetuas lites, bella, expenſas ſuſtinere coguntur, ut illa defendant. Et capitaliſtæ noſtri ſine tædio, ſine perturbatione, & mentis applicatione acquirere, augere, amplificare divitias quas non habent, vellent? O lepidi homines! Sudent & ipſi, ac laborent, ſi lucroſas reddere pecunias ſuas volunt.

XII. Praeterea, ut alias dixi, ſi homines cauti, prudentes, ſinceri, fideles ſecuri eſſent, nonne crederes iiſdem pecunias tuas ad lucrum, omni excluſa cautione, & ſublatis titulis illis quos *ingenioſi Theologi*, forte a mercatoribus prius admoniti, excogitarunt? Procul dubio, inquis. Et quia homines fraudulenti, doloſi, iniuſti, veteratores ſunt; ideo ſummorum Pontificum conſtitutiones exquiſitis interpretamentis aut eludere, aut extenuate nos debemus?

XIII. Quæſt. II. *Quid de ſocietate animalium dicendum?* Reſp. Animalia in ſo-

 cie-

Digitized by Google

cietatem, non ſecus ac pecunia, tradi ſolent: quæ ſocietas italice dicitur *Soccio*; & *Soccida*. Animalia in hoc contractu gerunt vices capitalis: & qui eadem tradit, capitaliſta; qui accipit, ſocius vocatur. Contractus iſte communem contractus ſocietatis notionem participat: eſt enim *conventio duorum, vel plurium, quorum alii certum animalium numerum tradunt in ſocietatem; alii eadem paſcenda, & cuſtodienda accipiunt, ut ex fructibus lucrum percipiant.*

XIV. Eaſdem omnino conditiones in contractu ſocietatis animalium ac pecuniæ præſcribit ſervandas Sixtus V. videlicet, quod capita animalium pereant domino; dummodo ſine *villici*, ſeu accipientis fraude, vel culpa pereant. Et hoc ob communem rationem, quod res perire domino debeat. Qui autem animalia tradit, dominus eſt. Communicare ergo ſocii iſti debent tum in damno, tum in lucro. Quare ſocietates illæ quæ fiunt, ut vulgo dicitur, *a capo ſalvo*, ſalvo nempe capitali, omnes iniuſtæ ſunt; ut Sixtus V. definivit, & plura Concilia provincialia declararunt, potiſſimum Concilium Mediolanenſe I. ſub S. Carolo. *In ſocietate non fiat pactio ut ſors ſalva ſit, fructus vero communiter dividatur.*

XV. Altera conditio eſt, ut *villicus* animalia paſcat, cuſtodiat, curet, conſervet, ac ſi eſſent ſua, & lucri rationem ſincere reddat.

XVI. Tertia conditio eſt communis omni ſocietatis contractui, videlicet ut in proventuum, ſeu lucri partitione ſervetur æqualitas, conſiderata capitalis, & operarum quantitate. Si enim induſtria ſocii æquet capitalis quantitatem; tum ſocius, non ſolum lucri, ſed etiam ſortis particeps ſit oportet. Quod ut percipias, exemplum ſubiicio. Sempronius confert in ſocietatem ducentos ducatos, vel 100 animalia eiuſdem valoris. Socius confert induſtriam, quæ æſtimatur centum. Finita ſocietate, ſumma conflata tum ex ſorte, tum ex proventibus, eſt 600. Ex his Sempronio capitaliſtæ cedunt 400. & ſocio 200. In hoc itaque contractu induſtria ſocii eſt addenda ſorti; ita ut ex pecunia, aut animalibus capitaliſtæ, & induſtria ſocii una ſors communis fiat. Si operæ ſocii æquent ſummam capitaliſtæ; tum æqualiter ſors, & lucrum dividenda ſunt. Si induſtria ſocii æquivaleat tertiæ parti ſummæ capitaliſtæ; tum in partitione cedit ſocio tertia pars ſortis, & lucri, ſeu tertia pars totius ſummæ. Ratio evidens: quia ad negotiationem non minus conferunt operæ ſocii ac ſors capitaliſtæ. Ergo eiuſmodi operæ in ſortem computandæ ſunt, & iuxta earumdem valorem ſocius tam ſortis, quam lucri particeps eſſe debet. Siquidem ſi integra ſors, quam ponit capitaliſta, integra eidem redire deberet; ſocius nihil lucraretur, ut patet in exemplo allato. Fac lucrum eſſe 300. Operæ ſocii æſtimantur 100. Tertia lucri pars ei cedit, nempe 100. Ergo nihil lucratur. Sed tantum locaret operas, ceu ſervus recipiens mercedem. Hinc ſi lucrum eſſet minus, tum capitale operarum amitteret, & capitaliſta haberet integram ſortem cum lucro.

XVII. Heinc colliges, ſi finita ſocietate, nullum ſit lucrum, ſed ſolum remaneat ſors, a capitaliſta collata, tum dividendam eſſe iuxta æſtimationem operarum. Alioquin ſocius amitteret totum capitale operarum, ſi integra ſors rediret ad capitaliſtam.

XVIII. Pluribus modis iniri contractus ſocietatis ſolent, videlicet ut ſors redire integra capitaliſtæ debeat, niſi pereat; & ſocius habeat ſextam, vel octavam partem, vulgo *caratum*, lucri pro æſtimatione operæ. Sed tum non eſt vera ſocietas; ſed potius conductio, & locatio operarum. Plures alios modos quibus eiuſmodi ſocietates coiri ſolent, prætereo. Regula generalis eſt, quod æquitas ſemper ſervanda eſt, & æqualis participatio tum damni, tum lucri.

CAPUT XXIII.

Sint ne feneratores domini rerum quas fenore acquiſiverunt. Quinam præter feneratores ad reſtitutionem teneantur uſurarum.

I. PLures recentiores, ut Lugo, Sa, Navarrus, & alii, defendunt, feneratores dominium acquirere eorum quæ vi mutui lucrantur. Sed S. Thomas, cui communiter Theologi ſubſcribunt, negat tale dominium uſurariis 2. 2. *quæſt.* LXXVIII. *art.* 3. Ratio evidens eſt. Contractus feneratitius iure tum naturali, tum divino nullus eſt. Ergo impar ad dominium transferendum. Mutuatarius enim eo modo feneratori pecunias ſolvit quo traderet eas latroni, ut ſibi caveret: nec plus dare feneratori reipſa intendit quam quod debet. Uſuras autem nullo modo debet. Quid quod, ſi etiam vellet, nequit mutuatarius ſua libertate efficere validum contractum qui omni iure nullus eſt? Poteſt utique libere ſua donare; at non poteſt cum fenerarore concurrere ad celebrandum contractum iure ſuo nullum. Libertas quæ in mutuatario aſſeritur, reipſa fictitia eſt: nam omnes vellent ſibi gratis mutuum tradi.

II. Bona feneratitia, ſi frugifera ſint, creſcunt mutuatariis, non feneratori; pereunt vero feneratori, quia is poſſeſſor malæ fidei eſt. Heinc conſequitur, feneratorem non poſſe in alios transferre dominium bonorum quæ fenore aſſecutus eſt. Qui vero præfata bona ab uſurario accipiunt, eadem reſtituere debent, ac ſi a latronibus emiſſent.

III. Adverte tamen, omnes ad unum Theologos obligare feneratorem ad reſtitutionem eorum quæ fenore acquiſivit, ſive dominio potiatur in eadem, ſive non. Quoniam qui dominium iiſdem concedunt, aſſerunt ſimul, hocce dominium re-

reſtitutionis onere gravatum eſſe. Si mutuatarii aut deſint, aut ſint ignoti, pauperibus facienda reſtitutio eſt. Diſputant etiam iuniores, num uſurarius dominium acquirat, quando res feneratitiæ perceptæ, puta pecuniæ, frumentum, oleum &c. immixta forent ſuis pecuniis, frumento, oleo, ita ut diſcerni nequirent? Aiunt communiter acquirere dominium imperfectum, ſimul tamen mutuatarios habere ius in rebus quæ in præfato cumulo extant, & uſurarum titulo ſolutæ ſunt: & fenerator ſemper tenetur tantumdem reſtituere.

IV. Si bona quæ uſurarius fenore acquiſivit, ſint ſterilia, puta pecunia, frumentum, & alia quæ uſu conſumuntur, & iſtorum bonorum negotiatione alia bona acquiſivit, non tenetur hæc reſtituere: quia ſunt fructus induſtriæ, ut dictum de latrone eſt. Si vero bona mutuatarii, vi fenoris ſoluta, eſſent frugifera; tum fructus reſtituendi eſſent, ut præclare S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXVIII. *artic.* 3. docet. *Res quædam ſunt quarum uſus eſt ipſa earum rerum conſumptio, quæ non habent uſumfructum ſecundum iura . . . Et ideo ſi talia fuerint per uſuram extorta (puta denarii, triticum, vinum, aut aliquid huiuſmodi) non tenetur homo ad reſtituendum, niſi id quod accepit: quia id quod de tali re eſt acquiſitum, non eſt fructus huiuſmodi rei, ſed humanæ induſtriæ: niſi forte per detentionem talis rei alter ſit damnificatus amittendo aliquid de bonis ſuis: tunc enim tenetur ad recompenſationem nocumenti. Quædam vero res ſunt quarum uſus non eſt earum conſumptio; & talia habent uſumfructum; ſicut domus, & ager, & alia huiuſmodi. Et ideo ſi quis domum alterius, vel agrum per uſuram extorſiſſet, non ſolum teneretur reſtituere domum, vel agrum, ſed etiam fructus inde perceptos: quia ſunt fructus rerum, quarum alius eſt dominus; & ideo ei debentur.*

V. Feneratores itaque tenentur reſtituere omnes fructus ex re frugifera uſuraria perceptos, etiamſi mutuatarii eoſdem non percepiſſent, detractis expenſis, & labore. Inſuper ſi feneratores fructus non colligant, collegiſſent vero mutuatarii, damnum compenſare tenentur quod paſſi iſti ſunt.

VI. Quæſt. I. *Conſulentes feneratores, aut eiſdem pecunias præbentes tenentur ne ad reſtitutionem?* Reſp. Negant plures. Sed adfirmat vera ſententia: quia iſti ſunt cauſſæ efficaces damni.

VII. Quæſt. II. *Qui deponunt pecunias apud feneratores, quos ſciunt eiſdem ad fenora abuſuros, peccant ne contra iuſtitiam?* Reſp. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXVIII. *art.* 4. *ad* 3. reſpondet. *Quod ſi quis committeret pecuniam ſuam uſurario non habenti alias, unde uſuras exerceret, vel hac intentione committeret, ut inde copioſius per uſuram lucraretur, daret materiam peccandi. Unde & ipſe eſſet particeps culpæ. Si autem aliquis uſurario alias habenti, unde uſuras exerceat, pecuniam ſuam committat, ut tutius ſervetur, non peccat, ſed utitur homine peccatore ad bonum.*

VIII.

VIII. Perſpicue Angelicus docet, eum qui deponit pecunias apud feneratorem in eum finem ut feneretur, peccare. Verum habet, inquiunt Lugo, Palaus, Salmanticenſes, & alii. At non aſſerit S. Thomas hunc ad reſtitutionem teneri. Angelicus docet, hunc eſſe participem culpæ, quia dat materiam peccandi, & peccandi ſane contra iuſtitiam. Cuiuſnam culpæ particeps is eſt? Iniuſtitiæ quam committit fenerator. Si peccat contra iuſtitiam, ergo ad reſtitutionem tenetur. Nam non alterius culpæ particeps hac ſua actione eſſe valet niſi illius quam perpetrat fenerator. Culpa feneratoris eſt contra iuſtitiam. Ergo contra iuſtitiam eſt quoque culpa illius qui feneratori materiam ſic peccandi præbet. An qui furi inſtrumenta, & viam aperit ad ſurandum, ad ſurta compenſanda non aſtringitur?

IX. Quæſt. III. *Rectores, ſupremæ poteſtates, iudices, advocati, qui aliquo ſtatuto in cauſſa ſunt ut uſuræ ſolvantur, peccant ne contra iuſtitiam?* Reſp. Adfirmans ſententia vera, & certa eſt: quoniam iſti ſunt cauſſæ efficaces peccati perpetrati; atque adeo reſtitutioni obnoxii ſunt, feneratoribus non reſtituentibus. Quomodo ſupremæ poteſtates poſſint permittere, graviſſima neceſſitate urgente, uſurarum artem, ſicut ad evitandum maius malum permittere lupanaria valent, alibi dictum eſt.

X. Quæſt. IV. *Miniſtri qui dominorum nomine uſuras percipiunt, tenentur ne ad reſtitutionem?* Reſp. Diſtinguunt Auctores miniſtros qui officia exercent minus proxima ad uſuras, ut ſcribere, numerare pecunias, cuſtodire illas: & hos non teneri ad reſtitutionem docent; immo nec peccare: quemadmodum, inquiunt, famulæ quæ aperiunt portam, quæ ſternunt lectum ad fornicandum, ne ſuam perdant commoditatem, ſeu mercedem. Hæc opinio, ad peccatum quod attinet, mihi falſa eſt, & laxa. Hic & nunc actiones iſtæ influunt in peccatum, ut alibi demonſtravimus: & ſimiles opiniones continentur in propoſitione damnata de eo qui ſcalam tenet hero aſcendenti ad fornicandum. Num poſtea præfati miniſtri ab onere reſtitutionis excuſentur ob bonam fidem, & ignorantiam, fateor me prorſus ignorare. Si praxim ſpectes, communiter iſti ſunt impares ad reſtituendum. Unum mihi certum eſt, videlicet cogendos eiuſmodi miniſtros eſſe ut a ſimili miniſterio recedant; quidquid dicant iuniores plures in oppoſitum. Scribere, numerare pecunias, ſicut & tenere ſcalam præfato hero ſunt actiones adiaphoræ, abſolute ſpectatæ; at in his circumſtantiis ſunt vitioſæ. Cooperantur eiuſmodi miniſtri peccato iniuſtitiæ. Quare, admiſſa cooperatione hac, ſuapte natura conſequi videtur reſtitutionis onus. Sed, ut dixi, an bona fides, an ignorantia excuſet, profecto ignoro. Miniſtris iſtis numquam auctor eſſem ut feneratoribus inſervirent; & ſic numquam eſſent reſtitutioni obnoxii. Si caſus mihi occurreret, primum omnium eoſdem, ut a miniſterio ſe abdicarent,

cogerem ; niſi gravis neceſſitas pro aliquo tempore congruam ſuaderet dilationem. Ob elapſum miniſterium præſtitum non ſubiicerem reſtitutionis oneri, niſi conſultis viris doctis, probiſque, Deoque fuſis precibus ad lumen impetrandum. Miniſtri vero illi propinquius arti uſurariæ operam dant qui uſuras colligunt, qui mutuatarios ad fenora ſolvenda urgent: & hos communior iuniorum ſententia adfirmat peccare contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem teneri: quia iſti vere in iniuſtitiam influxum præbent.

XI. Quæſt. V. *Potes ne accipere a feneratore in ſolutionem tui crediti quæ eidem ab alio tertio debentur vi uſurarum?* Reſp. Titius fenerator tuus debitor eſt. In ſolutionem tibi aſſignat centum quæ ratione uſurarum ei debet *Sempronius*. Licite ne tu potes ab hoc *Sempronio* centum exigere? Si tibi conſtat *Sempronium* debere ob ſolas uſuras centum Titio feneratori, tuoque debitori, planum eſt te non poſſe in ſolutionem tui crediti hæc centum accipere: quia nullo iure debentur tuo debitori uſurario: & hic tibi re aliena ſolvere ſuum debitum vult. Quare ſicut ille nequit hæc centum exigere, ita neque tu eadem accipere iure potes.

XII. Quæſt. VI. *Peccant ne qui mutuum petunt ſub uſuris?* Reſp. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxviii. *art.* 4. reſpondet. *Dicendum, quod inducere hominem ad peccandum nullo modo licet; uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum eſt: quia & Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum. Ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum, ut dicitur in Enchirid. . . . & ideo Auguſtinus . . . Publicolæ quærenti, utrum liceret uti iuramento eius qui per falſos deos iurat, in quo manifeſte peccat, eis divinam reverentiam adhibens, reſpondet, quod qui utitur fide illius qui per falſos deos iurat, non ad malum, ſed ad bonum, non peccato illius ſe ſociat, quo per dæmonia iuravit, ſed pacto eius bono, quo fidem ſervavit. Si tamen induceret eum ad iurandum per falſos deos, peccaret.*

Ita etiam in propoſito dicendum eſt, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum ſub uſuris; licet tamen ab eo qui hoc paratus eſt facere, & uſuras exercet, mutuum accipere ſub uſuris propter aliquod bonum, quod eſt ſubventio ſuæ neceſſitatis, vel alterius; ſicut etiam licet ei qui incidit in latrones, manifeſtare bona quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur, exemplo decem virorum qui dixerunt ad Iſmael: Noli occidere nos, quia theſauros habemus in agro, ut dicitur Ier. xli.

XIII. Obſerves velim, S. Doctorem concedere mutui petitionem ob *ſubventionem neceſſitatis* propriæ, vel alterius. Et exemplo utitur illius qui manifeſtat latroni ſua bona diripienda ad mortem evadendam. Itaque non ob quodcumque commodum, non ut negotiationem amplifices, non ut maiora lucra captes, ſed ob gravem levandam neceſſitatem dumtaxat, quæ alia via reparari nequeat, licitum

citum eſt mutuum petere; cum ſola mutuatoris pravitate lucrum mutuo extrinſecum exigatur. Quod ideo dico, ne hinc occaſionem arripias honeſtandi miniſtrorum officia, & famulatum meretricibus præſtitum. Quoniam meretricium exerceri ſine peccato nequit. Et ideo qui eiſdem cooperantur, peccant omni excuſatione ſublata. Mutuum tradere, & accipere, bonum natura ſua opus eſt: & ideo illud petere quoque licet. Quod autem mutuator nolit abſque uſura tradere, illius nequitia, & malitia eſt: a qua tu ex caritate diſtrahere debes; niſi caritas erga te ipſum, vel proximum urgeat, ut, illius malitia permiſſa, tibi proſpicias. Præterea aliud eſt pro aliquo caſu contingente, & neceſſitate premente mutuum petere; aliud eſt miniſterium habituale ſuſcipere inſerviendi aut feneratori, aut meretrici. Quis non videat inter hæc duo magnum diſcrimen? Moralia enim moraliter tractanda, & ſpectanda ſunt. Sæpe, ut advertit vel ipſe Caramuel, iuniores plures ſuis paritatibus ob controverſiarum affinitatem morum regulas corrumpunt. Miniſtri inſerviunt arti fenerandi, quæ natura ſua deteſtabilis eſt; immo miniſtri ipſam artem exequuntur pravam, & crudelem: idcirco omittere illam adſtringuntur. Qui aliqua neceſſitate preſſus mutuum petit a feneratore, officium poſtulat quod hic & nunc virtutis formam induere poteſt.

XIV. Heinc collige, falſam eſſe quorumdam iuniorum opinionem, qua aſſerunt, licitum eſſe mutuatario offerre feneratori, dum mutuum ab eodem petit, uſuras. Potes, inquiunt, dicere: *Da mihi mutuum; & tot tibi pro uſuris ſolvam.* Hanc opinionem docere *Bannez*, *Trullenchum*, *Sanchez*, *Lugo*, *Dianam*, referunt Salmanticenſes. Falſa, inquam, & laxa eſt opinio hæc. Quoniam tu offers quod ille nec petere, nec accipere licite poteſt. Ergo nec tu offerre iure vales. Aliud quippe eſt petere mutuum, aliud petere uſuras. Primum licet, ſecus alterum. Quod poſtea ille tradere mutuum nolit niſi ſub uſuris, illius pravitas eſt, quam tu permittis ob tuam neceſſitatem levandam.

XV. Quæſt. VII. *An qui emit mercem a venditore avaro, iniuſto, & crudeli, pretium magnopere iniuſtum exigente, ſit eiuſdem iniuſtitiæ particeps?* Reſp. Quæſtiuncula propoſita hæc eſt. Indiges tali fundo ſive ad ædificium conſtruendum, ſive ad alium finem. Dominus, tuæ indigentiæ conſcius, pretium poſtulat quod enormiter iuſtitiæ limites excedit; puta, pro fundo cuius ſummum pretium ſunt quadringenti aurei, petit quatuor millia aureorum. Potes ne pretium iſtud iniuſtum ſolvere, quin iniuſtitiæ particeps fias? Quæ certa ſunt, præmittenda. Et primo merx, vel fundus ſpectari aut abſolute poteſt, aut relative ad venditorem, qui damnum aliquod patitur ex talis fundi venditione: & tum certum eſt eiuſmodi damni compenſationem exigere venditorem iure poſſe; quemadmodum certum eſt non poſſe venditorem pretium augere ob utilitatem, & commodum,

quan-

Digitized by Google

quantumvis maximum, quod emptor ex fundo percepturus eſt. Ponamus, venditorem damnum pati ex fundi venditione mille aureorum. Quadringentis aureis fundus valet. Demus ei etiam pro pretio quod *affectionis* vocant, ſexcentos aureos. Heinc habemus ſummam iuſti pretii, omnibus ſpectatis, non excedere duo millia aureorum. Avarus venditor, conſcius ſive neceſſitatis, ſive impotentis affectus emptoris erga fundum ſuum, ultra præfata duo millia, quæ pretium ſummum abundanter conſtituunt, exigit alia duo millia. Hunc mortaliter peccare, & ad reſtitutionem obſtringi docent Theologi omnes. Mihi ſat eſt in medium afferre doctrinam S. Thomæ 2. 2. quæſt. lxxvii. artic. 1. in corp. *Alio modo poſſumus loqui de emptione, & venditione, ſecundum quod per accidens cedit in utilitatem unius, & detrimentum alterius; puta, cum aliquis multum indiget habere rem aliquam, & alius læditur, ſi ea careat: & in tali caſu iuſtum pretium erit ut non ſolum reſpiciatur ad rem quæ venditur, ſed ad damnum quod venditor ex venditione incurrit. Et ſic licite poterit aliquid vendi pluſquam valeat ſecundum ſe, quamvis non vendatur pluſquam valeat habenti. Si vero aliquis multum iuvetur ex re alterius, quam accepit, ille vero qui vendit, non damnificetur carendo re illa, non debet eam ſupervendere: quia utilitas quæ alteri accreſcit, non eſt ex vendente, ſed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri quod non eſt ſuum; licet poſſit ei vendere damnum quod patitur. Ille tamen qui ex re alterius accepta multum iuvatur, poteſt propria ſponte aliquid vendenti ſupererogare; quod pertinet ad eius honeſtatem.*

XVI. Hac angelica doctrina præmiſſa, reſpondeo, emptorem iniuſtitiæ venditoris participem fieri, niſi gravis, & evidens neceſſitas ad fundi emptionem cogat. Hæc autem neceſſitas colligenda eſt ex conditione, & ſtatu emptoris. Nam quod neceſſarium eſt nobili & prædiviti, utile & commodum tantum poteſt eſſe perſonæ inferiori. Non me latet dictum Auguſtini: *Sanctum eſt quod volumus*. Heinc tum venditores, avaritiæ æſtu abrepti, damna ſibi effingunt ex venditione obvenire; tum emptores, aut ambitione, aut alio occultiſſimo affectu perciti, luxum, pompas, delicias, commoda, proprio ſtatui ſuperflua, neceſſitatem, & quidem gravem, appellant. Verum Deus non irridetur. Niſi, ſpectato proprio ſtatu, vera neceſſitas ſit, æque mortaliter peccat emptor iſte qui cooperatur iniuſtitiæ graviſſimæ, & manifeſtæ venditoris, ac ille qui ſine neceſſitate mutuum petit a feneratore. Doctrina hæc adeo luculenta eſt, & certa, ut a nemine Caſuiſtarum adduci in controverſiam poſſit. Idcirco a fuſiori confirmatione abſtineo.

XVII. Quæſt. VIII. *Peccant ne qui petunt mutuum ad ludos, vel pompas ſuperfluas a feneratore parato?* Reſp. Negant aliqui apud citatos Salmanticenſes. Sed hæc quoque opinio falſa, & laxa eſt. Quoniam nulla eſt ratio quæ talem petitionem honeſtet. Quin tales petitores peccatis peccata cumulant. Paritas mulie-

ris

ris domo egredientis, licet ſciat ab impudicis ſe fore amandam, inepta eſt & futilis. Quia honeſta eſt mulieri egreſſus ratio; neque ſua ſe libertate privare debet ob ſcandalum, ex ſola malitia impudicorum ortum, vitandum. Conſule quæ de ſcandalo vitando dicta ſunt *Tom. II.*

§. XVIII. Quæſt. IX. *Quænam ſunt pœnæ feneratoribus inflictæ?* Reſp. Variæ ſunt pœnæ latæ in feneratores publicos. Vocantur publici vel *notorietate facti*, quando publice coram multis uſuras exercent; vel *notorietate iuris*, quando iudicis ſententia ut tales declarati ſunt. Contra hos uſurarios lata eſt pœna infamiæ, a ſacris ordinibus arcentur, & ab altaris communione, & ab omnibus ſacramentis, niſi prius ſe a miniſterio abdicent, & ſatisfaciant. Privantur ſepulturæ iure; & qui eoſdem ſepultura eccleſiaſtica donant, excommunicantur. Ius quoque teſtandi eis interdicitur. Peccant quoque qui publicis feneratoribus ad exercendas uſuras domos locant, & cenſuris eccleſiaſticis ab Epiſcopo plectendi ſunt. Alias pœnas infligunt iura civilia cuiuſcumque regni. Communiter bona fenore comparata, fiſco addicuntur.

CAPUT XXIV.

Aliquæ obſervationes pro negotiatione exercenda, & pecunia applicanda abſque fenore.

I. Plura ſcripſi tum in opere, *Eſplicazione del dogma che la Chieſa Romana propone a crederſi intorno l'uſura, Lib. III.* tum in *tract. de contract. trin. diſſ.* v. adverſus ſophiſmata plurium iuniorum, qui, non ſecus ac Molinæus, Salmaſius, & alii, paſſim obtrudunt, everti Reſpublicas, commercia deſtrui, omnia languere, ſi de medio auferantur *contractus trini*, *contractus impliciti*, *innominati*, & aliæ ſimiles opiniunculæ, quibus tegi, & fucari uſuræ ſolent. Ibidem palam feci, oppoſitores iſtos prima evangelicæ legis fundamenta ignorare, & ipſa civilia commercia, artes, & mercaturam evertere. Quæ omnia locis citatis conſulere potes. Obiter hic nonnulla adiiciam.

II. Quoniam Deus hominum genus conſociatum voluit, tali partitione & diſtributione omnia officia, perſonarum gradus, & bona ordinavit, atque diſpoſuit, quæ eſſet tranquillæ ſocietati, & mutuæ communicationi aptiſſima. Plures hominum gradus ſupremus Proviſor conſtituit, ut hanc ſuam totius univerſi familiam in mutua perfectaque communicatione tum animorum, tum rerum devinctam conſervaret. Primo loco alios divites, alios pauperes voluit, ut hi qui bonis, & viribus, atque induſtria carent, humili patientique animo ab illis neceſſarium ſubſidium preca-

ca-

Digitized by Google

cario accipiant: & e contrario illi amoris, & liberalitatis officia exerceant erga indigentes, cum a ſupremo Patrefamilias reditus abundantes acceperint, ſeu illo benedicente compararint, hac adiecta penſione, & gravamine, ut ſuperflua in præfatos pauperes, piaque opera diſtribuant. En primum gratuitæ donationis, & mutuæ communicationis genus, ex ipſa naturali ſocietate proficiſcens. In ſecunda claſſe ſunt ii qui, licet pecuniis, & bonis deſtituti ſint, robore tamen, & induſtria laborandi, ſerviendique pollent. Hi neque permutatione, neque venditione rerum iuvari, vel ſublevari poſſunt; neque eleemoſynis debent: quia inquit Apoſtolus Paulus II. Theſſal. III. *Hi operantes ſuum panem manducent*. Duplici via iſti iuvandi ſunt, videlicet aut operas illorum conducendo; aut, ſi illorum vocatio ſeu conditio operarum locationem non patitur, gratuiti mutui traditione. In tertio ordine ſunt plurimi, qui divitiis, fundis, reditibus non affluunt ſicut divites primi ordinis; patrimonium tamen habent, ſed in pecunia poſitum aut in totum, aut in partem. Iſtorum multi aut ob corporum imbecillitatem, & ineptitudinem, ut viduæ, pupilli, ſenes, morbidi; vel propter vitæ functionem, aut dignitatem, ut nobiles, miniſtri inſervientes Reipublicæ, litterarum cultores, nequeunt honeſto negotiationis, opificii, agricultionis, rei pecuariæ quæſtu ſuam pecuniam exercere, & frugiferam reddere. Si vero ſterilis in ſcrinio iaceat, familiæ ſuſtentandæ non ſufficit, & cito deficit. Alii vero ſunt qui & pecunia, & fundis carent, ſed ingenio, induſtria, & arte præſtant, quorum alii ad culturam agrorum, alii ad rem paſtoritiam, alii ad opificia, alii ad mercaturam exercendam apti ſunt. Divites prioris ordinis adiuvent iſtos pecunia, in ſocietatem tradita, qua emere prata, pecora, opificiorum materiam, merces poſſint; & lucrum dividatur pro rata parte. In quarto tandem ordine eos collocare poſſumus qui & pecunias, & fundos habent ex utraque parte; ſed mutua communicatione egent: quia hi carent rebus quibus abundant alii, & e contrario. Iſti communicationem alant emptionibus, venditionibus, permutationibus, commodatis, cenſibus, locationibus &c.

III. En quot viæ planæ, quot modi obvii, quibus fovere ſocietatem, exercere commercia, rem tum domeſticam, tum publicam promovere, ordine divinæ providentiæ ſervato, homines poſſunt. In tanta mutuæ communicationis amplitudine caritatis, & iuſtitiæ iura illæſa cuſtodiri, ſummus univerſæ familiæ Rector præcipit. Plura ſpeciatim ſervanda in communicatione mutuationis præſcribit. In hac reſtituendam ſortem iubet. Verum, ſi ad paupertatem redactus debitor fuerit, vetat *Exod.* XXII. ne eum urgeas quaſi exactor. Si pignus acceperis, quo utitur ille ad vitæ ſuſtentationem, illud ante ſolis occaſum reddendum imperat. Meditanda ſunt quæ de remiſſione debitorum habentur *Iſaiæ cap.* LVIII. Venditionis, emptionis, venditarum poſſeſſionum redemptionis, & revenditionis earumdem, item agricultionis regulæ plures traduntur *Levit.* XXV. Frequentius in Scriptura ſancta incul-

ca-

Digitized by Google

catur, altius exaggeratur, & ſuadetur ut officia mutuationis ſint gratuita, ut pauperes ſubleventur, ut iſtorum debita remittantur. Iſtorum poſſeſſiunculas captare, patrimonia exhaurire; unico verbo, iſtorum gravamina ſeverius, & frequentiſſime vetat, atque dereſtatur.

IV. Paucis ordinem adumbravi quo promoveri humanum commercium debeat. Si quæ Deus iſthuc pertinentia præcepit, exacte ſarta tecta cuſtodiantur, felices divites, fortunati pauperes, læti operarii, mercatores, artifices, agricolæ, paſtores, & cuiuſque ordinis homines, tranquillæ ſocietatis, & mutui commercii fœdere iuncti, vitam agent florentiſſimam. Verum quia immoderata rerum humanarum cupiditas hunc a natura, a Deo præſtitutum ordinem pervertit & depravavit, omnia avaritia, iniuſtitia, uſuris, fraudibus, dolis, oppreſſionibus plena ſunt. Et quoniam ad priſtinam harmoniam, divinamque legem revocari homines nequeunt, novus & prorſus oppoſitus ordo invectus eſt, & divina mandata ad hominum mores detorta ſunt; ut ſæpius ex S. Auguſtino animadverti.

V. Opinionum portenta, ſane incredibilia, quæ non pauci ingenioſi Theologi commenti ſunt, zelo vitandi tanta uſurarum crimina, quæ uſquequaque graſſantur, & a quibus vix avelli homines poſſunt, hactenus deſcripſi fide ſumma. Opus haud eſt ut eadem in mentem revocem. Quid heinc? Abſtinendum ſane ab iſtorum librorum lectione, ſi uſurarum pallia, involucra, atque anfractus declinare tibi cordi eſt. Probabiliſtarum plures docent, in controverſiis quæ iuſtitiam ſpectant, contemnendum Probabiliſmum eſſe, & ſecuriorem ſententiam amplectendam. Illorum ergo opiniunculis, & commentis, quæ in hoc potiſſimum de contractibus, de reſtitutione, de uſura tractatu pro ingenio fabricarunt, relictis, quæ probabiliora, quæ ſecuriora ſunt, amplectere. Noli humani ingenii ratiunculis fidere, ſed divinam legem ſerius meditare; illudque Tertulliani ſcitum ſit tibi alta mente repoſitum: *Quam ſapiens argumentatrix ſibi videtur ignorantia humana, præſertim cum aliquid eiuſmodi de gaudiis, & fructibus huius ſaeculi metuit amittere*! Lib. II. de ſpect. cap. 11.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

DE CAMBIIS, CENSIBUS, LOCATIONE, CONDUCTIONE, LUDO, ET SPONSIONE, PROMISSIONE, ET DONATIONE, CETERISQUE CONTRACTIBUS.

PRAELOQUIUM.

Controverſias quas de contractibus, in hac diſſertatione explicandis, fuſo calamo verſant iuniores, paucis perſtringam. Principia certa, quoad fieri poterit, & materiæ conditio fert, conſtituam. Duo præcipue ſunt contractus, *cambiorum* nempe, & *cenſuum*, qui amplam diſputandi materiam præbent. Cambia antiquis ignota. Unicum eorum veſtigium deprehenditur in *L. 16. ff. de Senatuconſulto Macedon.* ubi narratur, filiumfamilias ex mandato patris acceptam pecuniam *ad patrem per litteras miſiſſe, ut eam pecuniam in provincia ſolveret.* Cambium tamen latiore ſignificatione uſurpatum, quatenus videlicet permutationem unius mercis cum alia ſignificat, pervetuſtum eſt; immo ante monetarum inventionem in hoc cambio ſita negotiatio erat. Inventa pecunia, novi excogitati contractus ſunt, quorum duo maxime hodie obtinent, *cambium*, & *cenſus*. Ambo hi contractus præ ceteris omnibus uſuris palliandis aptiſſimi ſunt. Prima cambiorum quæ nunc celebrantur, origo valde obſcura. Iacobus Savary in ſuo *de perfecto negotiatore* opere *Lib. III. cap.* III. cambiorum epocham figit in expulſione Iudæorum e Gallia, qui, ut inde pecuniam ſecure in Longobardiam, quo conceſſere, traducerent, *litterarum cambialium* invento uſi fuere. Sed altius ars campſoria ſua repetit orſa. Mea tamen non intereſt, nec inſtituto meo conducit diligentius hanc inquirere originem. Illud potius inculcandum mihi eſt, artem iſtam fraudum, uſurarum, & periculorum pleniſſimam eſſe. P. Thomas Mercatus O. P. pius, & doctus ſane Theologus, in *tract. de camb.* hiſpanice, & italice edito, advertit, tot inſidias, technas, ſutelas, verſutias, circuitiones, fraudes, anfractus, dolos, cavillationes, machinationeſque ſubtiliſſimas artem hanc comitari, & obſidere, ut vix percipi, nedum perſpicue explicari a Theologis poſſint. Solis campſoribus nota hæc omnia ſunt, & familiaria: qui nos deridenr, veluti artis

artis ignaros, dum illorum larvata fenora patefacimus. Narrat præfatus P. Mercatus, Theologos communiter hanc artem ſub initium quo exercere publice cœpit, improbaſſe. Nec ignorarunt, ſubdit, doctiſſimi viri, artem abſolute ſpectatam pravam non eſſe; immo poſſe abſque culpa exerceri. Verum, attenta hominum cupiditate, avaritia, & divitiarum ſiti ardentiſſima, vix innocens eſſe ſolet *cambiendi* exercitium. Porro homines non modo quod ſua natura pravum eſt, verum etiam id quod ad peccandum inducit, vitare debent. Lubet nonnulla Theologi iſtius verba tranſcribere. In prologo hæc ſcribit. „ Per trattar convenientemente queſta materia de' cambj, biſogneria ſecondo il mio giudicio tanta „ chiarezza, e riſoluzione in queſto negozio, quanto ella è in sè ſteſſa oſcura, o „ confuſa: perchè ſono tante le ſottigliezze, i tiri ingegnoſi di queſti negozian- „ ti, e le tele, e trame di eſſi ſono ordinariamente tanto intricate, che maggior „ capacità biſogna per intenderle a chi non ne fa profeſſione, che a chi ne fa per „ eſercitarle." Deinde *cap.1.num.9.* hæc ſubdit. *Non dico già, che uno o duo cambj non poſſano alcuna volta farſi ſenza ſcrupolo di coſcienza. Ma dico, che niuno fece giammai lungo tempo tale eſercizio, che non commetteſſe, a dir così, due mila rubbamenti, ed uſure, e non aveſſe almeno di ciò il nome, e la fama del popolo . . . E qui ſi deve avvertire, che le genti non ſolo non devono peccare, e traſgredire la legge, ma nè anco porſi a manifeſto pericolo di farlo: atteſochè ſolo per metterſi l'uomo in tal pericolo, fa peccato; ſebbene poi per qualche evento non peccaſſe altrimente. Onde per condannare uno ſtato, ed un modo di vivere, non ſolo s'ha da vedere, ſe di ſua natura è lecito, o che non ſi poſſa fare ſenza peccato, come è il preſtar a uſura, che per sè ſteſſo è condannato; ma deveſi anche inſieme eſaminare, ſe dà grande occaſione di offendere Dio; e ſe quelli che ne fanno profeſſione, comunemente caggiono in peccati mortali; e ſe di queſto ne è pubblica voce e fama: tutte le quali coſe hanno luogo, e ſi verificano in queſto particolar eſercizio, perchè offeriſce, e ſomminiſtra altrui occaſioni molto cattive da far ſcavezzar il collo all'uomo, che pur troppo da sè ſteſſo ſenza altra occaſione, dove ſi tratta d'intereſſe, cade, e va in precipizio. E queſta voce comune, che tutti i cambiatori ſono uſurarj, è argomento aſſai chiaro, che così ſia: perchè la voce del popolo dicono eſſer voce divina . . . . Dicono, che queſto traffico ſia neceſſario per la Repubblica. Non ſi nega, che veramente utile, e comodità grande apportino i cambiatori . . . Queſta ragione, che l'arte ſia neceſſaria, prova che devono i Principi permetterla, come in fatti la permettono. Ma non fa già loro eſenti dalla colpa, nè dall'uſura, ſe la commettono. Dico ancora, che l'arte è quella che ſerve alla Repubblica, ma non già gl'inganni, e le bugie, e i tanti rubbamenti, che con tal arte ſi accompagnano, anzi che queſte coſe ſon quelle che divorano e diſtruggono la Repubblica, e le ſoſtanze de' cittadini.* Hactenus P. Thomas Mercatus, quem Probabiliſtarum catalogo accenſere non erubeſcunt Probabiliſmi cultores. Hæc pau-

pauca recenſui, non ut artem ipſam improbem, quam iuſtis terminis circumſcriptam, Pontifices ſummi, Pius IV. & S. Pius V. probarunt; ſed ut admonerem, quanta cautione, quantaque diligentia Dei miniſtri ſuos inſtruere pœnitentes debeant. Cenſuum quoque difficultates non leves ſunt. Graviores proponam, & pro modulo meo diſcutiam. Ceteros contractus paucis expediam. Ad rem.

CAPUT I.

De cambio, eiuſque diviſione, & conditionibus.

I. QUamquam cambire abſolute comprehendat permutationem cuiuſcumque rei cum alia re, maxime ſi ſpectetur idioma italicum, vulgo *cambiare*; tamen in præſens communiter cambium definitur *contractus commutationis pecuniarum pro pecuniis cum lucro campſoris*. Exercitatio cambiorum vocatur *ars campſoria*. Contrahentes vocantur *campſor*, qui nempe alterius gratia pecuniam cambit; & *campſarius* ille qui petit cambium, & in cuius commodum fit. Vi iſtius definitionis differt cambium, & convenit cum aliis contractibus. Convenit vi primæ particulæ *commutationis*, differt ratione materiæ a venditione, & emptione: quia in iſtis venditur merx pro pecunia, aut traditur pecunia pro merce; in cambio vero pecunia pro pecunia commutatur. Poſſet tamen & cambium dici quædam venditionis ſpecies, quatenus pecunia ut merx venditur pro pecunia gerente pretii vices. Differt a commodato, locato, & depoſito: quia in his non alienatur dominium; in cambio vero dominium pecuniæ a campſario in campſorem transfertur. A mutuo pluribus titulis diſcrepat: tum quia mutuum non ſolum pecunia, ſed etiam quacumque re uſu conſumptibili peragitur; cambium vero ſola pecunia: tum quia mutuum tempus aliquod poſcit; in cambio pecunia præſens pro præſenti datur: tum denique quia mutuum gratuitum eſt, cambium lucroſum.

II. Dividitur in *reale*, & *fictum*, ſeu *ſiccum*. Iſtud mutuum palliatum eſt, omni titulo iuſto lucrandi deſtitutum: eſt enim traditio pecuniæ abſque loci diſtantia. Solum tempus abſens eſt, quia futurum. Neque ſpecies unius pecuniæ pro alia datur. Hæ cambiorum larvæ uſquequaque graſſantur. Quare cambium, non ſecus ac negotiatio, quamdam turpitudinis ſpeciem præfert. Sola publica neceſſitate Reipublicæ, commerciorumque honeſtari valet, ut mox dicetur, ſi ſit verum & reale. At *ſiccum*, de quo nunc agimus, nullo honeſtari titulo poteſt. Cambium iſtud ſic peragi ſolet. Indiges pecunia Veronæ, ibidem reſtituenda, ſed iuxta valorem cambiorum Boieni, vulgo *Bolzan*.

III. Cambium reale eſt in quo vere pecunia pro pecunia commutatur, ſive præ-

Digitized by Google

præſens pro præſenti qualitatis diverſæ, ſive præſens pro diſtante, aut diſtans pro præſenti. Dividitur in *minutum*, & *locale*, ſeu per *litteras*. Minutum, ſeu *manuale* eſt in quo pecunia aurea pro argentea, aut argentea pro ærea, vel contra, datur. Ideo dicitur *manuale*, quia pecunia de manu in manum tranſit, cum ſola qualitatis diverſitate. Cambium *locale*, ſeu per *litteras* illud eſt in quo permutatur pecunia præſens pro diſtante in alio loco, aut diſtans in alio loco pro præſenti. Duobus modis peragi poteſt. 1. Campſor dat pecunias campſario Venetiis, reddendas Romæ. 2. Campſarius dat Venetiis campſori pecunias, Romæ recipiendas. Et quia chirographis hæc cambia ſcribuntur, ideo dicuntur cambia per *litteras*.

IV. Quæſt. I. *Quo titulo licitum eſt cambium manuale?* Reſp. Plures titulos aſſignant Auctores. Primus eſt officium ipſum cambiendi, vel publica auctoritate impoſitum, vel ſponte ſuſceptum in commodum Reipublicæ. Valde enim communi bono conducit quod aliqui monetas diverſi generis habeant paratas ad utilitatem eorum qui eiſdem egent. Plures qui iter agere debent, indigent monetis aureis, quia, utpote levioris ponderis, facilius aſportantur: & ideo eas a campſore petunt, quibus dant æreas. Alii indigent æreis pro minutis expenſis. Quamobrem utilitas iſtius permutationis manifeſta eſt.

V. Alter titulus eſt labor, & incommodum congregandi pecunias cuiuſcumque generis, numerandi, conſervandi, diſtribuendi. Ad quæ omnia peragenda requiruntur miniſtri, domus, & expenſæ non leves. Pericula plura occurrunt mutandi valoris monetarum, infidelitatis miniſtrorum, & eorum qui correſpondentes vocantur. Tertius titulus eſt incommodum quod affert & conſervatio, & ſupputatio monetarum tantæ varietatis. Hæc omnia ſimul coniuncta conficiunt titulum iuſti, & moderati lucri. Titulus qui potiſſimum honeſtare lucrum valet, eſt ipſa diverſitas intrinſeca metalli monetarum. In hoc manuali cambio monetæ gerunt quaſi vices mercium, quarum una utilior alia eſt in ratione mercis aſportandæ, diſtribuendæ, & conſervandæ; licet in ratione monetæ omnes ſint eiuſdem valoris. Taxatio lucri exigendi in hoc cambio, communiter publico conſenſu definita in emporiis eſt, a qua non licet recedere in exceſſu.

VI. Heinc inferunt Theologi non pauci, licitum famulo campſoris eſſe, pecuniam auream acceptam, ſolvendam creditori, in æream commutare, &, retento lucro, ſolvere æream: quia lucrum iſtud fructus induſtriæ eſt, dummodo tamen dominus detrimentum non patiatur; & niſi dominus expreſſe iuſſerit ut talem auream pecuniam famulus creditori tradat: in qua hypotheſi & ipſi conſentiunt, famulum peccare, ac teneri ad compenſandum tum dominum, tum creditorem, ſi ob hanc pecuniæ variationem detrimentum paſſi iſti ſint. Verum hæc opinio abſolute mihi non probatur, quia fraudibus, & uſuris viam aperit. Famuli ſuis

ſtipendiis contenti ſint. Nec video titulum cur famuli, qui nullum incommodum cambio annexum ſubeunt, & mercedem pro ſuo exercendo officio accipiunt, poſſint licite lucrari. Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* IV. *punct.* 1. *num.* 5. docent, campſorem qui pro exercendo cambio a Principe ſtipendium accipit, non poſſe lucrum a campſariis, petentibus cambium, exigere. Deinde *ibid. num.* 7. cum Caſtropalao, Lugo, Prado, & aliis concedunt, præfatum famulum lucrari modo dicto poſſe. Quæ ſane opinio pugnat cum prima: & cum prima mihi vera ſit, ſecundam ut falſam reiicio. Cardinalis de Lugo *diſp.* XXVIII. *ſec.* 2. *num.* 25. *& ſeqq.* plura ſubtilia commenta excogitavit pro honeſtandis lucris quæ fieri ſolent a famulis, & procuratoribus campſorum: quæ omnia falſa exiſtimo. Nequeunt enim famuli, vel procuratores dominorum pecuniis uti ad proprios ineundos contractus; ſed rem dominorum, a quibus ſtipendium accipiunt, agere debent. Plura dicenda forent, ſi omnes ſubtilitates, excogitatas a Lugo, diſſolvere vellem. Sed non eſt pretium operæ.

VII. Quæſt. II. *Licitum ne eſt cuilibet privato cambium hoc minutum exercere?* Reſp. Affirmant communiter Auctores: quia hæc cambiendi ratio nullo iure vetita apparet: non naturali, quia tum neque publica accedente auctoritate, licita eſſet: non poſitivo, quia nullum reperitur ius, hoc cambium vetans. Ratio vero cur licitum ſit, ex iis quæ indicavi, manifeſta eſt. Hoc cambium ſpeciem præfert venditionis, & emptionis, quatenus monetæ æreæ, puta *ſacculi ſolidorum*, licet in ratione valoris æquent aureos, tamen prout commercio, aſportationi, & uſui communi deſerviunt, reputantur merces viliores, & non levis incommodi. Ergo cambium, vi cuius aufertur incommodum iſtud, pretio æſtimabile eſt, & moderato lucro dignum. Quæ tamen intelligenda cum moderatione, & prudenti iudicio ſunt. Si quis enim unum, vel alterum aureum, unum aut alterum ducatum permutaret, & lucrum exigeret, avarum ſe proderet. Eiuſmodi enim cambia iuxta prudentum exiſtimationem levioris momenti nullo pretio ſunt æſtimabilia. Et ideo reipſa hæc cambia familiaria gratis fieri ſolent. Sermo ergo eſt de cambio monetarum in magna, & congrua quantitate. Advertendum etiam eſt, quod in aliquo regno, ut in Gallia, prohibitum privatis eſt hæc cambia exercere: quo in caſu peccant qui legitimas leges Principum tranſgrediuntur. Inſuper minus lucrum exigere privati debent quam publici campſores: quia minoribus expenſis, & oneribus ſunt obnoxii. Hac ratione Caietanus *Tom. II. opuſc. tract.* VII. *cap.* 1. & poſt illum Armilla verb. *Campſor* negant licitum eſſe privatis cambia exercere: quorum opinio explicari poteſt, quando privati idem lucrum quod publici campſores, exigunt.

VIII. Quæſt. III. *Quo titulo licitum eſt cambium locale cum lucro?* Reſp. Omnes licitum aſſerunt cambium iſtud, quo pecunia in uno loco traditur, & alibi ſolvitur,

vitur, aut contra. Porro lucrandi titulus eſt pecuniarum aſportatio, Reipublicæ valde neceſſaria. Plures enim indigent pecunia in uno loco, ubi eadem carent, & quo transferre abſque expenſis, & periculis nequeunt. In hac aſportatione campſor vices baiuli gerit, non quidem reipſa, ſed virtute. Idcirco non tantum exigere lucri debet, quantum vero baiulo tribuendum eſſet. Nihil titulo hoc æquius. Hic fuit primus & verus cambiorum titulus. Sed vix illius in cambiis hodiernis habetur ratio. Quoniam ſæpe campſores habent pecunias in locis, quo aſportandæ ſunt, & quærunt campſarios, quibus eas tradunt; & nihilo ſecius lucrum accipiunt. Sed Theologi reſpondent, hoc eſſe per *accidens*. Accedit alius titulus aſſecurationis pecuniæ a translationis periculis, quæ pretio æſtimabilis eſt. Campſor enim dominus evadit pecuniæ quæ illi ſolvenda in alio loco traditur; atque adeo pericula ſubit eiuſdem pecuniæ. Hic tamen ſecundus titulus includitur in primo: quia dum ſubit campſor onus ſolvendæ pecuniæ in alia civitate, etiam ea quæ neceſſario heinc conſequuntur, ſuſcipit. Quamobrem nequit lucrum pro uno, & pro altero titulo exigere; ſed aſportatio, & ſecuritas pro eodem titulo computantur. Quæ locum habent, ſive campſor prius pecuniam recipiat, alio in loco reddendam; ſive ille hic numeret, alibi recipiendam. Utroque enim modo fit pecuniæ translatio. Quare campſor, qui campſario petenti tradit pecuniam Venetiis, ſibi reddendam Romæ, iure plus exigere Romæ poteſt quam numeraverit Venetiis. Nec refert, inquiunt, quod campſores aliquando ſine incommodo eiuſmodi cambia præſtent, ut moderatum lucrum recipere valeant: quia id contingens eſt, & accidentarium, illorumque propitiæ ſorti hoc tribuendum eſt, & officio, vi cuius in pluribus civitatibus diſperſas pecunias conſervant, ut publico commercio ſatisfaciant. Cavendum tamen, addunt, ne quid ob temporis dilationem petant: quia tum uſuram committerent. Quare qui longius aſſignant tempus quam illud requiſitum, & neceſſarium ad translationem *litterarum*, ut pretium augeant, manifeſtam uſuræ culpam perpetrant.

IX. Quod ad quantitatem pretii exigendi attinet, ſpectanda eſt locorum diſtantia; quia quo longius aſportatur pecunia, eo maius exigitur pretium. Quare ſive intra, ſive extra regnum cambium fiat, congruum lucrum percipi poteſt; dummodo maioris, aut minoris diſtantiæ ratio habeatur. Conſideranda quoque eſt monetæ æſtimatio, quæ maior in uno ac in altero loco eſſe ſolet. Quare, præter titulum aſportationis, ſeorſim occurrere poteſt alius titulus, in diverſo monetarum valore ſitus. Heinc ſi campſor daret pecunias Venetiis, recipiendas alibi, ubi minoris monetæ valent, æquandus valor eſſet, ac inter datum & acceptum æqualitas conſtituenda. Similiter quando commutatur pecunia in uno loco pro eadem, vel ſimili, alio in loco tradenda, ubi magis valet, compenſandus exceſſus eſt; alioquin uſura committitur. Idque locum habet in aliis quoque cam-

biis, ſeu permutationibus frumenti, vini, olei, quæ pro locorum diverſitate maiori, aut minori pretio valent. Idcirco ſupplendus eſt valoris defectus, vel exceſſus, & ponenda æqualitas.

X. Quæſt. IV. *Exigere ne pignus poteſt campſor, prius tradens pecunias campſario, alibi ſibi reſtituendas?* Reſp. Affirmant communiter Auctores. Quoniam ſicut in aliis contractibus, puta emptionis, venditionis &c. ad creditum factis, licitum eſt pignus, aut fideiuſſionem exigere, eadem ratione id permiſſum eſt etiam in contractu præfato cambii. Si campſarius qui accepit pecunias, ſecurus eſt, æquitas poſtulat ut campſor in tuto collocetur. Neque difficultas de hoc eſſe poteſt.

XI. Ut plura in pauca contraham, tituli qui pro cambiorum iuſtitia aſſignari ſolent ab Auctoribus, ſunt ſequentes, quos ex Navarro Azorius *III. Part. Lib. X. cap.* III. recenſet. I. Materiæ diverſitas: quia ad plures uſus opportuna eſt pecunia aurea vel argentea quam ærea, vel e contrario. 2. Varietas formæ, ponderis, ſigni, figuræ. Pecunia enim una forma ſignata hic valet, alibi reiicitur. 3. Materiæ pretioſitas: nam aliqua pecunia poteſt eſſe ex auro puro & ſelectiore. 4. Raritas, & antiquitas utilis ad hiſtoriam. 5. Loci diſtantia. 6. Diverſitas temporis, quatenus temporis decurſu valor mutatur. Sola vero temporis dilatio nequit eſſe lucri titulus. 7. Maior aut minor pecuniæ copia, vel penuria. 8. Expenſæ, & incommoda campſorum.

XII. Quæſt. V. *Campſores valent ne monetarum pretium Principis auctoritate definitum variare?* Reſp. Aureus auctoritate publica valet 20. iuliis argenteis. Poteſt ne campſor hunc aureum commutare maiori pretio? Negant aliqui. Sed communior, &, ut videtur, verior opinio docet, hoc licitum eſſe ob rationes datas. Quoniam publica auctoritas valorem numiſmatum definit, prout ſunt rerum venalium pretia, non prout ſunt veluti merces, ad communes uſus valde utiles. Frumenta, & alia eiuſmodi, dum habent determinatum pretium, non poſſunt pluris vendi: quia talia unicum uſum habent vitæ ſuſtentandæ. Duplex vero pecuniæ uſus eſt. Alter, quatenus eſt rerum venalium pretium, quod Principis lege taxatum, non poteſt augeri. Alter, ut eſt res, ſeu merx quædam, opportuna traductioni, & quotidianis diſtractionibus. Facilius enim aurei quam argentei, vel ærei nummi transferuntur. Quare campſores in hoc caſu non variant pretia monetarum; ſed exigunt lucrum quod ipſis debetur ob officium congregandi tot monetas diverſæ ſpeciei, ob publicam commoditatem: & dicitur cambium minutum, ſeu manuale.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De cambio cum recambio, vulgo con la ricorſa. *Opinio Leſſii, Lugo, & Tamburini exploditur ut laxa.*

I. PHænomenon mercatorium inter omnia quæ iuniores nonnulli excogitarunt, & conſuetis opiniunculis, & clauſulis vallarunt, difficillimum exponere aggredior. Adeo impeditum, intricatumque eſt, ut vix proponi, nedum declarari perſpicue queat. Circuitionibus quippe, & gyris perpetuis volvitur cambium iſtud. Egreditur Venetiis e manibus *Titii*, & in eadem civitate immigrat in manus *Caii*. Heinc diſcedit, Placentiam petens, inviſurum *Sempronium* procuratorem *Titii*. Sempronius mittit illud ad *Seium* procuratorem *Caii*. *Seius* illud remittit ad *Sempronium*. Et tandem relegere veſtigia Venetias cogitur, regrediturque in manus *Titii*, onuſtum lucro duplici. Artis campſoriæ minus periti, me verbis ocari, & lectorum mentes chimæris paſcere, eorumque patientia, & credulitaie abuti iudicabunt. Verum ne quis talem concipere ſuſpicionem valeat, verbis ipſis quibus cambium iſtud exponunt Leſſius, Lugo, Tamburinus cum aliis communiter, repræſentare lubet. Et quoniam P. Tamburinus ceteros iuniores in perſpicua quæſtionum expoſitione ſuperat, ex eodem verba reſcribo. Is autem *Lib. IX. tract.* III. *de contract. cap.* v. *§.* 2. *num.* I. ſic cambium iſtud exponit. „ Praxis huius cambii (quod *Biſuntinum*, vel *Placentinum* apud Leſſium *Lib. II. cap.* XXIII. *num.* 59. appellatur) *noſtro ævo frequentiſſima*, huiuſmodi eſt. *Titius* campſor hic Panormi v. g. dat *Caio* centum aureos, ſolvendos ab eodem *Caio* in proximis nundinis Placentiæ celebrandis, vel in aliquo Italiæ, vel Siciliæ loco. Quoniam vero *Caius* neminem habet Placentiæ, vel in illis aliis locis, qui eius nomine ſolvat quod ipſe *Caius* debet; ideo *Titius* offert eidem *Caio* ſuum correſpondentem, nomine *Seium*, reſidentem in illis locis. Offert, inquam, ut ſicuti eſt correſpondens *Titii* cum omni poteſtate, ipſi *Seio* conceſſa ab eodem *Titio*, ita in hoc negotio, ut ſit etiam correſpondens *Caii*, & ſolvat cambium, ideſt dictos centum aureos cum lucro, ibi apud mercatores, ſeu apud forum decerni ſolito. Sit autem hoc lucrum nunc v. g. aureorum quinque. Acceptata oblatione ſcribit ad *Seium Titius*, nomine utriuſque, puta eiuſdem *Titii*, & dicti *Caii*, ut ſcilicet *Seius* acceptet creditum *Titii*, & debitum *Caii*, &, ut *correſpondens* iam *Caii*, ſolvat cambium, eiuſque lucrum, ideſt centum & quinque aureos, &, ut *correſpondens Titii*, eos aureos recipiat. & ſic extinguatur cambium. Sed quia *Seius*, ut correſpondens *Caii*,

„ pecuniam non habet, ideo ipſe idem *Seius*, ut correſpondens *Titii*, ſeu *Titii*
„ nomine offert, & dat illam pecuniam *ſibi eidem*, ut correſpondenti, ſeu pro-
„ curatori prædicti *Caii:* dat, inquam, ad cambium (quod certe erit ſecundum
„ cambium, ſeu, ut loquimur, *recambium*) ſolvendum a *Caio* Panormi. Cum
„ accepta ergo hac pecunia *Seius*, ut correſpondens *Caii*, extinguit, ſeu ſolvit,
„ ut dictum eſt, prædictum cambium primum, Panormi celebratum, ita ut ni-
„ hil omnino amplius debeat pro dicto primo cambio *Caius*. Lege *Leſſium*, qui
„ recte notat, ſi dictus *Seius* fugeret, vel decoqueret, *campſorem Titium* non
„ poſſe agere nomine ſuo contra *campſarium Caium:* is enim *Caius* iam ſolvit
„ cambium ipſi campſori *Titio*.

„ 2. Quoniam vero dictum ſecundum cambium parere ſuum lucrum debet;
„ quod erit v. g. aliorum quinque aureorum, qui ſolvendi erunt a *Caio* Panor-
„ mi; ideo *Caius* debebit Panormi ſolvere *Titio* centum & decem aureos, ideſt
„ centum ex primo capitali, quinque ex lucro primi cambii extincti Placentiæ
„ cum pecunia habita a procuratore *Titii*, & quinque ex lucro cambii extin-
„ guendi Panormi ab eodem *Caio*.

„ 3. Suppono ad iuſtitiam ſecundi cambii *Caium*, ſeu eius procuratorem non
„ cogi ad dictum ſecundum cambium. Poſſet enim Caius, ſeu eius procurator,
„ extinguere primum cambium pecunia præſenti, ſine neceſſitate ſumendi re-
„ cambium; vel certe poſſet ſumere recambium ab alio quam a correſpondente
„ *Titii*.

„ 4. Solet autem occurrere ut *Caius* ne Panormi quidem promptam eam ſum-
„ mam habeat quam debet *Titio*, unde rurſus totam illam eamdem ſummam,
„ ac ſi illam iterum accepiſſet a *Titio* ad cambium, ſe obligat ſolvere cum ſuo
„ lucro iterum Placentiæ, vel alibi, ubi rurſus fiet. Quod modo *num.* 1. dixi-
„ mus, & ſic continuantur per multos aliquando annos cambia, & recambia,
„ donec reipſa, & numerata pecunia totum capitale cum omnibus lucris inter-
„ currentibus ſolvat *Titio Caius*. Nam propterea mercatores hoc appellant et-
„ iam cambium cum *recurſa*. Recurrit enim, unde inceperat. Et *adverte per-
„ maxime* totum hoc negotium præter primam traditionem illorum centum au-
„ reorum, *Caio* a *Titio* numeratorum, & præter ultimam hanc ſolutio-
„ nem, quam numeratam denique fieri oportebit, tractari, & expediri oporte-
„ bit per ſolas ſyngraphas, ſeu per acceptationes, & dationes crediti, & debi-
„ ti, quæ in libris dati, & accepti ſcribantur. "

II. Hæc eſt ſola ſimplex expoſitio illius mirifici cambii, & recambii. *Adver-
te permaxime*, inquit P. Tamburinus, præter primam traditionem, & ultimam
reſtitutionem *omnia eſſe ficta*, ſeu ſolis ſyngraphis datis, & acceptis, medio illo
Seio, qui & numerat, & ſolvit ſibi ipſi cambium. Hæc ſunt prodigioſa ſane
ſig-

ſigmenta ad uſuras occultandas excogitata. Quis ad ſimplicem iſtius cambii currentis, & recurrentis per gyros, & anfractus proſpectum non deprehendit merum eſſe uſurarium pallium?

III. P. Tamburinus *loc. cit. §. 3.* teſtatur, multos improbare hoc cambium, quamvis, ut Tamburinus ipſe aſſerit, frequentiſſimum. *Multi tamen* (ſubdit ille) *ut Navarrus, referens ita ſenſiſſe virum quemdam doctiſſimum Societ. Ieſu Boninſig. Sa verb. Cambium, Diana, Leſſius, De Lugo, & ſatis probabiliter, quos ego ſequor, licitum eſſe docent cum explicatione danda §. 4. Probatur: quia ſi Caius campſarius haberet Placentiæ aliquem amicum qui ibi ſolveret cambium contractum Panormi, eſſet iuſtum cambium, ut ſupra vidimus: ergo etiam ſi ſolvat, ſeu correſpondens* &c.

IV. Hæc Tamburini, ſeu Leſſii, De Lugo, & aliorum, qui idem docent, & fere iiſdem verbis (maxime De Lugo) exponunt hoc cambium, argumentatio huc recidit. Si cambium eſſet verum, & reale, licitum foret. Ergo licitum quoque erit, etiamſi fictum ſit. Nulla ſit pecuniæ numeratio Placentiæ; ſed ficte, & ſola imaginatione, vel calamo peraguntur duo cambia, nempe cambium, & recambium. Et nihiloſecius cambium, & recambium erit licitum? Quidni? reponunt Leſſius, Lugo, & Tamburinus. Quamvis non adſit pecunia vere & realiter, adeſt tamen *virtualiter, & æquivalenter; quæ ſufficientiſſima eſt*, inquit Tamburinus, *ad veram ſolutionem faciendam*. Felices, fauſtique debitores, ſi hac *pecunia virtuali*, ſola mente concepta, & calamo exarata, ſolvere debita ſua poſſent. Lapis iſte caſuiſticus omni lapide philoſophico pretioſior eſſet, ſi quemadmodum uſuram fucat, ita pecunias ad veras ſolutiones pareret debitorum.

V. Ut uſuræ iniquitatem deprehendas, *Caius* neceſſitate coactus petit a *Titio* 100. aureos, nihil prorſus de cambio cogitans; cum in univerſo terrarum orbe ſive menſam apertam, ſive campſores, aut correſpondentes habeat. Verſipellis *Titius* & vaſer videt, ſe feneratorem manifeſtum prodere, ſi abſolute aureos tradat cum acceſſione ſupra ſortem. Suggerit ei cambium Placentinum. Ecqui fieri hoc poteſt? inquit *Caius*. Facillime, reponit *Titius*. Habeo ego ibi procuratorem meum *Seium*, qui illa omnia quæ narrata ſunt, peraget. Quis manibus non tangit, verſutam circuitionem ad palliandam uſuram excogitatam? Immo reſpondet P. Leonardus Leſſius *Lib. II. cap.* xxiii. inquit P. Tamburinus *loc. cit. num.* 4. campſorem magnum conferre campſario beneficium, dum ei ſuggerit correſpondentem quem is invenire nequit. Beneficium iſtud eo tendit ut in uſurarum voraginem *Caius* detrudatur, ibique per plures annos detineatur, donec, fenore multiplicato, exhauſtum patrimonium ſit. Contendit P. Leſſius, non eſſe cogendum campſarium ad acceptandum *Seium* in ſuum cor-

reſpondentem. Verum, *etiamſi cogeretur*, addit P. Tamburinus ibidem, *illi non fieret iniuria*. Quoniam quiſque illas adiicere contractui conditiones poteſt quæ non pugnant cum natura contractus. Has autem non repugnare vero cambio contendit P. Tamburinus. Sed, cum cambium fictum, & chimæricum ſit, univerſa machina fictitia eſt. Plura diſtinguit §. 4. P. Tamburinus, quæ expendere non vacat. Cambium quippe hoc, ſublatis circuitionibus, feneratitium manifeſte eſt. Siquidem *Titius* non aliud reipſa intendit niſi exigere ex centum quæ tradit *Caio*, lucrum: & *Caius* non aliud intendit niſi recipere pecuniam reſtituendam *Titio* eo in loco in quo illam accipit. Cetera omnia imaginationes ſunt prorſus chimæricæ. Cedo: quomodo intendere Caius poteſt cambium, ſi eo non eget? Intendit ergo unice pecunias ibi reſtituendas, ubi eaſdem recipit. Nec pluribus opus eſt ad tam inane commentum explodendum.

CAPUT III.

Conſtitutio S. Pii V. Conditiones in eadem contentæ. Commenta quibus Leſſius, Lugo, Tamburinus, La-Croix, & alii eludunt hanc conſtitutionem prætextu non acceptationis, refelluntur.

I. PRimum omnium ſanctiſſimi Pontificis Pii V. conſtitutionem tranſcribo, quæ eiuſmodi eſt. *In eam pro noſtro paſtorali officio curam diligenter incumbimus, ut Domini noſtri ovibus opportuna pro animarum ſalute remedia adhibere minime differamus.*

1. *Cum itaque ad aures noſtras pervenerit, legitimum cambiorum uſum, quem neceſſitas, publicaque utilitas induxit, ſæpe numero ob illiciti quæſtus cupiditatem depravari, ut ſub illius prætextu uſuraria pravitas a nonnullis exerceatur; Nos petitionibus quæ ſuper his nobis nuper factæ ſunt, hac perpetuo valitura decretali reſpondendum eſſe duximus, ut neque doloſis ſua fraus ſuffragetur, neque ignaros perdat inſcitia: ſic enim Paſtoris officium exequimur, dum gregem nobis commiſſum ab æternæ damnationis periculo eripere modis omnibus ſtudemus.*

2. *Primum igitur damnamus ea omnia cambia quæ ſicca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, ſeu ad alia loca, cambia celebrare ſimulent; ad quæ loca ii qui pecuniam recipiunt, litteras quidem ſuas cambii tradunt, ſed non mittuntur; vel ita mittuntur, ut tranſacto tempore, unde proceſſerant, inanes referantur; aut etiam nullis huiuſmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, ubi contractus fuerat celebratus: nam inter da-*

dantes & recipientes uſque a principio ita convenerat, vel certe talis intentio erat; neque quiſquam eſt qui in nundinis, aut locis ſupradictis, huiuſmodi litteris receptis, ſolutionem faciat. Cui malo ſimile etiam illud eſt, cum pecuniæ, ſive depoſiti, ſive alio nomine ficti cambii traduntur, ut poſtea eodem in loco, vel alibi cum lucro reſtituantur. Sed & in ipſis cambiis, quæ realia appellantur, interdum, ut ad nos præfertur, campſores præſtitutum ſolutionis terminum, lucro ex tacita, vel expreſſa conventione recepto, ſeu etiam tantummodo promiſſo, differunt. Quæ omnia nos uſuraria eſſe declaramus, & ne fiant, diſtrictius prohibemus. Porro ad tollendas quoque in cambiis, quantum cum Deo poſſumus, occaſiones peccandi, fraudeſque feneratorum, ſtatuimus ne deinceps quiſquam audeat, ſive a principio, ſive alias, certum & determinatum intereſſe, etiam in caſu non ſolutionis, paciſci; neque realia cambia aliter quam pro primis nundinis, ubi illæ celebrantur, ubi vero non celebrantur, pro primis terminis, iuxta receptum locorum uſum exercere, abuſu illo prorſus reiecto, cambia pro ſecundis, & deinceps nundinis, ſive terminis exercendi.

3. Curandum autem erit in terminis, ut ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur, ne dum longiores præfiguntur quam loca deſtinatæ ſolutionis deſiderant, fenerandi detur occaſio.

4. Quicumque contra hanc noſtram conſtitutionem commiſerit, pœnis a ſacris canonibus contra uſurarios inflictis ſe noverit ſubiacere. Eos vero qui conſpirationes fecerint, vel congeſtam undique pecuniam ita ad ſe redegerint, ut quaſi monopolium pecuniæ facere videantur, pœnis quæ a iure contra exercentes monopolia conſtitutæ ſunt, retineri ſancimus.

5. Volumus autem quod præſentes litteræ in Camera Apoſtolica, & ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & Cancellariæ etiam Apoſtolicæ publicentur, & in ipſa Camera deſcribantur.

6. Et quia difficile foret eas ad ſingula quæque loca deferri, quod earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius eiuſdem Cameræ, vel alterius Notarii ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Cameræ, vel Prælati eccleſiaſtici munitis, eadem prorſus fides adhibeatur quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Domini 1571. 5. Kal. Febr. Pontificatus noſtri anno ſexto.

II. Primo loco Pontifex cambia ſicca damnat, in quibus pecunia, ubi accipitur, dato tempore reſtituitur. Obtruditur quidem cambii nomen ad tales nundinas, vel alia loca, ad quæ aut nullæ litteræ mittuntur, aut ſi mittuntur, inanes redeunt. Uno verbo, omnia ficta ſunt, & ideo ſiccum cambium vocatur: quia

quia campſarius nullam pecuniam, nullum procuratorem habet, ubi faciendum cambium eſſet.

III. Cardinalis de Lugo *diſp.* XXVIII. *ſec.* 8. *num.* 109. cum Leſſio, & Salas docet, conſtitutionem Pianam paucis in locis, & fere nullibi eſſe receptam in iis quæ iuris naturalis obligationi adduntur. P. Claudius La-Croix, ſuæ methodo hærens colligendi quæ alii iuniores docuerunt, de hac conſtitutione ita ſcribit *Lib. III. part.* III. *num.* 1032. „ Cum ea Bulla vix ullibi ſit uſu recepta, communiter „ cenſetur non obligare; ut notant Salas, Lugo . . . Stephanus &c. Hinc DD. „ non damnant eos qui non obſervant, inquit Leſſius *Lib. II. cap.* XXV. *num.* 33. „ eo quod conſtitutio illa recepta non fuerit. *Itaque videndum eſt quid ius naturæ* „ *requirat.*" Qui ſunt iſti iuris naturæ iudices? Iuniores Probabiliſtæ? Non vidit Pontifex ſanctiſſimus Pius V.? Non viderunt Theologi doctiſſimi quorum conſilio uſus ille eſt? Si Baiani, ſi Ianſeniani ſimili reſponſo Bullas Pianam, & Innocentianam reiicerent, quibus cenſuris digni eſſent? An pontificiæ Conſtitutiones in fidei articulis, ſecus in morum regulis obligant? Sed cur conſtitutio uſu recepta non eſt? Quia non obſervatur a mercatoribus. Næ iſthæc egregia ratio.

IV. Poſt damnata cambia ſicca quæ iuri naturali repugnare fatentur omnes, occaſiones ſecundo loco prohibet uſurarum. *Porro ad tollendas quoque in cambiis occaſiones peccandi, fraudeſque feneratorum* &c. Vetat itaque Pontifex ne principio determinatum intereſſe deducatur in pactum, etiam in caſu quo debitor non ſolveret. Non prohibet Pontifex pretium cambii; ſed lucrum pactum ratione eius quod intereſt, ſeu damni emergentis, & lucri ceſſantis, caſu quo in mora ſolutionis debitor eſſet. Hæc ab eventu pendere Pontifex vult, ſecus in pactum deduci, ad vitanda pericula, & occaſiones uſurarum.

V. Adverſus hanc Pontificis regulam inſurgit caſuiſtica commentatio, quærens, ſit ne in foro conſcientiæ licitum, initio contractus taxari a campſore qui prævidet periculum damni emergentis, lucrive ceſſantis, compenſationem, ubi hæc Bulla obligat? Adfirmant Molina, Valentia, Navarrus, ut teſtatur Salas *dub.* XIII. quia lex fundatur in præſumptione uſuræ, qua præſumptione ſublata, conſtitutio non obligat. Conſtitutio pontificia vix alicubi, inquiunt, eſt recepta. Ubi vero recepta eſt, in foro exteriori obligat; in interiori autem vim obligandi non habet, quia præſumptione nititur. Uſquedum hæc interpretandi ſummorum Pontificum regulas pro morum integritate præſcriptas ratio viget, nil boni ſperari valet. Utique præſumptione fraudum, uſurarumque nititur pontificia conſtitutio: & ideo ad pericula, & occaſiones uſurarum tollendas eiuſmodi pacta interdicit. An parendum non eſt ſuperiorum legibus, quibus ſubditi a peccandi periculis ſubtrahuntur? Hæc eſt una ex potiſſimis relaxatæ Theologiæ radicibus. Quidam Theologi peccata dumtaxat quæ nulla probabilitatis larva tegi poſſunt, damnant; pericu-

Digitized by Google

ricula vero, occaſioneſque quæ ad peccandum impellunt, exquiſitis pigmentis, & lenociniis fucare non raro ſolent. Recenſita pacta S. Pius V. tamquam fenerandi occaſiones prohibet. Laudati interpretes prohibitionem pontificiam eludunt duplici via. Aut Bulla, inquiunt, non eſt acceptata; vel præſumptione nititur quod fraus interſit. Si Eccleſia tolerat errores, ſilentium pro tacita approbatione evulgant. Si eos prohibet, prohibitionem obſoleviſſe effutiunt, vel non eſſe uſu receptam. Tu, ſi peccata declinare ſincere cupis, ab eiuſmodi interpretamentis caveto.

VI. Altera conditio præſcribit ne cambia realia aliter fiant niſi ad primas nundinas, ubi nundinæ ſunt; ubi vero nundinæ non celebrantur, fieri cambia debent ad primos terminos iuxta conſuetum locorum uſum. Si proximæ nundinæ tam parum a peracto cambio diſtant, ut litteræ ad nundinarum locum nequeant pervenire, ut in eiſdem fiat ſolutio; tum proximæ nundinæ, quarum ſit in Bulla mentio, intelliguntur ſequentes, in quibus fieri ſolutio poſſit; ut communiter Auctores iure interpretantur.

VII. Si cambium fieret ad nundinas, non proximas, ſed ad alias remotiores, cum maiori lucro propter dilationem; tum violaretur conſtitutio pontificia, quæ id prohibet. Hæc tamen conditio campſores comprehendere videtur, ſecus campſarios. Si itaque campſarius prius pecunias numeret campſori Venetiis, ſoluto campſori iuſto pretio, recepturus pecunias Mediolani, ſi terminum ſolutioni proroget campſori ad ſecundas nundinas, nihil adverſus conſtitutionem agit: quia tum nullum eſt fenoris periculum, cum nullum heinc lucrum campſarius percipiat. Videndum tamen ne fraudes obrepant, ut ſi campſarius non ſolveret totum pretium: quia tum ex prorogatione termini captari aliquod lucrum poſſet: aut ſi campſarius evaderet campſor, & lucri augendi cauſſa cambium differret. Si tamen campſor daret cambium ad ſecundas, aut tertias nundinas abſque ullo pretii augmento ſupra id quod acciperet, ſi cambium daret ad primas nundinas; nihil eum agere contra Bullam, dicunt multi. Quod verum reputo. At quia vix reperitur campſor qui cambium abſque lucro proroget; ideo ſervanda adamuſſim eſt Bulla pontificia.

VIII. Exponenda ſunt illa verba: *Curandum autem erit in terminis ut ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum in quibus ſolutio deſtinatur, ne dum longiores præfiguntur quam loca deſtinatæ ſolutionis deſiderant, fenerandi detur occaſio.* Azorius, & Lugo diverſis interpretationibus declarant huiuſmodi verba. Germanus ſenſus eſt, ut in præfigendis terminis ſolutionis præſtandæ, ratio habeatur diſtantiæ, aut propinquitatis locorum, ne longiores præfigantur termini quam loci in quo facienda ſolutio eſt, diſtantia poſtulat. Si enim longiores præſtituantur quam maior aut minor diſtantia locorum exigit; fenerandi captatur occaſio.

Digitized by Google

ſio. Quoniam prorogatis terminis ſolutionis augetur pretium. In præfata verborum clauſula ſermo eſt de cambiis ad loca in quibus nundinæ non celebrantur. Ubi enim nundinæ ſunt, cambium fit in proximas nundinas.

IX. Ultimo loco concludit Pontifex: *Eos vero qui conſpirationes fecerint, vel congeſtam undique pecuniam ita ad ſe redegerint, ut quaſi monopolium pecuniæ facere videantur, pœnis quæ a iure contra exercentes monopolia conſtitutæ ſunt, retineri ſancimus*. Quemadmodum mercium quæ venduntur, & emuntur monopolia fiunt, dum aliqui mercatores ad ſe trahunt merces omnes, ut emptores pretio æquo altiori emere ab iiſdem cogantur; ita etiam in cambiis fiunt monopolia, dum aliqui campſores pecunias conquirunt, & aggerunt, ut cambia maiori pretio vendant. Interdum abſque conſpiratione fieri hæc monopolia valent, dum campſor fingit in nundinis magnam ſe pecuniæ copiam habere, ut ceteri campſores, falſo illuſi timore, viliori pretio infra infimum offerant. Quæ omnia cum æquitate, & iuſtitia pugnant.

X. Advertas tandem velim, non ſemper maiorem locorum diſtantiam eſſe cauſſam pretii augendi. Nam ſæpe in locis remotioribus facilius cambia fiunt, ob commercium frequentius quam in locis minus remotis, ubi nullum, aut rarum commercium eſt, aut difficilius, & maiori periculo agitur. Sed, ad hoc quod attinet, ſpectandus communis mos eſt, & conſuetudo.

CAPUT IV.

De cambio ad nundinas, ſeu ad terminum: & de cambio civico, quod in eadem civitate conſummatur. De iniquitate proxenetarum.

I. P. Thomas Tamburinus *Lib. IX. tract.* III. *cap.* V. obſervat cum aliis, communiter mercatores nundinas habere in certis locis, ſeu urbibus determinatis, ubi debita ſolvuntur, ratiocinia fiunt, & in libris dati & accepti ſcribuntur. In Italia quater in annos ſingulos nundinæ iſtæ celebrantur trium menſium intervallo. Primæ celebrantur prope feſtum Epiphaniæ, ſecundæ ineunte Maio, tertiæ menſe Auguſti, quartæ circa feſtum omnium SS. Francofurti bis in anno fiunt: idcirco plures iuniores vocant has nundinas *Francofurtenſes*. Porro quando cambium fit ad primas, vel ad ſecundas, aut ad tertias, quartaſve nundinas, ſenſus eſt quod cambii ſolutio fieri debeat aut poſt tres, aut poſt ſex, aut poſt novem, aut poſt duodecim menſes.

II. Cambium *Francofurtenſe* eſt, dum campſor pecuniam hic numerat, a campſario

pſario Francofurti reddendam cum lucro tanto maiori, quanto longiori tempore nundinæ diſtant. Leſſius, Layman, & alii licitum hoc cambium eſſe propugnant abſolute; quamquam ſuadendum non eſſe ſubdant. Abſolute uſurarium eſſe, iure defendunt Caietanus, Soto, & graviores Theologi. Ratio evidens eſt: quoniam lucrum exigere ob ſolam temporis dilationem eſt manifeſta uſura, ut ex iis quæ iam dicta ſunt, patet. Poſſent allegari tituli lucri ceſſantis, & damni emergentis; ſed, ut advertit Franciſcus Gennetus *tract. v. cap.* 1. vix umquam mercatores verum damnum patiuntur ex tali cambio: quia raro cambiunt, dilata ſolutione, niſi dum otioſa pecunia abundant, & deficiente occaſione cambiendi ad lucrum certum. Ideo cambium ad *terminum* eſt *fere ſemper uſurarium*, inquit ille.

III. P. Thomas Tamburinus *loc. cit. num.* 6. ſcribit. *Tituli iuſtificantes lucrum cambii ad nundinas.* „ Primus titulus eſt, quia campſor carebit pecunia quam tibi „ ipſe tradit poſt tres, vel plures menſes: unde privabitur, etiamſi non ſit mer- „ cator, opportunitate, & libertate aliquid lucrandi cum illa pecunia a te red- „ denda per alias *forte* negotiationes ſeſe offerentes."

IV. Titulus iſte non aliud ſignificat niſi quod pecunia præſens pretioſior ſit futura. Titulus iſte fundatur in ſola ſpe lucri fortuiti, & omnino poſſibilis, quem omnes communiter reiiciunt, tamquam ineptum ad honeſtandum lucrum. Secundus titulus quem ibidem aſſignat Tamburinus, nempe periculum cui ſubeſt pecunia a campſore tradita, omnino commentitius eſt, ut alibi probavi; cum ſit intrinſecum. Idem eſt & de tertio, fundato in expectatione ſolutionis faciendæ; & de quarto, conſtituto in traiectione virtuali.

V. Reſtat nunc agendum de cambio civico, quod in eadem civitate conſummatur. *Caius* indiget 100. aureis Romæ, quos a *Titio* campſore petit ibidem reſtituendos ad terminum, nempe ad primas, ad ſecundas, ad tertias &c. nundinas. Nemo eſt qui abſolute cambium iſtud tamquam fictum, & feneratitium non damnet. Quoniam cambium eſt vel permutatio pecuniæ præſentis cum abſente, vel emptio pecuniæ abſentis pretio pecuniæ præſentis, vel quid ſimile; ut ſupra declaravi. Porro quando campſarius nec Romæ, nec alibi pecuniam habet permutandam, planum eſt cambium eſſe fictum, & iniquum. Modum quo illum fucare ſolent, fingendo correſpondentes in aliqua civitate, & conſtituendo cambium cum recambio, ſeu cum *recurſu*, vulgo *con la ricorſa*, ſupra expoſui.

VI. Aliam nunc larvam qua occultari uſura ſolet, paucis perſtringo. *Caius* Romæ teſtatur campſori ſe nummos accipere vel ad cambium exercendum Neapoli, Lugduni, Mediolani &c. vel ad alios contractus negotiatorios ineundos: idque, ſi opus fuerit, iuramento confirmat; tametſi pecunia recipiatur Romæ expendenda aut in filia collocanda, aut in propriis indigentiis reparandis. *Titius* campſor refugit credere pecuniam *Caio*, niſi aut pignore, aut fideiuſſore accepto: & tum

pe-

pecuniam numerat. Porro *Caius* lucrum aliquod primum omnium ſolvere debet fideiuſſori qui aſſecurat contractum debitum; deinde lucrum campſori. En quot facinora in uno crimine. Duplex uſura cum periurio, ſi iurat, aut ſaltem cum mendacio, ſi non iurat. Campſores communiter hæc omnia a campſariis fingi ſciunt ex pluribus circumſtantiis. Interdum tamen ignorare, ſed raro, valent.

VII. Proxenetis non modo hæc omnia nota ſunt, ſed ipſi ut plurimum ſunt harum fraudum, & mendaciorum inventores. Hi ſuggerunt & fideiuſſores, & campſores, & cetera quæ ad fenus tegendum opportuna indicant. Propterea proxenetæ iſti iniquiſſimi ſunt, & veteratores, innumeris culpis onuſti. Si infelix *Caius* ſincere mutuum a *Titio* poſceret cum acceſſione; unum uſuræ crimen cum *Titio* committeret, & unum lucrum *Caius* ſolveret. Quia vero hoc crimen occultari curatur, plurima crimina perpetrantur, & tres acceſſiones ſolvere *Caius* debet, unam proxenetæ, alteram fideiuſſori, tertiam & præcipuam Titio campſori, ac feneratori.

VIII. Eſt ne aliquod arcanum quod ab uſuræ crimine indemnem reddere *Titium* campſorem queat? Eſt quam maxime. Ecce. Aut *Caius* reipſa negotiatur emptione, & venditione, vel cambio pecuniam acceptam a *Titio*, aut ſecus. Si primum; verum eſt cambium, vel negotiatio, in qua trinus contractus virtualis, & implicitus includitur, vi cuius *Titius* lucrum iure percipit. Si ſecundum; per *Caium* ſtat quod pecunia non exponatur aut negotiationi, aut cambio. Porro ex culpa *Caii* pati *Titius* damnum non debet. Hæc eſt doctrina quam tradunt Leſſius, Molina, & præſertim Lugo *diſp.* XXX. *ſec.* 5. *num.* 48. inquiens: *Infertur tertio, etiamſi mercator poſtea non negotietur, lucrum illud de quo conventum fuit, exigi poſſe, ſi tamen qui capitale dedit, putavit bona fide illum negotiaturum: quia iam per accipientem ſtat quod non negotietur, nec obſervet contractum ſocietatis initum, quem obſervare debet.* Hanc eamdem doctrinam docet Tamburinus *Lib. IX. tract.* VIII. *cap.* V. §.3. *num.* 9. De contractu trino implicito, quo per alium fieri cambia poſſunt iuxta Tamburinum, mox dicam.

IX. Quod ad bonam fidem attinet campſoris, communiter mala, & falſa eſt. Quando enim campſor tradit pecuniam ad cambium, vel contractum ſocietatis, loca cambii, & correſpondentes ſcire debet, campſarium agnoſcere, cum quo ineunda ſocietas eſt. Hæc perſpecta eſſe campſoribus debent. Et reipſa, quando illorum intereſt, in hæc omnia ſevere inquirunt. Sed lucri aviditate perciti, diſſimulant, claudunt oculos, fidem adhibent proxenetis vaferrimis, & uſurarum lenonibus. Si revera bona fides adeſſet; damni emergentis, quod campſor pateretur invitus, compenſatio neceſſaria eſſet. Verum, ut dixi, hæc bona fides vix umquam adeſt. Quoniam campſores tenentur præfata inveſtigare, cum ſciant melius ipſi quam nos innumeras uſuras his technis, & circuitionibus palliari.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

De bancariis, recipientibus pecunias mercatorum in depoſito, & de quibuſdam pactis quæ cambiis adiici ſolent.

I. PRæter campſores, vulgo *Cambiſtas*, ſunt alii qui nuncupantur *Banchieri*, qui mercatorum pecunias accipiunt cuſtodiendas, eaſque ſuis dominis reddendas, aut iis quibus iſti præſcribunt. Hi, antequam munus iſtud ſuſcipiant, fideiuſſionem, cautionemque dare Reipublicæ debent. Differunt a meris depoſitariis: quia hi bancarii veri domini fiunt pecuniarum quas in depoſito accipiunt; pereuntque pecuniæ illorum damno, non deponentis, ut contingit in ſimplici depoſito. Quare his pecuniis negotiantur, ſive ad cambium, ſive ad negotiationem illas tradendo. Frequenter bancarii iſti iis in locis ubi celebriores nundinæ habentur, recipiunt pecunias mercatorum accedentium ad nundinas, & poſtea eorumdem deponentium litteras ſolvunt, ſupputatione in ſuis libris dati, & accepti ſcripta, & nundinis terminatis, laboris mercedem a deponentibus accipiunt, plus vel minus pro negotiorum numero, ut P. Thomas Mercatus deſcribit, & ex eodem Molina, & Lugo: qui peccare bancarios iſtos docent, & ad reſtitutionem damni teneri, ſi tantam ex depoſitis pecuniis ſummam in proprias negotiationes, & cambia diſtrahant, ut impares fiant ad eas deponentibus reddendas, quando hi opportuno tempore illas exigunt. Peccant quoque, ſi eaſdem tali negotiationi exponunt ex qua periculum oriatur ut decoctores evadant, inepti ad reſtitutionem. Depoſita hæc fieri ſolent aut pecunia numerata, aut litteris cambialibus. Si plura cupis, conſule citatum Mercatum, Lugo, & alios, qui fuſius hæc deſcribunt.

II. Diſputant primum, teneantur ne deponentes ſolvere bancariis ſtipendium propter depoſiti cuſtodiam? Adfirmat Navarrus; ſed probabilius negant alii. Quoniam non leve beneficium bancarii recipiunt, cum eis pecuniis uti valeant ad negotiationem, & cambia. Et reipſa bancarii avide quærunt eiuſmodi depoſita, ſicut mutua gratuita, quibus non levia lucra comparant.

III. Diſputant ſecundo, num deponentes exigere a bancariis iure poſſint lucrum aliquod ultra ſortem depoſitam? Alicubi enim, ut ex *Soto*, & *Molina* refert *Lugo*, bancarii conſueſcunt deponentibus dare quatuor, aut quinque in mille quotannis. Verum hoc lucrum & Auctores iſti tamquam feneratitium improbant. Plura alia diſputant de his depoſitis, quæ expendere non iudico pretium operæ. Pau-

Paucis enim in locis hæc depoſita fiunt. Illud ſolum adverto, non poſſe mercatores licite ſuas pecunias deponere apud illos bancarios quos ſciunt his pecuniis cambia ſicca, ſeu contractus feneratitios exercere, aut ſuſpicantur eiſdem pecuniis ad fenora illos abuſuros; quemadmodum nemini licet apud campſores, vel mercatores pecunias deponere, quando dubitatur de iſtorum feneratitiis cambiis, aut contractibus.

IV. Plura ſunt pacta quæ adiici cambiis ſolent. Primo campſores paciſci conſueſcunt initio cambii de lucro ceſſante, damnove emergente, a campſario ſolvendo, ſi præfinito tempore cambium non ſolvatur. Quam pactionem prohibet S. Pius V. in ſua laudata conſtitutione. Sed iuniores, quos indicavi ſupra, reponunt, hanc conſtitutionem non eſſe uſu receptam; ideoque poſſe fieri pactum de certo lucro reddendo, quoties iſti tituli occurrunt. Sed iſtorum opinionem ſupra reieci.

V. Secundum pactum ſolent campſores adiicere, nempe quod, ſi campſarius loco, & tempore conſtitutis non ſolverit cambium, teneatur eamdem ſummam accipere ad recambium ab eodem campſore, vel eiuſdem procuratore. Hoc pactum ut iniquum damnant communiter iuniores; ſed ſtatim addunt, niſi occurrant tituli lucri ceſſantis, & damni emergentis. Diana vero, de more laxiora promovens, etiam ſublatis his titulis, pactum iſtud abſolute ut licitum propugnat. Ego vero abſolute ut iniuſtum improbo. Tituli qui obtruduntur, ut alias dixi cum Franciſco Gennet, communiter chimærici ſunt. Sublatis titulis, uſura manifeſta eſt.

VI. Super propoſito recambio diſputant iuniores, utrum quando pactum de recambio fuit licite appoſitum propter lucrum ceſſans, aut damnum emergens, poſſit pro capitali computari etiam lucrum debitum ex primo cambio, ita ut pro illo etiam lucro converſo in ſortem, ſolvatur lucrum in recambio? Quod eſt quærere, utrum uſuræ uſurarum, ſeu lucra lucrorum, quæ Ulpianus vocat *interuſurium*, ſint licita? Reſpondet Cardinalis de Lugo diſp. XXVIII. ſect. 9. num. 123. *Id videtur concedere Leſſius num.* 85. *& Salas dicto dub.* 22. *num.* 2. Hæc ſunt verba P. Leonardi Leſſii Lib. II. cap. XXIII. dub. 9. num. 85. *Petes, utrum id quod campſoribus debetur ratione proviſionum, & intereſſe, poſſit ab ipſis continenter adiici ſorti, ut cambium augeant?*

Reſp. Id fieri non poſſe, niſi moraliter certi ſint ſe illud potuiſſe aliis ſtatim ad recambium dare, & per illud lucrari. Tunc enim ratione lucri ceſſantis poſſunt illud ſorti unire ad cambii augmentum.

VII. Aliquid *anatociſmi*, ſeu interuſurii redolere opinionem hanc, nemo non videt. Ethnici ipſi qui uſuras moderatas permittebant, uſuras uſurarum damnarunt. Diocletianus, & Maximianus uſuras uſurarum exigentibus infamiæ maculam

Digitized by Google

Iam irrogandam eſſe decrevere. Denique leges omnes vetant ne ex uſuris in ſortem computatis lucra percipiantur. Utique Leſſius, & Salas non loquuntur de uſuris, ſeu de lucro feneratitio, ſed de lucro legitime debito: & ob ſolum lucri ceſſantis titulum contendunt lucrum illud in ſortem computandum eſſe, & ex eodem lucro lucrum novum captare, & in recambio eidem campſario tradere: & ita ſi in ſecundo recambio campſarius non ſolverit, iterum tertium lucrum ſorti coniungetur, & pariet quartum lucrum, & quartum quintum; donec campſarii patrimonium exhauſtum fuerit univerſum. Quæ opinio, cui ſubſcribit etiam Lugo, mihi falſa, & laxiſſima apparet, quæ uſuris, & interuſuriis viam aperit latiſſimam.

VIII. Plura alia pacta quæ ſub examen inducunt Lugo, Tamburinus, & alii, prætereo: quia ex iis quæ dicta ſunt, eorum vel iuſtitia, vel iniuſtitia apparet.

CAPUT VI.

De nova cambii inventione valde mirifica.

I. PRodigioſum cambii genus, quod *obliquum* vocant, paucis perſtringo. *Sempronius* petit mutuos mille ducatos, quibus indiget, a *Caio* mercatore. Vafer *Caius*, proſpiciens ſe nihil vi mutui lucrari poſſe, *Sempronii* petitionem reiicit. *Sempronius*, neceſſitate preſſus, inſiſtit. *Caius*, lucri avidus, mutuum negat. Quid tum? Audi arcana duo, excogitata ad uſuram tegendam. Primum. *Sempronius* dicit *Caio*. Da mihi mutuos mille ducatos. Ne vero hinc damnum patiaris, accipe tu æquivalentem ſummam ſive a temetipſo, ſive ab alio ad cambium; eamque negotiationi applica. Quidquid vero ratione cambii tu impendes, vel impendere deberes, ſi a campſore accepiſſes præfatam ſummam, uſquedum reſtituero mutuum acceptum, tibi ſolvam. Alterum, ſive idem arcanum alio modo ad praxim redactum. *Sempronius* mutuatarius dicit *Caio* mutuatori: Tu mihi trade mutuos ducatos mille; & ego parem pecuniæ ſummam negotiationi deſtinabo, aut ad cambium tradam in commodum, & utilitatem tuam: & quotannis tibi ſolvam quantum vel ex negotiatione, vel ex cambio lucrabor, aut lucrari deberem, donec reddidero mutuam acceptam ſummam. Si *Caius* primum arcanum acceptat; illius eſt probare, litteras cambiales reipſa ſe miſiſſe, vel ab alio mille ducatos ad cambium accepiſſe. Si ſecundo modo negotium agatur, & *Sempronius* mutuatarius onus accipiat ſummam æqualem ei quam a *Caio* mutuam accipit, negotiandi aut cambiis, aut aliis contractibus; tunc aut implet promiſſum, aut ſecus. Si primum; *Caius* iure percipit lucra cambiis, vel mercatura par-

parta. Si ſecundum; *Caius* iure exigit lucra titulo *eius quod intereſt*, ſeu damni quod patitur ob culpam *Sempronii* mutuatarii, qui implere promiſſa negligit, & datam fidem violavit.

II. Quiſque præiudiciorum vacuus, & bono præditus ſenſu, exiſtimabit, deſcriptum cambii genus chimæram eſſe, ab otioſis ſcriptoribus confictam. Et tamen hoc eſt cambium quod paſſim obtinet in primoribus urbibus. Immo quia ſecundus deſcriptus modus illud peragendi ſecuriorem reddit *Caium* mutuatorem; ideo frequentius tali modo ad praxim reducitur, ut teſtatur, quis? Sapientiſſimus Pontifex feliciter regnans BENEDICTUS XIV. in opere *de Synodo Lib. VII. cap.* XLVIII. *num.* 8. & Cardinalis de Luca *Lib. V. tit. de cambiis in ſum. part.* II. *num.* 16. illud exponit, &, quod dolendum eſt, eiuſdem iuſtitiam tuetur de cambiis *diſc.* III. *num.* 5. *diſp.* V. *num.* 8. *diſc.* XXIII. *num.* 9. Anſaldus de *Commerc. & mercat. diſc.* LXV. *num.* 46. *& ſeqq.* Urceolus de *tranſact. quæſt.* XL. *num.* 23. *& ſeqq.* & adducitur *Rota Bononienſis*, immo & *Rota Romana deciſ.* 829. coram *Dunozzetto Iun.* & Rota Romana *coram Molines deciſ.* 323. *&* 695.

III. In foro exteriori deciſiones *Sac. Rotæ* non parvi momenti habentur. Sæpe tamen Rotæ contra Rotas certant. Sed de hoc nihil ad nos, qui cauſſarum patronos, ut Cardinalis de Luca, Anſaldus, aliique, non agimus; ſed Theologos, qui contractuum iuſtitiam ſecundum ius naturale, & divinum definiunt. Miſſo itaque exteriori foro, & deſcripti cambii machinatione ſerio ſpectata, dico, chimæram eſſe portentoſam. Quid? Sempronius indiget ducatis mille, eoſque mutuos petit: & ſimul totidem eodem tempore paratos habet ad nundinas mittendos, & in activa cambia diſtrahendos in Caii mutuatoris commodum? Credat hoc Iudæus Apella, non ego. Si hanc ſummam haberet Sempronius paratam ad cambia, in ſui commodum illam negotiari vellet. Quare ſapienter BENEDICTUS XIV. *loc. cit. num.* 9. inquit: *Quid enim abſurdius, quid incredibilius fingi poteſt quam quod Titius, indigens mille aureis, quos mutuos accipit a Caio, totidem ſtatim habeat paratos, ad nundinas tranſmittendos, atque in activa cambia erogandos in mutuantis Caii utilitatem?*

IV. Sive itaque primo, ſive ſecundo modo cambium peragatur, figmentum eſt, & circuitio adeo puerilis ſimul, & mendax, ut nulla egeat confutatione. Id ſolum advertendum, non modo purum putumque ſenus eſſe cambium iſtud; ſed inſuper mendaciis, fraudibus, & dolis plenum. Communiter tum mutuatores, tum proxenetæ ſciunt Sempronium mutuo ſolo egere, & ad cambia, vel mercaturam imparem eſſe. Quare & mutuatores, & proxenetæ, & fideiuſſores peccata peccatis accumulant, atque uſurarum, mendaciorum, & fraudum rei evadunt. Conſulatur Synodus *Cingulana*, quam celebravit doctiſſimus Cardinalis *Lanfredinus* anno 1736. *cap.* XIV. ubi plura eiuſmodi cambia damnata invenies. Item conſule pa-

paſtorale edictum Cardinalis *Marcelli de Aſte* Epiſcopi Anconitani, editum poſt conſtitutiones ſynodales Cardinalis Maſſæi, pariter Anconæ Epiſcopi, an. 1738. *pag.* 165. *& ſeqq.* ubi ſimiliter plura ſaluberrima monita contra cambia *obliqua* reperies. Harum Synodorum auctoritas numeroſæ quorumdam Caſuiſtarum turbæ prævalet.

CAPUT VII.

Pauca pro tuta cambiorum praxi. Conſilium Ioannis Dominici PERI *mercatoris magnopere perpendendum.*

I. C*Onſectarium primum*. Quam ſit periculis plena ars campſoria, quiſque ex paucis quæ indicavi, colligere valet. Plures iuniorum quæſtiunculas, quæ mihi impeditiſſima ſophiſmata ſunt, quæque materiam cambiorum non illuſtrant, ſed magnopere implicant, præterivi. Tamen ex iis quæ perſtrinxi, palam eſt nullas in mundo reperiri uſuras, iuniorum plurium admiſſis opinionibus. P. Thomas Tamburinus cum aliis Theologis *loc. cit.* §. 7. invenit modum quo *Cambiſtas* efficit viduas, mulieres, & cuiuſque conditionis homines, etiamſi mercatores non ſint. Hi enim, inquit, poſſunt invenire mediatorem, ſeu ſocium, per quem exercere cambia valeant. Et ut *facilius, & ſine ſcrupulo determinatum lucrum certo* aſſequantur, poſſunt inire tres contractus, & inſuper in *maiorem ſecuritatem poſſunt exigere pignus*. Quæ omnia iam ſupra labefactata manent. Pius itaque, & doctus Confeſſarius curare debet, quoad fieri poteſt, ut eius pœnitentes aut artem hanc dimittant, aut ſumma cautione, & æquitate illam exerceant. Spectanda eſt campſorum indoles, probitas, lucrandi, & augendarum divitiarum cupiditas. Si enim qui hanc artem exercent, vel avaritia & æſtu divitiarum ardeant, vel inopia premantur; vix in praxi fieri poterit ut licite, & abſque iniquiſſimis uſuris huic arti dent operam. Siquidem tam penuria, quam nimia lucrandi cupiditas urgent ad quæcumque cambia ſive ſicca, ſive realia. Vere ſcripſit P. Thomas *Mercatus*, artem hanc natura ſua licitam, Reipublicæ utilem, civili commercio neceſſariam eſſe. At tot eam comitantur pericula, fraudes, doli, ſophiſmata, ut vix in praxi exerceri ſine peccato ſoleat. Quare opus eſt ſumma vigilantia, cautione, piorum hominum, doctorumque conſiliis, ſacramentorum frequentia, æternæque vitæ ſeria meditatione.

II. Proxenetæ, vulgo *ſenſali*, maiori in periculo verſantur; atque adeo ſingularis probitas neceſſaria eſt ut iſti honeſte artem exerceant. Cautus ſit Dei mi-

Digitized by Google

niſter in iſtorum conſcientiis perſcrutandis. Moneat eos ut a ſuggerendis cambiis fictis, aut turpem lucrum redolentibus abſtineant. Quod ſi reos in hoc invenerit, a ſacramentorum participatione eoſdem arceat, tamquam omnium fraudum, & uſurarum quæ perpetrantur & a campſoribus, & a campſariis, participes.

III. CONSILIUM, ſeu monitum Ioannis Dominici PERI meditandum propono. Dominicus *Peri* Genuenſis opus typis edidit, inſcriptum *Il Negoziante*, quod pro inſtruendis filiis ſuis, Hieronymo, & Thoma, ſcripſerat; ut in præfatione ad lectorem ipſe teſtatur. Unde colligitur, mercatoriam artem profeſſum illum fuiſſe. Is in hoc ſuo opere *cap.* XVIII. quinque quæſtiunculas, ſeu caſus, quos decidendos Reſpublica Genuenſis an. 1625. porrexit Pontifici Summo URBANO VIII. narrat, in quorum primo, & ſecundo exponuntur cambia *con la ricorſa*: & ambo in Congregatione, iuſſu Sanctiſſimi habita, improbata fuere an. 1627. Cambia vero per litteras, quæ reipſa iuxta veras cambiorum regulas peraguntur, probata fuere. Poſt narratam tum caſuum propoſitionem, tum reſolutionem Sac. Congregationis (quæ omnia brevitatis gratia prætermitto, cum nihil peculiare contineant) hæc adiicit mercator *Peri*.

IV. *Il cambio non lecito è quello che non è regolato conforme agli ordini de' ſommi Pontefici, i quali devono ſempre oſſervarſi eſattamente, ſemplicemente, e ſenza volerli aſſottigliare con interpretazioni accomodate al proprio guſto*. Quæ latine ſic reddo. *Cambium licitum eſt quod celebratur iuxta regulas a ſummis Pontificibus præſcriptas. Hæ autem exacte, & ſincere obſervari debent, ſublatis acutis interpretamentis, quibus ad proprium palatum detorquentur*. Aures arrigant ingenioſi illi Theologi qui pontificias conſtitutiones arbitrariis diſtinctiunculis eludere conſueverunt. Hocce laici, & mercatoris hominis conſilium ſuffundere non levi pudore quoſdam Caſuiſtas debet qui conſtitutiones pontificias pro ingenio, dum ad propriam ſalivam non ſapiunt, aut omnino reiiciunt, obtrudentes eaſdem non eſſe uſu receptas, quia avari homines illas paſſim violant; aut captioſis commentis inflectunt. Quid? inquiunt. Damnabis ne tot probos, ingenuoſque mercatores, qui cambia quæ nunc obtinent, fide bona, & conſcientia tuta exercent? Reſpondet mercator PERI ibidem. *Nè la ſimplicità può ſcuſare: perchè queſta fra uomini di negozio non deve ammetterſi, nè può cadere*. Intellexiſtin'? Simplicitas, & bona fides, quæ adeo frequenter inculcantur, non excuſant: quia hæ in acutis negotiatoribus nec adſunt, nec admitti poſſunt. Tu hæc ſerio meditare: & ego interim ad alia tractanda pergo.

CA-

CAPUT VIII.

Quid ſit cenſus, & quotuplex.

I. Plures ſignificationes hæc vox *cenſus* prodit. Nam ff. *de cenſibus*, l. *Forma* loco tributi accipitur quod cives pro bonorum rata Principibus ſolvunt. Cenſus quoque ſignificat tributum quod ſingula capita ſubditorum Principi pendunt. Principes olim cenſebant, ſeu æſtimabant omnia ſubditorum bona, ut ſingulis congrua imponerent tributorum onera; & ideo a *cenſendo* nomen *cenſus* derivatum eſt. Recenſebant quoque perſonarum capita, & ſingulis tributum imponebant: quod etiam hodie fit, & vulgo appellatur *Teſtatico*. De quo cenſu mentio fit Matth. xxII. *Licet cenſum dare Cæſari, an non?* Miſſis aliis ſignificationibus, cenſus de quo in præſentiarum loquimur, communiter definitur hoc pacto: *Cenſus eſt ius exigendi penſionem ex re alterius frugifera*. Iuniores addunt aliam particulam, *vel ex perſona*, ut cenſum perſonalem in communi definitione cenſus includant. Verum, cum cenſus iſte mihi commentitius ſit, & uſuræ pallium; ideo a cenſus finitione eiuſmodi particulam reieci.

II. Primo dividitur cenſus in *reſervativum*, & *conſignativum*. *Reſervativus* ille eſt quem ſibi quis reſervat, dum rem ſuam alteri tradit hoc onere adiecto, ut quotannis, qui rem accipit, ſolvat penſionem præſcriptam. Cenſus iſte antiquus eſt, & eiuſdem mentio fit *Gen.* xlvII. ubi Ioſeph reddens populo AEgyptio partem fructuum, penſionem ſolvendam Regi reſervavit. Si tu prædium tuum tradis Caio, reſervata tibi penſione aut pecuniæ, aut fructuum quotannis ſolvenda, cenſum *reſervativum* conſtituis. Cenſum *conſignativum* tum celebras, quando, retento dominio rei tuæ, prædii, domus &c. alteri vendi ius percipiendæ penſionis in annos ſingulos.

III. *Conſignativus* rurſus dividitur 1. ex parte rei in qua fundatur, in *realem*, *perſonalem*, & *mixtum*. 2. ex parte penſionis in *pecuniarium*, & *fructuarium*. 3. ex parte temporis in *temporalem*, & *perpetuum*. 4. ex parte modi quo celebratur, in *redimibilem*, & *irredimibilem*.

IV. *Realis* eſt qui conſtituitur ſuper fundo fructifero, puta agro, domo, vel terra aliqua fecunda, quam ſemper immediate afficit, & comitatur: & ſi alienetur fundus, tranſeatque ad plures dominos, tranſit quoque onus iſtius cenſus, donec redimatur. Si res pereat aut in totum, aut in partem, perit quoque cenſus.

V. *Perſonalis* conſtituitur immediate in perſona, quæ obligatur ad ſolvendam annuam penſionem ex induſtria, labore, operibus, & etiam ex bonis ſuis, ſi habeat.

Digitized by Google

beat. Cenſus iſte immediate afficit, & comitatur non rem aliquam, ſed perſonam: quare ſi bona pereant, & non perſona, cenſus conſiſtit. Et quamvis pro aſſecuratione tradatur hypotheca, non propterea tranſit in realem: quia hypotheca non manet immediate obligata, ſed tantum in defectum perſonæ.

VI. *Mixtus* conſtituitur tum ſuper re, tum ſuper perſona. Et ideo ſi res pereat, & non perſona, hæc ſolvere debet; ſi perſona perit, & non res, ex hac penſio exigitur.

VII. *Pecuniarius* pecunia, *fructuarius* fructibus ſolvitur.

VIII. *Temporalis* vel ad certum tempus, v. g. ad decem annos; vel ad incertum, v. g. vitæ (& dicitur *vitalitius*) conſtituitur.

IX. *Perpetuus* nullo præfinitur tempore. Iſte natura ſua numquam expirat, ſed perſiſtit ſemper.

X. *Redimibilis* redimi poteſt arbitrio cenſualiſtæ, aut cenſuarii, aut utriuſque; pro diverſitate conventionum quas ambo emptor, & venditor ſtipulati ſunt. *Irredimibilis* redimi numquam poteſt.

XI. Qui emit cenſum, ſeu ille cui ſolvenda penſio eſt, vocatur *Cenſualiſta*. Qui vendit cenſum, ſeu ille qui ſolvere penſionem debet, appellatur *Cenſuarius*: quæ voces invectæ ſunt, & adhibentur claritatis ac brevitatis gratia.

CAPUT IX.

Juſtitiam cenſus realis probarunt Martinus V. Calixtus III. S. Pius V. Integra exhibetur S. Pii V. conſtitutio.

I. CEnſum omnem feneratitium eſſe, meramque uſuræ larvam exiſtimarunt Henricus *quodlib.* I. *quæſt.* XXXIX. & *quodlib.* VIII. *quæſt.* XXIV. Salicet. in *Authent. ea leg. cod. de uſur.* Hotomanus *Lib. II. obſerv. cap.* XV. Henricus tamen concedit, licitam eſſe cenſus antiqui, ſeu iam conſtituti emptionem; ſed improbat novum aliquem inſtituere. Similiter nemo, neque Henricus, neque alii, damnant cenſum reſervativum. Nimis quippe evidens eſt quemlibet poſſe rei ſuæ, cuius dominium vel gratis, vel pacto pretio in alium transfert, partem ſibi aliquam reſervare. Nec eſt controverſia de cenſu reali *fructuario*, quo quis emit partem fructuum alieni prædii. Qua ſiquidem ratione poteſt emere totum prædium, & ius ad omnes fructus, vel ad uſumfructum, dominio manente penes venditorem; eadem valet partem horum fructuum emere. Tota igitur contro-

troverſia eſt de cenſu *pecuniario* , quo emitur ius ad penſionem pecuniariam quotannis ſolvendam.

II. Tam Theologi , quam Canoniſtæ unanimi conſenſu iuſtitiam cenſus realis pecuniarii defendunt : quam ſententiam ſuis Bullis confirmarunt Martinus V. Calixtus III. Nicolaus V. & S. Pius V. certis adiectis conditionibus. Martinus V. *Extrav. commun. de empt. & vendit. cap. Regim.* inquit . *Nos igitur ex relatione Guillelmi Presbyteri Cardinalis, cui negotium huiuſmodi cum peritorum conſilio commiſimus examinandum, comperimus, contractus huiuſmodi iuridicos, & iuxta determinationem Doctorum licitos fore* . Conſtitutionem Martini V. confirmavit Calixtus III. ſua *Extrav. cap. Regim.* his verbis. *Nos factam ex commiſſione fel. record. Martini Papæ V. prædeceſſoris deſuper examinationem, & eiuſdem prædeceſſoris noſtri declarationem attentius perpendentes, ſuiſque veſtigiis inhærentes, ad omne ſuper his ambiguitatis tollendum dubium , præfatos contractus licitos , iurique conformes auctoritate apoſtolica declaramus* .

III. Reſcribo integram conſtitutionem S. Pii V. quoniam hæc præ ceteris iuſtitiam cenſus declarat, & conditiones quibus celebrari debet , perſpicue explicat , ac præſcribit. Eſt autem ſequentis tenoris.

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI,
ad perpetuam rei memoriam.

„ Cum onus apoſtolicæ ſervitutis obeuntes, cognoverimus, innumeros celebratos fuiſſe, & in dies celebrari cenſuum contractus , qui nedum non continentur intra limites a noſtris anteceſſoribus eiſdem contractibus ſtatutos , verum etiam , quod deterius eſt , contrariis omnino pactionibus , propter ardentem avaritiæ ſtimulum , legum etiam divinarum manifeſtum contemptum præſeferunt, non potuimus animarum (prout tenemur) ſaluti conſulentes, & piarum mentium petitionibus etiam ſatisfacientes , tam gravi morbo , letiferoque veneno ſalutari antidoto non mederi . Hac igitur noſt... conſtitutione ſtatuimus, cenſum, ſeu annuum reditum creari conſtituive nullo modo poſſe niſi in re immobili , aut quæ pro immobili habeatur , de ſui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus deſignata ſit . Rurſus , niſi vere in pecunia numerata , præſentibus teſtibus , ac notario , & in actu celebrationis inſtrumenti, non autem prius recepto, integro, iuſtoque pretio, ſolutiones, quas vulgo anticipatas appellant , fieri , aut in pactum deduci prohibemus. Conventiones directe , aut indirecte obligantes ad caſus fortuitos eum qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus ; quemadmodum nec pactum auferens , aut reſtringens facultatem alienandi rem cenſui ſuppoſitam :

Digitized by Google

„ quia volumus rem ipſam ſemper, & libere, ac ſine ſolutione laudemii, ſeu „ quinquageſimæ, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter vivos, quam in „ ultima voluntate alienari; ubi autem vendenda ſit, volumus dominum cenſus „ aliis omnibus præferri, eique denuntiari conditiones quibus vendenda ſit, et- „ iam per menſem expectari. Pacta continentia moroſum cenſus debitorem te- „ neri ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad cambium, ſeu certas expenſas, aut „ certa ſalaria, aut ad ſalaria, ſeu expenſas medio iuramento creditoris liqui- „ dandas, aut rem cenſui ſubiectam, ſeu aliquam eius partem amittere, aut „ aliud ius ex eodem contractu, ſive aliunde acquiſitum perdere, aut in ali- „ quam pœnam cadere, ex toto irrita ſint, & nulla. Immo & cenſum augeri, „ & novum creari ſuper eadem, vel alia re, in favorem eiuſdem, aut perſonæ „ per eum ſuppoſitæ pro cenſibus temporis vel præteriti, vel futuri, omnino „ prohibemus: ſicut etiam annullamus pacta continentia ſolutiones onerum ad „ eum ſpectare ad quem alias de iure, & ex natura contractus non ſpectarent. „ Poſtremo cenſus omnes in futurum creandos, non ſolum re in totum, vel pro „ parte perempta, aut infructuoſa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad „ ratam perire; ſed etiam poſſe pro eodem pretio extingui, non obſtante lon- „ giſſimi etiam temporis, ac immemorabili, immo centum & plurium annorum „ præſcriptione, non obſtantibus aliquibus punctis directe, vel indirecte talem „ facultatem auferentibus, quibuſcumque verbis, aut clauſulis concepta ſint. „ Cum vero traditione pretii reditus extinguendus erit, volumus per bimeſtre „ ante id denuntiari, cui pretium dandum erit, & poſt denuntiam, intra an- „ num tamen, etiam ab invito pretium repeti poſſe; & ubi pretium nec volens „ intra bimeſtre ſolvat, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilomi- „ nus, quandocumque reditum extingui poſſe, prævia tamen ſemper denuntia, „ de qua ſupra, & non obſtantibus his de quibus ſupra; idque obſervari man- „ damus, etiam quod pluries, ac pluries denuntiatum fuiſſet, nec umquam ef- „ fectus ſecutus fuiſſet. Pacta etiam continentia pretium cenſus extra caſum „ prædictum, ab invito, aut ob pœnam, aut ob aliam cauſam remitti poſſe, „ omnino prohibemus; contractuſque ſub alia forma poſt hæc celebrandos fene- „ ratitios iudicamus. Et ita illis propterea non obſtantibus quicquid vel expreſ- „ ſe, vel tacite contra hæc noſtra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, „ a fiſco volumus poſſe vendicari. Hanc autem ſalutiferam ſanctionem, nedum „ in cenſu noviter creando, verum etiam in creato quocumque tempore alie- „ nando, modo poſt publicationem conſtitutionis creatus ſit, perpetuo, & in o- „ mnibus ſervari volumus, declarantes pretium ſemel cenſui conſtitutum num- „ quam poſſe ob temporum, aut contrahentium qualitatem, ſeu aliud accidens, „ neque quoad ultimo contrahentes minui, vel augeri. Et licet legem ipſam ad

„ con-

„ contractus iam celebratos non extendamus ; illos tamen omnes in quos ſub „ alia forma pervenerunt cenſus, hortamur in Domino, ſingulos contractus cenſuræ bonorum Religioſorum ſubiiciant, & animarum ſaluti conſulant : non „ obſtantibus &c. Dat. Romæ anno 1568. 14. Kal. Feb. “

IV. Conditiones quæ in hac Bulla continentur, infra explicabo, & a iuniorum vanis commentis aſſeram. Nunc paucis perſtringenda eſt ratio quæ cenſus realis abſolute ſpectati iuſtitiam evincit. Communis autem ratio eiuſmodi eſt.

V. In cenſus contractu ea omnia adſunt quæ ad iuſtitiam emptionis, & venditionis requiruntur ; nempe mutuus contrahentium conſenſus, merx, & iuſtum pretium. Iuſtus ergo contractus eſt. De mutuo conſenſu patet. Merx eſt ius ad penſionem recipiendam, ſeu ad fructuum fundi partem exigendam. Quod ius diſtinguitur, inquiunt, ab ipſa pecunia, ſeu fructibus prædii, vel fundi. Iuſtitia autem pretii ex eo colligitur quod, licet penſiones, ſolvendæ ſucceſſive, omnes ſimul ſumptæ ſuperent pretium quod emptor ſolvit, hoc tamen non impedit quo minus pretium iuſtum ſit ; quemadmodum fructus prædii, agri, domus, omnes ſimul ſumpti ſpatio centum annorum ſuperant pretium ab emptore ſolutum; nec propterea pretium iniuſtum dicitur : quia illi fructus, ſeu penſiones, ſucceſſive colligendæ, iuxta communem prudentum intelligentiam minoris valent quam ſimul ſumptæ. Ergo eadem ratione iuſtum eſt pretium cenſus, licet penſiones collective acceptæ excedant pretium quo cenſus emitur.

VI. Obiiciunt 1. cenſuum oppugnatores. Cenſus eſt purum putumque mutuum. Ego trado tibi 100. ut ſingulis annis reddas mihi quinque. Viginti annis elapſis, integram recepi ſortem traditam. Poſtea vero recipiam quinque quotannis. Quid autem hoc eſt niſi mutuum perpetuum ? Hoc autem evenit in cenſu redimibili pecuniario. Trado tibi 100. ut ſingulis annis reddas quinque, aut ſex, aut ſeptem, donec reddideris ſortem, lucro minime in ſortem computato.

VII. Ex diverſitate reſponſionum quæ ab Auctoribus exhibentur, patet argumentationem factam haud eſſe levioris momenti. Reſpondent aliqui, in cenſu irredimibili duos celebrari contractus. Primus eſt, quo ego tibi vendo fundum, ſubiiciendum cenſui. Secundo, adiicio pactum, quo tu debeas eumdem fundum mihi in emphyteuſim tradere, reſervata tibi annua penſione. Idem fit in cenſu redimibili. Hæc reſponſio communiter reiicitur : tum quod venditor cenſus animum minime habeat alienandi fundi ſui dominium; tum quod conditiones neceſſariæ ad emphyteuſim non ſerventur. Ideo alii reſpondent, in cenſu non emi prædium, ſed prædii fructus, qui poſtea in pecuniam commutantur. Neque reſponſio hæc vim elevat argumenti : quoniam fructus 40. aut 50. annorum ſuperant valorem pretii quod ſolvitur pro cenſu.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Communis reſponſio eſt, non emi prædium, neque fructus prædii; ſed ius ad penſiones annuas recipiendas. Sed neque reſponſio hæc a difficultate immunis eſt: quoniam arbitraria videtur diſtinctio inter ius ad penſiones, & ipſas penſiones. Quandoquidem qui emit fundum aliquem ſibi tradendum poſt menſem, emit ius ad fundum. Nec aliter hoc ius acquiritur niſi emendo fundum. Pari ratione qui emit ius ad penſiones, emit ipſas penſiones. Nec alia via acquirere ius ad penſiones poteſt, niſi penſiones emendo; ſicut aliter acquiri ius ad fundum repetendum non poteſt, niſi fundum ipſum emendo. Igitur ſi emi nequit penſio quæ ſuperet pretium quo emitur, quin uſura perpetretur; pariter nequit emi ius ad penſiones excedentes ſolutionis pretium, ſine uſura. Alioquin quilibet mutuator dicere poſſet, ſe nolle quidquam ex mutuo; ſed velle 100. ducatis quos tradit, emere ius ad quinque annuos ducatos recipiendos, uſque dum reddatur ſors.

IX. Facilius alii reſpondent, cenſuiſtam non emere penſiones, neque ius ad penſionem; ſed partem uſusfructus talis fundi ſubiecti cenſui; ita ut dominium directum fundi totum maneat apud venditorem, ſeu cenſuarium; dominium vero utile, ſeu ius uſusfructus ex parte vendatur. Quod ius, ſeu dominium utile partiale minoris valet quam totus fundus. Acquiſito ab emptore dominio utili, ſeu iure in uſumfructum fundi, alio contractu, implicite contento in cenſus inſtitutione, convenit inter partes contrahentes ut pro ſpe fructuum quos emptor ex illo dominio utili ſperare valet, obliget ſe venditor ad annuam pecuniariam penſionem ſolvendam. Hanc ſolutionem tradit Cardinalis de Lugo *diſp.* XXVII. *ſec.* 2. *§.* 1. *num.* 20. Sed neque hæc reſponſio adeo perſpicua apparet, quemadmodum Lugo ſibi perſuadet.

X. Ut clara præbeatur reſponſio, vis argumenti ſpectanda. Huc autem tota argumentatio recidit, quod pretium ſit iniuſtum, cum penſiones ſolvendæ illud ſuperent. Ergo aut licita dicenda uſura, quæ acceſſionem reddit ſupra ſortem; aut illiciti ſunt cenſus in quibus penſiones ſuperant pretii ſolutionem, quam præbet emptor. Hæc eſt tota vis argumenti: quod retorquere nolo in illius auctores, qui licitam concedunt cenſuum antiquorum emptionem, & licitos cenſus *fructuarios*: quia retorſio argumenti difficultatem non dirimit. Revocandum in memoriam principium quo iniuſtitia uſuræ evincitur; & continuo ſophiſtica cavillatio deprehenditur. Improbatur acceſſio ſupra ſortem in mutuo, quia pecunia, ſeu res uſu conſumptibilis, ſterilis natura ſua eſt, fructumque parit hominis induſtria. Contra fundi cenſuum natura ſua frugiferi ſunt; & ideo in ipſis uſusfructus a dominio diſtinguitur. Si hæc duo diſtincta ſunt; ergo vendi unum ſine altero poteſt. Porro reipſa in cenſu venditur ius in fundi, qui ſubiicitur cenſui, fructus percipiendos. Ius iſtud pretio æſtimabile eſt. Ergo vendi poteſt. Cenſus ergo iuſtus

Digitized by Google

ſtus eſt : quia in vera & reali emptione, & venditione ſita illius natura eſt. Nimium futile eſt quod obtruditur, nempe penſiones ſuperare pretium. Nam in qualibet emptione, & locatione penſiones longi temporis ſuperant pretium collective ſumptæ; nec propterea pretium iniuſtum dicitur. Quoniam pretii æquitas ſumitur per comparationem ad valorem mercis tempore traditionis ſpectatæ. Fundus autem iuxta communem omnium gentium conſenſum non æſtimatur ſecundum ordinem ad fructus, quos in perpetuum parere poteſt, cum hoc vix cadat ſub humano iudicio; ſed ſecundum quod hic & nunc iuxta communem, probatamque conſuetudinem valet. Iuſtitia itaque cenſus defenditur, quia fundata in vero contractu venditionis, & emptionis fundi frugiferi. Et ſicuti licita eſt venditio cum pacto retrovenditionis; ut conſtat ex Levit. xxv. *Cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur*; ita licitus eſt cenſus redimibilis, non computatis penſionibus in ſortis pretium; quemadmodum nec in venditione fundi id peragitur. Si plura cupis de diſcrimine inter cenſum & mutuatitiam pecuniam, legeſis noſtrum, *comment. in Epiſt. Encyclicam* BENEDICTI XIV. *adver. uſur. diſſ.* III. *cap.* IV. *ſ.* 5.

XI. Obiiciunt 2. Ex cenſibus eadem quæ ex uſura proficiſcuntur abſurda. Nam emptores, ſeu cenſuiſtæ alieno labore ſaginantur, alieno ſudore diteſcunt, otio difluunt, & opipare vivunt ſine moleſtia. Denique gratuita caritatis officia evaneſcunt, dum divites mutuum refugientes, cenſus aucupantur; pauperes vero poſſeſſiunculas ſuas gravare cenſibus aſtringuntur, quia divites, qui mutuum tradere velint, non reperiunt. Reſp. Divina providentia diſpoſuit ut res mundanæ caducæ, & in perpetuo tranſitu, ac veluti fluxu ſint. Noluit ut divites ſemper divites, neque pauperes ſemper pauperes forent. Ideo bonorum per venditionem, & emptionem tranſitum de uno in alium probavit. Videndum ergo, num divites iniuſto contractu pauperum fundos acquirant : & tum abſurda quæ heinc conſequuntur, improbanda. Contractus feneratitius iniuſtus eſt : ideo mala quæ inde manant, in caput feneratoris recidere debent. Cenſus iuſti ſunt, ut probavi : ideo immunes ſunt ab abſurdis, ſi quæ inde oriuntur.

CAPUT X.

De cenſu perſonali.

I. Aliud celebre, & familiare uſuræ pallium, contractui trino quam maxime affine, immo eidem fere inſitum, diſcutiendum ſuſcipio. Quæ penes omnes certa ſunt, delibanda. Diſtinguendus primo eſt cenſus a tributo, quod per capita olim pendebatur Principibus. Nullus de hoc cenſus genere nobis nunc ſermo

Digitized by Google

mo eſt; quemadmodum nec de cenſu quo obligetur perſona, penſione non ſoluta, in ſervitutem ſe tradere, cum id ſit vel ipſis civilibus legibus vetitum.

II. Secundo compertum omnibus eſt, cenſum perſonalem licitum eſſe, quando penſiones reddendæ non excedunt pretium quod pro eiſdem ſolvitur: quia tunc perinde eſſet ac ſi traderes 100. aureos mutuos, reddendos decennio, nempe decem quotannis. In hoc enim contractu nulla uſuræ ſpecies apparet. Similiter licitus eſt cenſus in tempus incertum, quando ex utraque parte æquale ſit dubium, & periculum, an cumulus penſionum maior, vel minor futurus ſit quam pretium quod pro penſionibus ſolvitur: eſſet enim tunc aleæ contractus, in quo ſpes lucri, & periculum damni æqualia forent.

III. Demum extra controverſiam eſt, quod ſi occurrant iuſti tituli, puta *eius quod intereſt*, licitam eſſe emptionem cenſus minori pretio quam valeat totus cumulus penſionum ſolvendarum; ſicuti tunc licita eſt acceſſio ſupra ſortem mutuo traditam.

IV. Quæſtio ergo, in præſenti diſputanda, eſt, utrum licitus ſit cenſus perſoſonalis, præſertim utrimque redimibilis, quando pretium non æquat cumulum penſionum ſolvendarum, ſublato quocumque alio iuſto titulo lucri ceſſantis, damni emergentis, periculo, aliave ratione.

§. I.

Teſtimonia Theologorum qui ſcripſerunt ante conſtitutionem S. Pii V. de cenſu perſonali utrimque redimibili. P. Leonardi Leſſii dignum ponderatione interpretamentum.

I. MArtinus Navarrus *comment. de uſur. num.* 80. teſtatur *fere omnes* Theologos, & Canoniſtas damnare cenſum perſonalem.

II. Gabriel Biel in *IV. diſt.* XV. *quæſt.* XII. primus eſt qui a P. Leonardo Leſſio laudatur tamquam propugnator cenſus perſonalis utrimque redimibilis. *Biel* vero non defendit, ſed tantum proponit hunc contractum peritorum iudicio. En illius verba. *Verum hoc dico RECITATIVE, & probabiliter, ſciens quoſdam Doctores notabiles hæc ſcripſiſſe; offero tamen examini peritorum.*

III. P. Leonardus Leſſius ſibi hæc verba Gabrielis Biel opponit *Lib. II. cap.* XXII. *dub.* 10. *num.* 56. & hac illa interpretatione excipit. *Nec obſtat quod Gabriel in reſp. ad 3. argumentum contra 4. concluſ. addat*, Verum hoc dico recitative &c. *Sic enim loqui SOLEMUS ad declinandam invidiam, quando aliquid NOVI, & recepta*

ceptæ opinioni adverſum, ex noſtra ſententia proferimus. Intellexiſtin'? *Solemus ſic loqui*, quando in morum controverſiis, & quidem graviſſimis, novas procudimus opiniones, receptæ doctrinæ adverſas. Et quos Theologos complectitur P. Leſſius hoc verbo, in plurali numero uſurpato, *SOLEMUS*? Clamant Antiprobabiliſtæ omnes: *NOS NON SOLEMUS*; ſed vos tantum ſoletis novas opiniones excogitare, *receptæ opinioni* adverſas. Nos autem inquirimus: aut verum eſt quod dicitis, aut falſum. Si verum; timenda ne IESU Chriſti diſcipulis invidia? *Inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis*, inquiebat Paulus ad *Galat.* IV. Si falſum promitis, pruriens auribus, & demulcens cupiditatem; declinare plebis invidiam, & populi favorem captare poteſtis; at Dei iudicium effugere non valetis. Simili lenocinio uſus eſt P. Gibalinus, ut trinum contractum, inter timorem & pavorem a iunioribus conceptum, propagaret, ut vidimus. Vitio ne, piaculoque vertetur nobis, ſi in eiuſmodi effata, unde falſus opinandi modus ſoboleſcit, calamum acuimus?

IV. Conradus Sunhemart citatur ſecundo loco a P. Leſſio. Sed hic quoque Auctor locis ipſis citatis, nempe *quæſt.* LXXXIV. *concl.* 4. & 5. non ſemel, ſed pluries teſtatur ſe tantum *de rigore ſcholaſtico*, & *ſcholaſtice diſputando*, cenſum perſonalem diſcuſſiſſe. Deinde concludit. *Hæc autem hic tantum ſcholaſtice diſputaſſe volui, ut detur occaſio lectoribus ad cogitandum ſuper hoc diligentius. Opus tamen erit ut in talibus contractibus nihil novi admittatur, quo maligni poſſint uti in fraudem, & pallium ſuarum uſurarum: quamobrem ſupra dixi, quod etiam ſi ſervaretur æqualitas commutativa, non admitterem illum contractum, ubi facultas repetendi pretium remanet apud emptorem. Unde opus eſt aliquos contractus, licet in ſe æquos, reprobare propter abuſum eorum, & latibulum latronum de medio tollendum.... Sexta concluſio. Generaliter loquendo ſex modis depravatur emptio reditus redimibilis ſecundum ſex circumſtantias ad eius bonitatem requiſitas.* Brevitatis cauſſa prætereo omnes iſtas circumſtantias, quibus depravari hunc contractum docet Conradus. Sed paucis moneo lectorem, Theologum hunc tantum abeſſe a cenſu utrimque redimibili probando, ut immo aperte illum diſſuadeat, tamquam uſurarum manifeſtum pallium.

V. Tertio loco citatur Ioannes Maior, Doctor Univerſitatis Pariſienſis, qui laudibus extollitur ab Elia Dupin *Tom. XIV. Bibliotb.* non alia ratione, niſi quod eidem ſimilis ſit, audax nempe in rebus innovandis. Ille ipſe ſe primum trini contractus parentem prodit; ut iam monui in opere de *uſur. contract. trin. diſſ.* II. *ſ.* 4. Similiter primus fere eſt qui aperte cenſum perſonalem propugnet. Illius auctoritas nullius plane ponderis eſt: quia in materia præſertim feneratitia ad laxiora declinat; & contra communem Theologorum ſui temporis doctrinam ſuas opiniunculas evulgare non dubitavit; ut ille ipſe ait in IV. diſt. XV. quæſt. XLIX.

Di-

Digitized by Google

Dicam cum benigna ſupportatione opinionem meam particularem. Opiniones autem iſtæ particulares in conſcientiarum regimine cum ſuis Auctoribus reiiciendæ ſunt.

VI. Dominicus Soto pro cenſu perſonali utrimque redimibili citari a pluribus ſolet *Lib. VI. de iuſt. quæſt.* v. ubi *art.* 1. defendit cenſum perſonalem abſolute; cenſum vero perſonalem redimibilem ex parte emptoris, tamquam uſurarium, apertiſſime deteſtatur; ut fatetur vel ipſe P. Leſſius, qui Dominicum *Soto* tamquam ſibi adverſantem citat.

§. II.

Auctores præcipui qui poſt S. Pii V. conſtitutionem cenſum perſonalem utrimque redimibilem propugnant.

I. P. Valentia a P. Leſſio citatur inter primos qui poſt Pianam conſtitutionem defendunt cenſum perſonalem utrimque redimibilem. *Is* 2.2.*diſp.* v. *quæſt.* XXIV *punct.* 2. *&* *quæſt.* XXV. *punct.* 2. inquit: *Mihi etiam placet, ſicut etiam me præſente placuit Romæ an.* 1581. *multis doctiſſimis Theologis re tota diligenter excuſſa*. Quam atteſtationem refert etiam P. Leſſius. Sed atteſtatio P. Valentiæ nullius prorſus momenti eſt. Siquidem Gregorius XIII. hoc eodem anno, ut demonſtravi documento pontificio, adducto in opere de *uſur. contr. trin. diſs.* 1. *cap.* VI. improbavit tum contractum trinum, tum cenſum perſonalem. Porro Pontifex ſummus in litteris ad Guillelmum Ducem Bavariæ teſtatur, ſe conſuluiſſe doctiſſimos viros. *Diligentiſſime conſideravimus, doctiſſimoſque viros adhibuimus*. Doctiſſimi Theologi quos in conſilium advocavit Pontifex, contractum hunc ut feneratitium reprobarunt. Theologi doctiſſimi, allegati a P. Valentia, dubio procul non fuerunt a Pontifice in conſilium adhibiti. Quibus ergo ſtandum? Probabiliſtis doctiſſimis, citatis a P. Valentia pariter Probabiliſta; an doctiſſimis Theologis, conſultis a Pontifice? Iudicent æqui rerum arbitri. Subdit P. Leſſius, hanc opinionem a P. Valentia *probabilem eſſe iudicatam, etſi ob periculum uſurarum non eſſe ſuadendam*. Cur ergo typis editur? Cur omni ſtudio, conatu, & undique accitis ratiunculis muniri curatur?

II. P. Leonardus Leſſius *loc. cit. num.* 56. Valentiæ inhærens, ſimiliter hanc opinionem, tantum ut *probabilem*, *&* *ſpeculative veriorem*, exhibet. *Speculative verior*. Numquid practice falſior? Specularivus ne cenſus perſonalis? Quo tendunt eiuſmodi limitationes *probabilitatis*, & quidem *ſpeculativæ?* Agitur ne de aliquo

pun-

Digitized by Google

puncto *ſpeculative* diſputando in circulo, & non de contractu celebrando in nundinis? Quid obſtrepis? *Sic loqui ſolemus*, reponit P. Leſſius, *ad declinandam invidiam, quando aliquid novi, & receptæ opinioni adverſum, ex noſtra ſententia proferimus*. Si nova ſunt quæ dicitis, clamat Auguſtinus, falſa ſunt quæ profertis.

III. P. Paulus Layman *Lib. III. tract.* IV. *cap.* XVIII. *aſſer.* 4. ſcribit. *Cenſus perſonalis utrimque redimibilis, ſuper perſonæ induſtria locatus, probabiliter defenditur; attamen periculo uſurariæ intentionis non caret. Ita contra COMMUNEM docent DD.* Qui ſunt hi DD. qui contra *communem* Eccleſiæ doctrinam propugnant cenſum perſonalem utrimque redimibilem? Valentia, Leſſius, Laymanus, & alii Probabiliſtæ. Hi ſunt qui in morum controverſiis communi Doctorum ſenſui ſe ſe opponere, ut ipſi teſtantur, non reformidant.

IV. Ut a primis Probabiliſtarum Theologis ad poſteriores tranſeam, *P. Patritius Sporer*, anteriorum Probabiliſtarum diligens collector *tract.* VI. *cap.* VI. *num.* 16. ad ultimum probabilitatis gradum magiſtrorum ſuorum opinionem evexit. Sic enim ſcribit. *Probabiliſſime quoque licitus eſt cenſus perſonalis, ſuper perſonæ induſtria collocatus, maxime irredimibilis, ac redimibilis ex parte venditoris tantum: etiam redimibilis ex utraque parte: etiam adiuncto pacto aſſecurationis, ſpectando præciſe rei naturam: licet ubique ſubſit periculum uſurariæ intentionis; ideoque merito prohibitus per Bullas Pontificum*. Nimium fuſa oratio mea eſſet, ſi antilogias quibus hic ſe ſtrangulat P. *Sporer*, ſi lepida illius commenta omnia recenſere vellem. Adfirmat hunc cenſum merito eſſe per Bullas Pontificum reprobatum: & ſimul *probabiliſſime* licitum docet? Hæc (inquit num. 26.) *ſpeculatio vera eſt. Sed quam vereor ne ſit ſpeculatio mera*. Si vereris meram eſſe ſpeculationem, nempe futile commentum; cur *probabiliſſime* illud divendis? Merito prohibitum contractum fatetur; at iuxta ſuos DD. pontificiæ Bullæ non ſunt receptæ in Germania.

V. P. Dominicus Viva in *curſ. Theolog. Part. IV. quæſt.* IV. *art.* 3. *num.* 6. ultra progreſſus non modo probabiliſſimam, ſed communiſſimam eſſe ſcribit hanc opinionem, inquiens: *Dubitatur an cenſus perſonalis ſit uſurarius? Affirmant Navarrus, Lopez, Molin. & alii apud Palaum. Sed COMMUNISSIME negant*. Leſſius Layman, & omnes præcipui cenſus perſonalis propugnatores teſtantur, communem Theologorum ſententiam damnare tamquam uſurarium eiuſmodi cenſum. Initio *probabilitas ſpeculativa* verecunda, & pavida apparuit. Poſt, excuſſo pavore, & verecundia, *probabiliſſimam* ſe prodidit. Deinde, erecta fronte, *communiſſima* evaſit.

VI. Tandem adverſam ſententiam, quæ erat communis Eccleſiæ doctrina, fatentibus vel ipſis Leſſio, & Laymano, P. Thomas Tamburinus *Lib. IX. tract.* II.

cap.

Digitized by Google

cap. II. *§.* I. *num.* I. errorem appellat, quem *aliqui* tantum defendunt. *A veritate aberrat id quod aliqui cum Navarro dicunt, contractum hunc non eſſe niſi mutuum cum lucro, atque adeo eſſe meram uſuram. Aberrat, inquam, a veritate.* Aliqui cum Navarro? Aberrant ergo, Leſſius, & Laymanus toto cælo, dum aſſerunt ſententiam Navarri eſſe communem? Sic ſe mutuo confligunt Probabiliſtæ. Aberrarunt ergo a veritate communiter Doctores omnes ante Maiorem, Valentiam, Leſſium, alioſque Probabiliſtas? Hæc ſimplex, & vera narratio originis, progreſſus, & incrementi opiniunculæ in favorem cenſus perſonalis excogitatæ, ſatis ſuperque eiuſdem falſitatem patefacit.

VII. Verum ea eſt humanæ naturæ conditio, ut pro vero, aut probabili habeat quod publicum eſſe cœpit. Caſuiſtarum plures, & populorum uſuris inhiantium multitudo fucum fecit paucis quibuſdam Theologis, ſanioris alioquin doctrinæ aſſertoribus. Siquidem cenſum perſonalem ut licitum defendunt *Henricus a S. Ignatio*, *Continuator Turnely*, *Van-Roy*, *Gabriel Antoine*. Hi Theologi qui in aliis controverſiis interdum ad extremum nimii rigoris impingunt, in his de uſura controverſiis e contrario ad laxiora declinant. Scripſerunt illi in regionibus ubi negotiationes, & commercia plurimum vigent; atque adeo uſuræ latius graſſantur. Non ſunt auſi communi conſuetudini, ſeu corruptelæ ſe ſe opponere. Verum iſtorum nemo pro dignitate hanc controverſiam diſpexit; ſed Probabiliſtarum opiniones, mercatorum praxi munitas, abſque ſevero examine ebiberunt. Defendunt quoque hanc opinionem Salmanticenſes, Bannez, Trullenchus, Covarruvias, Salicetus, Caſtropalaus, P. Carolus Billuart, & alii.

§. III.

Rationes ſententiæ defendentis cenſum perſonalem abſolute, & etiam utrimque redimibilem.

Auctores qui defendunt cenſum perſonalem, diviſi ſunt in claſſes duas. Alii defendunt cenſum perſonalem abſolute, & redimibilem ſolum ex parte venditoris; alii redimibilem utrimque, adiecta etiam hypotheca.

II. Primam partem his rationibus evincunt. *II. Eſdr. cap.* x. Iudæi tertiam partem ſicli ſolvebant quotannis pro Templi fabrica. Et reipſa Principes imponunt, aut imponere valent tributum annuum ſolvendum per capita. Hæc prima ratio prorſus inepta eſt. Nemo enim dubitat quin quiſque poſſit vel ſponte ſe obligare, vel cogi a Principe ad pendendum tributum.

III. Probant vero ratione a iure naturali arceſſita, hoc pacto. Poſſum ego ven-

Digitized by Google

vendere tibi ius percipiendi partem fructuum agri mei. Ergo eadem ratione poſſum tibi vendere partem fructuum induſtriæ meæ. Aut igitur damnandus eſt cenſus realis; aut admittendus etiam cenſus perſonalis. In utroque enim inveniuntur ea omnia quæ ad verum contractum neceſſaria ſunt, nempe conſenſus mutuus, merx, & iuſtum pretium. Accedit quod ad iuſtitiam huius cenſus requirunt quod perſona ſit frugifera, quod iuſtum ſit pretium, & tandem, ut *Billuart*, *Henricus a S. Ignatio*, & alii, quod ſit irredimibilis ex parte emptoris.

IV. Hoc eſt unicum ſophiſma quod fucum imperitis facere aliquo modo valet. Sed ſi penitius inſpiciatur, continuo apparebit arbitrariam eſſe ſpeculationem, mente iuniorum conceptam, & a contrahentium animis prorſus alienam. Nihil minus cogitant contrahentes partes quam emere aut induſtriam, aut induſtriæ partem. Locare quis induſtriam ſuam, & operas; & alius hæc conducere iure valet, iuſto pretio pacto. Nullum hic mutuum, nullum uſuræ periculum. Operæ quippe & induſtria reſpondent pretio, & viciſſim æquantur. Aliud vero longe diverſum eſt conſtituere has operas, & induſtriam tamquam fundum perpetuum in quo fundetur cenſus ad exigendas penſiones quotannis in perpetuum, ut declinetur mutuum, & uſura. Ipſe communis ſenſus deprehendit quam ſit chimærica hæc comparatio fertilitatis perſonæ cum fertilitate agri. Terra natura ſua in perpetuum fructus parit ſtato tempore. Perſona humana in dies mutatur: hodie fecunda, cras ſterilis eſt. Hodie cenſum contrahis perſonalem perpetuum: cras in morbum incidis diuturnum: pecunia accepta in cenſus pretium furto ſurripitur: in prima negotiatione tota perit aut infortunio, aut hominum iniquitate. Interim cenſus continenter in dies currit, & ſingulis fere momentis quidquam ſolvitur ex induſtria quæ periit, ex operibus quæ non ſunt. Quid autem iuſtitiæ, & æquitati magis adverſum, & repugnans?

V. Verum enimvero, ut magis pateat quam ſit futilis hæc fertilitas perſonalis, quæ tamquam fundus frugifer obtruditur, in quo conſtituendus cenſus ſit, hoc unum ſerio perpende. Terra quo fertilior eſt, eo maiori pretio emitur. Quo ergo nobilior, & excellentior perſona erit, maiori pretio emendus induſtriæ, & operarum fundus erit. Si cenſum perſonalem emere vis a prædivite & celebri mercatore, a nobili viro, a Marchione, a Duce; pretium quadruplo, & amplius maius ſolito ſolvendum tibi erit. Nonne ſi in famulum, aut miniſtrum conducere Ducem, Marchionem, Comitem, Principem velles, pretium longe maius ſolvere deberes quam ſi famulatum hominum inferioris conditionis emeres? Ex his, & aliis quæ infra dabo, conſtat, potiſſimum principium cui innititur hæc opinio, commentitium eſſe, & vanum.

VI. Secundam partem de cenſu utrimque redimibili hac ratione probare nititur

tur P. Leonardus Leſſius *Lib. II. cap.* XXII. *dub.* 10. Poteſt venditor cenſum vendere cum pacto redimendi illum pro arbitrio: & tum emptor tenetur litteras cenſus reddere. Ergo pari iure idem poterit & emptor. Alias rationes congerit, & quidem fuſo calamo, P. Leſſius. Verum illas præterire iuvat; cum ſint manifeſtæ cavillationes, ut infra patebit. Et reipſa cordatiores cenſus perſonalis perpetui, & ex parte ſolius venditoris redimibilis, propugnatores hunc cenſum utrimque redimibilem tamquam feneratitium improbant; ut Soto, Henricus a S. Ignatio, Billuart, & alii. Verum de hoc §. ſequenti.

VII. Aliam rationem prodit P. Leſſius in ſubſidium cenſus perſonalis *loc. cit. dub.* 4. *num.* 2. a communibus Probabiliſmi locis arceſſitam. Niſi eſſent, inquit, liciti cenſus perſonales, damnandi eſſent plerique cenſus in *Belgio*, *Germania*, *&* *Gallia*. *Nam plerique, antequam realizentur coram Magiſtratu, quod ſæpe non fit, vel nonniſi poſt longum tempus, ſunt mere perſonales, cum hypotheca ſpeciali... vel generali &c... Atqui non eſt facile damnandum quod tot viri docti, & religioſi in tot provinciis faciunt*. Nonne robuſta argumentatio hæc? Et tamen hoc eſt principium illud quod paſſim ingerunt iuniores. Damnabis ne integras provincias, & regna, quæ contractus iſtos celebrant, quæ talem, & talem conſuetudinem familiarem habent, quam viri docti, & religioſi probant? Hoc argumentum, quod paſſim obtrudunt, ſuperiori diſſertatione profligavi. Commentum funeſtiſſimum, & perniacioſiſſimum iſtud Patres appellant, clamantque: Numquid mendacia, fraudes, fenora multitudine defendis? Nonne alias corruptelas populi familiares habent? Nonne viri docti centenas opiniones laxas, falſas, temerarias, ſcandalique plenas, damnatas ab Eccleſia propugnarunt? Verum de hoc alias.

§. IV.

Iuniorum doctrina de cenſu perſonali, ſive redimibili, ſive irredimibili, eadem omnino videtur ac doctrina Calvini, Molinæi, Salmaſii, aliorumque qui propugnant uſuras moderatas licitas.

I. Ut quæ propoſui, perſpicue demonſtrem, conferenda eſt iuniorum doctrina de cenſu perſonali, ſive irredimibili, ſive utrimque redimibili, cum doctrina Calvini, Molinæi, Salmaſii, & aliorum de uſura moderata.

II. Prima, & potiſſima conditio qua iuniores, Valentia, Leſſius, Layman, Tamburinus, Sporer, & alii, ab uſura purgare contendunt cenſum perſonalem utrimque redimibilem, eſt, quod perſona a qua emendus cenſus eſt, ſit fertilis, lu-

lucrari potens, ſeu quæ vel ex ſuis fundis, vel ex ſuis laboribus, induſtria, negotiatione, opificio fructus percipere valeat; ita ut cenſus illicitus ſit, ſi contrahatur cum femina, ſene, paupere, aliiſque ad lucrandum ineptis. Altera conditio eſt, quod pretium cenſus ſit moderatum, & iuſtum. His duabus conditionibus poſitis, inferunt, cenſum perſonalem eſſe iuſtum, & ab omni uſuræ labe alienum.

III. Calvinus, Molinæus, Salmaſius, & ceteri omnes uſuræ moderatæ propugnatores hæc tamquam principia certa & firma conſtituunr. Primo quod pecunia mutuatitia tradatur negotiatoribus non indigentibus tali pecunia qua ſuis provideant neceſſitatibus, ſed amplificare volentibus negotiationes, aut patrimonia ſua. Heinc duplex diſtinguunt mutuum. Unum *conſumptionis*, quod ſcilicet traditur mercatori, vel alteri, etiam diviti, indigenti pecunia, qua præſentaneæ neceſſitati provideat. Alterum *negotiationis*, quod traditur ad res augendas, promovendamque negotiationem, vel opificia. Non ex primo, ſed ex ſecundo mutuo docent acceſſionem exigi ſupra ſortem poſſe. Non modo requirunt perſonam induſtriam, frugiferam, & lucrari potentem; ſed inſuper quod pecunia ipſa applicanda ſit ad lucrum, ad fundos emendos, ad mercaturam exercendam. Secunda conditio eſt, quod pretium, ſeu acceſſio ſit moderata & iuſta. Ergo eadem omnino eſt doctrina Leſſii, Valentiæ, Laymani, Sporerii, & aliorum de cenſu perſonali utrimque redimibili, ac doctrina Calvini, Molinæi, Salmaſii, & aliorum hæreticorum de uſura moderata licita. Provoco omnes Probabiliſtas, propugnatores cenſus perſonalis utrimque redimibilis, ut vel minimum, præter voces, diſcrimen adducant inter doctrinam Calvini, Molinæi, Salmaſii, & aliorum hæreticorum de uſura moderata licita; & doctrinam de cenſu perſonali utrimque redimibili licito. In utraque ſententia requiritur pretium moderatum, & licitum: in utraque requiritur perſona induſtria, fecunda, lucrari potens: in utraque depoſcitur, quod pecunia reipſa deſtinetur negotiationi, aut fundis emendis, aut patrimonio amplificando. Immo fere ſeverius hæretici exigunt conditiones iſtas quam iuniores noſtri. Quis iſtorum mutui *conſumptionis* meminit? Quis iſtorum adeo ſevere loquitur, ut ſi dives mercator, aut nobilis fundis, & patrimonio præditus, pecuniam petat, qua urgenti neceſſitati conſulat, doceat, celebrari non poſſe cenſum perſonalem; ſed gratis pecuniam mutuo tradendam eſſe? Quid quod aliqui iuniores docent, penſionem exigi poſſe etiam a perſona quæ induſtria non ſit, quando celebrare poteras cum mercatore induſtrio, & frugifero: quia tum vi tituli lucri ceſſantis, quod percipere a negotiatore poteras, exigis acceſſionem ab hac perſona ſterili, quæ pecuniam a te acceptam, non negotiationi, ſed levandæ urgenti inopiæ applicabit? Id confirmo evidentiſſimo argumento. Licet adverſarii noſtri, ut fucent quoquo modo cenſum perſonalem, præfatas conditio-

Digitized by Google

nes adiiciant; tamen concludunt, poſſe eiuſmodi cenſus, ſicut contractus trinos, celebrari ſola virtuali intentione, abſque ulla expreſſa mentione harum conditionum: immo addunt, poſſe homines ineptos, qui ignorant quid ſit cenſus, quid contractus trinus, quid perſona induſtria, tradere pecuniam ſuam cuique petenti, cum ſola intentione univerſali lucrandi eo modo quo docti & probi docent lucrari poſſe. Talia ne Molinæus, aut Salmaſius docent? At, ut cavillandi effugium præcludam, mihi ſat eſt utramque ſententiam eſſe omnino eamdem, quocumque prorſus ſublato diſcrimine præter vocem, & lepida atque feſtiva commenta. In cenſu utrimque redimibili repetitur ab emptore vivum, ſeu capitale pro arbitrio, ſicuti a mutuatore pro libito repetitur ſors. Utrobique exigitur acceſſio; utrobique perſona eſt fecunda, & frugifera. Ubi ergo diſcrimen? Illud ab acutiſſimis Probabiliſtis expecto.

IV. Alia via improbatur, tamquam manifeſte feneratitius, cenſus perſonalis, ſive redimibilis, ſive irredimibilis. In hoc cenſu, quocumque modo concepto, nil aliud venditur, vel emitur, niſi penſiones ſolvendæ, quæ duplo, aut quadruplo ſortem ſuperant. Tradis 100. ut per partes recipias 200. aut 400. aut 600. Falleris, inquiunt. Non emuntur penſiones, ſed ius ad eaſdem. Quando mutuum credis alteri cum acceſſione ſolvenda a mutuatario, nonne emis ius ad acceſſiones percipiendas, atque adeo acceſſiones ipſas emis? Quando vendis triticum, in futurum tradendum pro pretio in præſens ſolvendo, vendis ne ius ad triticum, ſecus triticum ipſum? Cum mutuatarius ſe ſe obſtringit ad reſtituendum mutuum, numquid ſe obligat ad ius tantum, ſecus vero ad pecuniam ipſam reddendam? Quis vel communi ſenſu non deprehendit iſtius diſtinctiunculæ futilitatem? Verum ergo eſt in cenſu perſonali pro mille præſentibus vendi, & reſpective emi duo millia futura. Ergo quemadmodum uſura eſt, dum tibi creduntur mille, ut poſt 20. annos eadem ſumma reddatur, & interea ſingulis annis ſolvas acceſſionem; ita uſura eſt, dum te obligas ad ſolvendam annuam penſionem, & poſt plures penſiones integram ſortem.

V. Inſiſtunt adverſarii, hæc omnia locum habere in cenſu reali, ſeu prædiali. Hanc paritatem exaggerant non modo iuniores noſtri, verum etiam, & quidem vehementius, Molinæus, & Salmaſius. Et ecce alterum argumentum, quo palam fit, eamdem prorſus eſſe doctrinam Calvinianorum, & Lutheranorum de uſura moderata, ac doctrinam de cenſu perſonali. Nam ſicuti Calvinus, Molinæus, & potiſſimum Salmaſius ex paritate cenſuum realium, ſeu prædialium inferunt licitam acceſſionem ex mutuo; ita iuniores noſtri ex cenſu reali colligunt licitum eſſe cenſum perſonalem. Quibus rationibus profligavi hæreticam doctrinam Salmaſii, & aliorum hæreticorum, eiſdem labefacto cenſum perſonalem propugnatum a iunioribus. Præterea unico ictu proſterno iuniorum noſtrorum do-

Digitized by Google

ctrinam. Probat Eccleſia cenſus prædiales, & improbat cenſus perſonales. Ergo chimæra eſt paritas cenſus prædialis, & perſonalis.

VI. Interim aſſero, non minorem intercedere diſparitatem cenſum prædialem inter & perſonalem, quam inter hominem & prædium. In cenſu perſonali prædium ipſum, quantum ad dominium utile in uſusfructus eius, emitur. Dum cenſus realis celebratur, prædium ipſum frugiferum eſt. In cenſu perſonali dominium nec directum, nec indirectum, ſeu utile venditur, aut emitur; ut adverſarii ipſi fatentur. Diſtinctio dominii directi, & utilis nec reſpectu pecuniæ, nec reſpectu perſonæ locum habere poteſt. Quid ni? reponunt Valentia, Leſſius, Laymanus, ceterique iuniores. Induſtria perſonæ fundus frugifer eſt, non ſecus ac ager. Venduntur opera famulorum: quid ni & ius ad ipſa? Hanc cavillationem ſupra exploſi. Si paritas conſiſteret, ſicuti ſubiectus ager uni cenſui, alio gravari nequit; alioquin fictitia, & fraudulenta emptio, & venditio eſſet: ita, conſtituto uno cenſu perſonali in capite Caii, non poſſet Caius alium cenſum perſonalem inire; cum eius fundus induſtrialis totus venditus ſit. Iuniores autem noſtri plures cenſus ſuper eadem inſtitui perſona poſſe fatentur. Præterea, ſi induſtria perſonæ fundus venalis eſſet, poſſet pro perſonæ dignitate, & gradu pretium augeri, ut ſupra dictum eſt. Quæ omnia falſa ſunt.

VII. Adeo hæc luculenta ſunt, ut P. Leſſius, eadem verborum involucro quo quo modo eludens, incidat in aliam ſyrtim; quemadmodum uſuvenit cuique a veritate toto oſtio aberranti. Reſpondet itaque *cit. Lib. II. cap.* XXI. *dub.* 4. *num.* 29. his verbis. *Reſpondeo primo negando minorem. Longe enim pluris communi hominum æſtimatione cenſetur valere pecunia PRAESENS quam actio perſonalis; ſeu ius ad illam ſic per partes, & per tanta intervalla exigendam.* Huc recidit univerſa machinatio cenſus perſonalis. Pluris valet pecunia numerata quam futura reſtituenda per partes, ſublato omni titulo extrinſeco lucri ceſſantis, vel damni emergentis. His quippe præciſis titulis, iuniores propugnant cenſum perſonalem. Porro hæc doctrina damnata ab Eccleſia eſt, poſtquam ſcripſit P. Leſſius: ideo excuſandus, ſi hanc, & alias plures doctrinas docuit, quæ poſtea proſcriptæ fuere. Ut præfatam ſuam doctrinam confirmet P. Leſſius, addit num. 25. *ex communi hominum uſu* pluris valere pecuniam præſentem quam ius ad illam. Addendum fuiſſet ex communi uſu hominum *uſurariorum*, ſecus bene moratorum.

VIII. Martinus Navarrus in ſuo *de uſur. comment.* octo argumentis improbat cenſum perſonalem. 1. In Republica Romana pagana, nedum chriſtiana, cenſus perſonalis non obtinuit. 2. Iure ſancitum eſt ne homo liber detur in pignus, aut imponatur a privatis perſonis ſuper eum ius reale. *Cap.* 11. *de pignor. l. Ob æs alienum, C. de act. con. & obligat.* 3. Impoſitio cenſus ſuper perſonas eſt in-

novatio antiquæ immanitatis, & feritatis barbarorum. 4. Quamvis ratiunculæ defenſorum cenſus perſonalis quidquam fuci facerent imperitis; non tamen præſumptionem uſurariam, & doloſam auferunt. Quid quod ad tollendam uſuræ præſumptionem, quam plures docti conceperant adverſus cenſus reales prædiales redimibiles, neceſſe fuit ut Pontifices ſummi poſt maturam diſcuſſionem præfatos cenſus probarent? 5. Opinio cenſus perſonalis ianuam occludit petentibus mutuum gratuitum. Quoniam mutuatores reponere valent: Si indiges, cum induſtrius ſis, ſuſcipe ſuper induſtriam tuam frugiferam onus pendendi penſiones moderatas annuas. 6. Hæc opinio ianuam aperit ad innumeras uſuras palliandas. 7. Occaſio eſt immoderati fenoris: quia prætextu quod fundus penſionum ſit incertus, acceſſiones ultra præſcriptum legis augebunt homines lucri avidi. 8. Ex hac opinione anſam arripiunt homines debita contrahendi ingentia ad luxum, & pompas fovendas.

IX. Hæc ſunt abſurda quæ fuſo calamo deſcribit Navarrus, eaque perſtringit Ludovicus Lopez *de contract. Lib. I. cap.* LIV. ubi rationes ipſe promit quæ uſurarium talem cenſum evincunt. Inter alias hæc una eſt. Qui emunt poſſeſſiones, & animalia ab iis qui eiſdem carent, & eadem fictis iſtis venditoribus locant pro annuis penſionibus, manifeſti feneratores habentur; ut communiter docent omnes. Cur? Quia reipſa non conſiſtunt fundi, nec animalia. Quid hoc impedit? Emptor emit ius ad percipiendas penſiones annuas. Apage nugas. Ius iſtud chimæricum eſt, dum bona immobilia non extant. Ergo eadem ratione fenerator ille eſt qui, nullis extantibus bonis immobilibus, & frugiferis quæ cenſui ſubiiciantur, emit ius fundatum in ſola capacitate perſonæ ad bona acquirenda. Nec eſt quod reponas, adeſſe fundum induſtriæ ad lucrum, in quo cenſus fundatur: quoniam adeſt quoque induſtria ad fundos, ad agros, ad animalia comparanda; & tamen, dum hæc non extant, qui fundat ſuper iiſdem cenſum, fenerator eſt. Ergo ſimiliter uſurarius eſt fundator cenſus perſonalis.

X. Altera cavillatio qua fucare cenſum perſonalem perpetuum, & ex parte emptoris irredimibilem ſolent, explodenda ultimo loco eſt. Uſura, inquiunt, ſine mutuo conſiſtere nequit: neque mutuum ſine obligatione reſtituendæ ſortis ad nutum creditoris. In cenſu perſonali irredimibili non eſt obligatus debitor ad ſortis reſtitutionem; nec repetere illam emptor poteſt. Ergo in hoc cenſu mutuum non adeſt, atque adeo neque uſura.

XI. Reſpondetur, vanum hoc eſſe ſophiſma, iam *ſuperiori diſſ.* labefactatum. Uſuram tum committi demonſtravi, cum ex pecunia ſuapte natura ſterili, & uſu conſumptibili, acceſſio præter ſortem exigitur, nullo fundo frugifero empto. Quoniam tum nullus adeſt titulus acceſſionis exigendæ. Utique naturæ mutui inſitum ius eſt repetendi ſortis reſtitutionem; & mutuatarius onere eamdem redden-

dendi ad arbitrium creditoris obſtringitur. Verum ſi homines avari, & feneratores pactum adiiciant mutuum in perpetuum protrahendi, & uſuras in perpetuum multiplicent, augetur, non evitatur uſuræ crimen. Iuniores noſtri, ut ſupra *loc. cit.* vidimus, commenti ſunt, mutuatorem poſſe acceſſionem exigere ob obligationem ſibi impoſitam mutui non repetendi. Sed hanc opinionem ut uſurariam exploſi. Igitur hæc conditio non repetendi ſortem non deſtruit mutui naturam; cum adeſſe, vel abeſſe poſſit ex contrahentium voluntate. Hæc facultas adempta emptori cenſus perſonalis repetendi capitale pecuniarium conditionata eſt; videlicet, quoad cenſuarius ſolverit penſiones, cenſuiſta ad redimendum cenſum, ſeu ad reſtitutionem ſortis non coget debitorem. Verum continuo ac iſte ſolvere vel ex impotentia, vel ex malitia penſiones omittit, creditor invadit & perſonam, & bona debitoris. Ergo cenſus iſte verum mutuum eſt. Quandoquidem ad naturam mutui ſat eſt quod per ſe reſtitui ſors debeat. Pactio adiecta eam non repetendi, neque debitorem adſtringendi ad eam reddendam, uſquedum penſiones ſolverit, non deſtruit mutui naturam; cum reipſa ſemper & in perpetuum onus maneat reſtituendi ſortem; & reipſa ſimul atque cenſuarius non ſolvit penſiones, capitale auſertur debitori, eiuſque bona, ſi adſint, invadit creditor pro penſionibus non ſolutis.

XII. Tandem non modo rationes a iure naturali arceſſitæ evincunt uſuram cenſus perſonalis, verum etiam graviorum Theologorum communis conſenſus. Martinus Navarrus *loc. cit.* pro hac noſtra ſententia citat *Innocentium*, *Hoſtienſem*, *Ioannem Andream*, *Ancharanum*, *Cardinalem Zabarellam*, *Antonium de Butrio*, *Ioannem de Anania C. Civitate de uſur. Panormitanum in diſput.* V. *col. pen. Summam Angelicam verb. Uſur.* §. 78. *Bartholomæum Caſſaneum in Catalog. part.* XII. *conſiderat.* 99. *Laurentium de Rodulphis cap. Conſuluit. de uſur. II. Part. quæſt.* XII. *S. Antoninum II. Part. tit.* 1. *cap.* VIII. deinde concludit, *& fere omnes*.

XIII. Præter citatos a Navarro hanc ſententiam defendunt Sylveſter *verb.* Uſur. 2. *quæſt.* XII. Ludovicus Molina *diſput.* CCCLXXXVII. Gregorius Lopez *in reg.* XXVIII. *tit.* VIII. *part.* V. Rebellus *II. Part. Lib. X. quæſt.* III. Guittierez *II. Part. qq. pract. quæſt.* CLXXVIII. *num.* 7. Villalobos *tract.* XXIII. *difficult.* 2. *num.* 3. Petrus Tapia *Lib. V. quæſt.* XVIII. Ludovicus Lopez *Lib. I. de contract. quæſt.* LIV. Cardinalis de Lugo *diſp.* XXVII. *ſect.* 2. §. 1. qui citat *Alvarum*, *Valaſcum*, *Laſſertam*, *Sarmientum*, *Emanuelem*, *Vegam*, *Mirandam*. Denique opinionem Valentiæ, Leſſii, Haunoldi, Laymani, Schmalzgrueber, Pichleri, Sporerii, Tamburini, & aliorum, propugnantium cenſum perſonalem utrimque redimibilem, confutant Henricus a S. Ignatio *Lib. IX. cap.* LXXVIII. Dominicus Soto *loc. cit.* Covarruvias, Sylvius, Carolus Billuart, qui allegat auctoritatem Univerſitatis Lovanienſis.

Digitized by Google

§. V.

S. Pius V. damnavit cenſum perſonalem: Commenta plurimorum adverſus conſtitutionem Pianam penitus labefactantur.

I. BENEDICTUS XIV. feliciter regnans in ſuo doctiſſimo opere *de Synodo* anno 1748. typis edito *Lib. VII. cap.* XLVIII. *num.* 5. relatis argumentis adverſus cenſum perſonalem, hæc ſapientiſſime de more ſcribit. *Sed ſuperfluum eſt cenſum perſonalem novis argumentis inſectari, quem iam proſcripſit S. Pius V. in laudat. conſtitut.* Cum onus: *ubi ad cenſus honeſtatem inter ceteras conditiones hanc quoque requirit, ut cenſus conſtituatur in re fructifera, non qualicumque, ſed immobili, certa, ac nominatim deſignata.*

II. P. Leonardus Leſſius, quem poſteriores iuniores ſecuti ſunt, *loc. cit. num.* 99. reſpondet, conſtitutionem S. Pii V. non eſſe receptam in Belgio. *Idem credo* (inquit) *de Gallia, & Germania. Addo nec in regno Siciliæ vim habere.* Perdocte. Bulla S. Pii V. *de cenſibus* non eſt uſu recepta. Bulla S. Pii V. *de cambiis* non eſt uſu recepta. Bulla Sixti V. adverſus *contractum trinum* non eſt uſu recepta. Bulla Gregorii XIII. adverſus propoſitiones Baianas eſt ne uſu recepta in Belgio? Bulla Innocentii X. adverſus Ianſenium eſt ne uſu recepta in Belgio? Bulla Clementis XI. adverſus propoſitiones Queſnellianas eſt ne uſu recepta in Belgio? Dubio procul. Cur non primæ adverſus uſuram contractuum? Quia homines cupidi, avari, feneratores in vetuſta fenerandi conſuetudine perſtitere? Quæ eſſe diſputatio cum illis poteſt qui Romanæ Sedis definitiones ſuſcipiunt, vel reiiciunt, prout diverſæ rerum poſtulant rationes?

III. P. Paulus Comitolus, præclarus S. I. Theologus, P. Leſſio ſuppar *Lib. III. Reſponſ. moral. quæſt.* XXVII. proponit hanc quæſtionem: *Utrum conſtitutio Pii V. de cenſibus obliget omnes?* Duplici in ſenſu hanc ille quæſtionem diſpicit. Primo, utrum hæc conſtitutio poſſit aſtringere omnem chriſtianum orbem; & utrum revera nunc adſtringat. *Utroque modo* (inquit) *a nobis explicari debet.* Primam partem affirmativam ſeptem rationibus evincit. De altera parte hæc inter alia ſcribit. *Quis exiſtimare poſſet omnes chriſtiani Imperii provincias, ac regna non teneri hac lege? . . . Verum mihi minime dubium eſt vim habere conſtitutionem in omnibus regnis ac provinciis: id quod non obſcure declarant verba illa eiuſdem conſtitutionis,* Volumus autem &c.

Accedit hæc firmiſſima ratio. Pontifex perniciosis cenſibus neceſſaria lege potuit un-

Digitized by Google

mederi, debuit, & voluit: debuit, potuit, ac voluit in omnibus locis mederi. Quare maxime generalem hanc legem eſſe oportuit: alioquin omnium chriſtianarum nationum, & ſuæ item ſaluti Romanus Pontifex non valde prudenter conſuluiſſet, cum non ſuſtulit illud malum ex omnibus provinciis orbis chriſtiani, quod æqua ſanctione tollere poterat, ac debebat.

IV. Ad incitas redigere iuniores noſtros parumper lubet. Ac primum, quodnam iſtius non acceptationis argumentum produnt? Quod non ſit promulgata in ſingulis provinciis. Bullæ ergo pontificiæ quæ fidei, vel morum puncta definiunt, pendent ab huius, vel illius provinciæ conſenſu? Finge falſam hypotheſim, Bullam a conſenſu pendere provinciæ. Quænam provincia, quodnam regnum examen, iuris forma ſervata, inſtituit, ſit ne acceptanda, an ſecus Piana Bulla? Nullum omnino. Cur ergo non acceptata? Quia homines cupidi, avari, feneratores ſuos fictitios cenſus, & uſuraria cambia continuarunt. At hac ratione nec Decalogus, nec Evangelium acceptatum dicetur; cum maior pars hominum illud tranſgrediatur. Cur ergo non acceptata Bulla hæc? Quia aliqui Theologi, videntes populum maiori ex parte cenſus perſonales, contractus trinos exercentem, poſt Bullam, non ſecus ac antea, zelo illum præſervandi ab uſuræ flagitio ſcribere cœperunt: *Bulla non eſt uſu recepta*. Ceteri vulgares Caſuiſtæ proletarii, currentes velut oves & aves poſt primos, ſicuti reipſa recentiores qui ſtant pro cenſu perſonali, clauſis oculis veſtigia prementes P. Leſſii, continuarunt ſcribere, *Bullam non eſſe uſu receptam*. En non acceptationis reſeratum arcanum. Eſt enim axioma probabiliſticum, legem ipſam divinam in controverſiam adductam, & dubiam diſputationibus effectam, non eſſe ſatis promulgatam; atque adeo non obſtringere fideles. Vera hæc? Veriſſima. Conſule quæ ſcripſi contra Probabiliſmi commentum. Totum ergo arcanum non acceptationis recidit & in mercatorum praxim, & in Caſuiſtarum nonnullorum interpretationem, qua evulgarunt, Bullam non eſſe uſu receptam. Mercatores quippe, ceterique homines, qui contractus feneratitios, & negotiationem exercent, Bullas penitus ignorant; & omne aliud, præter acceptationem, aut non acceptationem in mente habent. Et ſi Theologi, ſi Confeſſarii urgerent Bullæ obſervantiam, Bulla forte uſu recepta eſſet. Si Theologi plures adverſus homines Bullæ pontificiæ violatores, imitarentur celebrem Ieſuitam *P. Paulum Comitolum* Antiprobabiliſtam, non tam impune graſſarentur uſurarum immania ſcelera. Quodnam imitationis exemplum præbet? Audi illum *cit. Lib. III. quæſt.* XXVII. *num.* 5. ſcribentem. *Quærent enim arbitri ſacrarum confeſſionum: Quid igitur nobis cum iis agendum erit . . . qui ex cenſibus, qui ad præſcriptam rationem conſtitutionis non ſunt facti, nec celebrantur, fructus percipiunt? Quid item cum DOMINIS provinciarum?*

EGO

EGO id agerem. Dominos provinciarum, niſi vellent accipere PIAM conſtitutionem, NON ABSOLVEREM. Ceteris, ſi quid poſt auditam legem Pii V. per fraudem ac dolum contrahendo cenſu commiſerint, pronuntiarem inane eſſe quidquid fecerunt: contractum fuiſſe nullum; ac propterea nullum iis ius fuiſſe percipiendarum penſionum: ita neceſſariæ reſtitutioni eſſe obnoxios.

V. Quid? Dominos provinciarum reſiſtentes Pii V. conſtitutioni, non abſolveres? Abeundum ergo ab aula? Exulandum a patria? Magnatum, Principum, ſupremarumque poteſtatum favor, patrocinium, populorum aura, & omnia quæ mundi ſunt, contemnenda? Scilicet, reponit non modo laudatus P. Comitolus, ſed Evangelium Chriſti. Felix chriſtiana Theologia, ſi hoc pacto ſe gererent viri doctores, & ſacri conſcientiarum arbitri. Alii mores, ſanctior diſciplina.

VI. Sed oppoſitiones iuniorum perſequamur. Conditiones quæ præſcribuntur in Bulla, præſumptione nituntur fraudum, & uſurarum; ſuntque quid iuris poſitivi. Quare videndum quid ius naturale, quid ius divinum præſcribant. Quinam legitimi iudices ſic exponendi Bullas pontificias? Univerſus provinciæ, aut regni clerus in unum ad hoc congregatus? Minime; ſed nonnulli Moraliſtæ, qui tribunal erigunt in pontificias leges. His ſimilibus effugiis Baianiſtæ, & Ianſeniſtæ pontificias Bullas eludere ſtudent. Detorquent Eccleſiæ ſanctiones ad quæſtiones meri facti, aut facti connexi, vel ſeparati a iure, & innumeras, atque interminabiles ſuſcitant controverſias. Quid quod hoc interpretandi genus anſam Lutheranis, & Calvinianis porrigit exprobrandi, etiam apud nos quemquam ſuo privato ſenſui indulgere; easque Eccleſiæ leges profundo obſequio ſuſcipere quæ proprio ſapiunt palato; eas vero quæ ſibi non arrident, reiicere, & nauci facere? Quæ monſtroſa abſurda omnes Catholici deteſtantur.

VII. Porro, ut evincam quam ſit paucorum iuniorum interpretamentum in Pianam conſtitutionem falſum, & (pace illorum dixerim) ſcandali plenum, ab iis quæro: quid de cenſibus diſputabant Theologi ante Martini V. Calixti III. & S. Pii V. conſtitutiones? Non aliud ſane niſi, eſſent ne, attento naturali, divinoque iure, feneratitii cenſus eiuſmodi? Quid definierunt Pontifices ſummi? Ad declinandum uſuræ crimen ſtatuerunt neceſſum eſſe ut cenſus conſtituantur in fundo immobili, & frugifero. Hæc determinatio ſpectat ipſum ius naturale, & divinum, atque ipſum capitale punctum controverſiæ, quæ in utramque partem diſputabatur. Quid ergo obtrudunt iuniores, conſtitutionem Pianam præſumptione niti fraudum, & uſurarum, atque in ſolo exteriori foro obligare? Lepidius eſt quod ſubdunt alii, præcipere utique Pontifices cenſus conſtituendos eſſe in fundo frugifero, & immobili; at non prohibere oppoſitum. Mirifica ſane interpretatio. Qui præcipit actum iuſtitiæ, non vetat iniuſtitiæ crimen? Interpretamentum iſtud vel ipſi adverſarii communiter explodunt. Communiter ſiquidem fatentur, conſtitutionem S. Pii

Digitized by Google

V. damnare cenſus perſonales, uſuramque illos committere qui, ubi recepta conſtitutio eſt, ſimiles cenſus contrahunt. Quare ad aſylum non acceptationis ſe ſe recipiunt. Verum & ab hoc aſylo illos penitus expulimus. Et iterum addo: contra ius naturale, & divinum nulla oppoſita prævalere conſuetudo poteſt. Clauſula quæ præcipit ſupponendum eſſe cenſui fundum immobilem, & frugiferum, ius naturale ſpectat, ipſamque contractus ſubſtantiam. Hanc clauſulam præſcribunt quatuor Romani Pontifices, Martinus V. Nicolaus V. Callixtus III. Pius V. Numquam diſputatum fuit inter Theologos ante Pianam conſtitutionem, eſſet ne humani tantum iuris præfata clauſula; ſed utrum, illa ſublata, eſſet uſurarius cenſus. Uſurarium declaravit Pontifex conditione hac deficiente. Ergo evidens eſt iuniorum commentum eſſe inane, & chimæricum.

VIII. Paucis omnia perſtringo. Si rationes cum rationibus conferantur, quæ ſtant pro cenſu perſonali, levioris, ne dicam nullius, ſunt ponderis. Si auctoritates Theologorum, & Canoniſtarum cum Auctoribus comparentur, fatetur vel ipſe P. Leonardus Leſſius, nedum Navarrus, & ceteri, noſtram ſententiam eſſe communem. Fac omnia eſſe æqualia. Pontifices ſummi damnant cenſum perſonalem. Finge, quod prorſus nego, prohibitionem eſſe iuris poſitivi. Quid inde? An leges quæ vetant aliquem contractum ob uſuræ ſpeciem, ob pericula graviſſima fraudum, oppreſſionum, & uſurarum, non obligant ubique gentium? An obligatio vitandi gravia pericula, & occaſionem ſcandali non eſt & naturalis, & divini iuris? An non obſtringit provincias chriſtianas omnes? An in re omnium graviſſima quæ impotentem hominum cupiditatem avaritiamque ſpectat, quorumdam iuniorum ratiunculis, vaniſque interpretamentis adhærendum, neglectis graviorum Theologorum, & ſummorum Pontificum ſanctionibus? Tu, lector fidelis, in memoriam revoca *conſilium Ioannis Dominici PERI* mercatoris, nempe pontificias conſtitutiones ſummo obſequio, ſublatis cavillationibus, ſuſcipiendas eſſe. Si ab hac regula declinaveris, in uſurarum anfractus impinges.

IX. Firmum itaque certumque maneat, cenſum perſonalem, ſive utrimque redimibilem, ſive irredimibilem, ſive quocumque modo conceptum, feneratitium eſſe. Evidentius quidem ſe prodit uſura in cenſu perſonali utrimque redimibili; at non propterea probabilis aliquo modo opinio remanet de cenſu perſonali irredimibili. Cenſus perſonalis proſcriptus eſt a S. Pio V. fatentibus ipſis eiuſdem cenſus patronis. Opinio autem ab Eccleſia proſcripta omni caret probabilitate, etiamſi mille Probabiliſtas patronos haberet. Quid quod vel ipſi adverſarii teſtantur, cenſum hunc perſonalem, quem fucis Probabiliſmi delinire fatagunt, uſuræ ſuſpicione laborare, uſurarum, & avaritiæ periculis obnoxium eſſe? Opinio quæ hunc cenſum propugnat, nova eſt, a paucis recentioribus excogitata, quam Chriſtiani ignorant, quam ſenſus communis reiicit. Nullus dubito quin nullius tibi auctori-

ta-

tatis in hac cauſſa futuri ſint patroni cenſus perſonalis, ſi animum intenderis in ſophiſticam eorumdem diſputandi rationem. Primo, ut alias monui, clauſulis, & conditionibus ornant hunc cenſum, ut probabilem aliquo modo illum exhibeant. Poſt, omnibus conditionibus exutum, in concavo cuiuſdam generalis intentionis virtualis illum collocant. Ne multa. Sola univerſali intentione lucrandi eo modo quo viri pii, & docti docent licere, ſenora honeſtantur. Hæc ne probabilia, etiamſi mille Probabiliſtarum ſuffragiis fulcirentur?

CAPUT XI.

Conditiones quas pro cenſibus celebrandis præſcripſerunt ſummi Pontifices Martinus V. Callixtus III. S. Pius V.

I. DUas conſtitutiones edidere Martinus V. & Calixtus III. quæ inter extravagantes recenſentur, in quibus pro cenſibus rite celebrandis octo præſcribuntur conditiones. 1. Qui cenſum vendit, fundum, nempe domum, aut poſſeſſiones, aſſignare debet, ſuper quibus cenſus conſtituatur. 2. Solus fundus ſubiectus cenſui, manere debet penſioni obligatus, non perſona, nec cetera eius bona; ubi excluditur cenſus perſonalis. 3. Pretium iuſtum ſit. 4. Emptio non fiat pecunia credita, ſed numerata. 5. Venditor cenſus valeat ad libitum redimere aut in totum, aut in partem, prout ei placuerit. 6. Emptor non cogat venditorem ad cenſum redimendum. 7. Si fundus ſubiectus cenſui, perit, abſque culpa cenſuarii, pereat cenſus. 8. Fundus tantum ut minus fructificet, quanti æſtimatur penſio ſolvenda. Iuniores contendunt, has duas extravagantes probare quidem cenſus his conditionibus præditos; ſecus præcipere ut eædem ſerventur.

II. Nicolaus V. alteram edidit Bullam, quæ quatuor præſcribit conditiones in cenſibus conſtituendis ſervandas. 1. Quod cenſus ſuper re immobili certa conſtituatur: ad cuius ſecuritatem obligari generaliter alia bona poſſunt ad [tollendas fraudes, ne videlicet ſi fundus ſubiectus cenſui, eſſet alio onere gravatus], deceptus remaneret emptor. 2. Pactum adiiciatur de retrovendendo eodem pretio. 3. Penſio non excedat decem in 100. 4. Pro ſecuritate, pœnæ, & pacta iuſta adiici valent.

III. Conſtitutio S. Pii V. pro cenſuum iuſtitia eſt omnium celeberrima, quam integram ſupra dedi. Ad duodecim revocantur conditiones in eadem præſcriptæ, quarum plures in aliis tribus extravagantibus Bullis, quas indicavi, continentur. 1. Cenſus conſtituendus eſt ſupra fundo immobili, & natura ſua frugifero: qua con-

conditione improbatur cenſus perſonalis, ut fatentur omnes. 2. Pretium cenſus ſolvatur numerata pecunia coram teſtibus, & notario. Hac conditione excluduntur cenſus quorum pretium ſolvitur debitis cenſuarii. Eludunt hanc conditionem cenſuiſtæ emptores hoc pacto. Pecuniam cenſuario dant, pacto adiecto, ut eo ipſo tempore reſtituatur in ſolutionem debiti. 3. Prohibet anticipatam penſionum ſolutionem, aut id in pactum deduci. 4. Vetat pacta quæ obligent ad caſus fortuitos eos qui ex natura contractus non tenentur. 5. Poteſtatem reſervatam vult cenſuario vendendi, & alienandi fundum ſubiectum cenſui. 6. Reſcindit, & irrita declarat omnia pacta quæ obſtringunt debitorem moroſum ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad cambium, ſeu certas expenſas, aut certa ſalaria. 7. Cenſus non augeatur ex penſionibus non ſolutis. 8. Nulla onera ſolvantur quæ vi contractus non debentur. 9. Si fundus perit vel in totum, vel in partem, cenſus aut extinguatur, aut minuatur pro rata fundi deperditi. 10. Facultatem cenſuarius habeat redimendi cenſum ſuum eodem quo vendidit pretio, quoties voluerit, non obſtantibus pactis contrariis initis. 11. Teneatur cenſuarius, quando redimere cenſum velit, bimeſtri ante denuntiare id cenſuiſtæ. 12. Pretium cenſus ſemel conſtitutum non augeatur, vel minuatur.

CAPUT XII.

Animadverſiones in conditiones præſcriptas a S. Pii V. conſtitutione.

I. *Animadverſio prima.* Cenſus contractus invecti fuere circiter ſæculum XIV. Quatuordecim ſæculis chriſtiana Reſpublica vixit ſine cenſibus. Iidem homines tunc ac in præſens, eadem commercia, eædem negotiationes, eædem egeſtates, penuriæ, divitiæ, paupertates; & tamen abſque cenſuum ſubſidio civile conſtitit regimen. Quid quod ipſi Romano Imperio cenſuales contractus ignoti fuere; cum nullum extet in univerſo civilis iuris corpore eorumdem veſtigium? Quatuor Romani Pontifices, ut ab uſuræ labe, quam continuo ac invecti fuere, cenſus iſti præferebant graviſſimis Theologis, immunes præſervarent, quatuor edidere Bullas, quæ, ſi rei ſubſtantiam ſpectes, eodem pertinent; & ultima S. Pii V. confirmat anteriores, novis adiectis præſidiis. Primis Bullis, editis a Martino V. a Nicolao V. a Calixto III. obſtitere homines cupidi & avari, ut in exordio hæ conſtitutionis narrat S. Pius V. his verbis. *Nedum non continentur intra limites a noſtris Anteceſſoribus eiſdem contractibus ſtatutos; verum etiam, quod deterius eſt, contrariis omnino pactionibus, propter ardentem avaritiæ ſtimulum, legum etiam di-*

divinarum manifeſtum contemptum præſeferunt. Quapropter, ſubdit Pontifex ſanctus, *non potuimus animarum, prout tenemur, ſaluti conſulentes, & piarum mentium petitionibus etiam ſatisfacientes, tam gravi morbo, letiferoque veneno ſalutari antidoto non mederi*.

II. *Animadverſio ſecunda* acerbi doloris materia eſt. Homines avaritiæ ſiti æſtuantes, non modo non ſe continuere intra limites conſtitutos a Martino V. a Nicolao V. a Calixto III. verum etiam novis pactinnibus uſuram occultabant. Quid quod mala quæ S. Pius V. deplorat accidiſſe Bullis ſuorum anteceſſorum Pontificum, eadem, immo longe maiora Bullæ eiuſdem, quamvis ſeverioribus munita conditionibus, contigerunt? Non modo homines propter ardentem avaritiæ ſitim, quæ in cenſibus conſtituendis S. Pius V. præſcripſit, tranſgreſſi ſunt; ſed Theologi ipſi non pauci, quorum eſt Romanæ Cathedræ ſanctiones ſartas tectas cuſtodire, & a vanis commentis aſſerere, novas invexere pactiones, novos *cenſus perſonales*, *implicitos*, *contractus innominatos*, aliaſque contrahendi chimæricas formas ad *Burſam Antverpienſem* propugnandam excogitarunt. Non Scripturarum teſtimonia, non Patrum documenta, non ſummorum Pontificum leges humanæ cupiditatis ſagaciſſima interpretamenta coercere intra æquitatis confinia valent. Hæc ſola animadverſio excitare pium, prudentemque lectorem debet ad quorumdam deteſtanda commenta.

III. *Animadverſio tertia* ſpiritum, & ſubſtantiam Bullæ ſpectat. Hæc, ut fatentur omnes, præcipiens eſt, immo addo, iuris naturalis, & divini declarativa. Perpendenda magnopere ſunt hæc Bullæ verba, quibus, poſt præſcriptas conditiones in cenſibus ſervandas, Pontifex ſummus concludit. *Contractuſque ſub alia forma poſthac celebrandos, feneratitios IUDICAMUS*. An hæc ſola verba penitus non labefactant commenta iuniorum, qui aſſerere non erubeſcunt, Bullam Pianam non eſſe uſu receptam? *Iudicium* Pontificis ex Cathedra loquentis, & trium Anteceſſorum præſidio firmatum, non eſt uſu receptum? Non modo ergo Pontifex prohibet cenſus ſub alia forma celebratos, ſed eoſdem *feneratitios indicat*.

IV. *Animadverſio quarta*. Conditiones in hac Bulla præſcriptæ, diverſi ſunt generis, & obligationis. Quædam ſunt quæ ius naturale, & divinum declarant: quædam ſunt adiectæ ad præcavenda pericula uſurarum, & fraudum: & hæ abſolute obſtringunt omnes, neque ab hominum acceptatione pendent. Quædam ſunt quæ nihil horum continent; ſed modum dumtaxat rationabilem, honeſtumque præſcribunt. Eiuſmodi ſunt quæ prælationem adiudicant cenſuario in emptione rei cenſui ſubiectæ. Item denuntiatio, quam redempturus cenſum facere ante bimeſtre debet creditori. Item quod denuntiator, velit, nolit, teneatur poſt denuntiationem infra annum cenſum redimere. Conditiones iuris naturalis, & divini declaratoriæ ſunt quæ iubent ut cenſus conſtituatur in re natura ſua fruge-

fe-

ſera, & non ſecus; cum contra naturam ſit rem ſterilem parere. Cenſus autem partus, ſeu fructus eſt, qui a re infrugifera produci nequit. Ad hæc quoque iura pertinet altera conditio, quod cenſus non conſtituatur niſi ſuper fundo immobili. Res quippe mobilis abſque ſui vel in totum, vel in partem conſumptione reddere fructum nequit. Cenſus vero fructus eſt qui a re abſque ſui peremptione producitur. Heinc conſequitur neceſſario, cenſum perſonalem feneratitium eſſe. Quare clauſula illa, *contractuſque ſub alia forma poſthac celebrandos feneratitios iudicamus*, intelligenda eſt de cenſibus qui celebrantur non ſervatis his conditionibus, quæ iuris naturalis, & divini ſunt. Ad ius humanum pertinent aliæ conditiones, quod pretium ſolvatur pecunia numerata: item quod hoc fiat coram notario, & teſtibus. Pretium enim ſolvi poſſet merce, quæ æque ac pecunia utilis venditori eſſet. Neque teſtes abſolute, & coram Deo neceſſarii ſunt, quando pretium reipſa ſolvitur. Ad ius quoque humanum pertinere videtur quod penſiones anticipata ſolutione non reddantur; quod debita liquida & certa non poſſint in pretium cenſus computari, quando creditoris intereſt ſua exigere credita, & alia eiuſmodi.

V. *Animadverſio quinta*. Leges pontificiæ circa ea quæ periculum animæ, & ſpirituale æternæ ſalutis negotium ſpectant, ſervari ab omnibus Chriſtianis omnino debent; etiamſi non contineant immediate ius naturale, & divinum peculiare. Quamvis enim eiuſmodi leges, vel præcepta iuris humani abſolute ſint; tamen ipſum ius naturale, & divinum præcipit & cavenda animæ pericula, & in dubiis animæ iis parendum quos Deus conſtituit regere Eccleſiam ſuam. Quamobrem Pontifex ſummus tamquam feneratitios haberi vult cenſus qui in poſterum ſub diverſa ab illa quam ipſe præſcripſit, forma celebrabuntur. Quæ clauſula duplici in ſenſu intelligi poſſe videtur. Primo: cenſus non conſtituti in fundo frugifero, & immobili, ſemper fuerunt, eruntque feneratitii. Secundo: cenſus qui celebrantur poſt editam conſtitutionem Pianam abſque conditionibus quæ præcipiuntur in eadem ad evitanda uſuræ pericula, tamquam feneratitios vult illos Pontifex ſummus in poſterum iudicari; licet ante ſuam conſtitutionem tales non iudicarentur. Qui enim deliberate periculis perpetrandæ uſuræ ſe ſe exponunt, merito feneratores habendi ſunt. Aures itaque claude non paucis iunioribus, qui argutantes obſtrepunt: conditiones præſcriptæ in Bulla, ſunt iuris humani: ergo contraria abrogari Conſuetudine valent; & per non uſum aboleri. Aures, inquam, iſtis claude: quoniam ſi ius humanum per uſum contrarium aboleri poteſt; pericula tamen perpetrandi uſuras non abolentur per uſum exercendi cenſus qui ſpeciem uſuræ præferunt; ſed augentur, & multiplicantur.

VI. *Animadverſio ſexta*. Ex iis quæ diximus, collige, in claſſes tres tribui conditiones poſſe in Bulla contentas. In prima illæ collocantur quas diximus ad ius

na-

Digitized by Google

naturale, divinumque attinere. In ſecunda collocantur illæ quæ ius humanum continent, quæque præſcriptæ ſunt ad evitanda uſurarum pericula; ut ſunt illæ quæ iubent pretium ſolvi pecunia numerata; quæ anticipatas ſolutiones, conventionesque obligantes ad caſus fortuitos prohibent; quæ facultatem tribuunt cenſuario alienandi rem cenſui ſuppoſitam; quæ prohibent moroſum debitorem ad intereſſe lucri ceſſantis obligare (nota, prohiberi compenſationem lucri ceſſantis, ſecus damni emergentis) quæ declarant cenſum extingui, aut minui, perempto aut in totum, aut in partem ſundo cenſui ſubiecto. Quin conditio hæc ad ius naturale pertinere videtur. Hæ conditiones, & aliæ eiuſmodi ad ius humanum pertinere videntur. In tertia claſſe collocandæ illæ ſunt quæ veluti ad decorem, & honeſtatem civilis commercii reduci valent.

VII. *Animadverſio ſeptima*. Servandæ ne ſunt adamuſſim omnes conditiones iſtæ? In id ſane incumbendum ut lex tota diligenter, & ſincere obſervetur. Ceterum in unaquaque lege quæ plura complectitur, & quæ pluribus ſubiecta circumſtantiis eſt, ea primum ſervari debent omnino quæ vel ipſam rei ſubſtantiam ſpectant, vel eidem proxime, vel propius accedunt. Divitiarum cupiditas ſyrtis illa eſt ad quam maxima hominis pars allidit. Cenſuales contractus tanti ſunt momenti, & tanta uſurarum ſuſpicione laborant, ut quatuor ſummos Pontifices ſollicitarint ad quatuor edendas extravagantes conſtitutiones. Summa ergo cautione, ſumma vigilantia opus eſt in earumdem executione. Cavendum ne, ſicut S. Pius V. pronuntiavit, homines propter avaritiæ ſtimulum non obſervaviſſe antecesſorum Pontificum conſtitutiones, ita improperandum ſit, conſtitutionem Pianam non ſervari ob impotentem lucri, & uſurarum æſtum. S. Pius V. doctiores, probioreſque ſui temporis Theologos in conſilium adhibuit, antequam ſuam ederet conſtitutionem. Quare audacia non ferenda videtur, quod conſtitutio poſt tres alias conſtitutiones ſuper eodem argumento, poſt tot conſilia, poſt tot ſevera examina, poſt fuſas ad Deum preces edita, paucorum iuniorum diſtinctiunculis, & circuitionibus eludatur. Curandum igitur ut exacte, quoad fieri poteſt, in omnibus ſervetur. Si aliquæ poſtremæ claſſis conditiones neglectæ bona fide ſint; ea adhibenda prudentia eſt qua in cuiuſque humanæ legis obſervantia uti pii, doctique viri ſolent.

VIII. Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* IV. *punct.* 2. *§.* 1. referunt, Regem Philippum II. libellum ſupplicem porrexiſſe Pontifici ſummo Pio V. ut pro Hiſpania impetraret exemptionem a præfatæ conſtitutionis obſervatione. Imprudens eſſem, ſi negarem ſupplicationem factam fuiſſe. At iure nego, Pontificem ſummum ſupplicationem eiuſmodi probaſſe. Nec verbum pontificii reſponſi exhibent ſive Salmanticenſes, ſive alii Auctores, qui tale factum narrant. An Chriſtiani Hiſpani eximendi ſunt a præceptis quæ iuris naturalis, & divini ſunt; aut ab iis præce-

ptis

Digitized by Google

ſtis quæ pericula uſurarum, & fraudum vitanda iubent? Eiuſmodi autem ſunt omnia, præter paucas levioris momenti conditiones, quæ in præfata conſtitutione præſcribuntur. Quid? Pontifex ſummus, poſt tres conſtitutiones, ſupplicantibus piis viris, & conſultis graviſſimis Theologis, quartam ſolemnem edidit conſtitutionem pro univerſali Eccleſia; & continuo eamdem pro Hiſpania abrogavit? Quidni pro Gallia, pro Germania, pro Italia? Cur Hiſpania eximi ab hac conſtitutione debet, ſecus aliarum nationum Chriſtiani? An cenſus frequenter non celebrantur æque in quolibet regno, & provincia ac in Hiſpania? Hæc narratio ſimilis ei eſt qua dicitur, Sixtum V. vivæ vocis oraculo ſuam conſtitutionem adverſus contractum trinum retractaſſe. Hæc interpretamenta, ſeu narratiunculæ, ut mea minima præfert opinio, hæreticorum deriſioni exponunt Romanæ Sedis conſtitutiones. Quid? Solemniter Bullæ publicantur pro tota Eccleſia: & ſecreto hæc, aut illa natio ab illarum obſervantia eximitur? Eſt ne aliqua veriſimilitudo, S. Pium V. talia præſtitiſſe? Hæc ne credenda ſunt, nullo allato authentico documento?

CAPUT XIII.

Nonnullæ quæſtiunculæ de cenſibus reſolvuntur.

I. QUæſt. I. *Iure naturæ ſpectato, licitum ne pactum eſt quo obſtringitur cenſuarius ut redimat cenſum ad arbitrium emptoris?* Reſp. Cenſum eſſe redimibilem ad nutum venditoris, niſi perpetuus ſit, fatentur omnes. Diſputant dumtaxat, num obligari venditor poſſit ut redimat cenſum ad beneplacitum emptoris. Adfirmant Valentia 2. 2. *diſp.* V. *quæſt.* XXII. *punct.* 6. Leſſius *Lib. II. cap.* XXII. *dub.* 10. Caſtropalaus *tract.* XXXII. *diſp.* VI. *punct.* 24. Layman *Lib. III. tract.* IV. *cap.* XVIII. Hæc opinio laxa, & manifeſte falſa eſt, ſpectato ſolo naturæ iure. Ratio evidens eſt. Quoties tradis pecuniam, vel uſum cuiuſcumque rei conſumptibilis cum pacto ut tantumdem reſtituatur, uſura eſt, ſi acceſſiones præter ſortem exigas. Id autem in præſenti evenit. Siquidem emis cenſum mille aureorum pretio. Quinquaginta in annos ſingulos exigis. Cenſuarium cogis ut poſt triennium, aut ſexennium cenſum redimat eodem pretio, ſeu ut tibi reddat mille aureos, in ſortem non computatis annuis acceſſionibus, ſeu penſionibus. Quid amplius ad verum mutuum requiritur? E contrario res ſe habet, dum ex parte ſolius venditoris remanet facultas redimendi cenſum. Hæc enim facultas non tollit veram emptionis, & venditionis rationem: quia venditor poteſt numquam redimere cenſum: & ex parte illius ratio mutui nec haberi, nec timeri poteſt. Quare emptor vere emit, cum pretium traditum repetere nequeat. Hanc ſententiam com-

communiter defendunt Thomiſtæ. Dominicus Soto *Lib. VI. quæſt.* v. *art.* 3. *concl.* 1. Ludovicus Lopez *Lib. I. de contract. cap.* lvii. Tapia *Lib. V. quæſt.* xviii. *artic.* 2. *num.* 3. Prado *cap.* xxviii. *quæſt.* vi. *num.* 41. Salmanticenſes *tract.* xiv. *cap.* iv. *punct.* 2. §. 3. *num.* 4. Trullenchus *Lib. VII. cap.* xxi. *dub.* 6. Villaloboſius *tract.* xxiii. *diffic.* v. *num.* 2. Salonius *art.* 3. *de cenſib. controv.* xix. Aragonius 2. 2. *quæſt.* lxxviii. *art.* 4. *concl.* 4. Covarruvias iii. *qq. variar. cap.* ix. *num.* 4. Sylvius 2. 2. *quæſt.* lxxviii. *art.* 6. *quæſt.* 11. Carolus Billuart *diſſ.* v. *art.* 1. §. 3. & alii plures.

II. Quæſt. II. *Obligari ne venditor iuſte poteſt ut redimat cenſum eadem moneta in ſpecie qua emptus eſt?* Reſp. Si æquale ſit incrementi, & decrementi periculum, licitum pactum eſt: quoniam tunc eſt contractus aleæ: & ſicut commoda eſt emptori in redemptione talis pecunia aurea, vel argentea; ita fuit utilis venditori in venditione, ſive ad aſportationem, ſive ad negotiationem. Cavendum tamen ne fraus obrepat.

III. Quæſt. III. *Licitum ne pactum eſt quo obligetur venditor ut, ſi redimere cenſum velit, totum ſimul, & non per partes redimat?* Reſp. Duo Pontifices Martinus V. & Calixtus III. ut vidimus, ſtatuerunt ut venditor poſſet vel in totum, vel in partem cenſum redimere. S. Pius V. in ſua conſtitutione iſtius clauſulæ non meminit: quod argumento eſt, noluiſſe hunc Pontificem talem conditionem ſubſiſtere. Ex alia parte, ſi ius naturale ſpectetur, æquum eſt ut ſicuti emptor totam integram ſummam ſimul numeravit, ita totam ſimul recipiat. Accedit quod hæc redemptio per partes incommoda ſit emptori, & pernicioſa. Et hæc opinio communis eſt.

IV. Quæſt. IV. *Pereunte fundo ſuppoſito cenſui, perit ne cenſus iure naturæ?* Reſp. S. Pius V. ut vidimus, iam determinavit, pereunte ſive in totum, ſive in partem fundo ſubiecto cenſui, extingui cenſum ipſum. Salmanticenſes *tract.* xiv. *cap.* iv. *punct.* 2. §. 4. hanc verſantes quæſtionem, negantem opinionem defendunt, ſpectato naturæ iure. Quoniam, inquiunt, fundi non ſupponuntur cenſui, ut ex iiſdem penſiones ſolvantur, ſed ut ipſa ſolutio ſecurior ſit. Immo, inquiunt, ſupponuntur ut pignus, & hypotheca, non ut fundamentum cenſus. Sed etiamſi pignora pereant, aut hypotheca, non ceſſat obligatio. Hæc ipſi totidem fere verbis. Dum hæretici uſurarum patroni hæc legunt, iure arguunt, licitam eſſe uſuram, ſi eiuſmodi cenſus legitimi ſint. Quid enim, niſi verum mutuum, pignore adiecto munitum, ſunt cenſus iſti? Non ſupponuntur fundi cenſibus, ut inde ſolvantur penſiones. Quid ergo emit cenſuiſta? Nihil. Aut ſi quid emit, acceſſiones ſupra ſortem emit. Fictitii ſunt cenſus iſti, & pallia uſurarum. Uſuræ iſtæ ſunt præ ceteris crudeliores, quod pignus etiam poſtulent. Sed inſiſtunt Salmanticenſes, frequenter ſic inſtitui cenſus in Hiſpania. Et ego ſubdo in Italia, in Germania, in Gallia, & alibi. Quid inde? Avaritia, adulterium, uſu-

ræ,

Digitized by Google

ræ, & cetera vitia ubique plus & minus graſſantur: ergo licita? Hanc opinionem reiicimus ut manifeſte falſam, & aperte uſuris faventem: eamque improbant vel ipſi Leſſius, Valentia, Toletus, Rebellus, Molina, & alii. Cenſus enim eiuſmodi eſt purum putumque mutuum; ut cuique rem ſerio perpendenti conſtare poteſt.

V. Quæſt. V. *Licitus ne cenſus eſt cui ampliores fundi, parte non deſignata, ſubiiciuntur?* Reſp. S. Pius V. ad uſurarum pericula, & fraudes tollendas præcipit ut determinata fundi pars ſubiicienda cenſui deſignetur. Iuſtum prudenſque mandatum eſt; cum ex eius omiſſione plures oriri lites ſoleant, & fictitii cenſus. Si ius naturæ ſpectetur, deſignatio non eſt neceſſaria. Sed iure Pontifex ſummus deſignationem præcipit ad tollendas fraudes, & iniuſtitias quæ ex omiſſione deſignationis oriri ſolent. Nam ſi pars fundi, puta domus, aut prædii, perit, pro rata perire debet emptori cenſus, ſpectato etiam naturali, nedum poſitivo iure. Si enim totum prædium, aut tota domus ſupponitur cenſui; obligatio comprehendit totum prædium, vel totam domum. Ergo ſi totus fundus, aut pars eiuſdem perit, totus, aut pars quoque cenſus pereat neceſſe eſt. Nonne pars, tametſi indefinita, illius fundi amplioris, ſubiecta cenſui, gravata eſt cenſus onere? Ergo pro rata perire debet cenſus emptori. Alioquin, attento ſolo naturæ iure, nedum iure pontificio, iniuſte gravaretur cenſus venditor, ſi eidem ſoli perire totus fundus, cuius pars cenſui ſuppoſita eſt, deberet. Neque paritas de emphyteuſi, quam obtrudere adverſarii ſolent, quidquam officit. Axioma eſt: *Niſi res pereat tota, non liberatur emphyteuta*. Fundus in emphyteuſim traditur cum exiguæ penſionis onere proprietario ſolvendæ. Porro emphyteuta, non pro fructuum rata, ſed in teſtimonium directi dominii penſionem ſolvit. At cenſuarius ſolvit penſionem iuxta proportionem fructuum, quos pars fundi cenſui ſubiecta parere ſolet.

VI. Nonne in aſſecurationem fundi ſubiecti cenſui, ſubſtitui omnia bona venditoris, omneſque eiuſdem actiones tum præſentes, tum futuræ ſolent? In quolibet cenſus inſtrumento eiuſmodi cautiones adiiciuntur ad fundi ſuppoſiti cenſui ſecuritatem. Verum habet. Sed eiuſmodi cautiones, ſeu hypothecæ ſolum ſecurum reddunt fundum ab evictione; nempe, ſi fundus eſſet alio cenſu gravatus, fideicommiſſo eſſet ſubiectus, vel aliquo alio debito onuſtus, tum cetera venditoris bona ſupplere deberent. Ceterum numquam illa clauſula, *obligatio omnium bonorum* &c. eo pertinet ut ſi domus incendio pereat, aut prædium fluvio abſorbeatur, teneatur venditor ex aliis bonis penſiones ſolvere. Sed quia hæc perquam raro accidunt, ideo a fuſiori explicatione abſtineo.

VII. Quæſt. VI. *Licitus ne eſt cenſus vitalitius?* Reſp. Contractus iſte hoc celebrari pacto ſolet. Do tibi centum aureos, ut quoad vixero ego, vel tu, vel Paulus,

lus, vel nepos &c. ſolvas mihi ſex, vel octo &c. quotannis. Non deſunt qui hunc contractum damnent, veluti proſcriptum a S. Pio V. Verum nulla in iſtius Pontificis conſtitutione mentio eſt talis contractus. Damnatur utique in eadem cenſus perſonalis, in perſonæ induſtria conſtitutus; at de cenſu vitalitio nec vola ibidem apparet. Quare communiter Theologi hunc cenſum abſolute probant, præciſis fraudibus, & dolis. Eſt enim contractus aleæ, & meræ ſortis, in quo æquale periculum eſt pro utraque parte. Non ergo fundatur cenſus iſte in iure ad percipiendos fructus ſalvo capitali, ſicuti cenſus perſonalis; ſed in contractu ſortis, vi cuius partes æqualiter ſe exponunt periculo damni, & lucri. Licitus eſt cenſus iſte, etiamſi fundetur in prædio: e. g. Do tibi centum aureos, ut ſolvas mihi ex tuo prædio fructus, donec vixeris: quoniam tunc deſignatio prædii eſt in aſſecurationem contractus ſortis.

VIII. Quæſt. VII. *Licitus ne eſt contractus vulgo dictus* A godere? Reſp. P. Diana *Tom. VI. tract.* 111. *reſol.* 30. ait, frequentiſſimum in Italia eſſe contractum iſtum; eumdemque ut iuſtum atque licitum defendit. Contractus iſte hoc pacto celebratur. Sempronius dat tibi ſuam domum, vel ſuum agrum; & tu eidem das pecunias tuas, quæ reſpondent valori domus, vel prædii, mutuo ſic paciſcentes: Tu utere pecunia mea; & ego utar domo, aut prædio tuo. Ego, quando voluero, repetam pecuniam meam; & tu fundum tuum. Vel tu quinquennio, aut decennio utere pecunia mea; & ego quinquennio, vel decennio utar fundo tuo. Honeſtare contractum hunc iuniores aliqui cum Diana contendunt larva venditionis, & emptionis, cum pacto retrovenditionis, & redemptionis. Sed eſt aperta circuitio, & mutui larva. Licitus utique eſt contractus venditionis cum pacto redemptionis, ſeu retrovenditionis in favorem venditoris. Pactum e contrario redemptionis in favorem emptoris, tradentis pecunias, ſemper eſt feneratitium, ut ſupra dixi. Siquidem ad contractum venditionis, & emptionis requiritur ut qui vendit, vere velit vendere; & qui emit, vere emere velit. In hoc contractu neque qui vendit, vere vendere vult; neque qui emit, vere vult emere. Sed qui pecunias tradit, ex mutuo vero contrahit; & qui rem utilem tradit, pignus fructiferum conſignat mutuatori. Nec ſe recipere ad contractum innominatum valent iuniores; cum contractum iſtum proprio nomine appellent *godere a godere*. Quoties itaque mutuator, ſeu qui tradit pecunias, ius ſibi reſervat ad eas repetendas, purum putumque mutui contractum celebrat. Et ideo ſi poſt perceptos fructus non computandos in ſortem, capitale exigit, uſuram perpetrat. Quare contractus iſte feneratitius eſt; nec praxis, ſeu corruptela, tametſi eſſet univerſalis, eumdem ab uſura purgat. Si contractum licitum & iuſtum inire velint, vendat Sempronius fundum Caio cum pacto retrovenditionis, adempta Caio facultate repetendi pecunias ſuas. At, inquis, contractus iſte non eſt commodus Caio, qui li-

libertatem ſibi reſervare vult repetendi pecunias ſuas; cum non ſit deterioris conditionis quam Sempronius. Scio contractum hunc commodum non eſſe Caio; ſed ideo quia contractum feneratitium amat. Ceterum ſi hoc pacto commodus non eſt contractus, ab eodem abſtineat; cum ipſum nemo ad eumdem cogat. At ſi pactum ſibi reſervat repetendi pecunias, uſuram committit. Quid quod vel ipſi adverſarii, Medina, Conradus, Covarruvias, docent pactum iſtud non eſſe in Republica permittendum?

IX. Quæſt. VIII. *Quomodo diſtinguantur cenſus a livellis?* Reſp. Varia aſſignat diſcrimina P. Paulus Comitolus *Lib. III. Reſp. mor. quæſt.* XXIX. Primum. Venditor cenſus remanet fundi dominus & proprietarius. In livello fundi dominium, & proprietatem acquirit emptor. Secundum. In cenſu dominus fundi ſolvit annuam penſionem; in livello domino penſio ſolvitur. Plures alias diſcriminis rationes aſſignat Comitolus, quas brevitatis gratia prætereo, cum non ſint magni ponderis.

C A P U T XIV.

De ludo, & iocis. Quomodo tum in ſermone, tum in ſcriptura adhibendi ioci, & facetiæ ſint.

I. PLura eſſent de ludo dicenda, ſi ex inſtituto talem diſpicere materiam vellem. Ioannes Barbeyracus hæreticus tres edidit de ludo tomulos. Plura laxa, & erronea docet, quæ aliqua eruditione, ex Tyers, & aliis conquiſita, aſpergit. Cum ludo ad corporis oblectationem inſtituto, ſortis ludum confundit. Mapheium pereruditum Ieſuitam carpit, qui ſingulari divini Numinis favori vertit, S. Patriarcham Ignatium in ludo quodam evaſiſſe victorem. *Hoc enim eſt*, inquit Barbeyracus Lib. I. cap. 11. §. 4. *proſtituere miracula*; quaſi dedeceat divinam Maieſtatem ludis ſe ſe immiſcere. Verum, occaſione data, ſive etiam arrepta, audacis ſcribillatoris impoſturam repellere lubet, & ut veritati litem, & ut præferam aliquid ſummi illius obſequii quo ſanctiſſimum Patriarcham, & doctos, probosque eiuſdem Socios colo. Si enim laxas quorumdem Ieſuitarum, ſicut & aliorum, opiniones pro re nata libere confuto; æquum eſt ut eadem ſinceritate tot ſapientes, doctoſque Ieſuitas debitis laudibus non defraudem. Sed hæc obiter. Validius autem Barbeyraci audaciam retundere nequeo, quam exſcribendo elegantiſſimam narrationem qua P. Mapheius rem exponit *Lib. III. cap.* V. „ Pariſiis per „ iocum invitatus a nobili quodam, vellet ne trudiculis ludere, quibus in oblon- „ ga menſa per anguſtum fornicem eburnea pila traiicitur: Ego vero ludam, in-

„ quit Ignatius. At enim qua ſponſione, ſubiicit ille, qui pecunia careas? Tum
„ Ignatius, Hac ſponſione, reſpondit, ut certo utique dierum numero tibi deſer-
„ viam; verum arbitratu tuo, ſi viceris tu; meo, ſi ſuperior ipſe diſceſſero.
„ Quum ea conditio placuiſſet: age ſane: in certamen deſcenditur. Quumque
„ minus calleret Ignatius, divinitus factum eſt ut in ſingulos omnino traiectus
„ victor evaderet, ſubinde exclamante adverſario, ſe merito plecti, qui Ignatium
„ provocaſſet; ſeque divinum iudicium prorſus agnoſcere. Peracto deinde certa-
„ mine victum victor ab inanibus curis, & occupationibus in aliquot dies abdu-
„ ctum, e ſponſione ſpiritualibus exercitationibus diligenter excoluit: torpentem-
„ que ſitu, ac deliciis animum ipſius ad ſalutarem Dei metum, æternæque vitæ
„ cogitationem excitavit." Solus Barbeyracus divina prodigia, quibus ad pietatem, ad Dei amorem, ad æternæ ſalutis negotium ferventius capeſſendum excitantur homines, vellicare, & arrodere poterat. Innumera alia eiuſdem adverſus pietatem, & ſanam morum doctrinam errata quibus illius tractatus de ludo ſcatet, prætereo, & in viam regredior.

II. S. Thomas præclare de more ludi notionem, & prærogativas deſcribit 2. 2. *quæſt.* clxviii. tribus articulis. Quæ *art.* 2. docet, iſthuc tranſcribere lubet. *Reſpondeo dicendum, quod ſicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non poteſt continuo laborare propter hoc quod habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur; ita etiam eſt ex parte animæ, cuius etiam eſt virtus finita ad determinatas operationes proportionata. Et ideo quando ultra modum ſuum in aliquas operationes ſe extendit, laborat, & ex hoc fatigatur; præſertim quia in operationibus animæ ſimul etiam laborat corpus, inquantum ſcilicet anima intellectiva utitur viribus per organa corporea operantibus. Sunt autem bona ſenſibilia connaturalia homini. Et ideo quando anima ſupra ſenſibilia elevatur, operibus rationis intenta, naſcitur exinde quædam fatigatio animalis, ſive homo intendat operibus rationis practicæ, ſive ſpeculativæ; magis tamen ſi operibus contemplationis intendat, quia per hoc magis a ſenſibilibus elevatur; quamvis forte in aliquibus operibus exterioribus rationis practicæ maior labor corporis conſiſtat. In utriſque tamen tanto aliquis magis altero fatigatur, quanto vehementius operibus rationis intendit. Sicut autem fatigatio corporalis ſolvitur per corporis quietem; ita etiam oportet quod fatigatio animalis ſolvatur per animæ quietem.*

Quies autem animæ eſt delectatio, ut ſupra habitum eſt... cum de paſſionibus ageretur. Et ideo oportet remedium contra fatigationem animalem adhiberi per aliquam delectationem, intermiſſa intenſione ad inſiſtendum ſtudio rationis; ſicut in Collationibus Patrum 7.... legitur, quod B. Ioannes Evangeliſta, cum quidam ſcandalizarentur, quod eum cum diſcipulis ſuis ludentem invenirent, dicitur mandaſſe uni eorum, qui arcum gerebat, ut ſagittam traheret: quod cum pluries feciſſet, quæſivit, utrum hoc

con-

continue facere poſſet : qui reſpondit, quod ſi hoc continue faceret, arcus frangeretur. Unde B. Ioannes ſubintulit, quod ſimiliter animus hominis frangeretur, ſi numquam a ſua intenſione relaxaretur. Huiuſmodi autem dicta, vel facta, in quibus non quaeritur niſi delectatio animalis, vocantur ludicra, vel iocoſa. Et ideo neceſſe eſt talibus interdum uti, quaſi ad quamdam animae quietem.

Et hoc eſt quod Philoſophus dicit in IV. Ethic... quod in huius vitae converſatione quaedam requies cum ludo habetur. Et ideo oportet interdum aliquibus talibus uti. Circa quae tamen videntur tria eſſe praecipue cavenda. Quorum primum, & principale eſt, quod praedicta delectatio non quaeratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nocivis. Unde Tullius dicit in I. de Offic.... quod unum genus iocandi eſt illiberale, petulans, flagitioſum, obſcoenum. Aliud autem attendendum eſt, ne totaliter gravitas animae reſolvatur. Unde Ambroſ. dicit in I. de Officiis... Caveamus ne, dum relaxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam, quaſi concentum quemdam bonorum operum. *Et Tullius dicit in 1. de Off... quod ſicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, ſed eam quae ab honeſtis actionibus non ſit aliena; ſic in ipſo ioco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Tertio autem attendendum eſt, ſicut & in omnibus aliis humanis actionibus, ut congruat perſonae, tempori, & loco, & ſecundum alias circumſtantias debite ordinetur; ut ſcilicet ſit tempore, & homine dignus, ut Tullius dicit ibidem.... Huiuſmodi autem ſecundum regulam rationis ordinantur. Habitus autem ſecundum rationem operans eſt virtus moralis.*

Et ideo circa ludos poteſt eſſe aliqua virtus, quam Philoſophus.... eutrapeliam nominat: & dicitur aliquis eutrapelus a bona converſatione, quia ſcilicet bene convertit aliqua dicta, vel facta in ſolatium; & inquantum per hanc virtutem homo refrenatur ab immoderantia ludorum, ſub modeſtia continetur.

III. Ludis itaque ineſſe virtus poteſt, ſi neceſſaria moderatione exerceantur. Sed diſtinguenda haec tria ſunt, iocus, ludus, & luſus. *Iocus* verbis facetis, *ludus* factis peragitur, *luſus* quodammodo utrumque comprehendit, & ad voluptatem pertinet, & ſolius voluptatis gratia exercetur.

IV. Virtus ad quam ludum, vel iocum S. Thomas reducit, iuxta Ariſtotelem *eutrapelia* dicitur: *quam nos*, inquit Angelicus, *poſſumus dicere iucunditatem*, vel urbanitatem, & comitatem. Verum vitia, & virtutes iiſdem affines ſaepe confunduntur; & vocabulorum abuſu ſcurrae vocari faceti, & iocoſi ſolent. Heinc non pauci Theologi omne iocorum, & facetiarum genus improbant: quia praefatis vocibus ſcurrilitates, nugas, & gerras intelligunt.

V. Porro, ut ludi, ioci, facetiae vitio careant, virtutique accedant, tria ſervanda ſunt. I. Verba obſcoena, turpia, illiberalia vitanda, ut vel ipſe M. Tullius animadvertit *Lib. I. offic. cap.* XXXV. ubi inquit: *Duplex eſt omnino iocandi genus. Unum illiberale; petulans, flagitioſum, obſcoenum; alterum elegans, urbanum,*

Digitized by Google

ingenioſum, *facetum*. II. Ne plus æquo animi gravitas remittatur, neque ultra moderationis, & ſobrietatis confinia quiſquam ludicris, & iocoſis vacet. Frequenter homines lepidi & faceti contra hanc regulam peccant, dum continenter ſermones ſuos ſalibus, argutiis, & leporibus aſpergunt, animoſque ad nimiam diſſolutionem impellunt. Hos increpat M. Tullius *loc. cit. cap.* XXXIV. his verbis. *Ex quibus illud intelligitur (ut ad officii formam revertamur) appetitus omnes contrahendos, ſedandoſque, excitandamque eſſe animadverſionem, & diligentiam, ut ne quid temere, ac fortuito, inconſiderate, negligenterque agamus. Neque enim ita generati a natura ſumus, ut ad ludum, & iocum facti eſſe videamur; ſed ad ſeveritatem potius, & ad quædam ſtudia graviora, atque maiora. Ludo itaque, & ioco uti illis quidem licet, ſed ſicut ſomno, & quietibus ceteris, tum cum gravibus, ſeriiſque rebus ſatis fecerimus. Ipſumque genus iocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum, & facetum eſſe debet. Ut enim pueris non omnem licentiam ludendi damus, ſed eam quæ ab honeſtis actionibus non ſit aliena; ſic in ipſo ioco aliquod probi ingenii lumen eluceat.* III. Habenda eſt temporis, negotii, & perſonarum ratio. Servandæ omnes conditiones ſunt quæ ad virtutis officium attinent. Nec ſat eſt ut ludi, & facetiæ ſint honeſtæ & temperatæ; ſed congruere inſuper debent loco, tempori, perſonæ, & negotio quo de agitur.

VI. Porro ſicut ſermo iocorum ſale aſpergendus eſt ad animorum, quibuſcum vivimus, ſolamen; ita quoque ſcripta noſtra ſimili obſonio condienda ſunt. Homines nimium ſeveri, graves, ſupercilioſi agreſtem, moleſtamque humanam ſocietatem efficiunt: ſimiliter Scriptores qui ſemper eodem ſeveritatis tenore cauſſam orant, tædio lectores afficiunt, a lectione abducunt, & finem ſuadendæ veritatis amittunt. Quamvis epulæ bonæ ſint qualitatis, niſi ſuavi condimento præparatæ, atque diſpoſitæ fuerint, nauſeam, faſtidiumque ingerunt. Levandi lectorum animi, atque ad lectionis curſum temperato facetiarum illicio adiuvandi, urgendique ſunt. *Verumtamen* (inquit M. Tullius Lib. II. de Orat.) *multum in cauſis perſæpe lepore, & facetiis profici vidi*. Lectiones prolixæ fatigant animum: nam dum gravia & momentoſa conſiderat, corporis vires franguntur, extenuanturque. Quare niſi aliquo ſolamine recreetur, fatiſcit, atque ſuccumbit. Id tamen animadvertendum, facilius in ſcriptis quam in ſermone, iocorum immoderatione efferri nos poſſe. Perſonæ dignitas, dum præſens adeſt, ſæpe linguam coercet. Calamus neminem videt, diſtantes alloquitur. Quare ſumma opus eſt temperantia, & perſonis, quarum opiniones refelluntur, ſemper parcendum, errata tantum acri, aut iocoſo ſtilo perſtringenda; eoque omnia tendere debent, ut, illæſa perſonæ dignitate, veritas ſuadeatur. Ut autem te intra moderationis confinia detineas, illud Ciceronis animo hæreat. *Hominibus* (inquit) *facetis, & dicacibus difficillimum habere hominum rationem, & temporum, & ea*

quæ

Digitized by Google

quæ occurrant, cum falſiſſime dici poſſint, tenere . . . Dicere enim aiunt Ennium, flammam a ſapiente facilius ore inardente opprimi, quam bona dicta teneat. Hæc ſcilicet bona dicta quæ falſa ſint. Nam ea dicta proprio appellantur iam nomine.

VII. Utrum nos, poſt moleſtiſſimas de cenſibus, de cambiis, & ſexcentis aliis ſalebroſas quæſtiones, de iocis, & facetiis pauca diſputationi noſtræ opportune inſeruerimus, iudicent prudentes rerum arbitri. Interea ad quæſtiunculas quas de ludo movere Theologi ſolent, diſcutiendas accedo.

CAPUT XV.

Nonnullæ quæſtiunculæ de ludo lucroſo, alearum, & ſponſione.

I. QUæſt. I. *Ludus propter lucrum principaliter intentum vitioſus ne eſt?* Reſp. Gabriel *in IV. diſt.* XV. *quæſt.* XIII. *concluſ.* 3. Toſtatus *in cap.* VI. *Matth. quæſt.* IIII. & IV. & alii plures graviter peccare contendunt propter lucrum ludentes. Quoniam, inquiunt, tunc deſideratur damnum proximi, & violatur præceptum Decalogi, *Non concupiſces rem proximi tui*. Quam rationem alii oppugnant: quia deſiderare rem proximi, licito contractu obtinendam, omni peccato caret, nedum gravi. Sed illud diſcutiendum, ſit ne licitus contractus iſte propter lucri finem?

II. Quæſt. II. *Qui principaliter ludunt propter lucrum, peccant ne ſaltem venialiter?* Reſp. Negant communiter Probabiliſtæ. Non eſt peccatum, inquit Cardinalis de Lugo *diſp.* XXXI. ordinare medium ad finem qui utilis ſit, ſi finis licitus eſt. Lucrum eſt finis. Ergo ludere propter lucrum omni culpa caret.

III. Hanc opinionem, quam falſam reputo, aperte improbat S. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXVII. *art.* 4. ubi ſtatuit, mercaturam ipſam quæ *eſt propter lucrum quærendum, quamdam turpitudinem habere*, quia deſervit cupiditati. Eam licitam reddit neceſſitas, aut publica, vel privata utilitas. Ludus ſuapte natura tendit ad animum recreandum. Animi ſolamen eſt finis ludi, non lucrum. Ergo lucrum perturbat ordinem, & detorquet ludum a ſuo fine. Quid quod lucrum de ſe honeſtatem non præfert, vi cuius finis rationem habere poſſit; ſed ſolum ad aliquem finem neceſſarium dirigi valet? Ludus itaque propter lucrum principaliter intentum manifeſte ordinem intervertit, vitioque laborat: tum quia contra ſui naturam privatur ſuo fine, ad quem inſtitutus eſt: tum quia ordinatur ad lucrum, quod finis rationem habere nequit. Hæc omnia manifeſta ſunt.

IV.

IV. Quid de illis qui ludunt preces ſacras, ita ut victus tot ſalutationes angelicas, tot pſalmos recitare pro purgatorii animabus debeat? Hos peccare affirmant Ludovicus Lopez *II. Part. Inſtruct. cap.* XXXII. Vega verb. *Ludus*, & alii: quia, inquiunt, immiſcent ſacra profanis; &, ſi civiliter victos obligare vellent, ſimoniam committerent. Hanc ego opinionem non probo: quoniam iſti non ludunt propter preces tamquam propter finem intentum; ſed finis iſtorum eſt animi ſolamen; adiiciunt vero onus precum, veluti quemdam ſtimulum ad victoriam obtinendam. Sicuti alicuius culpæ non damnarem eos qui principaliter ludentes ad animum recreandum, aliquid lucri pro victoribus adiicerent. Ceterum iſtorum devotio imprudentia non caret. Tempus ſiquidem ludendi eſt, tempus manducandi, tempus laborandi. Quid ludo cum precibus? Si orare velint, negligant ludum; & ſi ludo ad recreandum animum indigent, preces dimittant: aut, peracto ludo, ſimul preces Deo fundant in gratiarum actionem; ſicuti poſt refectum cibo corpus omnes ſimul preces Deo offerunt. Preces iſtorum ſint ludum dirigere, & moderari intra confinia ſobrietatis, & corporis animique ſolaminis. Ludus facillime extra virtutis limites animum pertrahit, niſi coerceatur freno rectæ intentionis, & ſobriæ recreationis. Quando victori præmium, ſeu lucrum ſive ſpirituale, ſive temporale proponitur, continuo accenditur aut lucri cupiditas, aut ſpes victoriæ; & tum plus æquo animus in ludum incumbit, & lucrum evadit finis ludi, quamquam oretenus dicatur adiici tamquam aliquod oblectamentum minus principale: quia, inquiunt, ludus non recreat, niſi lucrum aliquod proponatur victori. Bene habet. At nonne ipſa experientia tunc conſtat, nihil minus intendi quam animi ſolamen, quoties victori deſtinatur lucrum, maxime ſi ſit pecuniarium, aut quid ſimile? Nonne videmus tum ludentes tanto mentis conatu victoriæ aſſequendæ operam dare, ut nihil aliud cogitent quam ſuperiores evadere? Quare raro ludus actus virtutis eſt, quoties deſtinatur victori lucrum. Si virtus non eſt, vitium neceſſario in praxi erit. Porro ſit ne vitium iſtud grave, vel leve, bilances quibus malitiæ iſtius gradus ponderem, mihi deſunt. Tu declina a malo, & fac bonum. Tempora lucrandi a tempore ludendi divide; & omnia in proprios fines, Deique tandem gloriam dirige. Ut vitii levitatem, & gravitatem dignoſcere valeas, conſidera perſonarum conditiones, temporis, loci, pecuniæ ludo expoſitæ quantitatem, & alias circumſtantias. Potiſſimum conſidera, ſi ludentes ex inſtituto, & quaſi ex profeſſione, vel ſolum accidentaliter, & oblectandi animi cauſſa ludo operam dent.

V. Quæſt. III. *Quæ conditiones requiruntur, ut ludus lucratorius ſit licitus?* Reſp. Ludus, ut diximus, ad animi & corporis vires reparandas inſtitutus eſt. Hominum cupiditas omnia pervertit; & ludum ab animi oblectatione ad crume-

nas

nas expilandas, ad prodigenda patrimonia, ad evertendas familias iniquiſſime detorſit. Ludus iſte lucratorius iam ſibi aſcivit tractatum theologicum, in quo aliqui iuniores, quid Probabiliſmus valeat, patefaciunt. Ludum hunc inter contractus collocant, eumque ita definiunt: *Eſt contractus in quo victori certaminis res ab utroque expoſita tribuitur*. Contractum hunc natura ſua licitum aſſerunt, dummodo tres potiſſimum conditiones adſint. Prima, ut ludentes habeant liberam facultatem diſponendi de re quam ludo exponunt. Hinc peccare eos aiunt qui ludunt cum latrone, depoſitario, puero, ſtulto, mancipio, filiofamilias, prodigo, Religioſo. Secunda conditio, ut ludus ſit licitus, eſt, quod alter alterum iniuriis, fraudibus, conviciis ad ludum non inducat. Tertia, ne fraudes contra ludi leges interveniant. Super qualibet harum conditionum innumeras inſtituunt quæſtiones.

VI. Quid de hoc ludo lucratorio qui principaliter & unice lucrum intendit, ipſe ſentiam, iam patet ex iis quæ dixi. Mercatura, ſeu negotiatio quæ unice lucrum intendit, turpitudinem quamdam præfert. Sola privata, aut publica neceſſitas, & commodum eam licitam facit; ut cum omnibus Patribus S. Thomas docet. Ludus lucratorius, ſeu negotiatorius, neceſſarius ne Reipublicæ, aut familiarum ſuſtentationi eſt? Nonne tum privatis familiis, tum Reipublicæ pernicioſi ſunt lucratorii ludi? Unde ergo honeſti, & liciti evadere queunt? Conditiones quas iuniores plures præſcribunt, maiorem malitiam, & nova ſcelera impedire poſſunt; at honeſtatem donare tali ludo nequeunt. Quicumque itaque ludus lucratorius, qui principaliter ob lucrum exercetur, mea quidem ſententia vitio non caret. Gradum autem malitiæ abſolute ignoro. Tria mihi certa videntur. Primum eſt, ludum principaliter propter lucrum intentum, vitioſum eſſe. Secundum, eos qui præter conſuetudinem, & accidentaliter aliquid pecuniæ ludo exponerent, etiam principaliter propter lucrum, gravis culpæ non damnarem. Tertium, a gravi culpa non liberarem eos qui in conſuetudine ludendi principaliter propter lucrum verſarentur: quoniam vix in praxi contingit quin talem conſuetudinem gravia conſequantur abſurda, quæ recenſere non vacat, cum ſint obvia. Quare omnibus ſuadeo a ludo lucratorio abſtinere. Quoniam communiter initium eſſe ſolet animi oblectamentum; at progreſſum & finem definere in avaritiam, experientia docet. Senſim ſine ſenſu ſerpit cupiditas, & conſuetudo gignitur. Deinde cavendum ne ludus tuus aliis exemplum, & impulſum præbeat. Vix quinque in centum ex luſoribus ſe continent intra confinia ludi culpa carentis, quando lucrum in eodem adſit.

VII. Quæſt. IV. *Licitus ne eſt ludus aleatorius, ſeu fortunæ?* Reſp. Ludus iſte ipſo civili iure ſeveriſſime prohibetur, *ff. de aleæ uſu*, *l.* 1. 2. *&* 3. & *in Authentica alearum uſus C. de aleatoribus*, *&* *alear. luſu*, ubi ſtatuitur, victum non

eſſe

eſſe condemnandum ad debiti ſolutionem. Immo eidem, vel eius heredibus actio conceditur repetendi id quod ſolvit. Prohibentur quoque ſponſiones, vulgo *ſcommeſſe*, aſtantibus in favorem ludentium. Id quod comedendum in convivio eſt, ludo exponi permittitur eiſdem legibus. Denique in præfata Authentica prohibetur ne aliis etiam ludis non vetitis perdi quidqnam ſupra unum ſolidum ab uno ludentium poſſit. Quanti nunc æſtimandus ſit ſolidus iſte, non vacat inquirere.

VIII. Plures ſunt leges municipales cuiuſque regni, & principatus quæ ludos fortunæ, nempe alearum, & taxillorum, ſevere prohibent. Ioannes Barbeyracus in citato ſuo opere *Lib. II. cap.* 11. *§.* 2. refert decretum Sereniſſimæ huius invictæ, atque immortalis Venetæ Reipublicæ adverſus ludos iſtos aleatorios.

IX. Diſputant iuniores, peccent ne graviter ludentes contra præfatas leges. Affirmant non pauci. Sanchez, Filliucius, Leſſius, & alii plures negant: quia, inquiunt, præfatæ leges vel obligant ſolum ad pœnam, vel non fuerunt receptæ, vel ſunt contrario uſu abrogatæ. Quid ipſe ſentiam, mox dicam.

X. Non modo ius civile, ſed etiam ius canonicum cap. *Epiſcopus* diſt. xxxv. laicos aleæ operam dantes, communione privat. Verum & legem iſtam præfati iuniores Leſſius, Sanchez, & alii aſſerunt non eſſe uſu receptam.

XI. Plures ſunt canones, qui Clericis luſum chartarum, ſeu alearum interdicunt. *Diſt.* xxxv. *cap.* 1. hæc habentur. *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, atque ebrietati vacans, aut deſinat, aut deponatur. Subdiaconus, Cantor, Lector ſimilia faciens aut deſinat, aut ſeparetur*. Item *cap.* Clerici, *de vita & honeſt. Clericor.* hæc præſcribunt. *Ad aleas, & taxillos non ludant, nec eiuſmodi ludis interſint*. Rurſus cap. *Inter dilectos*. Et tandem Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxii. *cap.* xxii. *de Refor.* renovat omnes antiquos canones adverſus Clericos ludis chartarum, ſeu alearum vacantes. Innumeræ Synodi & diœceſanæ, & provinciales prohibent Clericis eiuſmodi ludos.

XII. Communis quoque iuniorum opinio vix audet Clericos præfatis ludis operam dantes a gravi culpa liberare. Solum plures addunt, eiuſmodi leges comprehendere Clericos frequenter, non raro, nempe bis vel ter, ludentes.

XIII. Paucis hanc ego controverſiam dirimo. Ludus fortunæ, ſeu ſortis, propter lucrum peractus, natura ſua vitioſus eſt, ob rationes iam ſupra indicatas contra omnem ludum lucratorium, ſeu propter lucrum principaliter intentum. Præterea ludi alearum, ſeu chartarum, qui non ab induſtria, ſed a mera ſorte pendent, ut ſunt ludi vulgo *Baſſeta, Faraon, triſſac, taxillorum* &c. tot pericula ſecum afferunt, & tam ingentia mala pariunt, ut neminem illorum abſolveme

rem qui his ludis vacarent, niſi prius deſiſterent, ſive laici ſint, ſive Clerici, ſive Religioſi. Hac ſola deciſione evaneſcunt innumeræ illæ quæſtiones quas fuſo calamo verſant iuniores de iis qui ludere valent, nempe de filiisfamilias, de uxoribus, deque aliis pluribus; & de quantitate pecuniæ quam iſti exponere ludo poſſunt.

XIV. Benignitas caſuiſticæ ſcientiæ, ſicuti in aliis, ſic in hac materia magnopere perniciosa eſt. Damnabis ne, inquiunt, illos qui non frequenter ludunt, qui in conſuetudine non verſantur ludendi? En omnium malorum originem. Permittunt iuniores plures, quod poſſis quandoque his ludis vacare conſcientia tuta, non crebro, ſed raro. Senſim habitus, & conſuetudo gignitur: & conſuetudinem emendationis deſperatio quaſi conſequitur. Videmus homines ludis iſtis debitos, cupiditatis, & cuiuſdam deſperationis vinculis obſtrictos. Aut enim victores evadunt; & tum inſaturabili avaritiæ æſtu abripiuntur: aut victi ſunt; & tum, ut perditam pecuniam recuperent, omnia prodigunt. Illi in ſcorta, in comeſſationes, in luxum, & pompas pecunias ludo acquiſitas profundunt; iſti blaſphemiis, fraudibus, dolis, & flagitiis implicantur, ac ſceleribus ſcelera accumulant. Ariſtoteli luſores iſti, & latrones iidem ſunt. Nemo iiſdem fidem habet. A publicis officiis, & miniſteriis quæ pecuniæ procurationem annexam habent, excluduntur. Illos veluti graſſatores, & pecuniarum expilatores, declinant viri prudentes. Nota hæc omnia ſunt. Etiam benigniores Caſuiſtæ eiuſmodi luſores, habitu ludendi irretitos, damnant; ſed ipſi hunc habitum non raro conſuunt, dum iiſdem permittunt negotiationem iſtam luſoriam identidem exercere, dummodo ſint abſoluti pecuniarum ludo exponendarum domini, dummodo a fraudibus abſtineant, & æqualitatem ſervent. Ludus iſte aleatorius, & lucratorius confinia vix patitur, terminos omnes tranſilit, præſtigium eſt, quod homini lucri cupido rationem adimit. Qui conditionibus caſuiſticis ludum iſtum negotiatorium intra iuſta confinia coercere ſibi illudunt, ſimiles iis ſunt qui ebrios inter pocula temperantes, libidinoſos in familiari puellarum venuſtarum converſatione caſtos, & helluones inter exquiſitas epulas ſobrios eſſe contendunt.

XV. Quid ergo agendum cum aleatoribus? Arcendi omnino ſunt a ſacramentorum participatione, donec reſipiſcant. Qui tali pravo habitu detinentur, ſigna certa emendationis exhibeant, antequam ad ſacramenta ſuſcipienda admittantur. Qui ludere incipiunt, ſi ſincere ſpondeant ſe impoſterum non luſuros lucri cauſſa, abſolvantur. Quid? Damnas ergo omnes ludos chartarum, & taxillorum? Ludi iſti ſunt negotiationes licitæ, in quibus æque eſt & damni periculum, & ſpes lucri. Sunt qui hanc negotiationem exercent moderatione ſumma. Durum autem eſt omnes iſtos luſores gravis culpæ damnare. Iam dixi, me trutinas non

ha-

habere quibus gradus malitiæ mortalis, aut venialis in hac materia ponderem. Quod aliqui interdum debita moderatione & temperantia eiuſmodi fortunæ ludos agant, eventus inſolitus eſt, & perrarus. In morum autem materia, non quod uni, aut alteri contingit, ſed quod communiter evenire in praxi ſolet, ſpectandum eſt. Quamvis negotiatio hæc luſoria, abſolute conſiderata, malitiam gravem non proderet; tamen reipſa tot eſt malorum, ſcelerumque origo, ut remediis intra moderationis terminos reſtringi nequeat. Ex alia parte humanæ ſocietati neceſſaria non eſt. Ergo prorſus exterminanda. Ludent proculdubio homines. Quid inde? A fornicatione, ab adulteriis, ab uſuris, a furtis, a periuriis, a blaſphemiis, a mendaciis non abſtinebunt homines. Propterea ne licita hæc ſcelera erunt? Hac ſola doctrina evaneſcunt innumeræ quæſtiones de ludis quas verſare iuniores ſolent. Tota hæc controverſia huc recidit: ludi fortunæ, lucri cauſſa peracti, graviſſima pericula ſecum afferunt plurium ſcelerum: ergo omnino cavendi, & prohibendi. Alii ludi qui ex induſtria pendent, ſi revera ad ſolamen, & recreationem corporis tendant, vitio carent: ſi aliquid lucri per modum obſonii, & condimenti ſit ipſis adiectum, ex circumſtantiis videndum, an vitio careant. Si lucrum eſt finis præcipuus, prohibendi omnino. Quoniam ludi ad animi, & corporis recreationem ſunt inſtituti; mercatura ad lucrum tendit.

XVI. De ludis Regularium vide *Diſciplinam Apoſtolico-Monaſticam diſſ.* VI. *cap.* IV. ubi plura feſtiva commenta iuniorum confutata reperies. Si omnibus ludi fortunæ vetiti ſunt, quanto magis Clauſtralibus?

XVII. In eorum quæ adverſus ludos breviter dixi, confirmationem plura SS. Patrum teſtimonia referre poſſem. Celebris eſt ſermo adverſus aleatores, qui tribuitur S. Cypriano, quem Ballutius reiicit in opera ſuppoſititia, huic S. Martyri adſcripta. In hoc ſermone aleæ tabula appellatur *diaboli venabulum, ubi diabolus præſto eſt, & ad capiendum ſummiſſus*. Sed, miſſis antiquorum Patrum documentis, pauca tranſcribam ex multis quæ ſcribit S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus *II. Part. tit.* I. *cap.* XXIII. *§.* 6. ubi hæc, quæ ludum aleæ conſequuntur, ſcelera recenſet. *Primum eſt* (inquit) *amiſſio temporis, ſecundum blaſphemia, tertium contumelia, quartum diſſipatio ſubſtantiæ temporalis, quintum Eccleſiæ contemptus, ſeu inobedientia, ſextum eſt furtum, ſeptimum eſt gula, octavum homicidium, nonum invidia, decimum rerum neceſſariarum in familia penuria, undecimum iactantia, duodecimum mendacium, tertiumdecimum neglectus divinorum, quartumdecimum eſt odium, quintumdecimum participatio ſceleris .... ſextumdecimum contentiones, decimumſeptimum eſt rapina, decimumoctavum eſt ſcandalum, decimumnonum eſt triſtitia, vigeſimum uſura, vigeſimumprimum eſt chriſtianitatis vituperatio, contra illud quod ait Apoſtolus* (*II. Corinth.* VI.) Non vituperetur miniſterium noſtrum, *ideſt ſervitium quo ſervimus Chriſto. Sed per ludum ſervitur diabolo. Sicut enim Deus in-*

ve-

Digitized by Google

venit 21. litteras primo ad componenda Biblia, ubi eſt omnis ſapientia revelata ; ita invenit diabolus taxillos, & chartas pro biblia ſua, ubi poſuit 21. puncta ad litteras ſuas nigras, ubi reperitur omnis malitia peccati. Non ergo debet dici Chriſtianus qui deditus eſt ludo, cum vituperet nomen Chriſti. Et §. 8. *Quantum ad tertium facit illud vitium aſſociari dæmoniis; quod innuit, cum dicitur, in circuitu. Opus diaboli eſt circuire . . . Unde* [*Iſai.* lxv.] Qui ponitis fortunæ menſam, ut bibatis ſuper eam : propterea dinumerabo vos in gladio. *Ponunt menſam fortunæ qui ludunt, exponentes ſe fortunæ, ſive per taxillos ludendo, ſive per chartas, & iſti feriuntur gladio divinæ actionis in inferno. Unde in chartis, ſive naibilis ſunt figuræ non ſolum baculorum, denariorum, cupparum, ſed & gladiorum, ad innuendum, quod ex ludo ſequuntur cupiditates, potationes uſque ad ebrietatem, verberationes, & vulnera, & demum gladius mortis æternæ.*

XVIII. Quæſt. V. *Qui exponunt publicas menſas ad ludendum, & in propriam domum volentes ludere recipiunt, peccant ne mortaliter?* Reſp. Affirmant vel ipſi benigni iuniores, Sanchez, Alcozer, & potiſſimum Diana, qui acriter, ut inquit Lugo, hanc propugnat opinionem. Addunt, peccare quoque eos mortaliter qui eiuſmodi luſores propria præſentia animant, vel adiuvant, vel eos, cum poſſint, non corrigunt, impediuntve . Excuſant vero illos a gravi culpa, ſi poſito ludo quem non approbant, videant exitum fortunæ, & luſorum induſtriam. Ceterum vix talis deliberata præſentia vitio aliquo caret.

XIX, Quæſt. VI. *An peccent artifices taxillorum, & chartarum?* Reſp. Chartarum, & taxillorum uſus licitus eſſe poteſt : quia tum chartæ, tum taxilli adhiberi ſolent etiam in ludis non lucratoriis, ſed in animi corporiſque recreationem peractis; & etiam in ludis qui ex induſtria pendent. Vera hæc ſunt . At ſi ars ipſa, & taxillorum, chartarumque uſus in praxi ſpectentur, hæc quæ recenſui, per accidens eveniunt. Per ſe vero, ſeu communiter in praxi taxilli, & chartæ ad turpe lucrum adhibentur ; idcirco eiuſmodi artifices peccare mortaliter, &, niſi derelinquere artes eiuſmodi proponant, non eſſe abſolvendos docet S. Antoninus in ſua *Summula Confeſſional. II. Part. de peccat. avar. cap.* 111. *de turpi lucro* his verbis. *Si quis facit aliquam artem, vel artificium cuius uſus* (N. B.) *ut plurimum eſt ad mortale, ut facere taxillos, vel chartas, & huiuſmodi, peccat mortaliter; nec debet abſolvi, niſi diſponat illud dimittere.* Fuſius hanc doctrinam exponit in *Sum. II. Part. tit.* 1. *cap.* XXIII. §. 13. ubi hæc habet. *Videtur dicendum de factoribus, & venditoribus alearum, & taxillorum, & chartarum, quod, quia ut in pluribus homines his utuntur ad peccatum mortale, propter avaritiam, ideo non videntur tales poſſe excuſari a mortali, unde nec abſolvendi, niſi talia dimittant. De pœnit. diſt.* v. *can.* Falſas, & *can.* Fratres, & *can.* Negotium *Guillielmus etiam dicit, quod non eſt ſecurum de talibus vivere, quorum uſus eſt frequentius ad peccatum, quod intelligo de mor-*

Digitized by Google

mortali, & eſt turpe lucrum. Sic loquuntur viri ſancti, & Epiſcopi. Aliter docent Diana, Tamburinus, Lugo, & communiter Probabiliſtæ. Quibus auſcultandum? Animadverte lector, quam futilis, & pernicioſus ſit apud Caſuiſtas uſus diſtinctionis *per ſe*, & *per accidens*. Per ſe in genere moris illa ars mala eſt quæ communiter, & ut plurimum peccandi occaſio eſt. Per accidens poteſt eſſe bona, quatenus aliqui raro eadem inculpate utuntur. E contrario ratiocinantur Caſuiſtæ communiter; & ideo turpiter aberrant, ut alibi fuſius pateſeci. Præfatæ igitur artes periculorum plenæ ſunt: quoniam abuſus eorumdem operum communis, & univerſalis eſt. Dura hæc ſunt, inquis. Fateor. Sed durus quoque Chriſti ſermo ſuis auditoribus apparuit. Totum autem hoc doctiorum iudicio ſubmitto.

XX. Quæſt. VII. *Sponſiones, vulgo* ſcommeſſe, *licitæ ne ſunt*? Reſp. Negant Gabriel, Sylveſter, & alii. S. Antoninus *II. Part. tit.* I. *cap.* XXIII. *§.* 9. hæc docet. „ Quæritur, quid iuris cum altercantibus duobus, puta Petro, & Martino, ſuper aliquo rei eventu prætcrito, vel futuro, puta morte alicuius Domini, vel „ adventu alicuius Principis: unus, ut Petrus, aſſerit mortuum talem Dominum, „ vel venturum talem Principem ad talem civitatem intra certum tempus: quod „ ſi ſecus fuerit, obligat ſe Martino daturum centum; ita tamen quod ſi ita eſt „ ut aſſeruit Martinus, qui tenebat contrarium, vice verſa teneatur dare Petro „ centum, vel minus ſecundum conventionem adinvicem factam: utrum *tale* „ *lucrum ſit licitum*? *Reſpondeo non*; *ſed turpe lucrum dici poteſt, procedens ex avaritia, & nulli deſerviens utilitati, ſed vanitati, & prodigalitati: non tamen re*„ *ſtituere oportet*; *ſed pauperibus erogandum, ut audivi a peritis*." Non modo S. Archiepiſcopus, quem Deus conſtituit regere Eccleſiam ſuam, ſed periti quoque illius temporis, quos ille conſuluit, talem propugnabant doctrinam.

XXI. Licitas e contrario tales ſponſiones defendunt communiter iuniores tanta confidentia, ut ſi ego oppoſitum docuero, eorumdem cenſuras vix declinabo. At numquid ego ab antiquorum, & quidem Sanctorum, doctrina recedam, ut iſtorum opinationes clauſis oculis ſuſcipiam? Quas iſti rationes promunt? Audi. *Hi* contractus, inquiunt Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* IV. *punct.* III. *num.* 64. ſunt fortunæ, in quibus ſponſores æquali periculo ſe exponunt lucri, & iacturæ, nulloque iure prohibentur; ut probat Sanchez. Heinc ſolum colligitur, ludos fortunæ abſolute, & natura eorum a circumſtantiis præciſa, non eſſe malos. At nunc quærimus, utrum eiuſmodi ſponſiones in individuo, & omnibus circumſtantiis ſpectatis, ſint honeſtæ? Quærimus, quodnam ſit iſtius honeſtatis obiectum? Lucrum? Iactura? Hæccine honeſta officia? Quiſnam harum ſponſionum finis? Lucroſa victoria: adverſarii ſponſoris depreſſio, irriſio, & deſpicientia. Num aliquo in caſu ſponſiones iſtæ, ob ſolam cuiuſdam oblectationis cauſſam peractæ, ut dum inter amicos aliquid una comedendum luditur, vitio carere queant, ex circum-

Digitized by Google

cumſtantiis dignoſcendum erit. Ceterum ſponſiones illæ lucratoriæ, & pecuniariæ, quæ communiter fiunt ſuper bellorum exitu, ſuper aliorum ludorum victoria, vel iactura, ſuper aliis eventibus, niſi omnia Philoſophiæ moralis, nedum chriſtianæ Theologiæ, principia evertantur, a vitio purgari nequeunt. Erit ne veniale, an mortale hoc vitium? Ignoro. Ex circumſtantiis colligendum. Sponſiones iſtæ ex avaritia lucrandi, ex ſuperbia devincendi adverſarii, ex nimio & impotenti amore erga eventum pro quo luditur, ex partium ſtudio proficiſcuntur. Nullus hic honeſtus finis, neceſſitas nulla. Unde ergo iuniores noſtri tam aſſeveranter harum ſponſionum honeſtatem colligunt? Nullam ego ab iiſdem rationem productam vidi quæ honeſtas evincat lucratorias ſponſiones iſtas.

XXII. Salmanticenſes cum aliis Probabiliſtis docent *loc. cit.* hanc opinionem. Si unus diceret ſe certo ſcire; & nihilominus alter contenderet, & perſeveraret in ſua ſponſione, nolens credere dicenti: licite poteſt alius ſpondere, & lucrari; & ſuæ protervitati, & duritiei alter debet imputare detrimentum. Et pro hac opinione citant Dianam, Trullenchum, Villaloboſium, Sanchez, Pradum. Ubi in tali opinione caritas? ubi æquitas? ubi iuſtitia? Non credit ille tibi certo affirmanti ſe ſcire eventum, quia te deceptum exiſtimat. Imprudens utique eſt, & pervicax. Et tu ex eiuſdem imprudentia, & obſtinata ignorantia emolumentum colligere iure vales? Hoc ne Chriſti Evangelium permittit? Hoc ne Ethnicorum Philoſophia concedit?

XXIII. Cardinalis de Lugo *diſp.* XXXI. *ſec.* VI. *num.* 74. licite fieri ſponſionem docet quæ cum damno proximi eveniet: *quia*, inquit, *licet ſpondenti detur occaſio optandi mortem Petri; hoc tamen per accidens eſt.*

XXIV. Idem Cardinalis de Lugo *ibi num.* 75. hæc ſcribit. *Infertur ſecundo, non eſſe etiam de iure naturæ illicitum ſponſionem facere ſuper peccato committendo, vel non committendo ab aliquo tertio. Ita Sanchez cum aliis.* Quodnam iſtius ſponſionis obiectum? Peccatum. Nonne honeſtum? Quinam finis? Lucrum. Nonne ſanctum? Sanctum, inquit Auguſtinus, quod volumus. Nolo plura recenſere. Ex paucis quæ obiter indicavi, collige quam verum ſit effatum Alexandri VII. nempe Doctores iuniores modum opinandi inveniſſe ab evangelica ſimplicitate alienum.

§. UNICUS.

P. Cæſaris Calini opiniones de ludis lucratoriis qui ex induſtria, & fortuna pendent, refelluntur.

I. R. P. Cæſar Calini novem prolixis lectionibus, quæ ſecundam partem *Tom.V. in Lib.I. Regum* formant, ludi lucratorii argumentum diſpicit *lingua italica*. Et quoniam opiniones, ut imbecillitati meæ videtur, laxiores a Caſuiſtis excogitatas defendit, illaſque e ſuggeſtu nobili iuventuti uberrima eloquentiæ vi perſuaſit primum voce, poſt publicis typis univerſæ chriſtianæ genti; ideo pretium operæ exiſtimavi eaſdem pro modulo meo refellere. Nemo itaque vitio vertere mihi iure valet, earumdem opinionum confutationem, hypotheſi facta quod falſæ ſint, viamque nobili iuventuti, & Chriſtianis omnibus aperiant latiſſimam ad ludos lucratorios frequentandos, ex quibus illa proficiſcuntur abſurda quæ omnibus (heu nimium!) comperta ſunt. Num vero falſæ doctrinæ hypotheſis vera ſit, ex iis quæ dicturus ſum, lector colliget.

II. *Lectione 1.* recenſitis argumentis Theologorum qui ludum, principaliter ob lucrum peractum, peccati damnant, hæc ipſe ſcribit *pag.* 17. „ Io mi avvedo, „ che queſta dottrina reca qualche turbazione alle anime timorate, le quali con „ ragione hanno in orrore il prenderſi per paſſatempo un peccato, *benchè veniale*. „ Voi già dite nel voſtro cuore: Queſto inſegnamento ci ſembra *più ſevero che* „ *vero:* e in queſto io mi accordo con voi: e meco con voi ſi accordano un „ Cardinale de Lugo..., un Sanchez... un Urtado,.. un Molina,.. un Valenza, „ e la *piena maggior de' Dottori*, inſegnando, che il giuocare anco a fin di guadagno, e ancora a fin di GRAN GUADAGNO, ſe altronde non intervenga „ qualche circoſtanza peccaminoſa, non è *in sè ſteſſo alcun peccato*. “

III. Quam ſit doctrina iſthæc Chriſti Ieſu Evangelio conſentanea, iudicet pius & prudens lector. Clamat S. Paulus; *Omnes qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa nociva*. Inhiare ergo per ludum lucro, & quidem *ingenti*, omni culpa etiam veniali vacat? Erit ergo virtutis officium? Ecquid ni? reponit *pag.* 26. „ Ora vi aggiungo: il giuoco mode„ rato ſecondo a' dettami del retto, non ſolo è innocente, e libero da ogni col„ pa, ma può eſſer ancora merito di gloria del Paradiſo. La dottrina è dell' An„ gelico S. Tommaſo. *Ludere ad recreationem, ſervato modo eutrapeliæ, quæ me*„ *dium tenet in ludis, meritorium erit in eo qui caritatem habet*. (S. Th. in II. „ diſt. xl. art. 5. cap.) *Vedete, o Aſcoltanti, che io non pretendo ingannarvi: nò,*

„ *non*

„ *non vo atterrirvi col falſo. Dove la verità fa ſpavento, non vo diſſimulare il vero,*
„ *per non recarvi ſpavento: e dove la verità conforta, godo d'inſtruirvi nel vero,*
„ *anche a fine di recarvi conforto.*"

IV. Conſortamini ergo o luſores, qui ingentis lucri ludo dum operam datis, comparare non modo terrenas, ſed & æternas quoque divitias feliciſſime valetis. Quæ profecto doctrina benignior, ſuavior, & ad perfundendos gaudio, lætitia, & conſolatione luſorum animos efficacior? Quis fidem non adhiberet ſacro Concionatori, e Chriſti cathedra talia aſſeveranti, S. Thomæ Aquinatis auctoritate producta? Onus mihi a profeſſione mea impoſitum, Aquinatis doctrinæ ab impoſturis aſſerendæ, urget ut Rempublicam litterariam moneam, Concionatorem noſtrum humanæ naturæ lapſum paſſum eſſe, lectores ſuos fide bona decipere, ſummamque invidiam Angelico Doctori conflare. De ludo, in verbis factiſve ſito, ad animi ſolamen peracto, loquitur Angelicus; ſecus de *lucratorio*. Si vel unicum verbum in operibus S. Thomæ reperiatur ex quo erui poſſit, ludum ob lucrum, & quidem magnum, principaliter intentum, honeſtum eſſe, & aliqua Paradiſi gloria dignum, graviſſimas luere pœnas volo. Vel ipſam mercaturam, nedum ludum, ob lucrum frequentatam, turpitudinem præferre Aquinas docet, ut ſupra admonui. Excuſandus Concionator eſt, quod forte in aliquo Doctorum quos pro ſua opinione allegat, eiuſmodi falſiſſimum commentum legerit.

V. *Lectione* II. Quærit Auctor noſter: *Se il giuocare con carte, o dadi ſia peccato; e ſe ſia peccato il giuocare per molto tempo?* Reſpondet primo his verbis.
„ E quanto alle carte, e dadi, primo ſi condannano da'Santi Padri. S. Baſilio ſi
„ ſcaglia contro de'ſuoi uditori, perchè dopo la ſua predica ſarebbero paſſati a
„ tai giuochi; e dice, che a queſti aſſiſte il demonio per rinvigorire la voglia.
„ *Si vos dimiſero, & concilium hoc diſſolvero, ſunt qui protinus ad teſſeras, aleaſ-*
„ *que ſe conferent. Ille ſpiritus malignus aſſiſtit, furorem punctis oſſibus illis luden-*
„ *tium, inſaniamque accendens* (S. Baſil. Hexam. hom. VIII.) S. Efrem tra le ope-
„ razioni del demonio, alle quali dee rinunziare chi riceve il batteſimo di Gesù
„ Criſto, numera il giuoco delle carte e dadi... S. Cipriano ſcriſſe un libro in-
„ tero ſopra queſto giuoco, e lo chiama colpa mortale.... S. Ambrogio lo dete-
„ ſta, e dice tra le altre coſe: *Vitæ hanc aleam rectius dixerim quam pecuniæ*
„ *Sub momento fertur quod valeat æternum* &c.

„ Secondo. I giuochi di tal qualità ſi condannano da' Savi, benchè gentili.
„ Ariſtotele (IV. Eth. I.) fa come un faſcio di ſimili giuocatori, e gli uniſce di
„ camerata co'ladri, e tutti gli dichiara infami. Platone (in Phæd.) afferma;
„ queſto eſſere ritrovamento del demonio. Aleſſandro il Macedone non li tollerò;
„ e li punì nella ſua corte ec.

 „ Ter-

„ Terzo. I giuochi di tal qualità ſi condannano dalle leggi, e da' ſacri Cano- „ ni. Si vietano dalle leggi ſeconda, terza, e quarta de' Digeſti al titolo *de alea* „ *luſu*..... Si uniſcono il braccio ſecolare ed eccleſiaſtico ad inſeguirlo. Certa- „ mente tra gli ottanta cinque canoni degli Apoſtoli, mentovati, e ricevuti nel „ ſeſto Sinodo il 42. dice così. *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aleæ,* „ *atque ebrietati vacans, aut deſinat, aut deponatur.... Similiter etiam laicus.* Il ſeſto „ Sinodo Coſtantinopolitano intima la ſteſſa pena della ſcomunica. *Nullum omnino,* „ *ſive Clericum, ſive laicum, ab hoc deinceps tempore aleæ ludere permittatur. Qui* „ *ſecus fecerit, excommunicetur*..... Finalmente il ſacro Concilio di Trento nel „ capo primo della ſeſſione venteſima ſeconda conferma in queſto gli antichi ca- „ noni, e le lor pene, laſciando agli Ordinarj la libertà di accreſcerle. “

VI. Hæc ſunt rationum momenta quæ, pluribus a me omiſſis unico brevitatis ſtudio, contra ludum alearum & taxillorum adducit P. Calini. Urgentiora ſane afferri nequeunt. Quis itaque ſibi in animum induceret, P. Concionatorem idcirco hæc & Patrum, & Conciliorum, & Canonum, immo ipſorum Ethnicorum teſti-monia adverſus alearum, & taxillorum pravitatem adduxiſſe, ut eadem deluderet? Si ego dicerem, P. Concionatorem veritum fuiſſe ne iuvenes nobiles, legentes præſata Patrum, Conciliorum, Canonum documenta perterreſacti, ab aleis & taxillis prorſus abſtinerent; ideoque illorum mœſtitia motum, animos illis feciſſe ad taxillos aleaſque tractandas: lectores mihi, tamquam impoſtori, ſuccenſerent. Quamobrem reſcribere cogor quæ continuo ſubdit ibidem P. Concionator.

VII. „ Se foſſe mia intenzione di atterrirvi in qual ſi voglia maniera dal giuo- „ co, non d'inſtruirvi ſinceramente nel vero, vi laſcerei la pena di cercar la ri- „ ſpoſta a queſti argomenti (N. B.) Ma io vo che ſiate ben informati: onde *ſen-* „ *za anſietà, e ſenza ſcrupoli* diſtinguerete il vero dal falſo, il ſodo dall'appa- „ rente, l'illecito dal lecito'. Per tanto a ben intendere la forza de'canoni, e „ delle leggi... e degli Scrittori, e *de' Padri*, dovete ſapere ciò *che notano i Dot-* „ *tori*, che il nome di *aleæ*, uſato nelle citate autorità, nè ſignifica ogni giuoco „ che ſi eſeguiſca con carte o dadi, nè ſignifica i ſoli giuochi che ſi eſeguiſcono „ con carte, o dadi. “

VIII. Prolixo ſermone varios ludos chartis, & taxillis fieri ſolitos, alios a ſola ſorte, alios ab induſtria, & ſorte pendentes, diſtinguit: & poſt plura eiuſmodi de ludis alearum, & taxillorum, vetitis a ſacris canonibus, hæc ſubiicit pag. mihi 38.

IX. „ Però, acciocchè vediate *con quanta ſincerità io v'informi*, ſchiettamente „ confeſſovi *colla piena de' Dottori*, che nè pure tai giuochi, almeno a quelli che „ non ſono Eccleſiaſtici, *nel giorno d' oggi* ſono proibiti. Le leggi, è vero, *ſono*

„ *aſſai*

„ *aſſai chiare : i canoni ſono paleſi* : ma o non ſi accettaſſero nella loro pubblica-
„ zione, o ſi abrogaſſero da una conſuetudine tollerata per lungo tempo, al dì d'
„ oggi non ſono in vigore. (N. B.) Parmi che accada al giuoco ciò che accade
„ a un fortunato falcone : l'aveano preſo di mira gli uccellatori, perchè di tan-
„ to in tanto ghermiva, e ſpennacchiava i poveri uccelletti delle loro gabbie :
„ più volte aveano contro lui dirizzati i lor colpi, ma non l'aveano mai colpi-
„ to : finalmente *tocco da piombo diſcreto leggermente in un'ala , l' ebbero nelle*
„ *loro mani, e tra quelle ſi addomeſticò*. Quando cominciò ad eſſer domeſtico,
„ laſciò d'eſſer perſeguitato : lui nutrivano, con lui ricreavanſi, tanto caro, dopo
„ averlo famigliare, quanto odiato, mentre era loro ſtraniero. I Legiſlatori ve-
„ devano le famiglie ſuddite frequentemente o lacerate, o ſpennacchiate dal giuo-
„ co : lo preſero di mira colle loro leggi; ma la ferita fu aſſai leggera. (*Excom-*
„ *municatio leve vulnus?*) Finalmente entrò nelle loro caſe: e già è trattenimen-
„ to di loro delizie quello che fu berſaglio delle loro ſaette. Giuocano i Princi-
„ pi, giuocano i lor miniſtri, giuocano i ſudditi, giuocano pubblicamente : nè go-
„ verno eccleſiaſtico, o ſecolar ſi attraverſa, nè gaſtiga, nè reclama col diritto
„ alla mano : dunque queſto diritto non vive. *Così il Cardinal de Lugo, il Moli-*
„ *na, l'Omobuono, il Regio, il Filliuccio, il Leſſio, il Salas, il Diana (coord. Tom.VI.*
„ *tract.* IV. *reſ.* I.) *gli altri, ed IO con eſſi : onde ſi fa aſſai chiaro, non eſſere viola-*
„ *tore di tali dritti il laico che giuoca, e per tal parte non aggravarſi di colpa nè*
„ *pur VENIALE*. "

X. Hæc meditetur pius, & prudens lector. Fatetur P. Concionator, omnes Ethnicorum Sapientes, Platonem, Ariſtotelem, Alexandrum, Chilonem Lacedæmonem, ceteroſque Philoſophos ludum alearum, & taxillorum furti loco habuiſſe Fatetur Cyprianum, Baſilium, Ephrem, Ambroſium, alioſque Patres eiuſmodi ludos execrari. Fatetur leges tum civiles, tum eccleſiaſticas hos ludos ſevere vetare. Fatetur tandem xv. ſæculorum ſpatio ſacros canones ſeveriſſimas pœnas eiuſmodi ludentibus inflixiſſe : quos canones, inquit, & pœnas confirmavit *Concilium Tridentinum*. Vim itaque obligandi a primis Eccleſiæ ſæculis uſque ad Concilium Tridentinum habuerunt canones iſti. Immo, ſi Concilium Tridentinum, teſte P. Concionatore, hæc omnia confirmavit (*Finalmente il ſacro Concilio di Trento conferma in queſta materia gli antichi canoni, e le lor pene*) ergo etiam poſt Tridentinum leges viguerunt uſque *ad Doctorum plenitudinem*. Quinam Doctores iſti? *Un Diana, un Filliuccio, un Sanchez, un Salas, un Molina, un de Lugo, gli altri*, ideſt *Tamburinus, Eſcobarius, Caſtropalaus, Caramuel, Sporer, Leander* &c. Hæc eſt Doctorum plenitudo. At nonne Doctores ſunt Eccleſiæ Patres? Quis Chriſtianorum Doctores conſtituit defenſores iſtos alearum, & taxillorum? Quibus rationibus nixi novi iſti Doctores audent adverſus Patres omnes, adverſus leges, adver-

ſus ſacrorum Conciliorum canones vexillum erigere? Quia, inquit Auctor noſter, ludo alearum, & taxillorum evenit id quod accidit *fortunato falconi*, qui leviter læſus, in manus venit percuſſorum, quibuſcum dulce & perpetuum amicitiæ, familiaritatis, & domeſticæ conſuetudinis fœdus inivit. Similiter ludus, levi & blando vulnere a ſacris canonibus ſauciatus, ingreſſus nobilium præſertim domos, evaſit deliciarum, & oblectamenti materies, quem prius legum ſeveritate perſequebantur. Ludunt Principes, ludunt miniſtri, ludunt ſubditi, ludunt publice. Ergo licitus ludus eſt, infert *la piena de' Dottori*. At hi omnes ludebant etiam omnibus ſæculis uſque, & poſt Concilium Tridentinum. Alterutrum ergo: aut erravunt Patres, Concilia, & Sapientes omnes tum chriſtiani, tum pagani xv. ſæculorum: aut errant Diana, Filliucius, Homobonus, Lugo, Molina, Salas, & alii. Ludunt Principes, ludunt miniſtri, ludunt ſubditi, ludunt publice: ergo licitus ludus? Si hæc conſecutio legitima eſt; actum de legibus omnibus. Clamant Scripturæ ſanctæ: *Omnes avaritiæ ſtudent: Omnes declinaverunt: Non eſt qui faciat bonum*. Ergo honeſta avaritia, honeſta fenora? Clamant Scripturæ ſanctæ: *Ne ſequaris multitudinem ad peccandum*: & Doctorum recentium plenitudo ex multitudine ludentium, alearum, & taxillorum honeſtatem infert.

XI. Verum, ut Concionatoris, & recentium Doctorum ſophiſmata luculentius pateant, diſtinguendæ ſunt pœnæ, & anathemata, in aleæ luſores a ſacris Conciliis lata, a ludi pravitate. Abrogaverit, per me licet, temporis præſcriptio pœnas præfatas; at propterea ne abrogata eſt ludi iniquitas? Propterea ne abrogata ſunt abſurda quæ ludum hunc conſequuntur? Cur Ariſtoteles, Plato, Cicero, & ceteri ſapientes pagani: cur Patres omnes, cur Concilia, cur Canones, cur ipſæ civiles leges unanimi conſenſu ludum hunc prohibuerunt? Cur ſapientes omnes tum ethnici, tum chriſtiani tam ſevere execrati, & deteſtati ſunt ludum hunc? Si indifferens eſſet; fieri ne potuiſſet ut omnes in eiuſdem damnationem conſenſiſſent? Alterutrum ergo: aut pravus & iniquus eſt ludus iſte abſolute, & moraliter ſpectatus, ſeu ut communiter exercetur, & præciſo aliquo caſu (moralia enim moraliter tractanda ſunt) aut errarunt omnes ſapientes tum pagani, tum chriſtiani, tum Concilia, tum Legislatores. Falſum ſecundum. Ergo verum primum. Pœnæ ſeveriſſimæ luſoribus inflictæ, & ferventiſſimæ Patrum, omniumque Eccleſiæ Doctorum contra ludum hunc declamationes, eiuſdem produnt iniquitatem. Aberrant ergo Doctores caſuiſtæ, dum ex præſcriptione contra pœnas inferunt præſcriptionem contra ludi pravitatem. Primum, ſecus ſecundum, præſcriptioni ſubeſt. Verum Patrum teſtimonia hac benigna interpretatione exponit Auctor noſter pag. 41. *I Santi Padri hanno ragione di alzar la voce contro il giuoco, regolato principalmente dalla fortuna... Così declamano contro gli ornamenti, contro le ricchezze, contro il vino: e le loro declamazioni vanno a ferire l'abuſo, non l'uſo*

Digitized by Google

l'uſo: così non deteſtano il giuoco, ma ſolamente il mal uſo del giuoco. Ludus ergo alearum, & taxillorum licitus eſt, quemadmodum uſus vini, ornamentorum, & divitiarum? Patres non ludum alearum, ſed abuſum dumtaxat inſectantur? Immo e contrario ideo ludum alearum abſolute deteſtantur, quia in praxi tot illum conſequuntur abſurda & ſcelera, ut moraliter loquendo abſolute vitioſus ludus iſte ſit. Illa enim in genere moris abſolute mala ſunt quæ communiter & ut plurimum ſcelerum cauſſa ſunt. Sed quid ego operam ludo in refellenda doctrina quæ pii prudentiſque tum chriſtiani, tum pagani lectoris dedignationem & odium ſibi conciliat, niſi me meus amor fallat?

XII. *Lectione* IV. Inquirit Auctor: *Se il giuocare di ſomma grave ſia peccato mortale?* Poſt exordium concionis ſic reſpondet. „ Ora, o giuochiſi con danaro „ preſente, o giuochiſi con maggior pericolo ſulla parola, noi dobbiamo vede„ re, ſe il giuocare di ſomma grave ſia peccato mortale. Se il queſito ſi ferma „ in sè ſteſſo, in maniera che non intervenga altra circoſtanza peccaminoſa, ri„ ſpondo, non eſſer colpa mortale. Queſta dottrina reſta già ſtabilita nella pri„ ma lezione. Se la ſomma ſia in eccеſſo, non potrà a meno che non abbia il „ reato di colpa veniale; o ſia poi di avarizia, o ſia di prodigalità, o ſia di diſ„ ſolutezza, o ſia d'imprudenza, ciò poco importa. Ogni virtù vuole la medio„ crità: dunque ogni eccеſſo la offende: dunque ancor l'eccеſſo della ſomma „ che eſponeſi al giuoco. Dunque queſto eccеſſo è peccato: non mortale, ſe ſi „ conſideri in sè ſteſſo, come dalla citata lezione ben ſi comprende: dunque „ veniale. "

XIII. Omnis quæſtio in qua de peccato mortali agitur, periculoſe determinatur, niſi veritas expreſſe habeatur, inquit S. Thomas. Unde ergo colligit Auctor ſummam in exceſſu ludo expoſitam venialis culpæ limites non tranſilire? Unde trutinas iſtas gradus malitiæ ponderandi accepit? A plenitudine Doctorum iuniorum, forte reponet. At Patres omnes, qui revera ſunt Eccleſiæ Doctores, docent, mortaliter peccare eiuſmodi luſores, præſertim dum ingentem ſummam ludunt. Novi autem Doctores caſuiſtæ contendunt, actum exercere virtutis illos qui magnam ſummam pecuniæ aleæ exponunt, ut aliam ingentem ſummam lucrentur, niſi circumſtantiæ illam inficiant. Si vero ſit in hac ſumma exceſſus, tum eſt culpa venialis. Eccur? Quia quilibet exceſſus virtutem, quæ inter extrema medium tenet, inficit. Virtus ergo ludus aleæ eſt, dummodo pecuniæ ſumma ſorti expoſita, tametſi magna, non ſit excedens? Quiſnam iſtius exceſſus iudex? Luſor? At is ſummam excedentem mediocrem vocabit. Quid tum? Nec peccatum veniale erit.

XIV. Liceat nunc mihi hanc doctrinam ad ſacroſanctum Evangelii tribunal revocare. Impotens illud deſiderium diteſcendi, immanis illa cupiditas depopulan-

di aliarum familiarum patrimonia, æſtus ille ſpoliandi ſocios luſores, affligendi victum ſocium, truculenta illa victoria, tot calamitatum fecunda, hæc omnia aut virtutis officia ſunt, aut venialis noxæ confinia non tranſiliunt: quia victor victoriam medio ludi contractu licito aſſequi intendit? Quod ſocius in hoc aleæ certamine ſecundo ſanguine exhauſtus iaceat, quod ad extremam miſeriam redigatur, quod eiuſdem domeſtici, uxor, fratres, filii, parentes mœſti, afflictique lugeant; hæc omnia ſunt præter victoris intentionem, & per accidens ſe habent ad victoriam, licito ludo comparatam? Iudicet prius prudenſque lector, ſint ne hæc evangelica, aut antievangelica. Quid quod Chriſtus graviſſime imperat ut ſuperflua in pauperes erogentur? Summa illa magna & excedens, ludo aleæ applicanda, aut neceſſaria eſt ſtatui familiæ ſervando; & tum peccatum grave eſt eamdem in alea prodigere: aut ſuperflua eſt familiæ ſtatui; & tum peccatum eſt eamdem pauperibus ſurripere, ut ludo tradatur.

XV. Reſpondet huic doctrinæ Auctor noſter *Lectione* VI. pag. mihi 124. his verbis. „ Se voleſſi trattare queſto argomento con dottrine ſevere, vi potrei di„ re, che hanno allora peccato gravemente contro al precetto della limoſina, „ e carità; e potrei formare l'argomento così. Perdendo la groſſa ſomma che „ arriſchiate nel giuoco, voi dite non ſeguirne detrimento nè alla famiglia, nè „ a'creditori: dunque: dunque, inferiſco, tutta queſta ſomma vi è ſuperflua nel „ voſtro ſtato. *I Santi, e i Teologi* dicono, che il ſuperfluo allo ſtato ſi dee dar „ in limoſina a'poveri. Dunque tal ſomma ſi dee dar in limoſina a'poveri .... „ Così potrei dirvi. Pur non vel dico. *Ammetto a voſtro favore le dottrine ben „ fondate, e diſcrete, che ci danno i Dottori.* " Audiſtin'? Sancti Patres, & Theologi *doctrinas ſeveras* perhibent. Et hoc verum habet: quia evangelica doctrina non ſevera modo, verum ſeveriſſima etiam eſt cupiditati, carni, & ſanguini. *Doctores* tibi porrigunt doctrinas *bene fundatas*, *& diſcretas*, ideſt tutas, ſed benignas, moderatas, mites. Quinam vero Doctores iſti? Iam ſupra tibi eos patefeci. Sed in maiorem confirmationem repetit ibidem pag. 126. *Così colla più comune il Diana, il Tamburino, il Viva* cum aliis iam recenſitis. Quænam hæc communior ſententia? Reſpondet, & concludit ibidem. *Pertanto come ſenza peccato ſi può arriſchiare in altro traffico MOLTO DANARO SUPERFLUO; così puoſſi TRAFFICARE NEL GIUOCO, ſenza violare il precetto della limoſina, e carità.*

XVI. Etiam ſuper hac doctrina pii, prudentiſque lectoris iudicium imploro. Imbecillitati meæ commenta duo hic ſe ſe offerunt inaudita. Primum, quod ludus aleæ ad genus mercaturæ, & ad contractum honeſtum revocari poſſit. Mercaturam licitam Patres aſſerunt ob neceſſitatem, commoditatemque tum publicam, tum privatam. Ludus aleæ, & taxillorum neceſſarius ne, aut utilis ſive com-

communi, ſive privato commercio, & ſocietati? Immo, tamquam perniciosum & familiis, & Reipublicæ, inſectati ſunt ſapientes omnes. Genus iſtud negotiationis invenit *la piena de' Dottori* Doctores caſuiſtici. Quæ negotiatio aleatoria incognita fuit ante Probabiliſmi nativitatem univerſæ antiquitati. Et tamen hoc chimæricum commentum, quod ex inſtituto, ſi otio abundavero, fuſius explodam, eſt unicum principium quod recurrit per omnes lectiones P. Calini. Porro, cum evidenter falſum ſit principium iſtud, evidenter quoque falſa eſt doctrina quæ ex eodem eruitur.

XVII. Alterum paradoxon, quod mihi antievangelicum videtur, eſt, quod Chriſtianus *multam pecuniam proprio ſtatui ſuperfluam* valeat in aleæ ludo negotiari, quin lædat præceptum eleemoſynæ, vel caritatis. Nam qui ludit, ideo hanc ſuperfluam pecuniæ ſummam aleæ exponit, ut alteram magnam pecuniæ ſummam lucretur. Si victoriam aſſequitur; iam aucta eſt pecuniarum crudeliſſima ſitis, quæ nullam excipit ſaturitatem: & en progreſſum aleæ in infinitum. Si ſuperfluam pecuniam amittit; cupiditas iacturæ reparandæ urgentius ad mercaturam aleatoriam impellit. Denique tot animi motus effrenati ludum hunc comitantur, ut qui in praxi velit illum innoxium reddere, aquam cribro colligat, & AEthiopem lavet. Utique P. Calini invehitur contra abſurda quæ hunc ludum conſequuntur. Deteſtatur blaſphemias, dolos, fraudes, mendacia, periuria, immoderatam aviditatem, & innumera alia mala quæ hunc ſociare ludum ſolent. Hæc omnia laudo, commendo, approbo; & falſa dumtaxat, quæ mixta veris, ut mihi videtur, docet, improbo. Admiſſa doctrina, quod ludus lucratorius aleæ ſit negotiatio licita, quæ cum virtutis merito exerceri queat, ob lucrum principaliter intentum, futiles ſunt declamationes contra abſurda quæ in praxi vix ſeparari ab hoc ludo poſſunt. Quapropter ſancti Eccleſiæ Patres, cæleſti luce perfuſi, immo ipſi Sapientes ethnici vi ſolius naturæ luminis ludum hunc abſolute condemnarunt, optime intelligentes, ludum iſtum negotiatorium adeo effrenatæ cupiditatis paſſionem accendere, ut abſque culpa exerceri reipſa communiter nequeat. Excuſo piam intentionem, & conſilium illud ſane mirificum, quo contendit Chriſtianos efficere luſores, quin ſint peccatores; ut ſcribit lect. IV. pag. 68. *Non ho genio di volervi a ogni patto peccatore, a viva forza. Guſterò, che ſiate giuocatore, non peccatore: anzi per tal fine vi vo moſtrando come s' inſinui nel giuoco il peccato, acciocchè GIUOCANDO non abbiate a peccare.*

XVIII. Iſte eſt ſcopulus, hæc ſyrtis, ad quam plurimi Doctores caſuiſtici alliſere. Immaniſſimas feras avaritiæ, & libidinis manſuefacere pia intentione ſubducendi animas illarum voracitati conantur, non freno ſevero & forti, non pabuli ſubtractione, ſed ſuavi & dulci alimento. Ludunt nobiles, Magnates, miniſtri, ſubditi, & Principes. Huic paſſioni, ſeu efferatæ beſtiæ, frenum iniicere, ſal-

falconem hunc fortunatum penitus interimere nemo valet. Quid ergo ? Reperiendus modus eſt, omnibus Sapientibus paganis, chriſtianis, Conciliis, Legumlatoribus incognitus, quo ludere, quo paſſioni effrenatæ indulgere, ſed temperate, ſed moderate, ſed ſobrie valeant. Cupiditatis falco, libidinis beſtia ſobrietatem, moderationem, temperantiam ſervare refugit. Si tangit mamillas, ad ulteriora impotenter progreditur. Si pecunias comparat, etiam magnas, maioribus inhiat, modumque omnem reiicit. Et quoniam Doctores caſuiſtæ hæc duo, nempe exercitium paſſionis cum ſobrietate, & temperantia a peccato etiam veniali, conſociare infelici conatu pertentarunt: ideo pio animo tollendi peccata mundi, mundum præter intentionem peccatis, virtutis fuco illitis, replevere. *Guſterò che ſiate giuocatore, non peccatore*. Chimæram chimærarum cupit Auctor noſter. Luſores ſuos nobiles auditores avet, & non peccatores ? Et hanc chimæram in deliciis habet ? Ludi negotiatorii paſſio eſt, ipſo fatente, libidinis appetitione effrenatior. Hæc vires corporis extenuat, nervos languidos efficit, & ad tempus ſaltem depreſſa iacet. Contra auri fames, & pecuniarum cupiditas numquam vires remittit; ſed, ſive victa, ſive victrix, ſemper ardentiores flammas, & funeſtiora incendia evomit, furit, depopulatur. Cuperes ne aſpicere nobiles auditores cum nobilibus, & pulchris puellis familiariter converſari, eaſdem blande alloqui, tangere, tractare, unaque pudicos, caſtos, immaculatos ? Abſit, inquis. Et deguſtas (*guſterò*) ſeu cupis, illos luſorias chartas tractare, pecuniam ludere: cupis illos certantes cum immani avaritiæ & cupiditatis beſtia; ſimulque ſanos, integros, & ſpiritu pauperes eoſdem anhelas ? En quam iure dixi, hanc eſſe chimæram chimærarum. Nec eſt quod opponatur, id docere Doctorum plenitudinem: quoniam hæc Doctorum plenitudo in conſpectu omnium ethnicorum Sapientum, in conſpectu Scripturæ ſanctæ, in conſpectu SS. Patrum, Conciliorum, & graviorum Theologorum nihil valet.

XIX. Verum, illud me ſtupore replet, quod recenſitæ doctrinæ, ſanctis Eccleſiæ Patribus evidenter contrariæ, e ſacra Chriſti cathedra recitatæ, & inculcatæ nobili iuventuti diebus dominicis fuerint, ſintque publicis typis editæ pro Chriſtianorum inſtructione, & quidem vulgari lingua: quæ vulgaris lingua adeo vellicat, & offendit, dum ab aliis adhibetur. Illud me ſtupore perſtringit, quod *Diana*, *Tamburinus*, *Sanchez*, *Lugo*, ceterique ſimiles, quorum opera ſcatent doctrinis ab Eccleſia proſcriptis, &, ut ego ſentio, pluribus aliis proſcribendis, e ſacro ſuggeſtu laudentur, tamquam Doctores Eccleſiæ, qui maturiori prudentia, & iudicio meliori quam ſancti Eccleſiæ Patres, ludi alearum, & taxillorum agnoverint naturam, eamque innocentem iudicaverint, quam velut pravam, iniquam, monſtroſam, crudelem omnes Sapientes execrati ſunt. Quibus adhærendum ? Tambutino, an Auguſtino ? Dianæ, an Cypriano ? Sanchez, an Ambroſio ?

Digitized by Google

ſio ? Lugo, an Baſilio ? Revocet pius prudenſque lector in mentem quæ hi recentes Doctores laxa, & inaudita paradoxa in quolibet fere Theologiæ tractatu doceant : & deinde concludat, quænam ſit iſtorum Doctorum auctoritas, quæ fides iiſdem ſit adhibenda, quo in pretio iſtorum opera moralia habenda ſint. Si de choreis ſermo ſit : Patres præter modum exaggerarunt, inquit Francolinus. Si de ludo loquamur : Patres non ludum aleæ, ſed tantum exceſſum, ut exceſſum cibi, & potus, improbarunt. Si de uſura diſputamus : Patres ſtilo concionatorio locuti ſunt. In controverſiis de eleemoſyna, de theatris, & ſexcentis aliis, generales tantum, & univerſales regulas, caſibus particularibus minime applicatas, Patres præſcribunt. Hæc omnia luculenta ſunt, & reſonant in operibus Caſuiſtarum, qui Doctores ſe ſe mutuo urbaniſſime appellant. Quo malorum, & corruptelarum hic opinandi modus recidat, quiſque experientia doctus cognoſcere valet. Lacrymantur Italiæ, ne dicam Europæ, familiæ, quod tot iuvenes theatralium muliercularum præſtigiis capiantur, quod patrimonia ludis prodigant, quod libidinis lue infecti ſordeant. Interim illos Caſuiſtas ſummis præconiis, & plauſu univerſali extollunt qui theatrorum, qui chorearum, qui ludorum honeſtatem propugnant.

C A P U T XVI.

De aſſecuratione.

I. ASſecurationis contractus eſt *quo, pacto pretio, aliquis rei periculum ſuſcipit, damnum ſive in totum, ſive in partem compenſaturus*. Hæc aſſecuratio contrahitur, dum quis pecuniam traiectitiam, aut merces, aut navim, quæ per itinera periculoſa vehi debet, ita aſſecurat, ut ſi forte perierit vel naufragio, vel incendio, vel pyratarum incurſione, ipſe debeat damnum compenſare iuxta conventionem factam pro pretio accepto. Pretii quantitas debet eſſe ſecundum platearum, ſeu conſulatuum leges. Contractum hunc licitum adfirmant omnes, dummodo conditiones legitime præſcriptæ ſerventur. Diſputant iuniores, ad quem contractum aſſecuratio revocari debeat. Alii ad contractum ludi, alii ad contractum innominatum, alii ad contractum ſponſionis aſſecurationem hanc revocant. Sed, ut advertit P. Nicolaus Gennaro *recog. v. §. 1.* verbis ludunt Auctores iſti. Siquidem aſſecuratio ſeipſa ſpecies contractus eſt, quemadmodum mutuum, locatio, venditio &c. ut ex eiuſdem, quam dedi, finitione conſtat.

II. Contractus aſſecurationis iuſtitia manifeſta eſt. Nam aſſecurator ſuſcipit in ſe onus compenſandi damnum, ſi res aliena perierit : quod onus pretio æſtimabile

bile eſt. Aſſecuratarius pretium ſolvit aſſecuratori, proportionatum obligationi ſuſceptæ. Iuſtus ergo ex utraque parte contractus ſit. Nullum in hoc contractu mutuum, ſive expreſſum, ſive implicitum; ut patet. Lucrum turpe non eſt, utpote lege nulla vetitum. In cap. *Naviganti*, quia aſſecurator eſt ſimul mutuator, ob uſuræ ex mutuo perceptæ periculum prohibita aſſecuratio eſt. Ceterum aſſecuratio abſolute ſpectata nullam prodit iniuſtitiam, nullumque præfert uſuræ periculum. Ex alia parte contractus utilis, & neceſſarius eſt negotiationi, & Reipublicæ. Sæpe enim mercatores in navibus mercibus onuſtis totum patrimonium, aut magnam partem habent. Quid ipſis utilius, quam tenui pecuniæ ſumma aſſecuratoribus ſolvenda, ſecuram reddere negotiationem, immunes a periculis conſtituere merces ſuas, & naves?

III. S. Antoninus *III. Part. tit.* VIII. *cap.* II. *§.* I. aſſecurationis contractum hoc modo deſcribit, & probat. *Petrus habet mille florenorum valorem in mercimoniis in navi de Anglia, Flandria, vel Hiſpania Piſas deferendis: dubitat, vel timet de ſubmerſione navis, vel captura a pyratis. Dat, vel offert Martino quinque, vel decem pro centenario plus vel minus, ſecundum quod plus vel minus timetur de periculis pro ſecuritate ſuper his fienda, cum aſſenſit, ſumens in ſe periculum dicti lucri . . . Ille igitur Martinus acceptis illis quinque, vel decem pro centenario, ſi merces ſalvæ conducuntur, ſibi retinet illud lucrum ratione ſecuritatis; ſed ſi navis periret, vel caperetur ab hoſtibus, Martinus teneretur de mille florenis pro ſecuritate facta. Licitum reputatur tale lucrum ratione periculi quod ſubiit.*

IV. Etiamſi contractus iſte aſſecurationis ad aleæ contractum revocaretur, ut contendunt aliqui; non ideo tamen foret improbandus. Quoniam contractus iſte neceſſarius eſt, & utilis Reipublicæ; ut experientia conſtat. Confert enim plurimum felicitati mercaturæ, & commercii publici. E contrario ludus aleæ noxius eſt tum familiis, tum Reipublicæ; nulluſque finis occurrit qui honeſtare eum valeat, ut ſupra declaravi.

V. Quatuor aſſignare conditiones ſolent Auctores pro iuſtitia aſſecurationis contractus. Prima, ut pretium ſit iuſtum iuxta platearum conſuetudines & leges, quæ pro maiori, aut minori periculorum quantitate, & qualitate pretium augent, aut minuunt. Secunda præſcribit ut vera ſint pericula, quæ tum aſſecuratori, tum aſſecuratario nota eſſe debent. Tertia requirit rem quæ aſſecuratur, reipſa exiſtere. Quarta poſtulat ut aſſecurator in bonis habeat tantumdem æquivalens merci pro qua aſſecurationem præſtat. Addunt alii quintam, nempe ut aſſecuratio libere a contrahentibus fiat, & non coacte.

VI. Pro clariori ſecundæ conditionis intelligentia colliges, aſſecuratorem non poſſe pretium accipere, quando ſcit navem iam eſſe in tuto, portumque attigiſſe;

Digitized by Google

ſe, tametſi hoc ab aliis ignoretur; quemadmodum, ſi is qui aſſecurationem petit, ſcit navem, vel merces iam periiſſe, aut in proximo, & evidenti periculo pereundi extare, non poteſt ſecuritatem, pacto pretio, ab alio exigere. Pericula ergo dubia eſſe debent, & reſpectu utriuſque partis æqualia. Quid dicendum, quando qui aſſecurat, licet non habeat certam notitiam, merces, aut naves ad portum perveniſse, ſcit tamen pericula magna ex parte ceſsaſse: aut quando aſſecuratarius e contrario, licet certam notitiam non habeat, navem iam periiſse, ex litteris tamen, vel ex rumore intellexit, eſse proximam iacturam; & hæc notitia alterum latet? Reſpondeo, tunc neceſsariam eſse reſtitutionem pretii pro quantitate incrementi, vel decrementi periculi. Quoniam præfata omnia inæqualitatem pariunt in contractu.

CAPUT XVII.

De fideiuſſione, pignore, hypotheca, & tranſactione.

I. Fideiuſſio communiter definitur, quod ſit *alienæ obligationis in ſe ſuſceptio, qua quis ſe ad eam implendam obſtringit, principali debitore deficiente*. Vocant hunc contractum ſubſidiarium, ſeu acceſsorium, quatenus accedit ad confirmandum aut præſentem, aut futurum contractum. Quare fideiuſſio non eſt principalis, ſed acceſsoria obligatio, quæ priorem ſupponit obligationem. Quare qui ſe pro alio debitorem principalem conſtituit, non eſt proprie fideiuſsor; cum non ſe obliget in defectum alterius, ſed principaliter, qui poteſt primo conveniri. Heinc ſequitur, obligationem fideiuſsoris non excedere obligationem debitoris principalis, neque ad plura extendi. Quare ſi debitor debet quinquaginta, fideiuſsor non debet quinquaginta & unum. Si obligatio debitoris invalida eſt, nulla quoque evadit obligatio fideiuſsoris. Nec fideiuſsor poteſt conveniri, niſi prius iuridice conveniatur debitor, quando huic privilegio ordinis fideiuſsor non renuntiaverit; ut communiter contingit in præſens. Fideiuſsores enim ſolent ſe ſe conſtituere tamquam debitores principales, qui vulgo appellantur *Mallevadori in principalità*.

II. Fideiubere omnes illi poſsunt qui ſe principaliter obligare valent, ſeu qui bonorum liberam adminiſtrationem, & dominium habent. Quapropter pauperes, pupilli, filiifamilias, mulieres, Regulares fideiubere nequeunt. Plura quæ diſputari de hoc contractu ſolent, prætereo: quia ad forum externum attinent.

III. Pignus, & hypotheca pro eodem accipi ſolent. Hi tamen contractus preſſe accepti differunt. Nam pignus eſt de ſolis mobilibus, quæ conſignantur: hypotheca de immobilibus ſolis, quæ tradi non ſolent.

IV.

IV. Pignoris in rigoroſo ſenſu accepti hæc eſt finitio: *Contractus quo res mobilis creditori traditur in ſecuritatem debiti*. Communiter ſumitur pro ipſa re quæ creditori traditur. Hypotheca ſic definitur: *Contractus quo res immobilis, nuda conventione, abſque traditione obligatur creditori in ſecuritatem debiti, ut ſi alter non ſatisfaciat, inde peti poſſit ſatisfactio*. Pignori ſubiici poſſunt quæ ſunt venalia; quæ vendi nequeunt, oppignorari non poſſunt: & qui facultate vendendi carent, oppignorandi poteſtatem non habent. Creditor vendere pignus iure valet, elapſo ſolutionis termino: neque reddere pignus tenetur, niſi ſoluto toto debito.

V. Hypotheca duplex. Generalis, qua quis omnia bona ſua tum præſentia, tum futura obligat. Particularis hypotheca eſt qua quis rem aliquam determinatam obligat. Hæc hypothecaria obligatio ita rem ſubiectam hypothecæ afficit, ut eam comitetur, quocumque, & ad quemcumque perveniat. Rurſus hypotheca alia expreſſa, alia tacita. Expreſſa, conventione mutua partium celebratur, vel iudicis auctoritate. Tacita, ipſa iuris diſpoſitione in priori celebrato contractu includitur; ita ut continuo ac celebratus contractus eſt, vi legum oriatur hypotheca, qua bona unius contrahentis alteri obligantur.

VI. Tacitæ hypothecæ plures numerantur. 1. Uxor hypothecam tacitam habet in omnibus mariti bonis. 2. Bona cuiuſcumque debitoris ſunt tacita hypotheca ſubiecta fiſco. 3. Bona uxoris dotalia ſunt oppignorata marito. 4. Pupilli, & minorennes ius in bona tutorum, & curatorum habent pro legitima procuratione, ſeu adminiſtratione. 5. Bona parentum ſunt hypotheca tacita obligata filiis pro adminiſtratione bonorum quæ adventitia, vel caſtrenſia nuncupantur. 6. Proprietariis ſunt ſubiecta bona locata, aut in emphiteuſim data pro penſionibus ſolvendis. 7. Eccleſia ius acquirit in bona miniſtrorum pro ſuorum bonorum adminiſtratione. Plures alias tacitas hypothecas numerant ICti, quas recenſere non intereſt.

VII. Tranſactio *conventio eſt oneroſa, qua dubia iura, & incerta inter partes componuntur*; ut definitur ff. *de tranſact.* l. *Qui tranſigit*. Tranſactio, legitime inter partes conſtituta, eadem vi pollet ac iudicis ſententia. Quare, ea ſemel peracta, non conceditur ius in integrum, niſi læſio enormis appareat. Utinam frequentior eſset hic contractus; utilior ſane utrique parti quam tot lites, quarum deciſiones vel ipſis victoribus pernicioſæ eſse ſolent ob ingentia diſpendia in quæ prodigere pecunias ſuas aſtringuntur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

De emphyteuſi, feudo, commodato, precario, & depoſito.

I. EMphyteuſis vox græca eſt, quæ latine inſitionem, ſeu implantationem ſignificat: quia olim inculti fundi excolendi, & inſerendi colonis tradebantur, conceſſo ipſis dominio utili, cum onere ſolvendi penſionem aliquam aut fructuariam, aut pecuniariam. Eius finitio eſt: *Contractus quo rei immobilis dominium utile ad longum tempus transfertur, directo retento, onere impoſito annuæ penſionis ſolvendæ.*

II. Licet emphyteuſis affinis ſit locationi, ab ea tamen differt, ut ex primis particulis conſtat. Nam emphyteuſi ſola bona immobilia ſubiacent, & ad longum tempus; locari vero etiam bona mobilia valent, & ad breve tempus: in longum autem tempus traduntur fundi, emphiteuſi ſubiecti. Longum tempus non debet eſſe minus decennio; nec ſolet ultra 99. annos protrahi: quamquam nihil impediat quo minus perpetui ſint eiuſmodi contractus. Emphyteuta, ſeu emphiteota verum dominium utile acquirit in bona tradita, eaque locare, atque in ſecundam emphyteuſim tradere, domino monito, poteſt: ad expenſas, fundis conſervandis neceſſarias, faciendas tenetur. Remanet dominium directum penes priorem dominum, contra quem præſcribere emphyteota nequit, niſi quantum ad dominium utile. Quare ſi fundi emphyteutici pereant ſine culpa emphyteotæ, domino proprietario pereunt.

III. Si emphyteota per triennium domino laico, & per biennium Eccleſiæ non ſolvit pactam penſionem integram, ipſo facto cadit in pœnam *commiſſi*; valetque dominus proprietarius illum privare re emphyteutica cum omnibus meliorationibus factis, etiamſi interpellatus non fuerit: quia dies pro creditore interpellat. Eidem pœnæ ſubiacet emphyteota, ſi fundos emphyteuticos notabiliter deteriores efficiat. Similiter ſi emphyteota ius ſuum, & melioramenta vendat, inconſulto domino, omnia redeunt ad priorem dominum. Dominus autem duos menſes habet ad deliberandum, ſi velit ipſe emere. Rurſus emphyteota non poteſt bona emphyteutica tradere alteri ſub emphyteuſi, ſeu, ut dicitur, *dare ad libellum*, niſi prius dominum moneat. Quando tandem emphyteuta vult alienare venditione, aut donatione, aut permutatione bona emphyteutica: qui hæc accipit, ſolvere *laudemium* debet domino directo pro inveſtitura in quam immittitur. Laudemium nuncupatur, quia dominus laudat, & approbat alienationem. Penſio laudemii ſolet

let eſſe quinquageſima pars pretii rei venditæ; alicubi tamen eſt minor iuxta varias regionum conſuetudines. Laudemium non ſolvitur, dum heres neceſſarius ſuccedit, ut filius patri; & quando pater rem emphyteuticam in dotem filiæ tradit, eo quod aliis bonis careat; & quoties plures emphyteutæ fundos dividunt inter ſemetipſos.

IV. Feudum ſic definiri ſolet: *Contractus quo rei immobilis dominium utile transfertur, retento directo dominio, ſub onere fidelitatis, & obſequii perſonalis.* Feudum ab emphyteuſi partim differt, partim cum eadem convenit. Differt, quia *feudatarius*, ſeu *vaſſallus* non pendit domino annuam penſionem, ſicut emphyteuta; ſed tantum obſequium perſonale defenſionis, auxilii, & fidelitatis præſtare debet requiſitus a domino. Quare feudum a fidelitate dicitur feudatarii erga dominum. Neque feudum evadit caducum ex quacumque fidelitatis violatione; ſed ſolum ex aliqua gravi iniuria, vel machinatione contra vitam, famam, aut fortunas domini. Fundus ſemel in emphyteuſim traditus, mortuo domino directo, abſque novo onere continuatur; contra feudum renovatur, quoties moritur aut vaſſallus, aut dominus: tunc quippe accipi nova inveſtitura cum iuramento fidelitatis, & laudemio debet intra annum & diem: alioquin feudum regreditur ad dominum directum poſt iudicis ſententiam. In feudo feminæ non ſuccedunt iure communi, ſicut in emphyteuſi; ſed ſolum maſculi, & agnati ex parte patris, excluſis agnatis ex parte matris. Monaſteria, & Clerici non ſunt feudi capaces, niſi dignitati, vel Monaſterio ſint feuda annexa; emphyteuſis vero tum Monaſteria, tum Clerici ſunt capaces. Feudatarius ad libitum abdicare feudum poteſt; cum in illius favorem, & commodum ſit principaliter inſtitutum: contra emphyteuta nequit fundum emphyteuticum abdicare; cum emphyteuſis ſit contractus oneroſus, æque in emphyteutæ, ac domini commodum.

V. Convenit vero feudum cum emphyteuſi, quia utrumque fundatur in fundo immobili, & in utroque transfertur tantum dominium utile; & tam emphyteuta, quam feudatarius debent inveſtituram a domino accipere. Denique neque emphyteuta, neque feudatarius poſſunt alienare fundos, dominis inconſultis. Diſcrepat tantum, ad hoc quod attinet, emphyteuta a feudatario, quod hic neque contractu gratuito, puta donatione, valeat abſque conſenſu domini rem feudalem diſtrahere; emphyteuta vero, inconſulto domino, donare fundum emphyteuticum poteſt.

VI. Commodati finitio hæc eſt: *Eſt rei alicuius, quoad uſum ſolum, gratuita conceſſio ad certum tempus.* Precarium vero ſic communiter definitur: *Eſt rei alicuius, quoad uſum ſolum, gratuita conceſſio, ad nutum concedentis revocabilis.* Affines ſunt eiuſmodi contractus, cum in utroque ſolus & merus uſus impertiatur cum onere eamdem numero rem reſtituendi abſque detrimento procedente ex cul-

Digitized by Google

culpa commodatarii, dominio remanente apud commodantem. Diſcrepant ſolum, quod commodatum repeti nequeat niſi elapſo tempore præſtituto. Commodas equum ad iter agendum ex tuo ad alium locum. Non potes equum repetere, niſi poſt elapſum tempus neceſſarium ad iter iſtud conficiendum. Precarium e contrario repeti ad nutum concedentis poteſt. Precarium quippe dicitur, quia recipiens quaſi continenter precatur, ut rem conceſſam retinere valeat. Aliquod tamen temporis intervallum fluere debet; alioquin vana & nugatoria conceſſio eſſet. Addunt communiter Auctores, commodatum quoque repeti poſſe, antequam præfixum tempus elabatur, ſi commodator aliqua inopinata neceſſitate urgeatur. Quoniam qui rem ſuam gratuito commodat, non cenſetur inopinatum caſum in conceſſione facta voluiſſe comprehendere. Secus eſt in donatione: qui enim donat, omnino alienat rem ſuam, & omne dominium transfert in donatarium abſque ullo reſtitutionis onere. Si res commodata pereat, aut deterior fiat aliter quam per uſum conceſſum; commodatarius tenetur de culpa levi, & leviſſima.

VII. Depoſitum eſt *contractus quo ſola rei cuſtodia alterius fidei committitur, ut integra reddatur*. Ad veritatem ergo depoſiti conſenſus requiritur & deponentis, qui velit rem ſuam alterius cuſtodiæ committere, & depoſitarii, qui conſentiat rem alienam in ſuam cuſtodiam acceptare. Nec enim eo ipſo quod deponis rem apud Sempronium, cenſetur is ex lege depoſiti eam accipere; niſi expreſſe, vel tacite perhibeat ſe eam ſub tali lege accipere. Et cum lex depoſiti ſevera ſit; certa, & non dubia ſigna, quæ oſtendant vere ſub depoſiti lege rem accipi, neceſſaria ſunt. Quare dum tempore belli res apud Religioſos collocant laici, tamquam in ſecuritatis aſylo, non accipiuntur depoſiti lege. Similiter nec caupones, nec nautæ accipiunt res ſub lege depoſiti, eo ipſo quod vident præfatas res in navim, vel domum ſuam introduci; ſed eorumdem conſenſus aliquo certo ſigno expreſſus requiritur.

VIII. Depoſitarius nequit uti re depoſita, maxime ſi uſu atteratur, abſque conſenſu deponentis: & ſi utatur cum rei damno, tenetur ad reſtitutionem. Si tamen res depoſitæ ſint fungibiles, ut pecuniæ; non peccat depoſitarius, eiſdem quaſi mutuis utens, dummodo ſemper paratus ſit reddere depoſitum ad nutum deponentis ſine ullo eiuſdem damno. Porro cum depoſitum fidei depoſitarii committatur, is adhibere diligentiam aſtrictus eſt in cuſtodiendo depoſito tamquam re ſua. Si damnum ſequatur, tenetur ex *culpa lata tantum* ad recompenſationem. Quoniam, cum depoſitum cedat in utilitatem deponentis, non depoſitarii, is proprio muneri ſatisfacit, ſi eam diligentiam adhibeat in ſervando depoſito quam in rei propriæ cuſtodia adhibere ſolet. Si tamen temetipſum ad depoſitum ſuſcipiendum obtuliſti, aut ſi pretium pro cuſtodia accepiſti; tunc teneris etiam

Digitized by Google

ex culpa levi. Si ex pacto te obligaveris ad eventum fortuitum; ſi alio abſque neceſſitate transſtuleris depoſitum; vel ſi fueris in mora, non reddendo tempore debito, & perierit, vel detrimentum paſſum depoſitum fuerit: teneris ex culpa levi, & leviſſima ad reſtitutionem. Similiter nautæ, caupones, ſtabularii tenentur ex culpa leviſſima recompenſare damnum rerum quas in cuſtodiam, etſi gratis acceperunt. Integrum autem reddi depoſitum debet pro arbitrio deponentis, etiamſi deponens ſit fur, niſi domino reddatur.

IX. Quando depoſitum pernicioſum eſt deponenti, reddi non debet, niſi ex retentione grave damnum immineat depoſitario. Si deponens minetur tibi mortem, aut incendium domus, vel bonorum, niſi reſtituas pecunias, quibus abuſurus eſt ad ebrietatem, ſcortationes, & alia eiuſmodi mala; reddere potes. Similiter ſi depoſitor, furore abreptus in hoſtem, quærat gladium ad occidendum, tibique mortem minetur, niſi reddas; reſtituere vales: ſecus, ſi occidendus eſſet Princeps, Reipublicæ valde utilis: quia tunc vita Principis prævaleret morti privati hominis.

X. Omnes ratione utentes capaces ſunt ſuſcipiendi depoſiti. Religioſi dumtaxat illicite illud ſuſcipiunt ſine Prælati licentia. Illud tamen advertendum, Monaſterium non teneri ad compenſationem, ſi depoſitum apud privatum Religioſum, vel apud Prælatum ipſum pereat, ſive dolo, ſive lata culpa; niſi Religioſus, aut Prælatus cum Capituli aſſenſu illud ſuſcepiſſet. Regula enim generalis eſt, quod delictum perſonæ non afficiat communitatem.

CAPUT XIX.

De locatione, & conductione.

I. QUemadmodum venditio & emptio, ita locatio & conductio duo ſunt correlativa, ex quibus unus coaleſcit contractus. Ex parte locantis dicitur *locatio*, & ex parte locatarii vocatur *conductio*. Qui locat, *locator*; & qui rem in locationem accipit, *conductor* nuncupatur.

II. Communis finitio locationis hæc eſt: *Contractus onerosus quo uſus, vel fructus rei, vel perſonæ traditur ad certum tempus pro pretio*. Conductio eſt *contractus quo uſus rei, vel perſonæ emitur pro pretio*. Locator curare aſtringitur ut conductor re locata uti libere valeat; quemadmodum habetur ff. loc. l. 25. *Certe quod liceat colono, vel inquilino relinquere conductionem, nulla dubitatio eſt .... ſi oſtia, feneſtraſve nimium corruptas locator non reſtituat*. Item ibidem *l. 6.* additur, ſi locator *evictus ſit, etiam ſine dolo malo culpaque eius, eum nihilominus teneri ex conducto*, ſeu de damno conductoris. Similiter ff. *de reg. iur.* l. 25. ſtatuitur. *Si vicino ædifican-*

cante, obſcurentur lumina cœnaculi, teneri locatorem inquilino, ſeu conductori. Locator tamen non tenetur de vi quæ eius ſuperat poteſtatem; ut ſi Princeps rem locatam accipiat, aut ſi incendio, vel illuvione pereat; prout ſancitur ibidem *l.* 23. Siquidem *incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum a nullo præſtantur*.

III. Ad locatorem attinet, rei locatæ vitium manifeſtare, & rem bonam utilemque tradere ad uſum in quem locatur. Si ſcienter vitium taceat, quo res locata inutilis ſit locatario, aut damnum eidem pariat; ut ſi locet domum ruinoſam, equum non ferentem ſeſſorem: petere pretium nequit; immo tenetur de damno. Si autem ignoranter id fecerit; non tenetur de damno; ſed penſionem exigere non poteſt, ut ſtatuitur ff. *locati conducti* l. 19. *Addes*, ubi definitur, locantem dolia vitioſa teneri de damno, etiamſi ignoranter id fecerit: quod communiter intelligitur de ignorantia voluntaria, quæ, ut talis, præſumitur in foro exteriori. *Si ſaltum paſcuum locaſti, in quo herba mala naſcebatur, & pecora vel mortua ſunt, vel etiam deteriora facta, quod intereſt, præſtabitur, ſi ſciſti; ſi ignoraſti, penſionem non petes*: ut habetur *loc. cit. l.* 19.

IV. Locator expenſis præſtandis pro neceſſaria, & congrua conſervatione, vel habitatione rei locatæ obnoxius eſt. Quoniam tenetur locare rem aptam communibus uſibus, eamque ut talem conſervare. Quamobrem ipſe debet tributa ſolvere, aggeres facere ad evitandam illuvionem, & cetera præſtare quæ neceſſaria ſunt illis uſibus ad quos res locata fuit; niſi aliter conventum inter partes fuerit.

V. Ante præfixum tempus repetere locator nequit rem locatam, niſi locator domo ſua vere indigeat ad inhabitandum, omni fictione ſublata; vel mali mores conductoris, aut reparatio fabricæ, aut defectus pactæ penſionis ad id urgeant: item ſi conductor re conducta abutatur, ut ſi arbores cædat, ſi in domum introducat meretrices, aleatores, lenones cum vicinorum ſcandalo.

VI. Locatarii, ſeu conductoris eſt re conducta uti in eum uſum ad quem conduxit. Conduxiſti equum ad equitandum, non potes eodem uti ad trahendum currum, vel ad ferenda onera. Conductoris quoque eſt rem conductam ſervare quemadmodum res ſuas; & tempore præſtituto, domino reddere qualem accepit, ut rei conditio fert, quatenus eius culpa deterior facta non ſit.

VII. Locator, & conductor mutuo ſeſe aſtringunt ex culpa lata, & levi; non ex leviſſima, neque ex caſu fortuito. In hoc contractu non transfertur dominium, ſed penes locatorem manet: ideo in eiuſdem definitione dicitur, concedi *uſum*, vel *fructum*. Conceditur uſus equi, domus, vaſorum &c. fructus agri, vineæ &c. Poteſt locatarius rem locatam ad eumdem uſum, vel fructum alter; conductori æque idoneo locare, niſi conventio contraria inter partes præceſſeriti

ut habetur C. *de locato* l. *Nemo* 6. Si ſecundus conductor ſolvat ſecundo locatori; nihil debet primo; ut ſancitum eſt ff. *de pignorat.* l. *Solutum* 11.

VIII. Non modo rei, ſed etiam *perſonæ* uſus locatur, ut dictum in definitione eſt. Heinc famuli, operarii, artifices, medici, chirurgi, advocati locant operas, & induſtrias ſuas. Res quæcumque locari poſſunt, ſive mobiles, ſive immobiles; niſi lex vetet. Porro lex vetat locare ius quod quis habet tranſeundi per agrum alterius ff. *locati & conducti* l. *Locare* 44. Item vetatur locare prædia militibus, & curialibus l. *Curialis*, & l. *Militis* C. *de locato*. Item Clericis, & Monachis interdictum eſt conducere res ſæculares, cap. *Multa* 1. *Ne Clerici, & Monachi*: quod explicant, ſi fiat turpis lucri cauſſa.' Praxis enim oppoſita eſt; at non ſemper laudabilis: quia ſcilicet turpis lucri cauſſa non raro obtinet. Res quoque ſpirituales, actiones iniuſtæ, ſicuti vendi, ita locari nequeunt.

IX. Quæſt. I. *Peccant ne qui locant res illis quos prævident eiſdem abuſuros ad mala officia exercenda; puta, dum locant gladium, aut alia arma ad duellum, domos ad meretricandum, ad ludos aleárum, ad uſuras perpetrandas?* Reſp. Affirmant Patres omnes; idque alibi ex inſtituto palam feci. Pauca nunc referam ex iis quæ docet S. Carolus Borromæus in Act. Eccl. Mediol. part. IV. pag. 653. *Nec ii poſſunt abſolvi qui ſincera reſolutione peccata mortalia, & eorum occaſiones fugere non ſtatuerunt... Occaſiones porro illæ quæ ex natura ſua ad peccatum inducunt, ſunt, ſi qui aleæ, & huiuſmodi luſibus indulgent, vel qui domum in hunc finem præparatam aperiunt*. Porro ſi non licet luſoribus, multo minus permiſſum eſt meretricibus domum locare.

X. P. Claudius La-Croix *Lib. III. part. 2. dub. 11. num.* 1042. de more congerit opiniones veras & falſas, laxas & probabiles, & lectorum arbitrio relinquit eas ſeligere quæ ipſis arrideant. Refert *Navarrum* docentem, illicitum eſſe locare domum meretricibus. Deinde illorum ſententiam adducit qui dicunt, illicitum eſſe in ea urbis parte in qua vetitum eſt meretricibus habitare, eiſdem locare domos. Tandem *Maiorem*, & *Beiam* producit, qui abſolute docent, licitam eſſe eiuſmodi locationem, nulla adiecta limitatione. Nihil ipſe expreſſe decernit; ſed lectoribus ſeligendi quamlibet ex his opinionibus libertatem relinquit. In hanc ultimam tamen ſe inclinare oſtendit: quia rationem cui innititur, ob oculos ponit. Siquidem locatio iſta, inquit, proxime tendit ad dandam habitationem; remote autem tantum dat occaſionem peccati. Hac una diſtinctiuncula graviſſimum chriſtianæ Ethices caput eludi ſolet.

XI. Opinio hæc laxa, & falſa eſt. Si qui tenet ſcalam aſcendenti per feneſtras ad fornicandum, gravis culpæ reus eſt, ut ex damnata propoſitione ab Innocentio XI. conſtat; quanto magis culpabilis eſt qui ipſam domum aperit, locatque iis quos prævident fornicaturos? Utique domus abſolute locatur ad inhabita-

Digitized by Google

bitationem, non ad fornicationem; ſicut & gladius ad defenſionem, non ad occiſionem traditur. Verum ſicut futilis eſſet diſtinctio hæc, dum gladius locatur furenti in hoſtem, quem occidere tentat; ita commentitia eſt, cum domus petitur ad meretricium exercendum. Inſiſtunt iuniores benigni. Licet meretrici vendere cibos neceſſarios ad vitam alendam: ergo & locare domum; cum non minus neceſſaria ſit habitatio quam refectio. Paritas hæc ineptiſſima eſt. Cibus neceſſarius eſt ad vitam; & qui illum denegaret, occideret perſonam. Ex alia parte nullum commodum cibus porrigit fornicatori ad ſcortandum. Contra domus ſuſcipit fornicatorem, eique commodum præbet ad ipſam fornicationem patrandam. Accedit quod ciborum venditio nullum ſcandalum parit. Domus autem locari meretrici abſque vicinorum ſcandalo nequit. Tandem cibum vendere meretricibus nulla lex vetat. At domum locare eiſdem lex ipſa interdicit; ut habetur in *Novel.* 14. *Iuſtinian. de lenon.* ubi decernitur. *Si quis patiatur in domo ſua lenonem ... & non ex domo ſua expulerit, ſciat ſe & decem librarum auri ſuſtinere pœnam, & circa ipſam periclitaturum habitationem*. Recenſita ergo opinio, relata, & non improbata a P. La-Croix, omnino falſa eſt.

XII. Nec aliorum opinionem probo, quam defendit Franciſcus Sylvius 2. 2. *quæſt.* lxxvii. *art.* 4. *quæſt.* 1. *concl.* 5. ubi docet, locari poſſe meretricibus domum in illa urbis parte in qua a Republica tolerantur, quando perſiſtunt in voluntate meretricandi; dummodo locatoribus peccatum diſpliceat: quia iſti tunc non tenentur peccatum impedire. Sed aliud eſt quod non teneantur peccatum impedire; aliud longe diverſum, quod cooperari peccato valeant. Cum domum locant, occaſionem peccandi præbent: idcirco nullo modo Chriſtiano licere exiſtimo locare domum meretrici in quacumque civitatis parte. Doctiores tamen in ſuo ſenſu abundent.

XIII. Quæſt. II. *Utrum opinio quam P. Sanchez Lib. I. Conſiliorum cap.* vii. *dub.* 2. *docet, pauperem nempe qui ius mendicandi in urbe obtinuit, poſſe hoc ius viro non pauperi locare, probabilis ſit?* Reſp. Eamdem opinionem defendit P. Sporer *num.* 23. quia eleemoſyna etiam tunc datur pauperi *mediate*: quia datur conductori ſolventi penſionem pauperi. Nonne pauper æger per alium divitem petere eleemoſynam valet? Hæ ſunt quæſtiones quæ in Patribus ſanctis diſcuſſæ non reperiuntur. Opinio hæc falſa eſt, & fraudis plena. Fraus quippe populo fieret, qui pauperi, non diviti eleemoſynam dare ſe arbitratur. Dum pauper ægrotus per alium etiam divitem eleemoſynam petit; vere eleemoſyna pauperi, non diviti porrigitur; nullaque fraus occurrit. At dum pauper locat diviti ius mendicandi pacto pretio, tunc dives conductor nomine proprio eleemoſynam petit, & eidem datur. Præfata opinio ordinem divinæ providentiæ pervertit, quæ vult pauperes patientia, humilitate, & verecundiæ tolerantia ſtipem ſibi comparare. Quinam pauperes iſti

qui reditibus vivunt? Sed opinio hæc contemnenda, non refellenda eſt, potiſſimum quod, ſi praxim ſpectes, chimærica apparet. Quis enim eſt qui ius mendicandi a paupere conducere velit, nulla egeſtate preſſus? Nemo ſane, niſi aut avarus, aut veterator, aut aleator, & proiectæ frontis homo.

XIV. Quæſt. III. *Conductor qui impeditur ab uſu, vel fructu rei conductæ, aſtringitur ne penſionem ſolvere?* Reſp. Adfirmant Molina, Leſſius, Lugo *diſp.* XXIX. *num.* 36. quia, inquiunt, ſicut emptor tolerare omnes caſus fortuitos, & iacturam ipſam mercium debet; ita colonus, ſeu conductor pati debet omnes caſus ſterilitatis, ceteroſque eventus inopinatos. Addunt tamen, iuris benignitate introductum eſſe ut aliquid interdum remittatur, magna clade contingente. Sed diffident, quænam dicenda ſit magna clades, ob quam penſionis pars remitti debeat. Alii dicunt, ſi, deducto ſemine, & expenſis, ne media quidem pars ſolvendæ penſionis colligatur. Addunt alii, ſi conductor vix percipiat tertiam partem; puta, cum colligere ſoleret 15. colligat 5. Alii ſubdunt, ſi colonus vix colligat duas tertias partes.

XV. Probabilior mihi ea opinio eſt quæ docet, attendendam eſſe cuiuſvis patriæ conſuetudinem, & modos contrahendi. Si enim conductor ſe ſe obligavit in omni eventu, tunc penſionem integram ſolvere tenetur: quoniam in tali contractu præſumendum eſt, diminutum fuiſſe pretium, & proportionatum oneri ſuſcepto a conductore. Excipiunt aliqui caſus inſolitos, & extraordinarios. Verum & in hoc ſpectanda eſt contractus natura. Nam communiter homines contrahentes non ſunt adeo ſtupidi, ut ignorent mala quæ impedire fructuum collectionem poſſunt.

XVI. Si impedimentum uſus, vel fructus eveniat ex parte locatoris, vel ex re conducta, abſque culpa conductoris; tunc conductor a ſolvenda penſione liber eſt pro tempore quo uti, vel frui fundo conducto nequit. Et hæc eſt communis ſententia; & colligitur ex ff. *locati* l. *Si fundus* 33. & l. *Si quis domum* 9. & l. *Habitatores* 27. Ratio patet: quia conductor non præſumitur ſe obligaſſe ad ſolvendam penſionem pro fundo quo abſque ſua culpa uti nequit.

XVII. Contra, ſi ipſe conductor in cauſſa ſit cur non utatur, aut fruatur re conducta; tum ſolvere pactam penſionem aſtringitur. Quoniam locator pati detrimentum non debet ob impedimentum quod ex ſolo conductore provenit: & ſicut conductor liber eſt a penſione, quando impedimentum proficiſcitur a locatore; ita æquitas poſtulat ut locator exigere penſionem valeat, quando impedimentum contingit ex parte conductoris. Heinc quando conductor cogitur deſerere domum conductam, quia evincitur a vero domino, non aſtringitur penſionem ſolvere locatori ab illo tempore quo domus evicta eſt; immo locator damnum quod patitur conductor, ſolvere debet, ſi ſciens domum eſſe alienam, illam locavit. In-

Digitized by Google

Inſuper quoties conductor tenetur deſerere domum conductam ob ruinam imminentem, peſtem graſſantem, hoſtium incurſiones, aliaſque ſimiles cauſſas, non eſt aſtrictus ſolvere penſionem pro tempore quo eam deſerit; ſicut qui conduxit operarium in dies, non tenetur ſolvere penſionem pro tempore quo infirmatur, lege caritatis ſublata, quæ frequenter obligat ſaltem ad alimenta, & modicas expenſas pro reparanda ſanitate. Famuli ad annum conducti, ſi ſolo trimeſtri ægrotent, non tenentur, evoluto anno, id ſupplere, nec aliquid detrahendum de ſtipendio eſt; ut docent plures cum S. Antonino. Oppoſitum ſuſtinet Lugo cum aliis. Sed conſulenda eſt locorum conſuetudo. Qui e contrario domum conductam deſerit proprii commodi cauſſa, ad penſionis ſolutionem aſtrictus eſt.

XVIII. Si ſterilitas fundi frugiferi caſibus fortuitis accidat, ut alluvione nimia, aut ſiccitate, aut copia imbrium, hoſtium incurſione, grandine &c. ſi colonus nihil percipiat, nihil ſolvere tenetur; ut ſancitum eſt ff. *locati* l. *Ex conducto* 15. Si ſterilitas non auferat omnem meſſem, ſed partem; penſio pro rata diminuenda eſt. Si modica ſit ſterilitas; nihil remittendum, ſed integra penſio ſolvenda; ut conſtat ex cit. ff. *locati* l. *Si merces* 23. §. *Vis maior* 6. Hæc vera ſunt, attenta lege communi; ſed, ut ſupra dictum eſt, conſuetudo diverſarum regionum ſpectanda eſt, & contractuum formæ. Nam ipſæ leges citatæ liberant colonos a penſione ſolvenda anni ſterilis, *niſi cum ubertate præcedentis, vel ſubſequentis anni valeat ſterilitas compenſari*. Et quia communiter locationes ſolent ad plures annos protrahi; ideo communiter penſio raro diminuitur: quia ubertate unius anni compenſari ſterilitas alterius anni ſolet.

XIX. Quæſt. IV. *Quot modis deſinat locatio?* Reſp. Duobus modis, nempe conſenſu partium, & elapſo termino conſtituto. Si poſt elapſum tempus præfinitum locator ſciens permittat conductorem retinere rem locatam; cenſetur prorogare locationem prædii urbani, ut eſt domus, uſquedum alter contrahentium reſilire voluerit; locationem vero prædii ruſtici ad annum eodem pretio, & eiſdem conditionibus, non tamen cum iiſdem fideiuſſoribus, niſi iſti renovent fideiuſſionem, cenſetur prorogare.

XX. Si locator præmoriatur, heres univerſalis ſtare debet locationi: quia heres univerſalis repræſentat perſonam defuncti, & ſuccedit tum iuribus, tum oneribus. Secus dicendum de legatariis, aut donatariis, qui minime defuncti perſonam referunt. Pupilli, & minores facti maiores tenentur ſtare locationi factæ a tutore, vel curatore; quemadmodum & Eccleſia, Xenodochium, Collegium, Communitas ſtare debent locationibus factis a ſuis legitimis adminiſtratoribus. Si tamen enormis læſio facta fuit, reſtitutio in integrum peti valet.

XXI. Quæſt. V. *Nuncius, conductus a Caio ut Romam pergat, poteſt ne, re diſſimulata, ſinere ſe conduci a Titio ad eamdem civitatem, ab utroque integra mercede*

 acce-

accepta? Reſp. Affirmant communiter iuniores. Quoniam opera quam hic nuncius præſtat ſecundo, digna eſt mercede. Per accidens autem eſt quod eamdem tradat priori. Nam ita ſe obligat ſingulis in ſolidum, ut ſi unus deficeret, totam operam præſtaret alteri: neque ex eo quod eam præſtet pluribus, minus præſtat ſingulis. Et reipſa, ſi ob propria negotia deſtinaſſet ire Romam, poſſet locare ſuam operam, re diſſimulata, conductori. Ergo & in priori caſu. Sic & auriga Romam conductus eo pretio, ac ſi vacuus rediturus eſſet, poteſt locare in reditu currum, & accipere integrum pretium. De auriga nulla eſt difficultas, quia talis eſt conſuetudo; & ſi vacuus non regreditur, ſorti propitiæ tribuitur. In ſolo primo caſu difficultas eſſe poſſet. Ceterum talis non apparet quæ improbabilem efficiat relatam opinionem. Sinceritati, & æquitati valde congruum videtur ut ſecundo conductori, & nuncio ſecundo locanti ſors æque faveat; ac pretium, a ſecundo conductore dandum, ad medietatem diminuatur, re manifeſtata. Hoc modo ſors utrique favet; & ſinceritas, ac æquitas magis ſplendent. Nuncius fortunatus eſt, quod ultra integrum pretium acceptum a primo conductore, aliam eiuſdem pretii medietatem accipiat. Fortunatus quoque eſt ſecundus conductor; qui cum medietate pretii votorum ſuorum compos evadit. Hac ratione tuta ſunt omnia. Hæc opinio ſecurior mihi apparet; abſolute tamen non improbo primam, potiſſimum quod rari, & mere fortuiti ſint tales eventus, & conductores ipſi interdum nihil curent, quando neceſſitate premuntur, quod eiuſmodi nuncii ab aliis ſint conducti: cum ſciant id mera ſorte contingere.

XXII. Fructus rei locatæ, ſi ſint adhuc pendentes, attinent ad dominum fundi locati, utpote pars fundi, quocum unum conſtituunt. E contrario fructus ſeparati, & collecti, ſunt conductoris, & ad eum attinent; etiamſi penſionem nondum ſolverit; manent tamen penſioni oppignorati, ſeu hypothecati. Quoniam conductor iure potitur fruendi fructibus fundi conducti.

CAPUT XX.

De promiſſione, eiuſdemque acceptatione, & obligatione.

I. PRomiſſio homini facta (de promiſſione enim facta Deo, quæ votum nuncupatur, alibi ſermo fuit) communiter definitur: *Libera & ſpontanea fidei datio de re licita poſſibili*. Ad veram promiſſionem ſatis non eſt ſola voluntas faciendi: requiritur inſuper obligatio præſtandi ex virtute fidelitatis id quod promittitur; & ideo dicitur *datio fidei*: qua particula diſtinguitur a donatione, quæ eſt *datio*

Digitized by Google

datio rei. *Libera* nuncupatur : quia promiſſio fraude , metuve extorta nullam inducit obligationem . Additur *ſpontanea* : quia promiſſio contractus gratuitus eſt, nullum onus imponens promiſſario. Heinc diſcrepat a promiſſionibus utrimque oneroſis, vi quarum utraque pars ad aliquid ſe aſtringit. Tandem adiicitur *de re licita*, & *poſſibili* : quia de re mala, & impoſſibili nulla contrahi obligatio valet. Diſcrepat promiſſio a propoſito : quia iſtud ſola deliberatio eſt aliquid faciendi : quare ſimplex propoſitum Deo inſinuatum non conſtituit votum . Qui dicit , *Promitto me hoc facturum*, ut oſtendat animi ſui propoſitum, & affectum, quemadmodum frequenter contingit, non autem intendit fidem dare , non contrahit obligationem In dubio præſumendum eſt in favorem promittentis : quia non præſumitur aliquem ſubire onus voluiſſe, niſi expreſſe conſtet illud reapſe ſuſcepiſſe. Promiſſio triplex diſtinguitur . Alia acceptata ab eo cui fit ; & eſt promiſſio *perfecta*, & *conſummata*. Alia eſt nondum acceptata ; & vocatur *pollicitatio* . Tertia fit ſub quadam verborum formula , uno interrogante , & altero reſpondente ; puta , ſi unus dicat, *Dabis mihi librum* ; & alter reſpondeat ; *Dabo* : & hæc nuncupatur *ſtipulatio*. Quæ forma in quolibet contractu adhiberi poteſt ; & dicitur contractus utrimque ſtipulatus, ut fideiuſſio ſtipulativa, donatio ſtipulativa, promiſſio ſtipulativa &c.

II. Ut promiſſio obligationem inducat, acceptata ſit ab illo cui fit , neceſſum eſt : & ante acceptationem , nullam inducit obligationem . Et hoc communiter affirmant omnes, quorum aliqui excipiunt promiſſiones factas inſantibus, Reipublicæ, locis piis &c. Sed verius mihi videtur nullam promiſſionem , niſi includat votum, obligationem parere ante acceptationem.

III. Diſputant iuniores, utrum promiſſio, vel donatio ante acceptationem iuramento firmata, ita roboretur, ut revocari nequeat, potiſſimum ſi iuramentum ſit de ea non revocanda . Negant Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* IV. *punct.*4. *§.* I. *num.*70. & citant Caſtropalaum, Molinam, Sanchezium, & alios. Quoniam, inquiunt, iuramentum ſequitur naturam actus quem confirmat . Sed actus cui adiicitur iuramentum, revocabilis eſt ante acceptationem. Ergo revocari quoque poteſt, licet ſit iuramento confirmatus.

IV. Hæc opinio mihi falſa eſt . Iuramentum apponitur de non revocanda promiſſione, & revocari licite valet ? Utique iuramentum in genere fidelitatis irrevocabilem non efficit promiſſionem : & ideo dicitur iuramentum ſequi conditionem actus cui apponitur, quatenus actum hunc in ſuo genere revocabilem relinquit. Sed vinculum addit religionis, vi cuius promiſſor ſe ſe obſtringit ad non revocandam promiſſionem . Alioquin vanum , & fruſtraneum eſſet iuramentum iſtud. Materia quippe iſtius iuramenti eſt non revocatio . Ergo dum revocatur, falſum evadit iuramentum , & fruſtraneum . Si tamen aliqua conditio occurreret

non

non prævisa, vi cuius promiſſor prudenter revocare deberet promiſſionem; tum etiam iuramentum includeret talem conditionem, & nullam induceret obligationem: quoniam tum eſſet iuramentum conditionatum, & pendens ab hac conditione non prævisa. Vide plura de iuramento promiſſorio a nobis dicta.

V. Promiſſio, vel donatio acceptari poteſt a promiſſario, vel donatario per ſe, vel per alios præſentes donationi, vel promiſſioni, verbis, aut ſignis, quibus oſtendatur gratam eſſe donationem, promiſſionemve. Hoc quippe pacto utriuſque partis conſenſus coniungitur. Acceptatio fieri quoque poteſt ſola taciturnitate, quæ ex ſe indifferens ſit ad conſenſum, & diſſenſum: & ideo in iis quæ cedunt in commodum, & utilitatem tacentis, pro conſenſu accipi ſolent: & in his valet regula: *Qui tacet, conſentire videtur*. In iis vero quæ acceptanti oneroſa ſunt, taciturnitas conſenſum non prodit. Si promiſſor, aut donator abſens fuerit; epiſtolam, aut nuntium mittere ad promiſſarium debet, qui nomine promittentis, aut donantis referat promiſſionem. Nec ſat eſt, ſi tertius, qui conſcius promiſſionis fuit, referat proprio nomine promiſſionem; ſed neceſſaria eſt manifeſtatio facta ex commiſſione, & iuſſu promittentis, & donantis. Promiſſarius vero, ſeu donatarius coram ipſo nuntio acceptationem declarare debet. Quod ſi per litteras promiſſio denuntietur, requiritur ut donatarius, aut promiſſarius litteras pariter mittat ad donantem, in quibus ſuam manifeſtet acceptationem. Si poſt miſſam epiſtolam, aut nuncium promiſſor, vel donator revocet promiſſionem, aut donationem ante acceptationem, idque innoteſcat internuntio; revocatio valida eſt: debet tamen hæc revocatio manifeſtari donatario. Si autem miſſus ſit internuntius, ignoretque revocationem principalis; tum acceptatione ſecuta, valida promiſſio eſt, eidemque ſtare tenetur promiſſor, aut donator. Si promiſſarius, aut donatarius moriatur ante acceptationem, extinguitur obligatio; nec ius acceptandi, cum ſit perſonale, tranſit ad heredes. Contra, ſi promiſſor, aut donator ante acceptationem decedat, poteſt promiſſarius, aut donatarius acceptare promiſſionem, vel donationem non revocatam ante mortem promiſſoris: quia talis donatio, vel promiſſio ex parte donantis, vel promittentis valida fuit, & non revocata: ergo remanet in litteris, aut in internuntio. Accedit quod promiſſio, vel donatio gratia eſt. Gratia autem, & favor non extinguitur morte concedentis: quod potiſſimum verum eſt in promiſſionibus, & donationibus ad cauſſas pias.

VI. Quæſt. unic. *Promiſſio acceptata inducit ne obligationem gravem ex iuſtitia?* Reſp. Sermo non eſt de promiſſione oneroſa, ex utraque parte inducente obligationem; neque de promiſſione civili, pariente præter obligationem fidelitatis debitum legale. Civilis promiſſio, debitum legale inducens, ea dicitur quæ fit coram notario, & teſtibus, vel medio chirographo ſubſcripto, vi cuius in foro externo cogi promiſſor, aut donator poteſt ad implendum promiſſum. Convenit re-

Digitized by Google

penes omnes, has duas promiſſiones obligationem gravem ex iuſtitia parere. Diſputatur dumtaxat de promiſſione ſimplici privata, verbis facta, & acceptata.

VII. Tria præmittunt Salmanticenſes *loc. cit. num.* 77. ut certa penes omnes. Primum, violationem promiſſionis acceptatæ peccatum eſſe oppoſitum & veracitati, & fidelitati: quia perfidus eſt qui promiſſam fidelitatem non ſervat. Vi itaque cuiuſque promiſſionis obligatur homo id implere quod promiſit. Secundum. Si violatio promiſſionis noxia eſt promiſſario, ex genere ſuo peccatum grave eſt, oppoſitum caritati, & ſæpe iuſtitiæ. Exempla perhibet Caietanus 2.2.*qu.eſt.* CXIII. *art.* 1. *dub.* 4. ſi quis promittat inchoato bello ſtatim ſuppetias ferre, & non impleat: ſi quis promittat ſervare ſecretum magni momenti, & revelet: ſi medicus promittat graviter ægrotanti mederi, & omittat, ex quo infirmus notabiliter lædatur: denique quoties violatio promiſſionis perniciofa graviter eſt promiſſario; peccatum ex genere ſuo mortale eſt. Tertium. Sæpe nullum peccatum committit qui promiſſionem non ſervat; ut ſi res promiſſa ſit inutilis, illicita, impoſſibilis, aut noxia. Item, ſi ſuperveniat nova rerum mutatio promiſſioni factæ, quæ ſi præviſa eſſet, promiſſio non fuiſſet facta: tunc enim ceſſat obligatio ſervandæ fidei: quia in qualibet promiſſione includitur conditio, *niſi nova ſuperveniat rerum mutatio*. Ut itaque homo, quod promiſit, implere aſtringatur, immutata omnia permanere debent; ut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. CX. art. 3. ad 5. *Dicendum, quod ille qui aliquid promittit, ſi habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur: quia non loquitur contra id quod gerit in mente. Si vero non faciat quod promiſit, tunc videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat. Poteſt tamen excuſari ex duobus. Uno modo, ſi promiſit id quod manifeſte eſt illicitum: quia promittendo peccavit, mutando autem propoſitum bene facit. Alio modo, ſi ſunt mutatæ conditiones perſonarum, & negotiorum: ut enim Seneca dicit in Lib. IV. de benefic. . . . ad hoc quod homo teneatur facere quod promiſit, requiritur quod omnia immutata permaneant: alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promiſit quod habebat in mente, ſubintellectis debitis conditionibus; nec etiam eſt infidelis non implendo quod promiſit, quia eædem conditiones non extant. Unde & Apoſtolus non eſt mentitus, qui non ivit Corinthum, quo ſe iturum eſſe promiſerat; ut dicitur II. ad Corinth. 1. & hoc propter impedimenta quæ ſupervenerunt.* Diſputatur itaque, an rebus eodem loco, & ſtatu manentibus, abſque ulla notabili mutatione, peccet mortaliter contra iuſtitiam promiſſor, niſi impleat ſimplicem promiſſionem acceptatam, etiamſi promiſſarius nullum aliud patiatur damnum præter rei promiſſæ privationem? Tres referunt ſententias Salmanticenſes, quas omnes tutas in conſcientia afferunt.

VIII. Prima opinio defendit, peccare mortaliter, & quidem contra iuſtitiam promiſſorem qui non implet promiſſionem acceptatam; etiamſi nullum aliud damnum eveniat promiſſario quam carere re promiſſa. Quoniam virtus fidelitatis pro-

proxima eſt iuſtitiæ, & eſt omnium obligationum fundamentum, & apprime neceſſaria Reipublicæ, atque humanæ ſocietati. Accedit quod omnis contractus parit obligationem ex iuſtitia. Promiſſio contractus eſt iure gentium invectus. Ergo eius obligatio gravis eſt, ſi materia gravis ſit. Hanc opinionem defendunt S. Antoninus *II. Part. tit.* x. *cap.* 11. *§.* 4. Sylveſter verb. *Pactum* quæſt. IV. Covarruvias cap. *Quamvis pactum* II. part. *§.* 4. num. 13. Tapia *Lib. V. quæſt.* XX. *art.* 6. *num.* 5. Soto *Lib. VII. quæſt.* II. *art.* I. *ad* I. Ludovicus Lopez *Lib. II. de contract. cap. ult.* Leſſius *Lib. II. cap.* XVIII. *dub.* 8. Layman *Lib. III. ſect.* 5. *tract.* IV. *cap.* XII. *num.* I. Caſtropalaus *tract.* XXXII. *diſp.* II. *punct.* 8. Continuator Turnely *Part. II. de contract. cap.* II. & alii.

IX. Secunda opinio docet, gravitatem obligationis ex promiſsoris intentione pendere. Promiſſio enim quædam lex eſt quam ſibi ſponte promiſsor imponit. Ergo poteſt vel ex ſola fidelitate, vel ex iuſtitia ſe aſtringere. Et hanc ſententiam defendunt Molina *Tom. II. tract.* II. *diſp.* CCLXII. Reginaldus *Lib. XXV. num.* 96. Lugo *diſput.* XXIII. *ſect.* 6. *num.* 89. Rebellus *II. Part. Lib. XVIII. quæſt.* IV. & alii.

X. Tertia ſententia defendit, ſimplicem promiſſionem gratuitam acceptatam obligare dumtaxat ſub veniali; immo addit repugnare, promiſsorem velle ſe obligare ex debito iuſtitiæ. Quoniam, inquiunt Salmanticenſes, non eſt in voluntate promiſsoris efficere ut debitum morale, quale eſt promiſſionis ſimplicis, evadat debitum legale ex iuſtitia: ſiquidem nequit ipſe rerum naturas pervertere, & actuum obiecta variare. Ergo quoties homo ſimplici tantum promiſſione ſe ſe obligat, nonniſi ex fidelitate ſe aſtringit, ſecus ex iuſtitia. Nec negamus, ſubdunt, quemlibet poſse gravem obligationem ex iuſtitia ſibi imponere. Sed dum id efficaciter intendit, debet ea ponere quæ ad talem obligationem neceſsaria ſunt; & ſic debet ſuam promiſſionem ſcriptura coram notario, & coram teſtibus firmare, ut civiliter cogi in foro externo poſſit.

XI. Evincere primo hanc ſententiam conantur auctoritate S. Thomæ 2. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *artic.* 3. *ad* I. ubi ait: *Dicendum, quod ſecundum honeſtatem ex qualibet promiſſione homo homini obligatur.* Deinde probant ratione. Promiſſio obligat ex fidelitate. Sed fidelitas inducit obligationem ſolum ex quadam honeſtate. Ergo non obligat ex iuſtitia. Siquidem debitum ex fidelitate, & debitum ex iuſtitia diſtinguuntur; uti manifeſtum eſt. Quoniam fidelitas eſt pars tantum potentialis iuſtitiæ. Ergo nequit inducere debitum legale. Tandem confirmatur ex communi æſtimatione hominum, qui conſcientiæ ſibi graviter non vertunt ſimplices violare promiſſiones. Si ab his exigeretur chirographum, quo ſe coram teſtibus obligarent, expreſse renuerent: quia nollent tam arcte ſe ſe aſtringere. Signum ergo eſt promiſsorem ſimplici promiſſione nolle ſibi imponere obligatio-

nem

Digitized by Google

nem civilem & legalem, ſeu ex iuſtitia. Hanc opinionem defendunt citati Salmanticenſes *loc. laud.* ubi pro eadem citant Caietanum 2. 2. *quæſt.* CXIII. *artic.* I. *dub.* 4. Armillam verb. *Perfidia*, Bannez 2. 2. *quæſt. de dominio*, Ledeſmam *de matrim. quæſt.* XLV. *artic.* 5. *dub.* 2. Ioannem a S. Thoma I. 2. *quæſt.* LXXXVIII. *diſput.* XXIX. *artic.* 9. Martinez *Tom. II. cap.* XXIX. *quæſt.* IV. Ioannem a Cruce *in ſept. præcept. quæſt.* I. *artic.* I. *dub.* I. Henriquez *Lib. II. de matrim. cap.* XIII. Dianam *Part. II. tract.* XVII.

XII. Vix definire valeo, quænam ex his tribus opinionibus probabilior ſit. Quantum colligere potui, in hoc conveniunt, & convenire ſane debent omnes, obligationis gravitatem in promiſſione omnino gratuita pendere ex intentione promiſsoris, qui, cum legiſlator privatus ſit, libereque & ſpontanee onus aſsumat promiſſionis, poteſt gravem, vel levem obligationem ſibi imponere. Nec probo quod docent Salmanticenſes, in eiuſdem voluntate non eſse, obligatione ex iuſtitia ſe devincire, niſi chirographo coram teſtibus, & notario promiſſionem firmet. Utique in foro exteriori hæc neceſsaria ſunt. Verum falſum exiſtimo, non poſse quemlibet in foro interiori, & coram Deo debitum ex iuſtitia ſibi imponere, quin opus habeat his ſignis exterioribus. Nec talis rerum naturas pervertit, quia tranſmutat debitum fidelitatis in debitum iuſtitiæ; ſed ultra debitum ex fidelitate, ſibi imponit debitum iuſtitiæ. In genere quippe morum rerum naturas ſæpe ab intentione hominum pendere planum eſt.

XIII. Igitur, ut mea minima præfert opinio, in qualibet promiſſione ſimplici, & prorſus gratuita primum omnium ſpectanda eſt voluntas promiſſoris: & ex ea, atque ex re promiſſa, & ex conditione tum promittentis, tum promiſſarii, & ex aliis circumſtantiis gravitas obligationis colligenda eſt. Omnis quippe quæſtio in qua de peccato mortali agitur, periculoſe determinatur, niſi veritas expreſſa habeatur; ut inquit S. Thomas. Illud etiam mihi videtur probabilius, in ſimplici promiſſione verbis expreſſa, & omnino gratuita, raro homines ſe obligare ex iuſtitia, ſed tantum ex quadam fidelitate, & honeſtate, ut ait Angelicus. Nec tantum onus, a voluntate dumtaxat promiſſoris procedens, eidem imponendum eſt, niſi expreſſe conſtet de eiuſdem voluntate. Ex circumſtantiis ergo colligenda eſt gravitas iſtius obligationis.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XXI.

De donationibus, earumque conditionibus.

I. Donatio eſt *liberalis alicuius rei traditio*, quæ dominium parit, & ius in re. Dicitur autem vel ſtricte *liberalis*, quæ omne debitum excludit tum gratitudinis, tum iuſtitiæ; vel *liberalis* lato modo, quatenus donator nullo utique iuſtitiæ debito obſtringitur, ſed tamen titulo gratitudinis donat; & hæc donatio antidoralis, ſeu remuneratoria nuncupatur.

II. Donatio alia *realis*, in rei traditione ſita, qua donator reipſa a ſe dominium abdicat, & in alium transfert: alia *verbalis*, qua quis donat rem abſentem; quæ imperfecta donatio eſt, & potius promiſſio, ſeu non eſt perfecta donatio, uſquedum donatarius rem non aſsequitur.

III. Rurſus donatio dividitur in abſolutam, & conditionatam. Illa perfecta eſt, omnemque conditionem excludit; hæc imperfecta, quia conditionem annexam habet. Dividitur etiam in donationem *inter vivos*, & in donationem *mortis cauſſa*. Donatio *inter vivos* transfert continuo dominium in donatarium, etiam vivente donatore. Donatio *mortis cauſſa* ea eſt qua quis reipſa nunc donat rem, ſed poſt mortem poſſidendam. Quare, ſecuta dumtaxat morte donatoris, dominium acquirit donatarius. Donatio cauſsa mortis ab homine etiam ſano fieri poteſt; mortis tamen cauſsa, & cum eiuſdem mentione fiat oportet. Donatio inter vivos natura ſua irrevocabilis eſt, exceptis paucis caſibus, de quibus mox. Donatio mortis cauſsa natura ſua revocabilis eſt; ut habetur ff. *de adimendis* l. 4. ubi hæc habentur. *In ſupremis enim diſpoſitionibus hæc regula dubio procul obtinet, ut ambulatoria ſit hominis voluntas uſque ad extremum vitæ ſpiritum*. Donator inter vivos cogi iuridice poteſt ad rei traditionem, ſecus donator mortis cauſsa. Si donator reſervavit ſibi facultatem pro nutu diſponendi; aut ſi donationis inſtrumentum donatario non dedit, ſed apud ſe ſervavit, nullo exemplari tradito donatario, invalidam eſse donationem docent graves & celebres Icti. Diſputant Doctores, num donationes cauſsa mortis diſcrepent a diſpoſitionibus teſtamentariis. Alii adfirmant, negant alii. Sed hanc diſputationem tamquam nullius momenti prætereo.

IV. Quatuor conditiones neceſsariæ ſunt ad donationem. Prima eſt ex parte donatoris. Secunda ſpectat donatarium. Tertia afficit rem donatam. Quarta comprehendit formulas ſine quibus caduca donatio eſt. Singulas expendam.

V. Quæſt. I. *Quinam donare valeant?* Reſp. Prima conditio ex parte donantis re-

requirit poteſtatem donandi. Omnes autem qui liberam facultatem lege non ligatam habent diſponendi de rebus ſuis, donare poſſunt. Plures lege prohibentur donare. Muti a nativitate, & ſurdi ſimul, qui neç voce, nec ſcriptura exprimere propriam voluntatem queunt, donare prohibentur. Furioſi, qui mente carent, ebrii, amentes, & prodigi, quibus a iudice interdicta eſt, inepti ſunt ad quamcumque donationem. Prohibentur quoque donare impuberes, nempe maſculi ante 14. annos, & puellæ ante 12. Omnes perſonæ eccleſiaſticæ rerum immobilium Eccleſiæ, & mobilium quæ ſervando ſervari valent, nihil donare poſſunt; immo nec pecuniam ad emenda immobilia deſtinatam ſolemni decreto. Qui ex donatione impares ad debita ſolvenda fiunt, donare interdicti ſunt. Donatio pro quacumque cauſſa illicita, quæ lege prohibetur, ut pro adulterio, pro homicidio &c. nulla eſt; ſicuti & donatio militis facta concubinæ. Rei læſæ maieſtatis, & hæretici, quorum bona ſint addicta fiſco, donare nequeunt. Nec uxores, inſcio marito, nec filiifamilias invitis parentibus donare valent; niſi habeant bona propria, ut caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, & paraphernalia &c. de quibus liberam habeant adminiſtrationem.

VI. Clauſtrales, quia omni dominio ſunt deſtituti, donandi facultate carent. Clemens VIII. ſua conſtitutione, data anno 1594. omnes Religioſorum clauſtralium donationes irritavit; niſi in Capitulo generali unanimi conſenſu, & Superiorum permiſſu probatæ fuerint. Urbanus VIII. Clementinam conſtitutionem confirmavit altera ſua Bulla anno 1640. eamque declaravit. Prælati Regulares moderatas donationes in Monaſterii utilitatem facere valent, iuxta propriarum legum præſcriptum. Religioſi quoque officiales, ut procuratores in bonum Monaſterii, aliquas eleemoſynas ex Superiorum permiſſu, & iuſta occurrente cauſſa, donationes facere interdum valent. Religioſi privati nullam ſive donationem, ſive eleemoſynam erogare poſſunt; cum vetitum ipſis vi profeſſionis ſuæ habere pecunias ſit.

VII. P. Carolus Billuart *Tom. II. diſſ. 11. artic. 2.* concedit Religioſis privatis de ſibi collatis a parentibus, vel amicis, vel propria induſtria partis facultatem donandi, & eleemoſynas elargiendi, conſtitutione Urbani VIII. allegata. Verum præfatus Pontifex, non privatis, ſed Prælatis, & officialibus Monaſterii id concedit. Plura ibidem docet Auctor iſte. Refert aliorum opiniones, quorum aliqui docent, Religioſos privatos poſſe ſingulis annis decem ducatos, alii duodecim aureos, alii duos vel tres aureos ſingulis menſibus, alii id remittunt arbitrio viri prudentis. Hæc omnia refert *P. Billuart*, & probat, hæc fieri poſſe & conſuetudine, & uſu, & ex tacita, vel expreſſa Prælati licentia. Laxa hæc ſunt, & abſurda. Sacrificium paupertatis, non donationum, non munerum, a Religioſis Deus poſtulat. Si plura de Religioſorum paupertate cupis, lege duo

ope-

opera noſtra, nempe *Diſciplinam Apoſtolico-Monaſticam*, & *Defenſionem Decretorum Concilii Tridentini* &c.

VIII. Secunda conditio ex parte donatarii eſt, ut is aptus ſit ad recipiendam donationem. Quamobrem tutores, & curatores capaces non ſunt ad donationes recipiendas, factas a pupillis, & minoribus. Alicubi etiam prohibentur donationes quæ fiunt Confeſſario a pœnitentibus, & quæ medicis, chirurgis, advocatis, procuratoribus offeruntur ab infirmis, & clientibus; ut refert Continuator Turnely. Sed leges iſtæ in Gallia, ſecus alibi, locum habent.

IX. Tertia conditio eſt, ut res quæ donatur, non ſit alicui perniciosa. Hinc donatio facta in fraudem creditorum, nulla eſt. Diſputant Auctores, utrum qui accipiunt ſimiles donationes, teneantur ad reſtitutionem? Negant Molina *Tom. II. diſp.* CCCXXVII. Leſſius *Lib. II. cap.* XX. Laymanus, Diana, & alii. Hanc opinionem damnavit Clerus Gallicanus anno 1700. Talis quippe donatio iniuſta eſt tam ex parte dantis, quam ex parte accipientis. Idcirco ad reſtitutionem obligant accipientem Sanctus Antoninus *II. Part. titul.* 1. *cap.* XII. *ſ.* 27. Caietanus *Tom. II. opuſc. tractat.* IV. *quæſt.* IV. Pradus *cap.* XXIX. *quæſt.* V. *num.* 15. Sylveſter verb. *Reſtitut.* 3. quæſt. VI. Aragon, Salmanticenſes, Continuator Turnely, & alii.

X. Quarta conditio formulas comprehendit neceſſarias ad donationis valorem. Requiritur primo acceptatio expreſſa. Secunda formalitas eſt traditio, quæ duplex eſt: altera realis, altera ficta. Realis eſt qua dominium tum directum, tum utile transfertur in donatarium: ficta vero qua transfertur dominium directum in donatarium; ſed donator ſibi retinet uſumfructum. Tertia formalitas eſt *inſinuatio*, qua videlicet donationes in acta publica referuntur; cum omnium interſit ne donationes ſint occultæ, & ignotæ. Ad ſolemnitatem inſinuationis requiritur ut donator ipſe coram iudice compareat, ſuamque declaret voluntatem. Plures aliæ formalitates adhiberi ſolent iuxta diverſitatem legum, quæ in foro dumtaxat exteriori vim habent, quatenus donatori, aut eius heredibus actionem præbent ad reſcindendam donationem conſuetis clauſulis deſtitutam. Donationes pecuniariæ quæ brevi manu fiunt, non indigent inſinuatione. Donatio omnium bonorum invalida eſt; ut ſancitur ff. *de verb. oblig.* l. *Stipulatio hoc modo*. Quoniam tum donatores ſe privant facultate teſtandi: quod noxium Reipublicæ reputatur. Ideo donationes huiuſmodi, ſi fiunt cauſſa mortis, validæ ſunt: quia hæ nihil impediunt quominus donatores poſſint heredem inſtituere. Leges vero iſtæ quæ nullam declarant donationem omnium bonorum tum præſentium, tum futurorum, obligant dumtaxat in foro exteriori, ſecus in interiori. Siquidem nulla apparet lex aut naturalis, aut divina quæ prohibeat omnium bonorum abdicationem; immo eam Evangelium conſulit, ſequendi Chriſti IESU cauſſa; dum-

mo-

Digitized by Google

modo tales donationes nemini damnum inferant, nec creditoribus, nec filiis, aliiſque qui ius habeant ad bona donata.

XI. Donationes inter coniuges iure communi nullæ ſunt *ff. de donat. inter virum & uxor.* l. 52. Quod ideo ſtatutum aſſeritur, ne coniuges mutuo amore quo ſe proſequuntur, ſe ſpolient bonis ſuis cum damno filiorum. Retineri tamen bona donata valent, donec alter eorum donationem revocet. Validas eiuſmodi donationes Auctores aſſerunt, ſi iuramento firmatæ ſint. Item morte donatoris validæ evadunt, niſi in vita revocatæ fuerint, & ſi bona donata tradita reipſa ante mortem fuerint. Requiritur etiam ut donator ante donatarium moriatur. Alii quoque aſſignantur caſus in quibus validæ ſunt inter coniuges donationes. Primo donatio remuneratoria valida eſt. Secundo quando Imperator donat Imperatrici. Tertio ſi donatio fiat ad reparandas ædes ruinoſas. Quarto ſi donator non fiat pauper ex donarione; ut ſi coniux repudiet legatum in gratiam alterius coniugis, quæ ſuccedat. Quinto, ſi donatarius ex donatione non fiat ditior; ut ſi maritus donet uxori ad eleemoſynas erogandas. Sexto, ſi uxor donet marito ad aliquam dignitatem comparandam. Rurſus coniuges mutuo ſibi donare valent bona futura acquirenda.

XII. Donatio patris facta filio non emancipato invalida eſt, & ad nutum revocabilis: quia idem cum patre filius reputarur: nemo autem donare ſibi poteſt. Valida tamen evadit aut patris morte, aut filii emancipatione. Valida quoque eſt, ſi filius ſir naturalis, ſi donatio ſit remuneratoria, ſi detur in dotem; aut filio eunti ad bellum. Cavendum patribus eſt ne quid uni filiorum donent cum præiudicio legitimæ quæ debetur aliis filiis. Et omnes abſtinere debent a donationibus profanis, factis ad fovendas pompas, luxum, & ambitionem, nullaque rationabili cauſſa occurrente.

XIII. Quæſt. II. *Quas ob cauſſas revocari donatio inter vivos valida, & acceptata poſſit?* Reſp. Tres aſſignantur communiter cauſſæ validæ donationis revocandæ. Prima eſt donatarii ingratitudo *ff. de revocat. donat.* l. *Propter ingratitudinem*. Tum autem donatarius ingratus dicitur, ſi iniurias atroces in donatarium intorſerit; ſi impias manus in eum extenderit; ſi conditionem donationi adiectam violaverit, aut non impleverir; ſi damnum bonis donaroris grave attulerit; ſi vitæ eiuſdem periculum paraverit; ſi eumdem inopia preſſum alere recuſaverit; ſi cum eiuſdem uxore adulteraverit, aut eius filiam corruperit. Hæc omnia tamen probari ante iudicem debent; & ſolum poſt iudicis ſententiam reſcindenda donatio eſt. Et ſi res donata tradita non fuerir, retineri a donatore poteſt, uſque dum iudicis ſententia rogata fuerit. Secunda revocandæ donationis cauſſa eſt proles noviter ſuſcepta. Qui enim abſque liberis, & ſine ſpe eoſdem habendi magnam bonorum partem donavit, ſi poſtea filios habuerit, vel quia uxor ſterilis fecunda

evaſit, vel quia matrimonium contraxit, cenſetur donaſſe hac conditione, *niſi filii donatori naſcantur*. Neque enim præſumi poteſt aliquem velle extraneos præferre ſuis propriis filiis: & colligitur ex C. *de revocat. donat.* l. *Si numquam* 8. Quo in caſu, ſi revocatio facta fuerit, & filii obeant, non reviviſcit donatio: quia actio ſemel extincta, ſemper extincta manet. Tertia cauſſa eſt, ſi donatio ſit inofficioſa, videlicet contra pietatem paternam erga filios; ut ſi lædat ius legitimæ filiis debitæ. Si autem ſit inofficioſa dumtaxat in re; tunc reſcinditur tantum quoad illam portionem quæ lædit legitimam filii. Si vero inofficioſa re, & conſilio, ſeu, ſi animo nocendi filiis donatio facta fuerit extraneis; tota reſcinditur. Secus, ſi donatio facta ſit aliis filiis, & deſcendentibus, vel Eccleſiis, & ad cauſſas pias: tunc enim reſcinditur dumtaxat quantum ad illam ſolam partem quæ damnum intulit legitimæ filiorum. Hæc tamen revocatio ſolum poſt parentum mortem fit: quia tum ſolum legitima filiis debetur.

XIV. De donatione mortis cauſſa iam dictum eſt, eam eſſe natura ſua revocabilem. Dupliciter fieri hæc donatio poteſt. Primo abſolute, quando, nullo inſtante mortis periculo, donas aliquid poſt mortem tradendum. Secundo conditionate, ſi mors ſequatur: quo in caſu, morte non ſecuta, evaneſcit donatio.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

DE TESTAMENTIS, ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

PRAELOQUIUM.

CUM inter gratuitos contractus teſtamenta locum occupent; inſtituti noſtri ratio poſtulat ut pauca ſaltem de iiſdem diſſeramus. Argumentum iſtud ad ICtos potiſſimum attinet, qui ingentia volumina, ut illud illuſtrarent, ediderunt. Vix in foro civili alia occurrunt argumenta, quæ tam uberrimam diſputandi, & vitilitigandi materiam præbeant, ac ultimarum voluntatum diſpoſitiones, teſtamenta, legata, & codicilli. Hæc iudicum ingenia continenter torquent, advocatorum crumenas implent, & litigantium animos vexant, excruciantque. Id vero ut plurimum in cauſſa eſt, quod negotium hoc graviſſimum in extremum vitæ tempus reiicere teſtatores ſolcant, quod eſt prorſus intempeſtivum, atque permoleſtum. Animadvertit percelebris elapſi ſæculi Theologus Ioannes a S. Thoma in ſua exquiſita *Methodo adiuvandi moribundos cap.* 11. inter cetera præſtigia, quibus dæmon homines ſeducit, hoc unum eſſe, quod ſcilicet teſtamentum condere ſit officium letalis infirmitatis tempori reſervatum. *Non pauci*, inquit, *peccant in materia tam gravi, peccato negligentiæ, quæ illos poſteà plurimum turbat, & affligit, quod de his non diſpoſuerint, cum integræ eſſent valetudinis, & iudicii, dum cogitant id ſe de die in diem diſtuliſſe, exiſtimantes ſe illico morituros, ubi teſtamentum condiderint. Debent Confeſſarii talium perſonarum, aut illi quos conſulunt de rebus ſuæ conſcientiæ, illis ſerio inculcare, tamquam negotium maximi momenti, quod ſine magno ſcrupulo omitti non poteſt, maxime ſi perſonæ ſint provectioris ætatis, vel implicatæ miniſteriis, & occupationibus periculoſis, ut quantocius ab illis ſe expediant.* Quilibet teſtator quidam legiſlator eſt, legem graviſſimam rogans, qua patrimonium ſuum aut in legitimos heredes diſtribuit, aut liberali animo amicis legat, aut in opera pia erogat. Partitio iſthæc, gravis momenti cum ſit, exquiſitam prudentiam, iudicii maturitatem, animum odii, invidentiæ, immoderati amoris vacuum, mentemque tranquillam poſtulat. Hæc omnia in extrema illa lucta, atque horrendo conflictu deſiderari, nedum ſperari, vix queunt. Undique pericula circumſtant aut violandæ iuſtitiæ, aut lædendæ

caritatis. Quid, ſi minus perſpicue, apteque ſuam exprimat voluntatem teſtator; ſi verbis ambiguis, ſenſibuſque involutis diſtributionis legem concipiat? Lites interminabiles, iurgia, diſſidia, odia, & innumera heinc conſequuntur abſurda: quorum omnium cauſſa princeps teſtator eſt, qui tam arduum negotium in illud ultimum agonis intervallum diſtulit, quo turbatus animus, cum morte luctans, & mens futuri iudicii divini iam iam imminentis terrore exagitata, impar eſt ad illud opportune prudenterque conficiendum. Quamobrem ſummopere verendum ne omnium quæ ex tanta negligentia, & culpabili dilatione proficiſcuntur malorum reddere ſupremo iudici rationem debeat. Miſſis itaque innumeris diſputationibus quas verſare ICti conſueſcunt ad lites dirimendas, ea ego dumtaxat ediſſeram quæ pro conſcientiæ foro optime moderando neceſſaria iudicavero.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit teſtamentum: & quæ ſolemnitates ad eiuſdem valorem requirantur.

I. Cuique iure gentium conceſſum eſt ut, antequam ex hoc mundo decedat, de rebus ſuis diſponat, modumque executionis, poſt mortem ſui peragendæ, definiat. Hæc diſpoſitio ultima appellatur, quæ dividitur in *teſtamentum*, *codicillum*, *legatum*, *fideicommiſſum*, & *donationem mortis cauſſa*.

II. Teſtamentum, quod eſt quaſi mentis, animique declaratio, ſeu teſtatio, definitur *ultima voluntatis humanæ iuſta ſententia de eo quod quis vult fieri poſt mortem cum directa heredis inſtitutione*. Ultimæ particulæ ſunt quæ diſtinguunt teſtamentum a ceteris ultimis voluntatibus. Proprietas enim teſtamenti eſt directa inſtitutio heredis, qui defuncti perſonam repræſentet. Nuncupatur *iuſta* ſententia, ſeu diſpoſitio: quia conformis eſſe iuri communi debet, ut infra dicetur. *Codicillus* eſt velut teſtamenti appendix, ſeu ſcriptura ultima, aliquam diſpoſitionem continens, abſque directa heredis inſtitutione. Codicillus ſcribitur ad aliquid mutandum eorum quæ in teſtamento diſpoſita ſunt, aut declarandum, vel adiiciendum, detrahendumve, abſque inſtitutione, vel revocatione heredis iam in teſtamento inſtituti. Ex privilegio dumtaxat poteſt in codicillo heres inſtitui; ut ſancitur ff. *de milit. teſtament.* l. *Militis codicil.* 36. Per accidens quoque inſtitui heres in codicillo poteſt, ut per fideicommiſſum; & inſtitutus indirecte revocari, quando heres in teſtamento deſignatus tale delictum perpetraſſet vi cuius mereretur hereditate privari. Debet tamen delictum probari, antequam inſtitutus heres re-

vo-

vocetur. Hæc de iure communi. Ceterum in pluribus regnis, & provinciis valet teſtamentum abſque heredis inſtitutione.

III. Legatum eſt donatio facta a teſtatore, & ab herede præſtanda, alicuius rei particularis. Fideicommiſſum eſt legatum, vel hereditas, legatarii, vel heredis fidei ita commiſſa, ut alienare eam nequeat; ſed debeat illam reſtituere cui teſtator reſtituendam præſcripſit. Duplex fideicommiſſum. Unum eſt generale; quo tota hereditas gravatur, & reſtituenda ſucceſſoribus deſignatur. Alterum particulare, quo bonum aliquod fidei legatarii committitur, reddendum illis quos teſtator deſignat. De ſubſtitutionibus infra dicam.

IV. Teſtamentum duplex. Aliud *ſcriptum*, ſeu *clauſum*, & ſigillis munitum; Aliud *nuncupativum*, ſeu apertum, quod abſque ſcriptura, ſola verborum nuncupatione formari poteſt. Si quis præſcriptum numerum teſtium advocet, & coram iiſdem ſuam declaret voluntatem, heredem inſtituat, legata deſignet, & ceteras inſtitutiones, atque conditiones præſcribat, rogans eos ut teſtes ſint ſuæ ultimæ diſpoſitionis; teſtamentum validum eſt. Quod ſi teſtamentum ſcriptis conſignetur, ſcriptura ſolum adiicitur, ut firmius, & evidentius probetur teſtatoris diſpoſitio. Qui plura conficit teſtamenta, ultimo revocat priora, ultimoque ſtandum eſt: quia nemo plura habere teſtamenta valet, exceptis militibus: ſi tamen iſtorum etiam teſtamenta mutuo pugnent, ultimum prævalet ceteris. Contra, quilibet plures conficere codicillos poteſt, invicem non oppoſitos. Quod ſi contrarii ſint, ultimo loco factus præfertur.

V. Quæſt. I. *Quæ ſolemnitates requirantur ad teſtamentum nuncupativum?* Reſp. Iure communi requiruntur ſeptem teſtes maſculi puberes, qui annos 14. expleverint, quique liberi ſint, vel ut tales reputati; & qui invitati, ac rogati, omnes audiant voluntatem teſtatoris. In hoc teſtamento non eſt neceſſaria, ſaltem iure communi, ſubſcriptio teſtium, nec ipſius teſtatoris; cum ſcriptio non pertineat ad ſubſtantiam teſtamenti nuncupativi. Quando tamen eiuſmodi teſtamenta publicæ ſcripturæ mandantur, coram tabellione ſubſcribi a teſtatore debent: quia publicæ ſcripturæ omnes ſubſcribendæ ab illis ſunt a quibus exhibentur.

VI. Quæſt. II. *Quænam ſolemnitates requirantur ad valorem teſtamenti ſcripti, ſeu clauſi?* Reſp. Iure communi, poſtquam teſtamentum iſtud ſcriptum fuerit, clauſum, & ſignatum, debet teſtator coram ſeptem teſtibus declarare, hoc eſſe ſuum teſtamentum. Omnes teſtes debent ſubſcribere. Quod ſi quis ineptus ſit ad ſubſcribendum, unus teſtium pro eo ſubſcribat, & omnes aut proprio, aut uno communi ſigillo teſtamentum ſignare debent; ut ſancitum eſt l. *Hæc conſultiſſima C. de teſtament. §. Secum paullatim*. A numero teſtium excluduntur qui ſunt ſub poteſtate teſtatoris, & pater heredis: item feminæ, impuberes, ſurdi, muti, cæci,

cæci, amentes, prodigi, iure infames, legatarius, & communiter omnes qui aliquam utilitatem ex teſtamento acquirunt.

VII. Hæc quæ indicavi, ſunt de iure communi. Ceterum ſinguli fere principatus ſuas habent peculiares ſolemnitates. Alicubi ſancitum eſt ut teſtamentum recipiatur a notario coram tribus, alibi coram quatuor teſtibus, vel a Parocho, ſeu Curato coram totidem teſtibus: alibi, ut recipiatur a duobus notariis, vel ab uno notario, & Parocho coram duobus teſtibus. Singuli ergo teſtatores conſulere leges, & conſuetudines debent loci in quo teſtamentum conditur.

VIII. Quando teſtator teſtamentum clauſum ſua manu non ſcribit, ſed alteri ſcribendum tradit, ſi is ſeipſum heredem inſtituat, vel legatarium, non valere teſtamentum, quantum ad eius quod intereſt, docent communiter Auctores ob fraudis ſuſpicionem. Validum tamen eſſet, ſi teſtator hanc eſſe ſuam voluntatem declararet; ut colligitur ex ff. *de iis qui lib. adſcribunt in teſtam.* l. 1. & 2. Verum quia leges iſtæ pœnales ſunt, non obligant ante iudicis ſententiam; cum nitantur in præſumptione fraudis. Quare ſi bona fide ex voluntate teſtatoris quis ſe ſcriberet heredem, vel legatarium, valeret in foro conſcientiæ diſpoſitio.

IX. Quæſt. III. *Teſtamentum ad pias cauſſas quas ſolemnitates poſtulat?* Reſp. Illud dicitur teſtamentum ad cauſſas pias quod ordinatur ad honorem, cultumque Dei, & ad bonum ſpirituale animæ. Quare teſtamenta quæ hereditatem deſtinant pauperibus, Eccleſiis, Monaſteriis, hoſpitalibus, viduis, aut virginibus egentibus, nuncupantur ad pias cauſſas. Immo teſtamentum ad pias cauſſas etiam eſt illud in quo cauſſa pia ſubſtituitur; ut quando teſtator diſponit ut, mortuo herede inſtituto, vel illo recuſante hereditatem, vel non implente conditionem, hereditas devolvatur ad Eccleſiam, ad xenodochium, ad Monaſterium &c. Si vero in teſtamento ſolum legatum aliquod pium relinquatur, non dicitur teſtamentum ad pias cauſſas: alioquin omnia fere teſtamenta eſſent ad pias cauſſas, cum vix aliquod teſtamentum ſit in quo aliqua pia legata non deſignentur. Pro teſtamentis autem ad cauſſas pias haud ſunt neceſſariæ ſolemnitates quæ præſcribuntur vel a iure communi, vel a iure peculiari principatus; ſed ſolum illæ quæ iure naturali, vel gentium neceſſariæ ſunt ad ceteros contractus. Igitur quoties conſenſus teſtatoris, aut privata eius ſcriptura, aut per duos teſtes, ſive viros, ſive feminas, manifeſte patet; validum eſt teſtamentum in utroque foro; ut declaravit Alexander III. in cap. *Relatum* 1. cap. *Cum eſſes* de teſtament. Immo communis opinio Auctorum eſt, valere teſtamentum quantum ad pia legata in eo contenta, etiamſi ob defectum ſolemnitatum quoad cetera nullum eſſet. Addunt communiter Auctores, valere legatum pium, etiamſi teſtator non potuerit aut verbis, aut ſcriptura declarare ſuam voluntatem; dummodo certis ſignis, & nutibus

Digitized by Google

bus revera ipſum velle legatum pium conſtet: quoniam ad iſtius valorem nullæ requiruntur ſolemnitates; ſed ſola ſufficit manifeſtatio voluntatis teſtatoris ſic ſtatuentis. Et quamquam laudatus Pontifex dicto cap. *Relatum* 1. requirat duos teſtes, quia communiter teſtium atteſtatione animus teſtatoris nobis conſtat; tamen, ſi etiam abſque teſtibus heres certo ſciret, teſtatorem hoc aut illud legatum, aut hereditatem reliquiſſe piæ cauſſæ, in conſcientiæ foro aſtrictus eſſet tradere rem legatam. Teſtes quippe neceſſarii ſunt ad probandum in foro exteriori, aut quando deſunt alia argumenta. Ceterum, ſi heres audiſſet ſolus oretenus a teſtatore, illum velle hoc aut illud legatum, tradere illud deberet cauſſæ piæ. Quando teſtamentum ad pias cauſſas, deſtitutum ſolemnitatibus neceſſariis, a iure civili præſcriptis, validum eſt; valida quoque ſunt legata in eo contenta, etiamſi non ſint ad pias cauſſas. Quoniam legatum eſt quid acceſſorium, quod ſequitur principale. Si hoc conſiſtit, etiam illud conſiſtere debet. Si teſtator inſtituat heredem ſuum agnatum, vel extraneum, & ſimul piam cauſſam; careatque teſtamentum neceſſariis ſolemnitatibus: nullum eſt quantum ad inſtitutionem heredis conſanguinei, vel extranei; ſed valet quantum ad inſtitutionem cauſſæ piæ.

X. Quæſt. IV. *Quæ ſolemnitas requiritur ad valorem teſtamenti cæcorum, militum, & parentum inter liberos?* Reſp. Ut valida ſint cæcorum teſtamenta nuncupativa, ſeu aperta, cum ſcribere nequeant teſtamenta clauſa, ſive liberos, ſive extraneos reſpiciant, ſeptem teſtes requiruntur; ſicut & alia quæ deſcripſimus teſtamenta, iure communi ſpectato. Ceterum in quolibet principatu ſuæ adſunt leges, quæ ſervari debent. Milites teſtantes extra bellum ſunt ſubiecti iuri communi, ſicut ceteri. Dum vero in caſtris, aut in expeditione belli reperiuntur, ſoluti ſunt a conditionibus communis iuris, & teſtari valent ea ſolum ſervando quæ ſunt de iure naturæ, nempe coram duobus teſtibus ſive viris, ſive feminis. Quæ teſtamenta per annum integrum valida ſunt poſtquam milites redierint e bello. Ad teſtamenta parentum reſpectu filiorum duo teſtes, etiam non rogati, & non maſculi, ex iure communi requiruntur. Iure tamen particulari regionum eædem ſolemnitates neceſſariæ ſunt pro his ac pro aliis teſtamentis non privilegiatis.

XI. Quæſt. V. *Quæ ſolemnitas ad codicillorum valorem neceſſaria eſt?* Reſp. Vi communis iuris quinque teſtes requiruntur, ut codicilli validi ſint, ſive nuncupativi ſint, ſive clauſi. Codicilli autem ad pias cauſſas reſpectu filiorum, & militum, iiſdem fruuntur privilegiis ac teſtamenta. Verum iura particularia ſaltem plurium regionum ſolemnitates etiam pro codicillis præſcribere ſolent, quæ ſervari debent. Solent teſtatores ſuis teſtamentis adiicere clauſulas, quibus declarant ut teſtamentum validum ſit, ſin minus ut teſtamentum, ſaltem ut codicillus, & ultima diſpoſitio, vel meliori modo quo valere in iure poteſt.

CAPUT II.

De teſtamento imperfecto, & de iis qui condere teſtamentum valent.

I. TEſtamentum imperfectum eſt aut defectu ſolemnitatis a iure præſcriptæ, quæ ſubſtantiam contractus ſpectat; aut quia teſtator morte percuſſus perficere illud nequivit; aut quia deeſt plena & perfecta teſtatoris voluntas. De contractu cui deeſt ſolemnitas ſubſtantialis, diſputavi ſupra hoc *Lib. III. diſs. 1. cap.* VII. *quæſt.* III. In præſens alia duo capita diſpiciam.

II. Teſtamentum imperfectum vel ob repentinam teſtatoris mortem, vel quia loquelam amiſit, vel ob aliud impedimentum, licet teſtator heredem inſtituerit, illique deſignaverit legata coram notario, & teſtibus, nullum eſt communi iure; ut ſancitur ff. *de teſtament.* l. *Si quis, cum teſtamentum*, ubi hæc habentur. *Si quis, cum teſtamentum faceret, heredibus primis nuncupatis, priuſquam ſecundos heredes exprimeret, obmutuiſſet; magis cœpiſſe eum teſtamentum facere quam feciſſe.* Hoc autem tum verum eſt, quando certo conſtat teſtamentum non eſſe finitum. Dum autem dubitandi locus occurrit, ſit nec ne perfectum teſtamentum; tunc illud validum eſſe communiter Auctores docent. Si tamen teſtamentum ſit ad cauſſas pias, validum in utroque foro eſt; quemadmodum & legata pia, licet nullum foret teſtamentum quantum ad alia, ut dictum iam eſt.

III. Si teſtator decedat poſt confectum teſtamentum nuncupativum, ſeu apertum, antequam eidem legatur, invalidum eſt; ut colligitur ex ff. *de legatis*, l. *fideicommiſſum* §. *quoties*. Verum ſi ſufficienti numero teſtium conſtaret omnia quæ ſcripta ſunt, conſona eſſe teſtatoris menti, validum in utroque foro teſtamentum eſſet. Siquidem, ut iam dixi, haud neceſſe eſt ut hæc teſtamenta nuncupativa ſcribantur; ſed ſat eſt certo conſtare de mente teſtatoris. Si teſtator aſſerat in teſtamento, ſchedulam ſuo Confeſſario, vel alteri perſonæ ſe dediſſe ſubſcriptam, ſeque velle omnia in ea contenta vim habere; executioni mandanda, & implenda, non ſecus ac teſtamentum, eſſent, ut communiter Auctores docent, & res natura ſua patet.

IV. Quando teſtator plena libertate carens, teſtamentum conficit, vel quia dolo, aut fraude decipitur, aut vi cogitur; teſtamentum iſtud nullum eſt. Quoniam ſicut in ceteris contractibus, ſic, & potiſſimum in hoc plena libertas neceſſaria eſt. Quare ſi quis per errorem conſtitueret heredem, aut legatarium, falſo exiſtimans eſſe filium ſuum, aut conſanguineum; in utroque foro nulla eſſet diſpo-

poſitio. Qui vero deciperent teſtatorem, eum inducendo ut ſe, vel alios heredes inſtitueret, aut legatarios, peccarent contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem tenerentur. Idem dicendum de teſtamento facto vel ob metum, quem vocanr reverentialem, filii erga patrem, uxoris erga maritum; vel ob preces importuniſſimas, quæ ob continuam moleſtiam quaſi vim inferrent. Qui aliquo ex his modis teſtarorem decipiunt, aut vim eidem inferunt, non modo graviter contra iuſtitiam peccant, & reſtitutioni obnoxii ſunt; verum etiam in foro exteriori privantur quocumque iure ad ea bona quæ in tali teſtamento iiſdem relicta ſunt. Peccant quoque, & ad reſtitutionem tenentur qui impediunt ne teſtamentum condatur, aut ne immutetur factum. Quod impedimentum multis modis apponi valet, vel notarium, aut teſtes detinendo ne ingrediantur cubiculum teſtatoris; vel teſtatorem ipſum decipiendo, dum gravitas mortalis infirmiratis eidem occultatur, ur in eum morbi gradum tandem incidat in quo condendo teſtamento idoneus non ſit. Quæ fraudes non adeo raræ ſunt. Qui vero ſuaſione, conſilio, aut moderatis precibus teſtatorem inducit ut teſtamentum mutet, ut ſe, vel alios inſtituat heredes, aut legatarios, non peccat, nec ad reſtitutionem tenetur.

V. Pauca nunc de iis qui condere teſtamenta poſſunt, explicabo. Omnes uſu rationis præditos poſſe de bonis ſuis teſtari, niſi lex aliqua obſit, certum eſt. Lex autem vetar teſtari Religioſos, voto pauperraris devinctos, Epiſcopos de reditibus Eccleſiæ. Pauperes, qui nihil poſſident, reſtari nequeunt; ſi tamen ſperant ſe in poſterum habituros, aut ius habeant ad bona furura, teſtari de his iure valent. Servi, uſu rationis deſtituti, amentes inepti ſunr ad reſtandum. Diverſi generis ſtultitia reperitur. Qui ſtultus eſt in uno genere, ſecus in negotiis ſuis peragendis, teſtari valet: item illi qui perpetuo amentes non ſunt. De his conſtirui regula generalis nequit; ſed ex ſignis, ex iuſta & honeſta rerum diſpoſitione colligi poterit, fuerint ne rationis compotes, quando teſtamentum condidere. Si enim teſtamentum ſit ad legum præſcriptum, & optime diſpoſitum; ſignum ſatis validum eſt teſtatorem uſu rationis ornarum fuiſſe. Idem dicendum de ægrotis delirantibus. Soli adſtantes colligere valenr, ſint nec ne apti ad teſtandum. Impuberes, nempe maſculi anre 14. & feminæ ante 12. annos, teſtari non valent. Imperfectum enim in iſtis iudicium eſt: & licet in aliquibus iudicium præveniat ætatem; tamen ad lites vitandas ante præfatum tempus nequeunt teſtari, etiam ad pias cauſſas, etiamſi aliquis miles ſit. Ex conceſſione tamen Principis teſtari iſtos poſſe conrendunt plures, dummodo rationis ſint compotes. Principes enim ex iuſta cauſſa diſpenſare ab hac poſitiva lege valent.

VI. Filiifamilias puberes de bonis quaſi caſtrenſibus, & caſtrenſibus teſtari poſſunt, ſecus de adventitiis. Si tamen ſint Clerici, & poſt Clericatum bona adventitia comparaverint, de iſtis condere teſtamentum queunt; ut colligitur ex C. *de Epiſ.*

Epiſ. & Cleric. l. *Sacros* 32. ubi hæc habentur, *Ea, quæcumque in eodem clericatus gradu, locoque viventes acquirere, & habere potuerint, etiamſi in patris poteſtate conſtituti ſint, tamquam bona propria vindicent. De his ſi quando libitum fuerit, teſtandi, vel alienandi, vel donandi libera facultate conceſſa.*

VII. Qui muti ſimulque ſurdi a nativitate ſunt, teſtari nequeunt, aut codicillos facere, aut donationes mortis cauſſa. Si ex morbo, ſecus a nativitate, ſurdus quis ſit, & mutus, ſi ſcribere ſciat, teſtari, & codicillos facere, quemadmodum ceteri, poteſt. Idem præſtare valet qui dumtaxat ſurdus ſive a nativitate, ſive ex morbo ſit. Similiter qui mutus, & non ſurdus eſt, ſive ex morbo, ſive a nativitate, ſi ſcribendi arte præditus ſit, poteſt teſtari, donare mortis cauſſa, & cetera quæ ad ultimam diſpoſitionem requiruntur, facere. Hæc omnia perſpicue declarantur l. *diſcretis* 10. C. *Qui teſtamenta facere poſſunt.*

VIII. Plura ſunt crimina ob quæ leges condendi teſtamenti facultatem adimunt. Requiritur tamen ut iudicis ſententia declaratum crimen ſit, antequam quis inhabilis fiat ad teſtamentum faciendum. Crimina autem eiuſmodi ſunt. Hoſtilis Cardinalium inſecutio, percuſſio, incarceratio &c. aut cooperatio in eiuſmodi crimina. Alterum crimen eſt hæreſis, vel hæreticis favere, patrocinari, eoſdem defendere, receptare. Tertium crimen eſt damnatio ob libellum famoſum. Aliqui addunt quartum, nempe ſodomiæ ſcelus nefandum. Uſurarii publici, & notorii teſtari, codicillos facere, donare mortis cauſſa pariter nequeunt ex cap. *Quamquam de* uſuris in 6. niſi creditoribus ſatisfecerint, aut cautionem ſatisfaciendi præſtiterint vel ipſis creditoribus, vel perſonis fide dignis, ut Parocho, Epiſcopo &c. Quam pœnam locum habere Auctores docent, etiamſi ab uſuris patrandis fenerator deſtiterit, niſi præfatam ſatisfactionem, cautionemve præſtiterit ante mortem, etiamſi teſtamentum ante uſuras conditum ſit: quia teſtamentum mortis tempore confirmatur. Si tamen conditum eſt ante cautionem, vel ſatisfactionem præfatam; & poſtea ſatisfactio, vel cautio præſtetur; validum reputatur, ut communis docet opinio. Damnatos ad mortem, & illos quibus aqua, & ignis interdicebatur, inhabiles ad teſtandum declarat l. *Eius qui* §. *Sed cui*, ff. *de teſtamentis*, aliæque leges, quæ tamen hodie vix alicubi locum habent. Illud verum eſt, eos teſtari non poſſe quorum omnia bona fiſco adiudicata fuerint.

Digitized by Google

CAPUT III.

De iis qui poſſunt, vel non poſſunt heredes, aut legatarii in teſtamento inſtitui.

I. SEptem recenſeri ſolent perſonarum genera quæ inſtitui heredes nequeunt. 1. Qui non poſſunt teſtari ob delictum, neque accipere hereditatem ex teſtamento valent; ut declarat Gloſſ. in l. *Is cui*, ff. *Qui facere teſtam.* &c. 2. Hæretici, & apoſtatæ & eorum fautores, receptatores, & defenſores, ſi intra annum pœnitentiam non egerint, accipere quicquam ex teſtamento nequeunt. 3. Perſecutores, & percuſſores Cardinalium poſt iudicis ſententiam. 4. Civitates inimicæ, Iudæorum communitates apud Chriſtianos commorantes, Collegia illicita nequeunt heredes inſtitui. 5. Clerici prohibentur hæreticos, vel infideles quoſcumque heredes inſtituere, etiam conſanguineos. Cap. *Si quis Epiſcopus*. 6. Si dominus inſtitui heres nequeat, neque eiuſdem ſervus, niſi ſervus ſit manumiſſus, vel ad alterum dominum hereditatis capacem tranſierit; ut ſancitur ff. *de heredib. inſt.* l. *Non minus*. Similiter inſtitui a domina heres nequit ſervus, pendente accuſatione de adulterio cum eadem patrato. Quando dominus heredem ſervum inſtituit, liberum eum relinquere cenſetur; ſicuti ſi tutorem filii ſui conſtituat, in libertatem eumdem aſſerit. 7. Quomodo Religioſi inſtitui heredes poſſint, vel Monaſteria, conſulendæ ſunt eorumdem leges.

II. Præter recenſitos caſus, alios enumerant Auctores. Primus eſt. Heredes, aut legatarii qui occidunt teſtatorem, excluduntur ipſo facto a bonis defuncti; ut patet ex ff. *de bonis damnator* l. ultim. §. ultim. Diſputant vero Auctores, num bona defuncti fiſco applicanda ſint, an devolvi debeant ad heredes alios ab inteſtato. Affirmant alii, alii negant. Sed hæc forum externum ſpectant; & leges, atque conſuetudines locorum ſpectandæ ſunt. Addunt communiter, legatarium qui poſt legatum factum gravem ingratitudinem, vel inimicitiam exercuit erga teſtatorem, non poſſe accipere legatum; immo acceptum reſtituere debere: quia enormis ingratitudo, vel inimicitia ſufficit ad revocandum teſtamentum, ut diximus.

III. Secundus eſt. Si legatarius, vel heres prohibuerint teſtatori condere teſtamentum, aut conditum revocare; excluduntur ab hereditate, vel legato: & fiſco applicatur legatum.

IV. Tertius eſt. Si heres acceſſit ad uxorem teſtatoris, iudicatur indignus hereditate. Quamquam vero de hoc diſſideant Auctores, omnes tamen legatarium ta-

Digitized by Google

talis delicti reum privant legato ex l. *Si inimicitiæ* ff. *de iis quibus ut indignis* &c.

V. Quartus caſus eſt. Si defunctus mente captus erat, & heres curam pro eiuſdem ſanitate non adhibuerit; vel ſi captivus exiſtebat, & eumdem liberare neglexerit, ac mortuus in captivitate fuerit: tum auſertur ab eo hereditas, & addicitur fiſco.

VI. Quintus. Si heres teſtamentum ſuæ inſtitutionis accuſavit, & proſecutus eſt litem uſque ad ultimam ſententiam prolatam contra eumdem; hereditate privatur. Si tamen ante prolatam ſententiam, vel pendente appellatione deſiſtat ab intentata lite; hereditatem non amittit.

VII. Quæſt. I. *Quomodo parentes teneantur alimenta præbere filiis naturalibus, & ſpuriis?* Reſp. Triplex filiorum genus. Alii ſunt legitimi, qui nempe ex legitimo matrimonio, vel ut tali reputato, nati ſunt, aut per ſubſequens matrimonium legitimati. Alii naturales nati ex parentibus nullo impedimento dirimente irretitis; ſed qui contrahere ſimul matrimonium poterant. Impedimentum ſolum impediens, ut eſt ſimplex caſtitatis votum, non tollit quin ſint naturales. Alii ſunt ſpurii, qui nempe nati ſunt ex parentibus qui contrahere ſimul non poterant, quia impedimento dirimente devincti; puta, ſi alter parentum eſſet matrimonio ligatus, aut conſtitutus in ſacris, aut Religioſus profeſſus; ſi eſſent conſanguinei uſque ad quartum gradum. Spurii aliqui dicuntur etiam orti ex damnato concubitu; ut quando mulier rem habuit cum proprio ſervo; vel quando adulterii crimini adiungitur flagitium inceſtus. Ob hoc enim duplex crimen mater pœna mortis plectitur. Item quando mulier copulam habuit cum aſcendentibus, vel deſcendentibus; ut colligitur ex ff. *de adulteriis* l. *Si adulterium cum inceſtu*. Et licet lex includat copulam habitam cum conſanguineo intra quartum gradum, tamen communiter Auctores interpretantur; quando conſanguineus eſt aut ex aſcendentibus, aut ex deſcendentibus. Rurſus ex damnato concubitu dicuntur illi qui oriuntur ex Chriſtiana & Iudæo, vel Mahometano.

VIII. His delibatis reſpondeo ad propoſitam quæſtiunculam, parentes naturæ iure teneri ad alimenta præbenda filiis omnibus, ſive legitimi ſint, ſive naturales, ſive ſpurii. Immo, etiamſi pater ſit Sacerdos, & mater Monialis. Hæc alimenta quæ præſtare parentes tenentur, debent eſſe congrua ſtatui, & dignitati parentum. Nomine alimentorum veniunt victus, veſtitus, medicinæ, habitatio, & ſumptus funerum. Si parentes nobiles ſunt, nequeunt filios etiam ſpurios cogere ut arte, & labore vili vivant, quando id dedecori filio eſſet. Utique omnes in labore vultus comparare ſibi cibum debent; ſed modo congruo proprio ſtatui. Plures ſunt artes quæ a nobilibus quoque exerceri ſine dedecore poſſunt. In eiſdem parentes filios erudiant, aut erudiri curent, ut queant ſibi comparare victum neceſſa-

Digitized by Google

arium. Quando parentes divites ſunt, nequeunt collocare filios in hoſpitali, aliiſque orphanorum collegiis, lociſque piis, niſi occultandæ infamiæ cauſſa; ſed tum compenſare ſumptus loco pio, vel hoſpitali debent. In defectu parentum adſtringuntur avi iure naturæ alere filios filiorum, ſive nepotes ſint ex patre, ſive ex matre; quemadmodum eodem quoque iure filii ſpurii, & nepotes in eorumdem defectu aſtringuntur alere parentes, & avos, ſi pauperes ſint, & unde vivant non habeanr. Heres quoque patris alimenta præſtare debet filio ſpurio, cui pater illa non dedit. Quoniam heres ſubit omnia onera ſui defuncti teſtatoris. Utrum vero ad hoc teneatur heres vel ex iuſtitia, vel ex pietate, non vacat in præſentia diſputare. Quamdiu tamen pater non agnoſcit ut ſuos filios ſpurios, ſive naturales, non tenetur iiſdem alimenta præbere. Si vero ſemel agnoverit ut ſuos, eos alere tenetur; licet neget eſſe ſuos. Si pater domi unicam concubinam habeat, & ex ea natus filius ſit; illius reputandus eſt, quando non conſtet, eam cum alio commercium illo tempore habuiſſe. Primo triennio mater quantum ad lac præbendum aſtringitur; ad cetera tenetur pater, qui, elapſo primo triennio, alere filium debet, donec is propria ſuſtentari induſtria valeat. Si pater moriatur, tenetur mater ſupplere vices parentis in filiorum alimentis: ſi ipſa non poſſit, ſuccedunt avi, & proavi ex parte patris; & ſecundo loco ſuccedunt huic obligationi avi materni, ut communiter Auctores docent.

IX. Quæſt. II. *Quomodo filii naturales, & ſpurii ſuccedant patri?* Reſp. Filius naturalis iure antiquo nullo modo ſuccedere patri poterat, etiamſi is legitimos filios non habuiſſet; ut patet ex C. *de naturalibus liberis* l. *Humanitatis*. Iure vero communi novo ſuccedit in duabus unciis parenti non habenti filios legitimos. Duæ unciæ comprehendunt ſextam bonorum partem. Hoc tamen limitatur, ſi pater uxorem non habeat; ut colligitur ex C. *de naturalibus* Authent. *Licet* verſ. *ab inteſtato*. Alicubi tamen leges obtinent ut filii naturales ſuccedant in duabus unciis, etiamſi pater uxorem habeat. Immo pater qui filiis legitimis caret, communi iure ex *cit. Authent.* poteſt omnia bona ſua ex teſtamento relinquere filio naturali. Ceterum nunc vigent peculiares leges pro regionum diverſitate. Alicubi, ſi pater habeat legitimos deſcendentes, nequit niſi unicam unciam, ideſt duodecimam bonorum partem, filio naturali relinquere. Alibi poteſt pater relinquere filio naturali quintam bonorum partem in præfato caſu. Docent plures, filium naturalem actionem non habere de inofficioſo teſtamento, etiamſi nihil ei pater relinquat.

X. Filius ſpurius nihil præter alimenta recipere ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato iure valet, etiamſi pater filiis legitimis careat; ut ſancitur in *cit. Authent.* C. *de naturalibus liberis*. Immo Leſſius, Tapia, Sanchez, Lugo, Salmanticenſes docent, teneri in conſcientia filium ſpurium reſtituere heredibus, ſi quid præter alimenta accipiat a patre; ſecus, ſi aliquid recipiat ab avo, aut proavo, dum-

mo.

Digitized by Google

modo iſti filios legitimos non habeant: quoniam leges præfatæ, cum ſint odioſæ, reſtringi, non amplificari debent.

XI. Quid, ſi pater ſpurii mandet in ſuo teſtamento ut bona ſua diſtribuantur inter pauperes, poterunt ne executores teſtamentarii, quibus commiſſa eſt bonorum diſtributio, dare aliquid ſpurio præter alimenta? Negat communis opinio: quia executores teſtamentarii non ſunt bonorum domini; ſed pater, a quo ſpurii nihil præter alimenta accipere valent. Si vero pater ipſe ſit executor teſtamentarius ad diſtribuenda pauperibus teſtatoris bona; tum poterit dare filio ſpurio pauperi, ſicut ceteris pauperibus. Plura alia diſputare Auctores ſolent de modo quo per ſubſtitutionem poſſit pater efficere ut aliqua ſua bona perveniant ad filium ſpurium. Sed hæc ad Ictos magis quam ad Theologos attinent. Idcirco illa prætereo.

XII. Quæſt. III. *Quomodo filii naturales ſuccedant matri?* Reſp. Iure communi filii naturales ſuccedunt matri ab inteſtato, non ſecus ac filii legitimi l. *Si qua illuſtris*, C. *ad Senat. conſult. Orſinianum*. In diverſis regionibus peculiares obtinent leges. Alicubi filii naturales ſuccedunt tantum, cum mater filios legitimos non habet, tum ex teſtamento, tum ab inteſtato; & actionem tum habent contra inofficioſum teſtamentum, ſi mater illos præterierit. Contra, ſi mater filios legitimos habeat; tunc nec ex teſtamento, nec ab inteſtato ſuccedunt filii naturales. Aliquam tamen partem, iuxta diverſas locorum leges, poterit iiſdem mater relinquere; ut docent Salmanticenſes, Covarruvias, Tapia, & alii. Si mater vi compreſſa fuerit, aut fraude decepta ab aliquo quem putavit maritum ſuum, tum filius, ſive naturalis, ſive ſpurius, ſive ex damnato concubitu, ſuccedit cum aliis filiis legitimis tam ab inteſtato, quam ex teſtamento. Quoniam in hoc caſu nulla intervenit culpa reſpectu matris. Ergo ſucceſſio materna denegari filio non debet. Filius ſpurius ſuccedit matri quæ filios legitimos non habet, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato, iure communi; ſecus filii ex damnato concubitu. Verum ſi mater filios legitimos habeat, vel alios deſcendentes, nequit ſpurio relinquere niſi quintam bonorum partem. Plures tamen docent, poſſe filium ſpurium retinere ea quæ mater illi relinquit, antequam per iudicis ſententiam privetur; dummodo filiis legitimis notabile detrimentum non inferatur.

XIII. Quæſt. IV. *Fideicommiſſarius inſtitutus heres a patre cum onere tradendi hereditatem filio ſpurio, licite ne tradere illam valet?* Reſp. Salmanticenſes graviſſimam hanc vocant difficultatem *tract.* XIV. *cap.* V. *punct.* 5. §. 4. *num.* 67. ac tres opiniones in medium afferunt. Et primo quædam præmittunt ut certa apud Auctores. Convenit penes omnes, peccare tam patrem donantem, & inſtituentem amicum cum pacto expreſſo, vel tacito reddendi hereditatem filio ſpurio, quam amicum acceptantem hereditatem cum tali onere: quia uterque fraudem in re-

gra-

Digitized by Google

gravi legi id vetanti infert. Quo ſiquidem hæc inſtitutio pertinet, niſi eo ut legem quæ vetat & parenti dare, & filio ſpurio recipere aliquid præter alimenta, eludat? Convenit ſimiliter penes Auctores, fiſco adiudicanda eſſe eiuſmodi bona, ſi amicus fideicommiſſarius fidem præſtet parenti de reddendis bonis filio ſpurio; ut conſtat ex C. *de iis quibus ut indignis* l. 1. & l. *Non intelligatur*, ff. *de iure fiſci*. At quia leges hæ pœnales ſunt, obligant ſolum poſt iudicis ſententiam. Quid, ſi iudex inquiſitionem inſtituat, interrogetque fideicommiſſarium, an fidem præſtiterit teſtatori de tradendis bonis filio ſpurio? Reſpondent Salmanticenſes cum aliis, poſſe tum fideicommiſſarium uti æquivocatione, niſi præceſſerit infamia: quia tunc iudex iuridice non interrogaret. Immo addunt, hunc poſſe iuramento confirmare æquivocationem ad occultandam veritatem. Sed hæc opinio mihi non probatur: quia iuramentum inſtitutum eſt ad manifeſtandam, non ad celandam veritatem; ut in tractatu de iuramento palam feci. Verum de hoc obiter. Illud certum eſt, rogata a iudice ſententia, ut bona reſtituantur fiſco, quæ filio ſpurio fideicommiſſarius dare promiſerat, reddenda eſſe: & ſi fideicommiſſarius clericus eſt, docent citati Auctores, bona tradenda eſſe fiſco Eccleſiæ; ſi laicus, adiudicanda eſſe fiſco laico. Hæc communia ſunt.

XIV. Illud in diſputationem vocatur, utrum fideicommiſſarius qui accepit hereditatem cum pacto expreſſo, vel tacito eam tradendi filio ſpurio, teneatur ante iudicis ſententiam hanc hereditatem, vel partem eiuſdem tradere filio ſpurio, vel heredibus ab inteſtato ipſius patris? Tres, ut dixi, ſunt ſententiæ.

XV. Prima opinio docet, hunc fideicommiſſarium dominum haudquaquam fieri talis hereditatis; atque adeo non poſſe ſibi eam retinere, nec tradere filio ſpurio; ſed aſtringi illam reſtituere heredibus ab inteſtato patris. Quandoquidem hereditarius titulus ab initio fuit iniuſtus; immo inter prædones talem conſtituit heredem l. *Prædonis*, ff. *de petit. heredit.* Porro, ſi fideicommiſſarius hereditatem ſibi non aſſequitur, eam nec retinere, nec dare ſpurio filio valet. Si enim iuſto titulo hereditatem non poſſidet, evidens eſt non eſſe eiuſdem dominum. Si dominus non eſt; nec ſibi retinere, nec tradere filio ſpurio valet. Porro quod iuſto titulo eam non poſſideat fideicommiſſarius, patet. Unde enim hunc titulum acquirit? A patre teſtatore? Minime: quia pater teſtator non tradidit hanc illi hereditatem, niſi ſub onere, & pacto ut eam filio ſpurio redderet. Ergo nullo iuſto titulo aut retinere illam ſibi poteſt, aut filio ſpurio tradere. Neque filius ſpurius poteſt illam tuta conſcientia accipere a fideicommiſſario: quia hic nullo iuſto titulo hereditatem poſſidet. Acciperet ergo illam a patre, qui ſolus eiuſdem dominus eſt. Sed a patre recipere illam nequit: quia lege prohibetur pater illam tradere: ſi enim pater dare filio ſpurio hanc hereditatem iure poſſet; haudquaquam excogitaret captionem tradendi illam fideicommiſſario cum pacto, & onere ut eamdem

Digitized by Google

dem filio ſpurio redderet. Reddenda ergo hereditas eſt heredibus ab inteſtato. Hanc ſententiam defendit Soto *Lib. IV. de iuſt. quæſt.* v. *art.* 1. Ledeſma *II. Part. quæſt.* xviii. Salonius 2. 2. *quæſt.* v. *de dom. art.* 5. *concl.* 8. Trullenchus *Lib. VII. cap.* xviii. *dub.* 7. & ex ICtis Bartholus l. *final.* ff. *de iis quibus ut indignis*. Gomez *l.* 9. *Tauci num.* 9. & alii.

XVI. Secunda opinio defendit, fideicommiſſarium verum eſſe heredem; atque adeo ſibi retinere hereditatem poſſe, eamque, ſi velit, filio ſpurio donare. Quod ſit verus heres, conſtat: nam reipſa inſtitutus talis a patre teſtatore eſt. Ex alia parte nulla occurrit lex quæ prohibeat eum heredem inſtitui. Lex enim dumtaxat eum hereditate privat in pœnam fidei datæ contra legem tradendi hereditatem filio ſpurio. Quæ pœna ſubeunda non eſt ante iudicis ſententiam. Porro promiſſio tradendi hanc hereditatem filio ſpurio facta fuit in fraudem legis: & ideo non obligat. Ergo ſpurio reddere non tenetur: conditio enim turpis pro non adiecta habetur. Sibi itaque retinere hanc hereditatem poteſt. Hanc opinionem defendunt *Lugo*, *Leſſius*, *Sanchez*, *Covarruvias*, *Bonacina*, *Tapia*, *Villaloboſius*, *Diana*, & alii.

XVII. Sententia tertia defendit, fideicommiſſarium verum eſſe heredem, & dominium hereditatis acquirere: additque, eumdem ex iuſtitia aſtringi reddere hereditatem filio ſpurio. Quod ſit heres, evincit ratione adducta pro ſecunda ſententia. Quod ex iuſtitia teneatur reddere hereditatem filio ſpurio, hoc pacto oſtendit. Promiſſio oneroſa obligat ex iuſtitia: quia eiuſdem tranſgreſſio eſt perniciofa alteri, in cuius favorem gravamen impoſitum fuit. Porro heres fideicommiſſarius promiſit, pacto adiecto explicito, vel tacito, hereditatem tradere filio ſpurio. Ergo ex iuſtitia ſtare promiſſis debet. Idque potiſſimum verum habet, ſi heres fideicommiſſarius aliquid hereditatis accepit in pretium tradendæ hereditatis filio ſpurio. Hanc opinionem amplectuntur Salmanticenſes *loc. cit. num.* 73. & *ſeqq.* & pro eadem citant *Bannez*, *Tradum*, *Victoriam*, *Ledeſmam*, & alios. Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondent, fideicommiſſarium hunc appellari *prædonem* in l. *Prædonis*, quia fraudem facit præſtando fidem contra legem; non quia hereditatem ſuſcipit. Quæ reſponſio quam ſit vana, nemo non videt. Si fraudem legi infert: ergo, repugnante lege, hereditatem ſuſcipit tradendam ſpurio. Ad ſecundum reſpondent, præfatam inſtitutionem non eſſe conditionalem, ſed modalem. Inſtitutio autem modalis non ſuſpendit effectum, ſicut conditionalis. Hæc reſponſio melior non eſt præcedenti, ſoloque verborum involucro legem circumvenit. Teſtator fideicommiſſarium heredem inſtituit hoc pacto ut is hereditatem filio ſpurio tradat; & heres, inſtitutus cum tali pacto, & onere, hereditatem ſuſcipit, fide data id adimplendi. Si pactum iſtud mutuum *conditionem* appelles; vera eſt prima ſententia: ſi *modum* voces; falſa illa evadit? Sola ne vocum diverſitate veritas in falſitatem immigrat?

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. His omnibus expenſis, ſola prima ſententia mihi probabilior eſt: quia aliæ duæ, ut ego quidem arbitror, mera effugia ſunt ad legem circumveniendam. Omnes fatentur, patrem teſtatorem deſtitutum poteſtate eſſe tradendi hereditatem filio ſpurio. Ut hanc legem eludat, inſtituit heredem fideicommiſſarium. Cur? ut ſit inſtrumentum deferendi hanc hereditatem, lege repugnante, ad filium ſpurium, & quidem adiecto pacto id præſtandi. Quid hoc aliud eſt niſi hereditatem tradere filio ſpurio, non propria, ſed aliena manu? Quid hoc aliud eſt niſi furari alieno inſtrumento? Reſtituenda ergo eſt heredibus ab inteſtato patris.

CAPUT IV.

De heredibus neceſſariis, eorumque exheredatione.

I. Triplex heredum genus. Alii neceſſarii, qui, ſublata legitima cauſſa, privari hereditate nequeunt. Si hos teſtator præterit innominatos; nullum eſt communi iure teſtamentum. Alii vocantur heredes ab inteſtato, qui ſuccedunt defuncto decedenti abſque valido teſtamento. Tertio loco ſunt heredes extranei, qui libere inſtituuntur a teſtatore, nulloque iure potiuntur ſuccedendi ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato.

II. Quæſt. I. *Quomodo filii patribus, & patres filiis ſuccedant tamquam heredes neceſſarii?* Reſp. Sermo eſt de filiis legitimis: de illegitimis enim, ſpuriis, & ex damnato concubitu ortis, ſupra diſputatum eſt. Filii itaque legitimi, heredes neceſſarii ſunt reſpectu parentum: non quia neceſſario acceptare hereditatem debeant; ſed quia pater neceſſario eos inſtituere heredes aſtringitur, niſi adſit legitima cauſſa eoſdem exheredandi. Deficientibus vero filiis ſuccedunt deſcendentes nepotes, & pronepotes.

III. Reſpondeo itaque, filios parentibus neceſſario ſuccedere in bonorum portione quæ vocatur *legitima*. Legitima hæc comprehendit tertiam bonorum partem, ſi filii fuerint tantum quatuor, vel pauciores, dividendam inter illos. De reliquis bonis pro libito diſponere pater valet. Si plures quam quatuor filii ſint; tunc legitima includit medietatem bonorum, quæ dividi inter filios debent. Alia medietas ad patrem attinet; ut colligitur ex Authentica de *trient. & ſemiſſe* §. 1. & 2. Authent. *Unde ſi pater de inofficioſo teſtamento*. In aliquibus regnis peculiares leges obtinent, nempe ut deſcendentes ſint neceſſarii heredes in bonis aſcendentium, quibus conceditur ut de ſola quinta parte diſponere inter extraneos valeant, detractis expenſis funerum. Si vero ſermo ſit de filiis, præter dictam quintam partem, poſſunt parentes aliam tertiam partem tradere uni, cui maluerint, filiorum,

Digitized by Google

in ea eum *meliorando*, ut lex loquitur. Itaque ſi cumulus hereditatis fuerit quindecim, primum extrahenda eſt quinta pars, nempe tres, de quibus ad libitum diſponere pater valet, etiam reſpectu extraneorum. Deinde ex duodecim remanentibus quatuor, quæ conſtituunt tertiam partem tradendam filio quem meliorare pater vult. Reliquæ octo partes dividendæ ſunt inter omnes fratres.

IV. Aliæ etiam conditiones præſcribuntur: puta, ſi aliquis filiorum, ſive deſcendentium quidquam recepit aut in dotem, aut donationis titulo; produci illud debet in hereditatis cumulum, dividendum inter heredes neceſſarios. Immo ſi in hoc exceſſus fuerit, reſtitui debet, & inter heredes dividi.

V. Ordo autem in ſucceſſione ſervandus eſt. Nam viventibus propinquioribus ſtipiti, non ſuccedunt remotiores: ſic viventibus filiis non ſuccedunt nepotes; ſed inter filios hereditas dividitur per capita, ſeu, ut aiunt, per viriles portiones. Exemplum ſubiicio. Pater habet tres filios. Horum unus moritur, plures filios relinquens. Filii iſti ſuccedunt hereditati avi, vel aviæ, non per capita, ſed *per ſtirpem*: quia omnes ſimul repræſentant ſuum patrem, atque adeo ſuccedunt ſolum portioni quæ debebatur patri, inter eos dividendæ. Finge, patrem habere hereditatem dividendam inter filios, quæ valeat 300. habeatque tres filios, quorum unus ſit mortuus, & reliquerit quatuor filios. Hereditas dividenda eſt in tres portiones. Duæ portiones debentur filiis viventibus, nempe unicuique centum, quia iſti ſuccedunt *per capita*. Quatuor vero nepotibus debetur altera tertia pars, quæ contingebat parenti mortuo: quia omnes iſti ſimul repræſentant ſuum parentem; & ideo dicitur in iure, iſtos ſuccedere *per ſtirpem*. Hæc vero tertia portio dividenda eſt inter quatuor filios, & reſpective nepotes per capita. Exemplum applica ceteris deſcendentibus.

VI. Illud etiam certum eſt, & ubique obtinet, nempe parentes non poſſe portionem legitimam, filiis debitam, onere aliquo gravare. Immo, etiamſi pater inſtituat filium heredem omnium bonorum, adiecta conditione, ut ſi decedat abſque filiis, hereditas tota reſtituenda ſit tali perſonæ, vel pio loco; ſemper legitima exempta, & libera a gravamine intelligitur. Validum vero gravamen eſt in ceteris bonis legitimam excedentibus.

VII. Quæſt. II. *Quomodo aſcendentes ſuccedant in hereditate deſcendentibus?* Reſp. Regula generalis eſt, ut aſcendentes ſuccedant deſcendentibus illis quos diximus neceſſario ſuccedere in legitima debita ipſis aſcendentibus, quando deſcendentes careant ſucceſſoribus. Si enim deſcendentes relinquant ſucceſſores; iſti, non aſcendentes, ſuccedunt; ſed, ſucceſſoribus deficientibus, aſcendentibus legitima tantum debetur. Ordo tamen & hic ſervandus eſt. Primi enim omnium ſuccedunt proximiores in gradu, non remotiores. Si uterque parens vivat; uterque per partes æquales inſtituendus heres eſt. Si unus tantum vivit, ſive mater, ſive pater; ſolus

Digitized by Google

lus inſtituendus heres eſt. Defuncto utroque parente, ſuccedunt avi tum paterni, tum materni; ita ut media pars ad maternum, altera pars ad paternum avum pertineat. Deficientibus avis, ſuccedunt proavi. Si autem ſint ſolum aſcendentes vel paterni, vel materni, ſuccedunt proximiores in gradu; ut de deſcendentibus dictum eſt.

VIII. Quanta ſit portio legitimæ debitæ aſcendentibus qui ſuccedunt deſcendentibus, iure communi non eſt aſſignata. Gloſſa in *Authenticam* Noviſſima, *C. de inofficioſo teſtamento*, aſſignat ultimo tertiam bonorum partem. Etiam ad hoc quod attinet, ſunt pro locorum diverſitate peculiares leges. Alicubi duas partes bonorum continet legitima relinquenda aſcendentibus. De tertia ſolum diſponere deſcendentes valent, deducto prius ære alieno, & ſumptibus funerum. Marito non habenti unde decenter vivat, aliquæ leges taxarunt quartam bonorum partem uxoris, deducendam ex toto cumulo bonorum eiuſdem. Verum conſulendæ leges ſunt locorum.

IX. Fratres, & ſorores, ſublatis deſcendentibus, & aſcendentibus, non ſunt heredes neceſſarii; & multo minus ceteri conſanguinei. Quare nullo potiuntur iure ut heredes a fratribus inſtituantur. Succedunt dumtaxat bonis gravatis ab aſcendentibus. Si tamen fratres ſuperſtites egentes fuerint; ex caritate tenetur frater teſtator levare fratrum inopiam, relictis extraneis, & piis locis: quoniam Chriſti caritas urget ut propinquioribus opem feramus. Non raro fratres obeuntes ex odio, aut ſaltem ex defectu fraternæ benevolentiæ, neglectis fratribus, ſua bona legant aut extraneis, aut piis locis. Laudantur utique diſpoſitiones in favorem pauperum, & piorum locorum; ſed prius implenda ſunt officia caritatis erga propinquiores. Circumſtantias omnes ſpectare teſtator debet. Spectandum, num ceteri fratres filiis, & filiabus abundent, imparesque ſint ad filias dote donandas, ad alendos filios. Et quos cognoverit egentiores, hos iuvet. Teſtamentum exemplum prudentiæ, caritatis, iuſtitiæ, & pietatis eſt. Idcirco matura prudentia, & conſideratione opus eſt in illo condendo.

X. Diſputant Auctores, quæ indigentia requiratur in fratribus, ut teſtator ex caritate teneatur iiſdem ſubvenire? Navarrus requirit extremam neceſſitatem in *Man. cap.* XXVI. *num. 36.* Navarrum ſequuntur alii. Sed hæc opinio mihi non probatur. Nam extreme indigentibus omnes ſuccurrere aſtringuntur, nedum fratres. Lugo *diſp.* XXIV. *num.* 175. quem ſequuntur Trullenchus, & Salmanticenſes *loc. cit. num.* 87. dicunt peccare mortaliter teſtatorem, niſi ſuccurrat fratribus extrema neceſſitate preſſis; venialiter vero, ſi graviter tantum egeant, eoſque non iuvet. Bilances ponderandi hos malitiæ gradus mihi deſunt. In his, & ſimilibus caſibus nequit, ut ego quidem arbitror, regula generalis præſtitui. Quare id quod magis prudentiæ, caritati, & æquitati accedit, implendum eſt, omnibus circumſtantiis

ſpectatis. Si inimicitiæ inter fratres præceſſere; ad tollendum ſcandalum ſigna fraternæ benevolentiæ relinquenda ſunt. Rurſus cor noſtrum inſcrutabile eſt, & amor proprius aſtutiſſimus præſtigiator odium, & invidentiam ſæpe nobis falſis coloribus depingit. Quare tutius eſt in his eventibus fratres ſuperſtites participes efficere teſtamentariæ diſpoſitionis, ultimæque voluntatis, deficientibus neceſſariis heredibus.

XI. Quæſt. III. *Quibus de cauſſis exheredari filii a parentibus, & parentes a filiis valeant?* Reſp. Convenit penes omnes, parentes haud poſſe hereditate neceſſaria filios privare, niſi vel ipſi conſentiant, vel crimina perpetraverint ob quæ tali pœna puniri mereantur. Primum crimen quod habetur in *Authent. de appellat.* eſt, ſi filius manus impias in parentes extenderit, culpa interveniente mortali: ſi enim id filius faceret in ſui, aut patriæ defenſionem; nullum eſſet flagitium. Secundum crimen eſt contumelia gravis, illata verbis, aut factis parenti a filio. Gravitas iſtius contumeliæ, quæ ſufficiat ad exheredationem, iudicio prudentis viri definienda eſt, ſpectatis qualitatibus filii, parentis, & circumſtantiis loci, & temporis. Tertium eſt, ſi filius accuſet parentem de crimine, ob quod pater plectendus ſit pœna aut mortis, aut perpetui exilii, aut notabilis infamiæ. Excipitur tamen accuſatio de proditione patriæ, de læſa maieſtate, de hæreſi. Quartum, ſi maleficus, ſi excantator fuerit filius, aut iſtorum focius. Quintum, ſi filius patris occiſionem quocumque modo machinatus fuerit, etiam effectu non ſecuto. Sextum, ſi patris uxorem, aut concubinam domi habitam ſcienter cognoverit. Septimum, ſi fuit delator, vel teſtis in iudicio contra patrem in gravi crimine. Octavum, ſi, patre detento in carcere, noluit filius fideiubere pro eo, ut liber evaderet. Nonum, ſi filius, vel filia impedire tentavit ne pater teſtamentum conderet, aut efficere ut conditum revocaret. Decimum, ſi filia oblatam dotem pro ineundo matrimonio repudiavit, ut luxurioſe, & in meretricio viveret. Undecimum, ſi filia nupſerit ſervo non libero, aut famulo libero. Duodecimum, ſi parentes amentes curare filii noluerint, ſi iudicii compotes evaſerint, exheredare filios poterunt. Tertiumdecimum, ſi parentes captivos liberare filii noluerint. Quartumdecimum, ſi filii catholici apoſtataverint a religione, parentes catholici privare eos hereditate poſſunt.

XII. Quemadmodum parentes filios ingratos, ſceleſtoſque exheredare valent ita filii parentes ingratos, atque inhumanos eadem plectere pœna valent. Cauſſæ iſtius exheredationis habentur in cit. Authentica *Cum de appellationibus cognoſcend. §. Sive legatur.* I. eſt, ſi pater mortem filio intentaverit, aut de filio crimina denuntiet ob quæ morte puniri mereatur, excepto crimine hæreſis, aut læſæ maieſtatis divinæ, vel humanæ. II. Si pater fornicatus ſit cum filii uxore, vel concubina domi habita. III. Si pater impediat ne filius teſtamentum condat.

dat. IV. Si pater veneno matrem necare tentavit, vel alia via occidere ſtuduit. V. Si amentem filium ſanare non curaverint parentes, ſi compos iudicii filius evaſerit, exheredare parentes poterit. VI. Si parentes filios, aut filias captivas in libertatem aſſerere neglexerint. VII. Si pater a fide catholica deſciverit.

XIII. Diſputant Auctores, utrum in recenſitis caſibus, in quibus parentes filios, aut filii parentes exheredare queunt, denegare quoque ipſis alimenta iure valeant? Adfirmant Sylveſter verb. *Hereditas*, Vaſquez *de teſtam. cap.* VI. *ſ.* 3. *dub.* 4. Dicaſtillus *Lib. II. tract.* XIX. *diſp.* 1. *dub.* 21. Sed melius diſtinguunt alii. Si filii, vel parentes habent unde vitam ducant, tametſi non iuxta ſtatus honeſtatem; tum alimenta præſtare exheredatis non tenentur teſtatores. Si vero unde vivant careant exheredati; hoc in caſu alere eos debent parentes, aut filii teſtatores: alioquin illos necarent, ſi neceſſaria ad vivendum alimenta non præberent.

XIV. Quid, ſi pater non exheredet filium, aut filius patrem poſt patrata delicta, vel quia pater morte præventus non potuit, vel quia delicta ignoravit; valet ne filius in conſcientia hereditatem capere; vel alii heredes queunt filium reum ab hereditate excludere? Communis, & mihi vera ſententia eſt, poſſe tunc filium (& idem eſt de patre reſpectu filii, ſeu aſcendentium reſpectu deſcendentium) tuta conſcientia hereditatem aſſequi, & retinere. Quandoquidem exheredatio pœna eſt a lege civili infligenda ſtatuta. At nemo ante iudicis ſententiam pœnam criminalem ſubire aſtringitur. An pater non poteſt amore paterno ſuccenſus remittere crimen etiam cognitum filio? Quid quod pater, ut exheredare iure filium valeat, in ſuo teſtamento allegare exheredationis cauſſam debet, eamque probatam exhibere? Si enim alleget, & non probet; exheredatio nulla eſt. Alii heredes non ſunt iudices iſtius exheredationis, nec ius habent ad exheredandum filium. Quoties enim nulla eſt in teſtamento mentio delicti, exiſtimandum eſt, patrem condonaſſe filio crimen. Quid quod ſi pater poſt exheredatum filium in teſtamento expreſſe eidem iniuriam ſibi illatam remittat, adhuc filius hereditati ſuccedit: & ſi ante exheredationem condonet iniuriam filio, eumque in ſuam amicitiam recipiat, nequit amplius ipſum exheredare? Quoniam ob iniuriam iam remiſſam nemo iure puniri debet. Et quod dictum eſt de filio reſpectu patris, dicendum etiam de patre reſpectu filii. Et hoc verum habet, etiamſi teſtator non revocet teſtamentum, quando certo conſtat de iniuria remiſſa. Immo plures defendunt, hoc verum eſſe, quando non ſolum expreſſe, ſed etiam tacite condonata iniuria ſit. Addunt quoque alii, patrem non poſſe exheredare filium qui poſt patratum delictum profeſſionem emittat in aliqua Religione approbata: quia per profeſſionem religioſam omnis ingratitudo deleta exiſtimatur. Aliqui id extendunt etiam ad pœnitentiam privatam; ſed iure hoc

Digitized by Google

alii negant : quia pœnitentia privata non reputatur ſufficiens ad liberandum reum a pœna quæ in foro humano infligitur delinquenti. Hæc communia ſunt apud Auctores, quos inter conſulere poteris Molinam, De Lugo, Sylveſtrum, Vaſquez, & alios ab his citatos.

CAPUT V.

De heredibus ab inteſtato.

I. Hereditas eſt iuridica ſucceſſio in bona, & iura defuncti ratione aut ſanguinis, aut legitimæ inſtitutionis. Iure quippe gentium, & civili ſtatutum eſt, ne defunctorum bona derelicta, & communia remaneant, ut capiantur aut ab iis qui iure ſanguinis propinquiores defuncto ſint, aut ab iis quos dominus, antequam decederet, inſtituit heredes. Duplex ſuccedendi via : aut ex teſtamento, de qua iam dictum eſt; aut ab inteſtato. Heres ab inteſtato ille dicitur qui ſuccedit ratione propinquitatis ſanguinis. Ille vero dicitur mori ab inteſtato qui vel morte præventus teſtamentum non condidit, vel noluit condere, vel factum revocavit, vel conditum nullum eſt ob defectum ſolemnitatum, vel ob alias cauſſas.

II. Defuncto itaque, decedenti abſque teſtamento valido, ſuccedunt deſcendentes legitimi, ſervato propinquitatis ordine, nempe filii, nepotes, pronepotes &c. excluſis aſcendentibus, & transverſalibus. Si filii ſint, ſuccedunt per capita; ſi nepotes, per ſtirpem : omnes quippe nepotes, ſeu filii fratris repræſentant unam ſolam perſonam patris, ut dictum ſupra eſt : igitur iſti accipiunt ſolum unam portionem, debitam patri, æqualem illi quam ſinguli filii ſuperſtites ex defuncto ab inteſtato accipiunt. Omnes autem filii, ſive viri, ſive feminæ, ſive emancipati, ſive non emancipati, ſive ingrati, qui exheredationis cauſſam dedere, ſed exheredati non fuerunt, ſuccedunt per capita ; ut communiter Auctores docent, & ſancitum eſt in Authent. *de heredit. ab inteſtat.* & *C. Senat. conſult.*

III. Sublatis deſcendentibus, ſuccedunt aſcendentes, excluſis collateralibus. Primo loco ſuccedunt pater, & mater æquis portionibus. Si unus parentum vivat, ſive pater ſit, ſive mater, totam capit hereditatem. Sublatis parentibus, ſuccedunt avi, & poſt iſtos proavi. Si defunctus habeat fratres, vel ſorores, utrimque coniunctos, nempe tam ex parte patris, quam ex parte matris, mortis tempore communi iure ſuccedunt ſimul cum aſcendente, ſive parente, ſive avo, & quidem non per ſtirpem, ſed per capita ; ut ſancitur in cit. Authent. *de*

Digitized by Google

de heredit. ab inteſtat. §. Sic igitur. Alicubi tamen leges obtinent ut ſoli aſcendentes ſuperſtites ſuccedant, excluſis fratribus utrimque etiam coniunctis.

IV. Sublatis deſcendentibus, & aſcendentibus, ſuccedunt conſanguinei collaterales, ſive agnati ſint, ſive cognati. Agnati dicuntur conſanguinei qui deſcendunt ex parte virorum. Cognati ſunt conſanguinei ex parte feminarum. Hi omnes iure communi ſuccedunt uſque ad decimum gradum civilem incluſive, ita ut præferantur qui propinquiores ſunt in gradu, non ſpectata linea. Si vero omnes ſunt in eodem gradu, omnes ſuccedunt per capita; ut colligitur ex cit. Authent. *de heredit. ab inteſtat.* Animadvertendum aurem, duos gradus civiles unum gradum canonicum conſtituere. In iure quippe canonico conſideratur ſola diſtantia a ſtipite: & quoniam uno tantum gradu diſtant a ſtipite, uno tantum gradu diſtant inter ſe: & ſic, quia conſobrini, ſeu filii duorum fratrum duobus gradibus diſtant a ſtipite, duobus gradibus diſtant inter ſe. Verum ius civile numerat perſonas ipſas: & quia unus frater diſtat uno gradu, & alter frater alio gradu a ſtipite; ideo duobus gradibus diſtant inter ſe. Et conſobrini, ſeu filii fratrum, qui in iure canonico diſtant in ſecundo gradu, ſecundum ius civile diſtant in quarto. Hinc iuxta ius civile numquam eſt primus gradus in linea collaterali.

V. Si frater decedat abſque deſcendentibus, & aſcendentibus, primo loco ſuccedunt fratres utrimque coniuncti, ſeu fratres tam ex parte patris, quam ex parte matris. Poſt ſuccedunt ſemifratres, videlicet ex parte unius parentis. Si horum filii ſint; ſuccedunt & iſti, non per capita, ſed per ſtirpem. Fratres ex uno parente hunc inter ſe ſervant ordinem. Frater uterinus, ideſt ex eadem matre præfertur fratri conſanguineo, ideſt ex ſolo patre, in bonorum ſucceſſione quæ obveniunt ex parte matris; in bonis vero quæ contingunt ex parte patris, præfertur frater conſanguineus: & idem eſt de iſtorum filiis.

VI. Diſputant Auctores, num quando nullus ſuperſtes ſit frater defuncti, ſed ſolum filii fratrum defunctorum, ſuccedant iſti per capita, an per ſtirpem? Do exemplum. Sunt duo fratres: unus habet quatuor, alter duos filios. Si ſuccedant per ſtirpem; hereditas defuncti dividenda eſt in duas portiones: una diſtribuenda inter quatuor, altera inter duos. Si ſuccedant per capita, hereditas dividitur in ſex portiones. Contendunt non pauci, ſuccedere iſtos per ſtirpem. Plures alii defendunt, eos ſuccedere per capita. Et hæc ſecunda mihi probabilior opinio eſt. Quoniam tunc filii fratrum ſuccedunt per ſtirpem, quando concurrunt ad hereditatem cum patruo, ſeu fratre defuncti: quia tunc omnes filii unius fratris repræſentant unicam perſonam, patrem nempe defunctum. Quando vero filii fratrum concurrunt inter ſe, & non cum patruo vel patruis, tunc ſuccedunt per capita: quia tunc ſolum conſideratur gradus conſanguinitatis.

Tt iiij VII.

Digitized by Google

VII. Quando tandem non ſunt fratres, nec filii fratrum defuncti ab inteſtato; iure communi hereditatem capiunt conſanguinei, ſolo gradu ſpectato, nulla habita ratione, an ſint utrimque coniuncti, an ſecus, uſque ad decimum gradum: & qui propinquior eſt ſtipiti, totam aſſequitur hereditatem. Si fuerint plures in eodem gradu; hereditas dividitur per capita. Deficientibus conſanguineis intra decem gradus, ſuccedit uxor defuncti: & ſi defuncta ſit uxor, ſuccedit vir; ut docent Lugo *loc. cit. num.* 192. Vaſquez *loc. cit.* §. 3. *dub.* 3. & alii plures. Omnibus his ſublatis, hereditas devolvitur ad fiſcum. Hæc ex iure communi. Ceterum conſulendæ ſunt leges, & conſuetudines locorum.

VIII. Advertendum ultimo loco eſt, heredem alium eſſe univerſalem, alium particularem. Particularis vel inſtituitur a teſtatore ad aliquam partem aliquotam, ſeu indeterminatam a teſtatore; vel ſuccedit ab inteſtato in aliqua portione, gravata aut fideicommiſſo, aut alio onere ab aſcendentibus. Heres univerſalis ſuccedit in omnibus bonis: & is dicitur heres *ex aſſe*. Hæc vox *as* pondus ſignificat, nempe libram Romanam duodecim unciarum. Applicata eſt ad ſignificandam integram hereditatem, duodecim partibus conſtantem: quæ partes appellantur unciæ, propriis nominibus deſignatæ. *Seſcunx* eſt unica uncia. *Sextans* eſt ſexta pars hereditatis, nempe duæ unciæ. *Quadrans* eſt quarta hereditatis pars, ideſt tres unciæ. *Triens* eſt tertia pars hereditatis, videlicet quatuor unciæ. *Quicunx* æquivalet quinque unciis. *Septunx*, ideſt ſeptem unciæ. *Bes*, videlicet octo unciæ. *Dodrans*, nempe novem unciæ. *Dextans* decem unciæ. *Deunx*, ideſt undecim unciæ. *As* duodecim uncias comprehendit. Nomine itaque *aſſis* ſignificatur heres univerſalis; diciturque heres *ex aſſe*.

CAPUT VI.

De ſubſtitutione vulgari, pupillari, exemplari, fideicommiſſaria, reciproca, compendioſa.

I. Subſtitutio, quæ una eſt ex diſpoſitionibus ultimæ voluntatis, definitur *unius, vel plurium in alterius, aut aliorum locum ad rem aliquam in ultima voluntate vocatio*. Dicitur unius, vel plurium: quia teſtator hoc pacto ſuam concipere inſtitutionem valet: *Inſtituo heredem meum Titium: hoc mortuo, ſuccedant Franciſcus, & Antonius: poſt iſtos hoſpitale* &c. Subſtitutio dividitur in plures ſpecies.

II. Prima nuncupatur *vulgaris*, qua quis heredi a ſe inſtituto alium quemlibet ſubſtituit, qui capax ſit ſucceſſionis in teſtamento. Eiuſmodi inſtitutio plurimis mo-

Digitized by Google

modis exprimi valet, quos recenſere non intereſt. Finitur, & extinguitur inſtitutio iſta primo eo inſtanti quo primus heres acceptat hereditatem, ſi inſtitutio hoc modo concepta ſit: *Inſtituo heredem meum Paulum: ſi is noluerit acceptare, inſtituo Petrum*. Locus vero ſucceſſioni eſt continuo ac Paulus non acceptat hereditatem, aut quia nolit, aut quia moriatur ante acceptationem, aut quia capax non ſit hereditatis. Si teſtator heredes inſtituat Paulum, & Antonium, illiſque vulgariter ſubſtituat Petrum, ſi Paulus non acceptet, diſputant Icti, & Theologi, an Antonius capere debeat totam hereditatem; vel an portio Pauli debeatur Antonio inſtituto, an Petro ſubſtituto. Communiter reſpondent, colligendum id eſſe ex verbis teſtatoris. Si hæc fuerint teſtatoris verba: *Quando neuter ex his voluerit eſſe heres, ſubſtituo Petrum:* tunc portio Pauli immediate tranſit ad Antonium. Idem adfirmant, quando teſtator dicit: *Si illi heredes non fuerint, ſubſtituo Petrum*. Quando tamen ſubſtitutus eſſet cauſſa pia, hanc præferendam docent. Si vero teſtator ita exprimeret ſuam voluntatem: *Si vel Paulus, vel Antonius heres non fuerit, ſubſtituo Petrum:* tum, uno inſtituto deficiente, præferendus eſt Petrus ſubſtitutus.

III. Subſtitutio *pupillaris* ea dicitur qua pater filiis ſub patria poteſtate conſtitutis ſubſtituit heredem in caſu quo filii decedant ante pubertatem, nempe maſculi ante 14. feminæ ante 12. annos, qua in ætate teſtandi capaces non ſunt. Ideo ius commune parentibus facultatem pro iiſdem teſtandi conceſſit. Hæc ſubſtitutio ſic concipi ſolet. *Inſtituo meum heredem filium meum Antonium. Si is in ætate pupillari deceſſerit, Petrus ſit eius heres*. In iure civili *ff. de vulgar. & pupillar. ſubſtitutione* l. *Iam hoc iure*, & l. *Quamvis*, & §. *Igitur*, *inſtit. de pupillar. ſubſtitut.* hæc inter cetera habentur. *In pupillari ſubſtitutione duo quodammodo ſunt teſtamenta, alterum patris, alterum filii, tamquam ſi ipſe filius heredem inſtituiſſet*. Quare ſubſtitutus vi ſubſtitutionis huius non ſolum aſſequitur bona omnia quæ a patre filius accepit; ſed etiam omnia quæ apud filium mortis tempore inventa fuerint. Subſtitutio pupillaris, ſicut & vulgaris, verbis generalibus exprimi poteſt; ut ſi pater dicat: *Filium meum inſtituo heredem, & ſubſtituo ei Petrum*, nulla pubertatis mentione facta: vel verbis ſpecialibus, & ſpecialiſſimis, ut aiunt, ſic exprimendo ſuam diſpoſitionem: *Filius meus impuber ſit meus heres: ſi in pupillari ætate poſt meam mortem deceſſerit, ei ſubſtituo Ioannem*.

IV. Sex conditiones aſſignari ſolent ad validam ſubſtitutionem pupillarem. I. Is cui datur ſubſtitutus, debet eſſe filius, aut nepos, vel alius deſcendens. II. Filius cui datur ſubſtitutus, ſit ſub patria poteſtate oportet. Quare feminæ nequeunt ſubſtituere, quia carent poteſtate patria: nec patres pro filiis emancipatis, nec pro filiis illegitimis. III. Filius cui datur ſubſtitutus, debet eſſe impuber.

ber. IV. Inſtituendus eſt filius heres; aut declaranda exheredationis cauſſa. V. Filius acceptare hereditatem debet, ſi capax ſit, vel ſaltem eam non recuſet. VI. Mortuo teſtatore, filius ſui iuris eſſe debet, quin tranſeat in alterius patriam poteſtatem. Quamobrem avus non poteſt ſubſtituere nepoti extanti ſub patria poteſtate, nec pater pro filio, qui mortuo patre continuo ſubiacet poteſtati avi.

V. Si pater ſubſtituat filio matrem habenti, mortuo filio impubere, ſubſtitutus ſuccedit, excluſa matre ff. *ad vulg. & pupil.* l. *Lucius*, & l. *Sed & ſi plures*, §. *Ad ſubſtitutos*. Quoniam ſubſtitutio pupillaris, non eſt diſpoſitio filii, ſed patris, qui uxorem heredem inſtituere nulla lege aſtringitur.

VI. Subſtitutio pupillaris extinguitur tripliciter. I. quando filius aſſequitur ætatem pubertatis, in qua teſtari valeat. II. ſi ſubſtitutus obeat ante pupillum: quia ſubſtitutio non tranſit ad heredes. III. quando filius in libertatem ex patria poteſtate evadit, vivente patre. Per profeſſionem quoque regularem ceſſat patria poteſtas, & conſequenter pupillaris ſubſtitutio.

VII. Subſtitutio *exemplaris* imitatur ſubſtitutionem pupillarem, quatenus pater pro filio amente, phrenetico, mente capto, teſtamentum condere valet: & hoc ius communiter Auctores extendunt ad alios caſus; ut ſi filius ſit ſurdus & mutus, aut prodigus, vel alio morbo laboret qui teſtandi facultatem adimat. Quæ ſubſtitutio exemplaris locum non habet in filiis reſpectu aſcendentium. Diſtinguitur vero hæc ſubſtitutio exemplaris a pupillari potiſſimum, quod tam pater, quam mater queant hac exemplari ſubſtitutione pro filio ſubſtituere heredem: & quando uterque parens ſubſtituit diverſum heredem, ſubſtitutus a patre ſuccedit in bonis quæ contingunt filio ex parte patris; & ſubſtitutus a matre ſuccedit in bonis quæ obveniunt filio ex parte matris. In ſubſtitutione pupillari pater pro libito heredem, quem vult, ſubſtituere valet; ſecus in exemplari, in qua ſubſtitutus determinatur a iure, in quo præſcribitur ut ſubſtitutus ſit ex deſcendentibus a patre, ſi pater ſubſtituat, & ex deſcendentibus a matre, quando ab iſta deſignatur ſubſtitutus. Extinguitur hæc ſubſtitutio, quando filius amens fit compos ſui. Si vero iterum relabatur in amentiam, & teſtamentum non fecerit; reviviſcit ſubſtitutio exemplaris.

VIII. Subſtitutio *fideicommiſſaria* gravat heredem, qui vocatur *commiſſarius heres*, ut reddat aut integram hereditatem, aut partem perſonæ alteri, quæ appellatur *fideicommiſſaria*; ut ſancitur ff. *de Senat. conſult.* l. 1. & 2. Indirecta, & obliqua hæc ſubſtitutio nuncupatur: quia hereditas per manus commiſſarii heredis directi pervenit ad manus fideicommiſſarii. Hinc hæc ſubſtitutio fieri etiam in codicillo poteſt: quia licet in eo inſtitui heres directe nequeat, indirecte tamen ſubſtitui heres poteſt. Quamobrem, antequam heres gravatus acceptet hereditatem,

Digitized by Google

tem, eam, vel eius partem non acquirit ſubſtitutus. Addunt tamen plures, poſſe fideicommiſſarium ante iudicem petere ut heres acceptet hereditatem. Mortuo fideicommiſſario ante teſtatorem, ius ad hereditatem non tranſit ad deſcendentes ſeu heredes fideicommiſſarii; ſed fideicommiſſum extinguitur. Iure quoque communi extinguitur ſubſtitutio fideicommiſſaria, ſi heres gravatus, antequam acceptet, decedat. Leges tamen peculiares aliud præſcribunt pluribus in locis. Si heres gravatus Religionem profiteatur; fideicommiſſarius non poteſt hereditatem adire niſi poſt mortem naturalem heredis gravati, ſi Religio quam is profeſſus eſt, poſſidere non prohibeatur, ut propugnant plures Auctores: & ratio ipſa ſuffragatur. Quoniam licet profeſſio religioſa ut mors civilis reputetur, tamen non impedit quominus Religioſus inſtrumentum ſit quo bona ad Monaſterium capax hereditatis pervenire valeant.

IX. Diſputant Auctores, quantum heres gravatus detrahere ex iis poſſit quæ fideicommiſſario reddere tenetur? Reſpondent Covarruvias, Leſſius *Lib. II. cap* XIX. *dub.* 7. *num.* 87. Salmanticenſes *loc. cit. num.* 123. & alii communiter, ſpectato iure communi, detrahere illum poſſe quartam hereditatis partem. Si hereditas ſit integra, quartam totius; ſi ſit pars, quartam eiuſdem partis: quæ quarta pars vocatur *Trebellianica* a Senatu conſulto Trebelliano, l. 1. & 2. ff. *de Senat. conſult.* Idque ius præſcripſit, ut heres gravatus hereditatem acceptaret, & ne heredis nomen vanum foret, tum etiam ut ad acceptandam hereditatem compelli a iudice poſſet. Quando tamen compulſus acceptat, quartam hanc *Trebellianicam* deducere nequit; ut ſancitur cit. ff. l. *Quia poterat*, *§. Ergo* verſ. *Si reus*. Si vero heres gravatus aliquid certum accipiat a teſtatore cum onere ut integram hereditatem reddat; ſi hoc quod ei aſſignatur, æquet quartam partem, nihil accipere valet; ſi vero quod ei teſtator tradit, minus ſit quarta parte, tum detrahere poterit ex hereditate quantum ſat eſt ad æquandam eamdem quartam partem. Si poſtea heres gravatus ſit neceſſarius, ut filius; tum poteſt prius detrahere legitimam, quæ gravari nullo modo valet; & ſimul ex hereditate gravata quartam Trebellianicam. Si heres neceſſarius iuſſus eſſet ut continuo poſt mortem teſtatoris redderet hereditatem fideicommiſſario; tum non poſſet præter legitimam deducere quartam Trebellianicam; ſed alterutram dumtaxat, nempe vel legitimam, vel quartam, prout maluerit. Poteſt tamen teſtator prohibere ne heres gravatus deducat quartam *Trebellianicam*; ſicut prohibere valet ne deducat quartam *Falcidiam* ex legatis: & eſt communis opinio. Immo hodie pluribus in locis non obtinet hoc ius commune detrahendi quartam ſive Trebellianicam, ſive Falcidiam; ſed contrariæ vigent leges peculiares. Nullibi vero heres gravatus deducere quartam Trebellianicam poteſt ex fideicommiſſo ad cauſſas pias. Advertendum tamen, quod ſi heres gravatus ſit cauſſa pia, poteſt tum Trebellianicam

cam ex heditate, tum Falcidiam ex legatis detrahere : quia cauſſa pia non fruitur privilegio adverſus cauſſam piam.

X. Subſtitutio *reciproca*, ſeu *breviloqua*, a brevibus verbis ſic dicta, ea eſt qua heredes ſubſtituti ſibi ſuccedunt : quæ hac forma concipitur : *Inſtituo Seium*, *&* *Caium meos heredes*, *& eos invicem ſubſtituo*. Hic interveniunt duæ ſubſtitutiones vulgares. Si uterque heres eſt impubes, occurrunt duæ vulgares, & duæ pupillares. Si alter eſt impubes, & alter pubes, ſunt tantum duæ vulgares; ut Covarruvias *cap.* XVI. *§.* 7. *num.* 4. & alii docent. Subſtitutio *compendioſa* ea eſt quæ plures ſubſtitutiones comprehendit quantum ad diverſa tempora. Siquidem includere poteſt omnes heredes, & omnes ætates eorum; ut ſi teſtator dicat : *Inſtituo filium meum heredem* : *& quandocumque obiero*, *ſubſtituo ei Caium*. Si filius ante mortem patris obierit, aut alio impedimento non adeat hereditatem; Caius ſuccedit ſubſtitutione vulgari. Si filius aſſecuta hereditate ante pubertatem decedat; Caius ſuccedit ſubſtitutione pupillari. Si filius moriatur poſt pubertatem; Caius ſuccedit ſubſtitutione fideicommiſſaria. Si filius moriatur inſanus; Caius ſuccedit ſubſtitutione exemplari. Si plura cupis, conſule Covarruviam, Molinam, Acoſtam, & alios ICtos.

CAPUT VII.

Quomodo teſtamenta valida revocari, & per interpoſitam perſonam condi valeant.

I. Revocari teſtamenta valida poſſe certum eſt ad libitum teſtatoris; nullaque poteſtas eſt quæ hanc impedire revocationem poſſit.

II. Quæſt. I. *An, ſi teſtator iuraverit ſe non revocaturum teſtamentum, valeat aut licite; aut valide revocare?* Reſp. Cardinalis de Lugo *diſp.* XXIV. fuſo calamo hanc verſat quæſtionem. Et ad primam partem quod attinet, Bartolus, Gomez, Molina ICtus, Diana *Tom. IV. tract.* III. *de caſibus occurrentibus tempore mortis reſol.* 121. defendunt, licite abſque periurii peccato revocari hoc teſtamentum poſſe. Hæc opinio falſa eſt; & communiter tum ICti, tum Theologi fere omnes eam improbant. Quoties enim iuramentum de re licita eſt, ſervari debet. Licite non revocari teſtamentum poteſt, ut ſupponitur. Ergo ſervandum iuramentum eſt.

III. Obiiciunt. Iuramentum ſequitur conditionem actus cui apponitur. Actio teſtamenti eſt revocabilis. Ergo nihil obſtat iuramentum. Præterea, iuramentum iſtud eſt contra bonos mores, nempe contra ius civile, quod vult teſtamentum revocabile eſſe : ergo non tenet. Reſp. Obiectiunculæ iſtæ vanæ ſunt. Si prima fir-

Digitized by Google

firma maneret, nulla promiſſio iurata conſiſteret. Actio teſtamenti indifferens eſt ad revocationem, & non revocationem. Ergo quoties iuramentum excludit revocationem, ſervandum eſt. Futile & nugatorium eſſet iuramentum, ſi naturam actionis indifferentis ad utramque partem neutri parti firmitarem præberet. Falſa quoque eſt ſecunda obiectio, quod hoc iuramentum ſit contra bonos mores. Utique ius civile vult teſtamentum eſſe revocabile. At numquid ius civile præcipit ut non revocetur? Numquid prohibet ne quis poſſit velle illud non revocare? Ad ſummum iuramentum illud eſſet contra mores civiles, non contra bonos mores naturales. Inſiſtunt. Teſtamentum natura ſua, ſeu de iure naturæ eſt revocabile. Diſtinguo: revocabile eſt de iure naturæ conceſſivo, ſeu permiſſivo, concedo; de iure naturæ præceptivo, nego: ſeu natura ſua revocari, & non revocari poteſt. Sed longius refellenda non eſt laxa, & falſa opiniuncula.

IV. Quantum ad ſecundam partem communis opinio tenet, revocationem eſſe validam: quia iuramentum non adimit poteſtatem, iure gentium, & civili conceſſam, revocandi teſtamentum; ſed ſolum periurum efficit qui illud non ſervat. Promiſiſti in uxorem ducére Bertam, adiecto iuramento. Contrahis reipſa cum Franciſca. Hoc ſecundum matrimonium tenet. Hæc tamen ratio quam adfert Leſſius *Lib. II. cap.* xix. *dub.* 8. non videtur valida: quia matrimonium natura ſua eſt indiſſolubile. Secundum autem teſtamentum non eſt irrevocabile.

V. P. Vaſquez *dub.* 3. *num.* 15. contendit, primum teſtamenrum iuratum validum eſſe, & ſecundum invalidum: quandoquidem dum promittis Petro dare illi fundum tuum, adiecto iuramento, ſi poſtea eumdem fundum Paulo promittas; promiſſio hæc ſecunda invalida eſt, utpote de re illicita, nempe de fundo dando Paulo, ſub iuramento iam promiſſo Petro. Similiter teſtator qui ſub iuramento Petro promiſit non revocare teſtamentum, quo illum heredem inſtituit, non poteſt valide promittere Paulo eamdem hereditatem per aliud teſtamentum, quia promitteret rem illicitam. Diſtinguit promiſſionem non revocandi teſtamentum, & promiſſionem tradendi hereditatem. Promiſſio non revocandi teſtamentum efficit quidem revocationem illicitam, ſecus invalidam. Promiſſio vero iurata tradendi hereditatem efficit ſecundum teſtamentum nullum. Hanc doctrinam pluribus confirmat P. Vaſquez.

VI. Cardinalis de Lugo *loc. cit.* refellere conatur argumentationes P. Vaſquez. An id præſtet felici eventu, non vacat expendere; cum omnia fere recidant in meram ſpeculationem. In praxi probabilior mihi videtur ſententia quam docent Molina *diſp.* cxxxi. Leſſius *Lib. II. cap.* xix. *dub.* 8. *num.* 98. & ipſe Lugo *num.* 31. nempe, in utroque foro debere impleri primum teſtamentum iuratum. Siquidem promiſſio facta Petro ſub iuramento, & ab eodem acceptata, ius tribuit Petro ad rem promiſſam acquirendam in utroque foro; quod ius tranſit ad heredes. Quæ do-

doctrina communiter recepta eſt. Hoc principio conſtituto, inferunt præfati Auctores hereditatem deberi primo heredi, non ut heredi, ſed ut promiſſario. Quoniam licet ſecundum teſtamentum validum ſit, validaque revocatio; tamen ſecundus heres tenetur ſolvere omnia defuncti teſtatoris debita. Porro teſtator vi primi teſtamenti, ſeu promiſſionis teſtamentariæ iuratæ, factæ Petro, & ab eodem acceptatæ, debitum contraxit tradendæ hereditatis, & ad eam acquirendam ius promiſſarius habet. Ergo ſecundus heres tenetur ſolvere hoc debitum Petro, ſin minus ut heredi, ſaltem ut promiſſario. Multum referre contendit Lugo *num.* 32. quod hereditas tradatur a ſecundo herede Petro, non ut heredi, ſed ut promiſſario, & ob iniuriam eidem illatam a teſtatore. Verum utcumque res ſe habeat, ſat eſt Auctores convenire in hoc quod hereditas reipſa debeatur primo heredi.

VII. Quæſt. II. *Secundum teſtamentum ſolemniter conditum revocat ne reipſa primum?* Reſp. Etiamſi in ſecundo teſtamento expreſſe non revocetur primum; ſi tamen ſolemnitatibus neceſſariis conditum ſit, ipſo facto revocatum primum intelligitur. Ultima enim diſpoſitio omnibus anterioribus prævalet, ut communiter docent omnes. Si teſtator auferat a teſtamento ſigillum, ſi deleat heredem; revocatum teſtamentum manet. Si partem dumtaxat deleverit; ſola pars deleta nulla eſt, reliqua integra, & valida reſtant; ut patet ex *ff. de iis quæ in teſtamento delentur*, l. *Cancellaverat*. Si notarius conſervet cancellationem, cuius mentionem faciens dicat, *Non noceat*; tunc non cenſetur revocatum; ut colligitur ex eodem *ff. l.* 1. dummodo tamen teſtator conſentiat, ſeu apponat declarationem, *Non noceat*. Si teſtator habeat duo teſtamenta, & unum frangat, laceretque; valet aliud. Si laceret exemplar tranſcriptum, integrumque maneat apud notarium autographum; hoc validum eſt. Si in primo teſtamento inſerta clauſula ſit revocatoria ſecundi, validum eſt primum; etiamſi in ſecundo ponatur clauſula generalis, *Hoc meo teſtamento revoco quodcumque aliud a me factum*: quia clauſula hæc generalis non plus valet quam actio ipſa qua conditur teſtamentum. Heinc advertunt Auctores, uxores eiuſmodi condere teſtamenta conſueſcere, nempe primum clauſum, & in ſcriptis, cum dicta clauſula revocante quodcumque poſterius teſtamentum: & ad maiorem firmitatem adiicere iuramentum ſolent, & ſimul proteſtationem, quodcumque aliud poſterius iuramentum invalidum fore, veluti factum ob timorem, & alios humanos reſpectus. Revocabile tamen manet primum teſtamentum, niſi iuramentum impediat, aut promiſſio valida, & acceptata, ut diximus. Quoniam teſtamentum natura ſua revocabile eſt. Ut autem revocetur, mentio fieri expreſſa prioris clauſulæ non revocandi, eaque retractari debet, ut ſecundum valeat. Quando adiectum iuramentum fuit, ſemper cavendum iuramentum eſt.

VIII. Quæſt. III. *Quando duo ſimul condunt teſtamentum, in quo diſponunt de propriis,*

priis bonis, poteſt ne unus, altero mortuo, revocare ſuam diſpoſitionem de propriis bonis? Reſp. Adfirmant communiter Auctores, poſſe & licite, & valide eum qui ſuperſtes eſt, retractare teſtamentum iſtud quantum ad eam partem quæ ſua bona tangit: quoniam licet eadem materialis ſcriptura ſit, duo tamen ſunt teſtamenta, quorum ſingula naturam teſtamenti revocabilis non amittunt, propterea quod coniuncta ſint. Nec refert, unum, aut ambos putaſſe ſimile teſtamentum eſſe irrevocabile: quia hoc ignorantiæ eorum tribuendum eſt; quæ ignoratio nequit impedire quin revocabile ſit teſtamentum. Si maritus, & uxor ſimul teſtamentum conderent ad pias cauſſas, aut ad profanas, bona gravando; ordinarentque ut, uno mortuo, alter eſſet uſusfructuarius; nihilominus uno mortuo alter qui viveret, poſſet revocare ſuum teſtamentum; uſusfructus tamen percipere non poſſet: quia traditio uſusfructus præſumitur adiecta non ut ſignum, pignuſque mutui amoris, ſed ut conditio non revocandi teſtamentum. Et quamquam conditio non efficiat ut teſtamentum evadat irrevocabile; efficit tamen ut alterutrum præſtare ſuperſtes debeat, nempe aut reſtituere uſusfructus, aut non revocare teſtamentum. Alterutrum eligere valet, ſecus utrumque. Conditio enim appoſita licita, non turpis eſt: ideo ſervanda.

IX. Quæſt. IV. *Valet ne dominus revocare teſtamentum ab altero ex eiuſdem domini beneplacito conditum, mortuo teſtatore?* Reſp. Reſpondent communiter Auctores, hoc teſtamentum revocari non poſſe: quia teſtatoris morte teſtamentum omnino firmatur. Uxor facultatem impertit marito diſponendi de bonis ſuis medio teſtamento, ſervata ſibi aliqua parte neceſſaria, ut diſpoſitio valida ſit. Maritus tali facultate præditus condit teſtamentum: eo mortuo, vivit uxor, quæ revocare teſtamentum nequit ob rationem datam, quod teſtamentum firmetur morte teſtatoris: quod communiter hoc in ſenſu Auctores explicant, quando videlicet is qui licentiam a domino obtinet diſponendi de illius bonis, proprio nomine condat teſtamentum, ita ut ille ſit verus teſtator. Si enim dumtaxat ut miniſter, & veluti commiſſarius, non proprio, ſed domini nomine conderet teſtamentum; tunc verus teſtator eſſet dominus, cuius nomine, & facultate præditus commiſſarius conderet teſtamentum: & tunc dominus revocare teſtamentum poſſet, etiam mortuo commiſſario.

X. Quando itaque dominus commiſſarium eligit ad condendum teſtamentum; ſpectanda eſt facultas minus, vel magis ampla, conceſſa eidem ad teſtamentum condendum. Quilibet poteſt eſſe commiſſarius in hoc munere, dummodo non ſit a lege prohibitus; ſicut quiſque vel quia infirmitate oppreſſus, vel aliam ob cauſſam, eligere interpoſitam perſonam in commiſſarium poteſt pro teſtamento conficiendo. Commiſſarius nequit heredem inſtituere, niſi ad hoc ſpecialem facultatem a domino acceperit.

CA-

CAPUT VIII.

Quam obligationem habeant heredes, & executores teſtamentarii.

I. Heredes tenentur ſolvere omnia defuncti teſtatoris debita, niſi ſuperent hereditatem. Olim continuo ac heres hereditatem adibat, tenebatur omnia teſtatoris onera ſubire, etiamſi hereditatem excederent. At ius illud correctum eſt; & heredibus conceſſum fuit privilegium *inventarii* inſtituendi, quo dignoſcere valeant, utrum ſibi expediat acceptare hereditatem. *ff. de iur. deliberand. §. Si autem.* Qui beneficio huius legis, ſeu inventarii hereditatem acceptant, non tenentur ſolvere debita quæ hereditatem ſuperant. A iure laudato menſis conceditur ad inventarium accipiendum; & alter menſis pro eo conſtruendo, ſi bona teſtatoris ſint intra propriam heredis regionem. Si vero extra fuerint, anni ſpatium indulgetur. Dum inventarium conficitur, creditores vexare heredem nequeunt. Inventarium iſtud ante publicum notarium fieri debet, creditoribus, & legatariis citatis ad fraudes vitandas. Quæ omnia iudicis auctoritate præſtanda ſunt, ne poſtea fraudis accuſent inventarium, ut *cit. ff. l. ult. §. fin.* ſancitur. In hoc inventario deſcribenda ſunt omnia defuncti bona, credita, & debita, actiones tam activæ, quam paſſivæ, omneſque ſcripturæ, ut heinc colligi valor hereditatis poſſit. Nequit teſtator liberare heredem ab onere conſtruendi inventarii reſpectu creditorum, quibus ille damnum inferre nequit; liberare vero eum valet ab inventario faciendo reſpectu eorum quibus teſtator ex ſola liberalitate aliqua relinquit, ut ſunt legatarii, fideicommiſſarii, & alii, quibus teſtator nihil ex iuſtitia debet.

II. Si heres intra terminum a lege præſcriptum non conſtruit inventarium, & non repudiaverit hereditatem; tenetur omnia teſtatoris debita ſolvere, etiamſi ſuperent hereditatem: quia tum præſumitur in iure, heredem bona hereditatis occultaſſe. Authent. *de heredit. & falcid. §. Sancimus*, coll. 1. Ceterum ſi revera hereditatis bona non ſufficiunt ad debita ſolvenda, hæres in conſcientia non aſtringitur; ut res de ſe patet.

III. Ex bonis hereditatis tenetur heres omnia debita realia defuncti ſolvere; ſecus perſonalia, quæ comitantur perſonam. Succedit quippe in omnibus iuribus realibus defuncti, cuius perſonam repræſentat. Debita perſonalia comitantur perſonam, qua extincta, extinguuntur & debita talia. Si plures ſint inſtituti heredes, ſinguli pro rata hereditatis ſolvere debita tenentur; niſi aliter præſcriptum ſit.

Digitized by Google

ſit. Bona defuncti, gravata aliquo vinculo, non ſubiacent debitis ſolvendis: quia talia bona ad defunctum pertinebant ſolum quantum ad uſumfructum. Quare heres reſcindere tenetur omnes contractus factos a defuncto circa eiuſmodi bona, quæ non libera, ſed gravata erant. Contractus vero quos ſuper bonis liberis teſtator fecit, implere, iiſque ſtare heres debet.

IV. Præter ſolutionem debitorum realium, legata quoque adimplere heres debet; dummodo, ſolutis debitis, bona ſuperſint ex hereditate pro legatis implendis. Prudens teſtator, antequam onera heredibus imponat, hereditatis ſuæ valorem mature conſiderare debet, ut poſſit & onera moderata imponere, & congrua beneficia impertiri. In implendis oneribus prius ſolvere realia debita heres debet, poſt legata. Pro legatis profanis ſolvendis annus integer a morte teſtatoris conceditur heredi a iure C. *de fideicommiſſis*, cap. *Nos quidem*, *de teſtament.* Authent. *Hoc amplius*. Si legatum abſolutum ſit, & ad cauſſam piam, continuo poſt aditam hereditatem illud ſolvere heres aſtringitur; & ad hanc ſolutionem cogi a iudice poteſt.

V. Hæc dicta ſunt, iure civili, reſpectu fori externi, ſpectato. Ceterum tam debita realia, quam legata ſtatim ſolvere heres debet. Forſitan teſtator plura perpetravit crimina, ſolutionem debitorum protrahendo. Si hæc dilatio damnum reale intulit creditoribus, omnia compenſare heres aſtringitur: repræſentat enim teſtatoris perſonam. Quare ſicuti teſtator compenſare debuit, & deberet, ſi in vivis eſſet, id quod intereſt creditoris; ita heres eiuſdem ſupplere vices aſtringitur. Si is differat ſolutionem, cum poſſit ſolvere, peccat; & ultra compenſationem damnorum quæ intulit teſtator creditoribus, reſarcire illa debet quæ ipſe ſua dilatione inducit. Debitores iſti moroſi abſolvi a Confeſſariis non debent, niſi primum & debita, & legata ſolverint. Iuvat referre verba quibus ſacra Concilia execrantur eiuſmodi ſive heredes, ſive executores teſtamentarios, qui implere differunt debita, & legata pia defunctorum. Concilium Agathenſe, relatum XIII. quæſt. II. cap. XI. *Qui oblata Eccleſiis*, hæc in iſtos iaculatur. *Clerici, vel ſæculares qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamento relictas, retinere perſtiterint, aut id quod ipſi donaverint Eccleſiis, vel Monaſteriis, crediderint auferendum, ſicut ſancta Synodus conſtituit, velut necatores pauperum, quouſque reddant, excludantur ab Eccleſiis*. Et Concilium Vaſenſe I. *cap.* IV. relatum XIII. *quæſt.* II. *cap.* VIII. hæc habet. *Qui oblationes defunctorum retinent, & Eccleſiis tradere demorantur, ut infideles, ſunt ab Eccleſia abiiciendi: quia uſque ad inanitionem fidei pervenire certum eſt hanc pietatis divinæ exacerbationem: quia & fideles de corpore recedentes, votorum ſuorum plenitudine, & pauperes conſolatu alimoniæ, & neceſſaria ſuſtentatione fraudantur. Hi enim tales quaſi egentium necatores... habendi ſunt. Unde & quidam Patrum hoc ſcriptis ſuis inſeruit congruente ſententia, qua ait: Amico*

quippiam rapere furtum eſt; Eccleſiam vero fraudare, ſacrilegium. Item Concilium Carthaginenſe XIV. *cap.* xcv. relatum cit. cauſ. xiii. quæſt. ii. cap. ix. *Qui oblationes defunctorum aut negant Eccleſiis, aut difficulter reddunt, tamquam egentium necatores, excommunicentur.* Hæc meditentur Confeſſarii, ut urgere ad ſolutionem legatorum heredes fortius valeant.

VI. Lubet hæc omnia confirmare doctrina S. Thomæ, qui *quodlib.* vi. *quæſt.* viii. *art.* 13. hæc docet. *Utrum mortuus aliquod detrimentum ſentiat ex hoc quod eleemoſynæ quas mandavit dari, retardantur.* Iſte eſt articuli titulus; & hæc eſt illius reſponſio. *Circa primum ſic proceditur. Videtur quod mortuus nullum detrimentum ſentiat ex hoc quod eleemoſynæ quas mandavit dari, retardantur. Huiuſmodi enim retardatio provenit ex negligentia executoris. Sed negligentia unius non imputatur alteri. Ergo nullum detrimentum mortuus patitur ex huiuſmodi tarditate.*

Sed contra eſt, quod propter huiuſmodi tarditatem retardantur orationes, & ſacrificia quæ fierent pro anima defuncti, ex quibus plurimum iuvaretur. Ergo ex huiuſmodi tarditate patitur detrimentum.

Reſpondeo dicendum, quod hic eſt opus duplici diſtinctione. Primo quidem ex parte ipſius detrimenti. Diſtinguendum eſt enim duplex detrimentum. Nam quoddam detrimentum eſt quod pertinet ad tolerantiam pœnæ, ſecundum illud primæ Corinthiorum tertio: Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur. *Aliud autem quod pertinet ad ſubtractionem remedii. Secundo etiam diſtinguendum eſt ex parte eleemoſynæ: circa quam poteſt conſiderari etiam detrimentum ipſius eleemoſynæ, & effectus ipſius. Quantum ergo ad meritum eleemoſynæ nullum detrimentum patitur defunctus ex prædicta tarditate, maxime ſi, quantum in ipſo fuit, curam adhibuit ut huiuſmodi eleemoſynæ cito darentur: quia meritum principaliter ex voluntate, & intentione dependet. Sed quantum ad effectum eleemoſynæ patitur detrimentum, non quidem ut pro huiuſmodi tarditate puniatur; ſed quia remedium ei non adhibetur, dum ſuffragia differuntur, ex quibus plurimum iuvaretur.*

Ad primum ergo dicendum, quod negligentia unius non imputatur alteri ad pœnam; poteſt tamen redundare in alterum quantum ad effectum remedii, ſecundum quod unus homo ab alio iuvari poteſt.

VII. Hanc eamdem difficultatem verſat ibidem *art.* 14. ubi inquirit. *Utrum executor debeat tardare diſtributionem eleemoſynarum ad hoc quod res defuncti melius vendantur.* Et inter alia reſpondet, quod *in mora modici temporis non videtur eſſe magnum periculum.... Si vero e converſo per multum tempus differat eleemoſynam diſtribuere, ut non multo ampliores eleemoſynas faciat, non videtur eſſe abſque culpa: quia forte defunctus a purgatorio liberaretur, in quo exiſtenti remedium ſuffragiorum maxime neceſſarium erat.*

VIII. Illud etiam heredes, & executores teſtamentarii conſiderare debent in diſtri-

tribuendis legatis quæ Miſſarum celebratione impleri debeant, ut videlicet illis Sacerdotibus ſacrificia offerenda committant quos noverint probitate, & pietate inſtructos. Si enim merces quibuſque emptoribus credito non vendunt; ſed ſolum fide dignis, & quos certo ſperant ſoluturos: quanto magis ſacroſancta Sacrificia Sacerdotibus bene moratis celebranda tradere debent? Sicut inter laicos, ſic inter Dei miniſtros infideles reperiuntur, & quidem non pauci. Heredum negligentia in hoc tam gravi negotio culpa non caret. Sacerdotes qui onera celebrandarum Miſſarum ſuſcipiunt, credita ſolutione, ſi differant celebrationem, peccant. Ut ſtipendium ſibi certum faciant, promittunt ſe illico celebraturos Miſſas. Poſtmodum, aſſecurato ſtipendio, differunt ſacrificia, uſquedum ſtipendium acceperint: & ſic fidem datam violant, & quantum per eos ſtat, inter flammarum incendia purgantes animas detinent.

IX. Quæſt. I. *Utrum defunctus detrimentum patiatur ex protracta debitorum ſolutione?* Reſp. Salmanticenſes *loc. cit. punct.* 11. *num.* 158. reſpondent, tam craſſam eſſe vulgi ignorantiam, ut credat, tamdiu in purgatorio animas ſanctas detineri, quamdiu differuntur debitorum ſolutiones. Quod ſane error craſſiſſimus eſt; alienumque a divina pietate, & ab omni ratione, quod animæ in purgatorio patiantur ob aliorum incuriam, & negligentiam. Lex quippe eſſet indigna Deo, ſi ſanxiſſet ut quis pro ea culpa pateretur quæ iam nullatenus eſt in ſua libertate. Quam opinionem confirmant verbis Dominici Soto in *IV. Sent. diſp.*xlv. *quæſt.* 11. *art.* 3. adduntque eſſe communem Doctorum ſententiam, pro qua citant S. Antoninum, Bellarminum, Sylvium, Suarez, Pradum, Caſtropalaum, Navarrum, Villalobofium, Trullenchum, & S. Thomam. Veritas ex ſe patens eſt, nec indiget maiori confirmatione.

X. Quæſt. II. *Quænam ſit obligatio qua obſtringuntur executores teſtamentarii?* Reſp. Executores teſtamentarii alii dicuntur *univerſales*, alii *particulares*. Univerſales illi ſunt qui eliguntur in teſtamento in quo non eſt facta heredis inſtitutio, ut omnia teſtatoris debita ſolvant, & bona omnia diſtribuant. Alii ſunt executores particulares, quos eligunt teſtatores, ut validum teſtamentum a ſe conditum exequantur. Teſtamentarius executor univerſalis vendere omnia bona defuncti valet, quia conſideratur a iure communi ut heres; particularis autem bona hæc vendere nequit, niſi ad id facultatem obtinuerit a teſtatore.

XI. Executoris teſtamentarii eſt debita ſolvere, legata implere, & cetera omnia executioni demandare quæ diſponuntur in teſtamento. Iſtius negligentia culpa non caret. Legata ſibi in teſtamento relicta, propria auctoritate accipere valet. Heredem qui poſſeſſionem hereditatis conſecutus eſt, ſollicitare, ſi negligens fuerit, ad implenda legata debet; & ſi opus fuerit, iudicem adire, ut heres compellatur ad legatorum ſolutionem.

XII. Eligi quiſque poteſt in executorem teſtamentarium, ſive vir, ſive femina; ſive clericus, ſive laicus; immo vel ipſe heres, aut ſolus, aut aliis iunctus. Religioſi regulares nequeunt eſſe executores teſtamentarii, niſi ex licentia Prælatorum ſuorum: qui hanc licentiam, ſi prudentes fuerint, fere ſemper negabunt; cum tale officium odii plenum ſit, minuſque conveniat regulari viro, qui omnibus terrenis bonis nuntium remiſit, ſegregatuſque eſt in ſortem Domini. Nemo cogi poteſt ut hoc officium ſuſcipiat; ſed qui libere ſponteque ſuſcepit, cogi poteſt ut illud exacte impleat. Si executor teſtamentarius pauper fuerit, ex eleemoſynis quas in teſtamento relictas diſtribuere inter pauperes debet, poteſt ſibi ut pauperi congruam partem applicare; ſicut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. XXXII. art. 9. ad 3. *Cum aliquis diſtributor ponitur eleemoſynarum, poteſt & ipſe ſibi accipere, ſi indigeat, eo tenore quo & aliis miniſtrat.*

CAPUT IX.

De legatis, eorumque diverſitate, & fructibus.

I. Legatum differt ab hereditate, quod hæc non eſt alligata rei determinatæ, & particulari, ſicut illud; & potiſſimum quod legatum ab herede præſtandum eſt. Quare definiri legatum ſolet hoc pacto: *Eſt donatio aliqua quam teſtator præſtandam relinquit ab herede de eo quod foret heredis.* Vi particulæ *præſtanda ab herede* differt a donatione cauſſa mortis, quæ immediate a teſtatore præſtatur. Legatum aliud appellatur *purum*, quando nullo definito tempore, nullaque præſcripta conditione relinquitur. Aliud *in diem*, quando dies, vel tempus definitur, quo reddendum eſt. Aliud *conditionatum*, quod gravatum aliqua conditione, vel onere eſt. Durat legatum iuxta voluntatem teſtatoris: & contrariam opinionem damnavit Alexander VII. in hac propoſitione num. 43. *Annuum legatum pro anima relictum non durat pluſquam per decem annos.*

II. Si heres hereditatem repudiavit, iure communi nulla legata ſunt, ſive pura, ſive conditionata, exceptis legatis ad pias cauſſas, quæ præſtare heredes ab inteſtato debent. Iura tamen particularia plura, valida legata quæcumque decernunt, etiamſi heres recuſet hereditatem. Legata *pura* continuo ac deceſſit teſtator, & eadem acceptavit legatarius, eidem debentur: & ius legatarii ad eadem tranſit ad eiuſdem heredes. Si legatarius obierit ante teſtatorem, evaneſcit legatum, nec ius aliquod tranſit ad heredes: quia qui non recipit, nequit tranſmittere ad alios. Idem eſt, ſi legatarius moriatur ante acceptationem, vel ante tempus, vel conditionem, ſi legatum ſit *in diem*, aut *conditionatum*. Si in fundo, relicto titulo legati, ædificetur domus, plantetur vinea, aut alia melioramenta

fiant

ſiant; omnia pertinent ad legatarium. Si relicta fuerit domus, & incendio pereat; fundus eſt legatarii ff. *de legat.* 1. l. *Si ſegreg.* Si vero res legata vendatur, deſtruatur, diminuatur; revocatum, aut diminutum legatum reputatur.

III. Fructus percepti ante mortem teſtatoris, ſunt heredis, non legatarii. ff. *de legat.* 2. l. *Lucius.* Si tamen fructus inſiti ſint rei legatæ, eidemque aggregati, ut ſi res legata ſit grex, fructus qui naſcuntur, aut capita quæ emuntur, & gregi incorporantur, ſunt legatarii: & ſi aliqua capita gregis pereant, legatario pereunt. A morte vero teſtatoris legatarius acquirit ius ad fructus, etiam antequam heres acceptet hereditatem, niſi iura particularia aliud decernant.

IV. Legato aliquo fundo ſive mobili, ſive immobili, cenſentur legata ea quæ illum conſequuntur, ſeu quæ eidem acceſſoria ſunt. Heinc, legato viridario, legata intelliguntur plantæ, & ornamenta eiuſdem; legato lecto, legata intelliguntur ornamenta; legatis veſtibus, etiam ornamenta ſive aurea, ſive argentea, legata cenſentur; legata domo, etiam viridarium eidem cohærens legatum reputatur. Addunt quoque Auctores communiter, legato uſufructu alicuius fundi, cenſeri legata omnia inſtrumenta ad fundum colendum, ut aratra, iumenta, boves; immo ſi legatarius fuerit agricola, contendunt cenſeri legata horrea, domum, cellam vinariam, triticum ad ſeminandum, tamquam inſtrumenta neceſſaria ad agriculturam; ut conſtat ex ff. *de uſufructu*, l. *Item ſi fundi*, §. *Seminarios.* Si legatum fuerit alternativum, & non determinatum in ſpecie, ſeu in individuo, ut ſi teſtator dicat: Relinquo Petro vel annulum, vel veſtem, electio eſt heredis; ut ſancitur ff. *de legat.* 2. l. *Si ita ſcriptum*, & l. 43. *Si ita relictum fuerit*: quia *in alternativa ſummarum, vel temporum inſpicitur illud quod minus eſt in obligatione.*

V. Legatum ad pias cauſſas, ſi teſtator eligat talem pauperem, aut talem locum pium, mortuo paupere, aut loco pio ſublato, adhuc conſiſtit, & impleri debet. Quoniam cauſſa finalis legati fuit pietas, qua perſiſtente, perſiſtere legatum debet. Si autem conſtaret, legatum relictum eſſe pauperi ut bonum ipſius pauperis, non ut opus pium; tunc, mortuo paupere, ceſſaret legatum. In dubio, an legatum relictum ſit ut bonum pauperis, vel ut opus pium, præſumendum eſt in favorem pii operis; ut docent communiter Auctores. Si heres negligens fuerit, & moroſus in ſolvendo pauperi legato, & interim pauper moriatur; ſolvi heredibus debet legatum.

VI. Si legatum fuerit *conditionatum*, & conditio fuerit impoſſibilis, ſive de facto, quia impleri reipſa nequit, ſive de iure, quatenus turpis, utpote repugnans legi naturali, aut divinæ, aut humanæ, aut bonis moribus; pro non adiecta habetur, & legatum ut purum conſiſtit. Conditio adiecta, ut legatarius nubat huic aut illi puellæ, puta filiæ teſtatoris, valida eſt; & nullum legatum efficit, ni-

ſi deſignatæ puellæ legatarius nubat. Si tamen puella deſignata aut nubere legatario nolit, aut moriatur; tunc valet legatum, quia per legatarium non ſtat quin teſtatoris voluntas impleatur. Valet quoque legatum, ſi deſignatam puellam ducere minus deceret legatarium: eſſet enim tunc conditio turpis, & pro non adiecta habenda foret.

VII. Diſputant quoque Auctores, num invalida ſit conditio adiecta *numquam nubendi*: & adfirmant communiter tam ex iure antiquo, quam novo, exceptis dumtaxat viduis, quarum reſpectu conditio, *quod non nubant*, valida iudicatur. Hæ igitur, ſi ſecundas nuptias celebraverint, amittunt legatum, vel hereditatem tali conditione gravatam. Neque illis tradendum legatum, niſi cautionem exhibeant, quam *Mutianam* vocant, de reſtituenda hereditate, vel legato, ſi nupſerint. C. *de induct. viduit. tollend.* Authent. *Cui relictum*. Hoc idem extendunt Auctores ad viros viduos, quibus ſub tali conditione relinquitur legatum. Si teſtator relinquat mulieri legatum, adiecta conditione, *ut honeſte & caſte vivat*, non amittere illam legatum aſſerunt Auctores, etiamſi contrahat matrimonium: quia reipſa caſte & honeſte vivere in matrimonio poteſt. Ceſſare vero legatum ſubdunt, ſi luxurioſe, & in fornicatione viveret mulier, cui relictum legatum eſſet ſub conditione, *ſi caſte & honeſte vixerit*. Si tamen ſemel, aut bis fornicaretur; non eſſet denegandum legatum: quia ab honeſta vita non recedere cenſetur qui ſemel, aut bis delinquit.

VIII. Quæſt. I. *Legatum relictum ad nubendas virgines orphanas, viduaſve, valet ne tradi puellis religionem ingredientibus?* Reſp. Omnes adfirmant, legatum relictum determinatæ puellæ, ut nubere valeat, tradendum eidem eſſe, etiamſi ingredi Religionem velit. Idque ſancitum eſt Authent. *de ſanctiſſ. Epiſcop. §. Et hoc præſenti*. Si vero legatum indefinitum ſit ad puellas nubendas, diſputant in utramque partem Auctores. Lugo *diſp.* XXIV. *ſect.* II. *num.* 293. negantem opinionem defendit, quam dicit eſſe communem, quamque propugnant Sanchez *de matrim. Lib. I. diſp.* XXXIII. *num.* 32. Bonacina *diſp.* III. *quæſt. ult. punct. ult. num.* 19. Molina *tract.* II. *diſp.* CCVII. Trullenchus *Lib. VII. cap.* XVIII. *dub.* 12. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* LXXXIII. *num.* 27. *& ſeqq.* & alii, quos citat Lugo: quam opinionem evincunt hoc pacto. Legatum relictum eſt pro matrimonio carnali, non ſpirituali. Ergo mens teſtatoris non ſervatur, dum legatum puellis traditur profiteri in Religione volentibus. Neque ex citata Authentica aliquid erui poteſt: quia a iure communi exorbitat, novumque ius imponit, inquit Lugo, quod in præiudicium ſubſtitutorum, aut heredum extendi non debet ad alios caſus, & ad alias perſonas, præter illas de quibus lex illa loquitur. Porro lex citata loquitur tantum in caſu quo legatum relictum ſit puellæ determinatæ ſub conditione matrimonii ineundi. Ergo extendi nequit ad perſonas in-

incertas; ſicut extendi nequit ad alia legata, diverſis aliis conditionibus gravata.

IX. Salmanticenſes *tract.* XIV. *cap.* V. *punct.* 13. §. 2. *num.* 185. contrariam adfirmantem opinionem defendunt, pro qua citant *Leſſium*, *Baſilium Legionenſem*, *Ochagaviam*, *Martinum a S. Ioſeph*; contenduntque dari poſſe legatum, etiamſi conſtaret de mente teſtatoris, quod nollet legatum relinquere puellis quæ eſſent Religionem ingreſſuræ, ſed tantum illis quæ nupturæ erunt. Idque probant ex *Authentica Iuſtiniani* ſupra citata, in qua poſt caſum determinatæ puellæ, addit, *ſeu alteri cuicumque perſonæ*: quæ clauſula, univerſalis cum ſit, includit omnes modos ſimiles, & diſſimiles. Et rationem ibi Iuſtinianus in ſua *Authentica* aſſignat: *quod vitam profitentur religioſam*, *& converſationem caſtam*. Nec videtur conſonum rationi, ut deferatur melior ſtatus religioſus ob conſecutionem legati ſub tali forma relicti, videlicet pro matrimonio contrahendo carnali. Accedit quod non ideo conceditur legatum, determinatæ puellæ pro matrimonio relictum, dum vult ingredi Religionem, quia talis præſumitur teſtatoris voluntas, aut non præſumitur oppoſita; ſed quia a iure reiicitur talis conditio, impediens ſtatum religioſum, ut turpis, & inhoneſta. Quamobrem ſicut reiicitur ab ultimis voluntatibus hæc conditio, *ſi non nupſeris*; ita improbatur hæc, *ſi non ingrediaris Religionem*. Tenendum ergo eſt in hoc caſu, mulieri volenti ingredi Religionem, poſſe concedi legatum pro nubendis mulieribus relictum.

X. Hæc opinio & falſo ſuppoſito, ut dicitur, laborare, & ratione ſatis infirma niti videtur. Quod ſuppoſitum falſum ſit, nempe teſtatorem adiicere conditionem turpem, dum legatum relinquit puellis nubere volentibus tantum, patet. Siquidem dum teſtatores favere volunt puellis iſtis quæ nubere volunt, quia ad Religionem vocatæ non ſunt, non adiiciunt conditionem, *ſi non ingrediaris Religionem*. Hoc eſt merum commentum excogitatum ab his Auctoribus. Teſtatores enim, quia ſciunt innumeras eſſe puellas quæ profiteri Religionem nolunt, quia a Deo vocatæ non ſunt; & aliunde dote carent, ut nubant, ne ſuam proſtituant caſtitatem, ideo iſtis dumtaxat ſuccurrere volunt. Ubi hic turpis conditio? Quia teſtator potius ſuccurrere vult puellis præfatis, ut in tuto collocet illarum caſtitatem, quam puellis profitentibus Religionem; ideo turpiter operatur? Utique eiuſmodi conditiones, *ſi non nupſeris*, *ſi non ingrediaris Religionem*, relinquo tibi legatum, merito ut turpes reiiciuntur. Verum, ut dixi, teſtatores de quibus nunc ſermo eſt, non relinquunt legata puellis pro matrimonio contrahendo, hoc adiecto pacto, ut nubant, & non ingrediantur Religionem; quod pactum turpe eſſet: ſed quia volunt nubere, eiſdem de dote congrua providere volunt. Quemadmodum alii pii teſtatores, qui favere ſtatui religioſo volunt, non relinquunt legata puellis cum conditione ut ingrediantur Religionem; ſed quia profiteri Re-

li-

ligionem volunt, ideo illis providere de pecunia neceſſaria ſatagunt. Corruente itaque falſo ſuppoſito, cui innituntur præfati Auctores, corruit opinio ipſa. Cedo: ſi quis, dum vivit, dotare puellas nupturas velit, ne periclitentur, quia ad hoc pium ſanctumque officium ſe a Deo impelli experitur; hunc ne damnabis; quia expreſſe recuſat dotem dare aliis quæ profiteri Religionem velint? Nemo id dixerit. Utique excellentior eſt ſtatu matrimoniali ſtatus religioſus. At ſicut nemo Catholicorum damnabit illos qui, neglecto ſtatu religioſo, amplectuntur matrimonialem; ita nemo improbabit teſtatores, tamquam auctores adiectæ turpis conditionis, quod legata relinquant puellis nubere volentibus, excluſis aliis quæ profiteri Religionem velint. Quoniam nemo aſtringitur ſeligere opera excellentiora; alioquin omnes tenerentur Religionem profiteri.

XI. Diſputandum ſolum eſſet, utrum, non extantibus puellis in illa civitate, oppidove ubi relicta legata ſunt, quæ nubere velint, doteque indigeant, tradenda legata eſſent puellis profiteri Religionem volentibus; an ad heredes devolvi eadem legata deberent. Niſi ex mente teſtatoris expreſſe oppoſitum colligatur, crederem, hoc in caſu tradenda eſſe legata his puellis ingredientibus Religionem. Idque erui exiſtimo ex citata Iuſtiniana Authentica. Quoniam ſicuti quando legatum relictum eſt determinatæ puellæ pro matrimonio contrahendo, ſi hæc ingredi Religionem velit, eidem conceditur legatum: quia impleri voluntas teſtatoris meliori quo fieri modo poteſt, debet; ita, deficientibus puellis indeterminatis, & in genere vocatis ad legata, quæ nubere velint, doteque indigeant, conſequi videtur, legata tradenda eſſe puellis quæ profiteri Religionem velint. Si enim legata principaliter deſtinata ſunt ad pias cauſſas, deficiente una pia cauſſa, ſubſtitui altera debet: & maxime ſi magis pia occurrat, ut eſt profeſſio religioſa. Hæc mihi probabiliora apparent. Alii abundent in ſuo ſenſu.

XII. Quæſt. II. *Legatum relictum pro nubendis puellis, conferri ne nuptis poteſt quæ ſine dote, aut cum exigua nupſerunt?* Reſp. Mantica *de coniectur. Lib. XII. tit.* 1. *num.* 12. Sanchez *Lib. VII. de matrim. diſp.* xcv. Salmanticenſes *loc. cit. §.* 3. *num.* 188. reſpondent, tradi poſſe puellis iam nuptis ſine dote, aut cum exigua; ſi legatum relictum ſit pro his definitis puellis: quia in hoc caſu præſumitur teſtatorem voluiſſe his puellis, ob peculiarem erga illas affectum, favere, & providere, ut decenter vitam agant. Si e contrario relictum ſit legatum pro puellis nubendis indefinite, & in generali; tunc non poſſe tradi legatum iam nuptis adfirmant. Quoniam tum teſtator voluit providere puellis pro matrimonio, ut pericula proſtituendæ caſtitatis vitarentur. Si vero legatum deſtinatum eſſet ad dotandas virgines, aut feminas pauperes; tunc legatum tradi poſſe adfirmant etiam feminis nuptis pauperibus abſque dote. Verum ſi teſtamentum nominet virgines, vel puellas nubendas, non video qua ratione tradi legatum nuptis poſ-

Digitized by Google

poſſit, licet pauperes ſint. Servanda enim, quoad fieri poteſt, teſtatoris verba ſunt.

XIII. Quæſt. III. *Legatum relictum puellis nubendis, tradi ne viduis poteſt ſecundas nuptias celebrantibus?* Reſp. Si legatum relictum ſit pro certa puella nubenda, hæc habet ius ad legatum: & ideo licet ætatem nacta non ſit aptam matrimonio, expectari ætas, & adimpletio legati differri debet. Si vero legatum relictum ſit pro puellis maritandis; iſtis extantibus tradi legatum debet, ſecus viduis. Illis vero deficientibus, tunc viduis ſecundas nuptias celebrantibus, legatum dari poſſe videtur.

XIV. Quæſt. IV. *Legatum deſtinatum pro naturalibus alicuius loci, tradi ne extraneis poteſt?* Reſp. Non poſſe certum eſt: quia eſſet aperte contra teſtatoris mentem. Quid, ſi extranei incolæ fierent talis loci in quo relictum legatum eſt? Aut extranei figunt ibi domicilium, aut ſecus. Si primum; tradi legatum & iſtis, ſicut ceteris, poteſt. Si ſecundum; nullo modo poteſt. Tum autem extraneus acquirit domicilium, quando animum habet ibi perpetuo manendi. Decennium lex concedit *C. de incolis l.* 1. pro acquirendo domicilio, ſeu decennii intervallum ſufficiens eſt ad declarandum talem acquiſiviſſe domicilium. Ceterum ſi domicilium fixit cum animo ibidem perpetuo manendi, ab initio pro naturali haberi poteſt, quando de eius animo manendi ibidem in perpetuum conſtet.

XV. Quæſt. V. *Legatum relictum pro nubendis orphanis, tradi ne poteſt puellis habentibus parentes inutiles, & pauperes?* Reſp. Si orphanæ extent vere pauperes, primum iſtis tradendum legatum eſt. Iſtis vero deficientibus, tradi illis poteſt quæ parentes habent inutiles, vel quia impares ad lucrandum, vel quia curam filiarum negligunt: tales enim puellæ pro orphanis reputari reipſa poſſunt.

XVI. Quæſt. VI. *Legatum relictum pro nubendis virginibus, tradi ne poteſt puellis corruptis?* Reſp. Si publice conſtet de earum corruptione, & proſtitutione, tradi iſtis legatum nequit. Si corruptio ſecreta ſit, tradendum eſt legatum: quia pro virgine reputatur puella in communi opinione, quæ ſecreto corrupta eſt; ut colligitur ex *ff. de legat.* l. *Liber*, *§. Quod autem Caſſius*. Contendunt tamen aliqui, puellam corruptam non poſſe urgere pro tradendo ſibi legato relicto pro virginibus: quia verba teſtatoris ſervanda in rigore ſunt, quantum fieri poteſt. Oppoſitum defendunt Salmanticenſes *loc. cit. num.* 190. quia in favorabilibus verba teſtatorum extendenda ſunt. Probabilior videtur prima opinio, ſi aliæ virgines æque pauperes ſimul cum virgine corrupta concurrant. Deficientibus vero virginibus incorruptis, tunc cum ſecunda opinione dicendum videtur, quod tradi virgini ſecreto corruptæ debeat; & quod illa ſollicitare pro conſequendo legato heredes valeat. Cavendum tamen ſemper eſt ne ex denegatione legati virgo ſecreto violata infametur.

XVII.

Digitized by Google

XVII. Quæſt. VII. *Qui ordo ſervandus ſit in legatis implendis?* Reſp. Communis reſponſio eſt. Si legata pro omnibus non ſufficiunt, & ſint aliqui legatarii privilegiati; iſti ceteris præferendi ſunt. Si legatarii omnes habeant æquale ius, nulluſque vi teſtamenti ſruatur prælationis privilegio; tunc, ſi legata pro omnibus ſatis non ſunt, ſolvi pro rata debent; uti ſit in ſolvendis debitis creditoribus qui æquali iure potiuntur.

XVIII. Quæſt. VIII. *Valet ne aliquis teſtamentis, & legatis derogare?* Reſp. Teſtator ſupremus legiſlator iure gentium, & civili eſt. Expreſſa eius voluntas abſolute, & iuſta cauſſa ſublata, mutari nequit. Si mens teſtatoris dubia fuerit, non commutationi, ſed interpretationi locus eſt. Legatum relictum pro fabrica alicuius Eccleſiæ, ſi fabrica neceſſaria non ſit, aut verba teſtamenti non ſint perſpicua, expendi in ornamentis eiuſdem poteſt: quia licet fabricæ vox ædificium in rigore ſignificet; tamen, iuxta vulgarem concipiendi modum, nomine fabricæ intelligi etiam ſolent quæ ad Eccleſiæ ornatum, cultumque attinent. Spectanda tamen ſemper ſunt teſtamenti verba, & teſtatoris intentio, quæ teſtamenti anima eſt, & ſpiritus. Utique verba ſunt quæ intentionem, & voluntatem teſtatoris produnt; tamen nec ſola verba, nec ſola intentio, ſed ambo ſimul conſiderari debent. Quiſque autem prudens, & peritus interpretari dubiam teſtamenti diſpoſitionem poteſt.

XIX. Commutatio itaque tum locum habet, quando diſpoſitio teſtatoris clara, non dubia eſt; ſed impleri nequit. Porro hoc in caſu, ſi legatum profanum ſit, ſit caducum, & devolvitur ad heredem. Si vero legatum fuerit ad pias cauſſas, tunc converti in alium ſimilem uſum debet, ut colligitur ex Trident. *ſeſſ.* xxv. *cap.* VIII. *de refor.* Hæc commutatio ab Epiſcopo fieri debet, heredis conſenſu accedente. In hac autem commutatione Epiſcopus non pro libito ſeligere quemlibet pium uſum poteſt, ſed quem magis ſimilem iudicaverit illi quem teſtator præſcripſit. Plura ſunt exempla, quæ recenſere non vacat. Teſtator ordinavit ut in tali ſitu ædificetur Monaſterium, Hoſpitale, Eccleſia &c. Si ſitus a teſtatore deſignatus, ineptus ſit, alius eligatur qui in maiorem utilitatem proximi, Deique cultum cedat. Poteſt etiam Epiſcopus, conſentiente herede, aliquem legatum pium, pro tali uſu a teſtatore relictum, in alium magis pium, & utiliorem proximo commutare ex rationabili cauſſa, non ex arbitrio. Quomodo poteſtates ſupremæ, & ſummus Pontifex derogare, vel commutare teſtamenta valeant ob publicam neceſſitatem, mea non intereſt in præſentia diſpicere.

XX. Quæſt. IX. *Quando ex legatis deduci Falcidia poſſit?* Reſp. Caius Falcidius tempore Cæſaris Auguſti legem rogavit pro heredibus, quibus facultatem conceſſit detrahendi quartam partem bonorum teſtatoris, ut hac via eoſdem alliceret ad acceptandam hereditatem, vel ne ſolo nomine heredes eſſent. Hæc quarta

pars

Digitized by Google

pars *Falcidia* vocatur a ſuo Auctore Falcidio. Hæc quarta falcidia detrahenda eſt ex bonis teſtatoris, qualia erant tempore eiuſdem mortis; ut colligitur ex Inſtitut. *de leg. falcid. §. Quantitas*. Et detrahitur non modo ex legatis, verum etiam ex donationibus cauſſa mortis. Plures ſunt caſus in quibus hæc quarta falcidia non poteſt detrahi. Primus, quando teſtator, ſciens vires hereditatis ſuæ, id prohibuit; ut ſancitur. in Authent. *Sed cum teſtator*, C. *ad leg. falcid.* Secundo non detrahitur ex legatis piis. Tertio neque ex legato relicto cum prohibitione illud alienandi. Quarto non deducitur ex legato libertatis. Quinto prohibetur deduci; quando heres non fecit inventarium intra tempus præſcriptum a lege. Alii etiam enumerantur caſus in lege, quos referre non vacat; cum vix alicubi hodie obtineat ius commune circa falcidiam. Sed fere ubique ſunt peculiares leges quæ pro caſibus qui occurrere ſolent, quid agendum ſit, præſcribunt.

XXI. Et hæc de iure & iuſtitia dicta ſufficiant. Deſtinaveram adiicere diſſertationem de iis quæ publica iudicia ſpectant, & potiſſimum de iudicibus, de reis, de teſtibus, de accuſatoribus, de denuntiatoribus, de advocatis, & notariis. Verum cum hæc, & plura alia, quæ præterii, ad ICtos, non ad Theologos pertineant; ideo ab iiſdem tractandis abſtinere decrevi: potiſſimum quod graviora quæ ad Theologiam noſtram attinent, tractanda occurrant.

FINIS TOMI SEPTIMI.

Digitized by Google

INDEX
RERUM, ET VERBORUM
Quæ in hoc Tomo continentur.

A

Acceſſio eſt quæ rei tuæ quidquam aggerit. Eſt duplex: naturalis, & induſtrialis. In naturali partus ſequitur ventrem: in induſtriali quidquid plantatur, ſeritur, vel inædificatur, omne ſolo cedit, radices ſi tamen egit. *pag.* 37. *num.* 3. Circa quam diverſi caſus. *pag.* 38. *num.* 4. Litteræ in aliena charta exaratæ, fiunt domini chartæ; non tamen pictura excellens, poſſeſſoris alienæ tabulæ. *pag.* 38. *num.* 5.

Ob Adulterium ſolum, ſi non naſcatur proles, nihil marito reſtituendum. *pag.* 220. *num.* 1. Quando certo conſtat prolem eſſe adulteri, poſt primum triennium reſtituendum marito *pag.* 220. *num.* 2. In dubio favendum proli, & tenendum, eſſe legitimam, & mariti: ſi tamen probabilius ſit eſſe adulteri, reſtituendum pro rata dubii. *ibid. num.* 4. Si adultera duos admiſit, & ignoretur cuius ſit proles, uterque pro rata prolem alere debet. *pag.* 221. *num.* 6. Adulter tenetur compenſare damna prolis legitimæ, etſi matri non ſuaſerit ſuppoſitionem. *pag.* 222. *num.* 7. Quomodo adultera legitimæ ſuæ proli reſtituet? *pag.* 222. *num.* 8. Si mulier prævidet revelationem ſui criminis nihil ad reſtitutionem profuturam, non tenetur illud revelare. *ibid. num.* 9. Filius credere matri adulterium revelanti non tenetur, niſi evidenter probet. *pag.* 223. *num.* 10. Quando fama adulteræ inferior eſt hereditate adeunda a ſuo ſpurio, revelare crimen debet cum propria infamia, aut ſi aliunde iam ſuſpecta ſit. *pag.* 223. *num.* 11. Non vero dum fama mulieris prævalet damno inferendo legitimis. *pag.* 224. *num.* 12. Niſi ſpurius ſit oppreſſurus graviter ſubditos, aut Religionem turbaturus. *ibid. num.* 13.

Agnati dicuntur conſanguinei collaterales, qui deſcendunt ex parte virorum; cognati vero, qui ex parte feminarum. Succedunt iure communi ab inteſtato uſque ad decimum gradum civilem incluſive, ſublatis deſcendentibus, & aſcendentibus. *pag.* 663. *num.* 4.

Alea. *Vide* Ludus fortunæ.

Alluvionis inſenſibilis ille dominus eſt cui prædium augetur: ſenſibilis vero dominium manet penes prædii a quo dempta eſt terra, dominium, niſi hic avulſam terram pro derelicta habeat, aut niſi tam longo tempore alieno ſolo hæreat, ut arbores cum terra translatæ ibidem radices egerint. *pag.* 37. *num.* 1. Inſula in mari, vel flumine comparens, cuius ſit. *pag.* 37. *n.* 2.

Animalia natura manſueta, licet longius abeant, non ſunt primi occupantis, ſed ad dominum ſpectant. *pag.* 24. *n.* 2. Manſuefacta, ſi e cuſtodia elabantur, nec ſit ſpes regreſſus, fiunt primi occupantis. *pag.* 24. *num.* 3. Quid faciendum, cum propriis campis damnum inferunt. *ibid.* Sylveſtria, etſi in alieno fundo capiantur, ſunt capientis; ſed dominus fundi impedire poteſt ingreſſum. *pag.* 25 *num.* 4. Fera vulnerata cuius ſit. *ibid. num.* 5. Cuius ſit in laqueum lapſa. *pag.* 26. *num.* 6. Si tuum animal occidit alienum, reſtituere teneris. *pag.* 88. *num.* 4. *Vide* Apis. Avis. Columba.

Animalium contractus ſocietatis eſt con-

ventio duorum, vel plurium, quorum alii certum animalium numerum tradunt in ſocietatem; alii eadem paſcenda, & cuſtodienda accipiunt, ut ex fructibus lucrum percipiant. *pag.* 531. *num.* 13. AEedem conditiones pro hoc contractu præſcriptæ ſunt a Sixto V. quæ pro contractu ſocietatis pecuniæ. Unde ad hunc prima conditio requiritur, ne fiat pactio, ut ſors ſeu capitale ſalvum ſit. *pag.* 532. *n.* 14. Secunda, ut villicus curam animalium habeat, ac ſi ſua eſſent, & lucri rationem ſincere reddat. *ibid. n.* 15. Tertia, ut in lucri partitione ſervetur æqualitas, conſiderata capitalis, & operarum quantitate. Partitio fiat, addita opera ſocii capitali. *pag.* 532. *num.* 16. Si finita ſocietate nullum ſit lucrum, dividenda eſt ſors. *pag.* 533. *num.* 17. Subinde ſocietatis nomine fit conductio, & locatio operarum. *ibid. num.* 18.

Apes ex alveari tuo egreſſæ, tamdiu ſub tua manent poteſtate, quamdiu eaſdem capere vales; at a tuo conſpectu avulſæ, fiunt primi capientis. *pag.* 24. *num.* 3.

Apprehenſione poſſeſſio obtinetur. Eſt vera, ficta, & civiliſſima. *pag.* 21. *n.* 5. Pia loca acquirunt dominium ſine apprehenſione vera, vel ficta, non tamen comuniter alii. *pag.* 22. *num.* 7. *Vide Traditio.*

Arrha. An reſilire a contractu liceat cum arrhæ iactura, pendet a conſuetudine. *pag.* 266. *num.* 2.

Ars. Qui exercent artes, aut profeſſiones non tenentur ad reſtitutionem ex culpa levi, vel leviſſima. *pag.* 94. *n.* 13. Niſi maiorem ſolito diligentiam promiſiſſent. *pag.* 95. *num.* 14. Culpa quæ in privatis hominibus levis eſt, in profeſſoribus eſſe poteſt gravis: ſi profeſſores artem addiſcere negligant, errando culpam latam committunt, & reſtituere tenentur. *pag.* 95. *n.* 15.

As. Hereditas integra vocatur *as*, & heres ex aſſe heres univerſalis. As duodecim unciis conſtat. *pag.* 664. *num.* 8.

Aſſecuratio eſt contractus, quo pacto pretio aliquis rei periculum ſuſcipit, damnum ſive in totum, ſive in partem compenſaturus. Quantitas pretii ſit ſecundum platearum, & conſulatuum leges. *pag.* 619. *num.* 1. Eſt licitus. *ibid. num.* 2. Conditiones ad eum neceſſariæ. *pag.* 620. *num.* 5. 6.

Aucupium, piſcatio, venatio, quando iure poſitivo prohibita. Dominus fundi prohibere alios poteſt ne ea in ſuo exerceant fundo. Quando, & quibus conditionibus iſta ſibi reſervare valeat Princeps. *pag.* 26. *num.* 1. 2. Contra edictum Principis iſta exercecere in locis publicis etiam tempore prohibito, ſolum peccatum veniale eſt; mortale vero in privatorum locis circumſeptis. *pag.* 27. *num.* 3.

Aves venaticæ & muſicæ, etſi avolaverint, & priſtinam recuperaverint libertatem, e conſuetudine dominis reſtituuntur. *pag.* 24. *num.* 3.

B

Bancarius quid ſit, & quid agere debeat ut ſit culpæ immunis. *pag.* 559. *num.* 1. Deponentes non tenentur bancariis ſtipendium ſolvere. *pag.* 559. *num.* 2. Nec a bancariis exigere aliquod lucrum ultra ſortem valent. *ibid. num.* 3.

Barbeyraci hæretici liber circa ludos exploditur. *pag.* 597. *num.* 1.

Bona caſtrenſia. *Vide* Bona filiorum

Bona corporalia quæ ſint dominio ſubiecta. *pag.* 22. *num.* 1.

Bona deperdita. *Vide* Inventio.

Bona filiorum. *Vide* Filius

Bonorum ſpiritualium homo verum dominium habet. *pag.* 24 *num.* 7.

Bona vacantia appellantur bona mortui ſine teſtamento, & heredibus neceſſariis. Hæc applicantur fiſco. Bona peregrini non pertinent ad hoſpitem, ſed per Epiſcopum loci vel tradantur heredibus, vel in cauſſas pias erogentur. *pag.* 31. *num.* 5.

Digitized by Google

C

P. Calini Cæſaris opiniones circa ludos lucratorios refelluntur. *pag.* 610. *ad* 619.

Cambium eſt licitum, ut definierunt Pius IV. & V. *pag.* 544. in fine præloquii. Eſt contractus commutationis pecuniarum pro pecuniis cum lucro campſoris: differt a reliquis contractibus. *pag.* 544. *num.* 1. Dividitur in reale, & fictum ſeu ſiccum: primum licitum, ſecundum illicitum. *ibid. n.* 2. Reale eſt in quo vere pecunia pro pecunia commutatur, ſive præſens pro præſenti qualitatis diverſæ, ſive præſens pro diſtante, aut diſtans pro præſenti. Dividitur in minutum vel manuale, & locale ſeu per litteras. *pag.* 544. *num.* 3. Titulus, ob quem manuale ſit licitum: primus eſt utilitas Reipublicæ officii campſoris. *pag.* 545. *num.* 4. Secundus, labor, & incomodum eiuſdem. *ibid. num.* 5. Non licet famulo campſoris pecuniam ſolvendam creditori in aliam ad lucrum proprium commutare. *ibid. num.* 6. Licitum eſt cuilibet privato cambium minutum cum lucro exercere in magna, & congrua, non vero minima quantitate. *pag.* 546. *num.* 7. Titulus iuſtus cambii localis eſt pecuniæ aſportatio & aſſecuratio. *pag.* 546. *n.* 8. Quomodo quantitas pretii taxanda. *pag.* 547. *num.* 9. Campſor exigere poteſt pignus a campſario pecuniæ alibi reſtituendæ. *pag.* 548. *num.* 10. Tituli octo pro cambiorum iuſtitia. *ibid. num.* 11. Campſores valent monetarum pretium Principis auctoritate definitum variare. *ibid. num.* 12. Cambium cum recambio eſt illicitum. *pag.* 549. *num.* 1. Conſtitutio Pii V. circa cambia. *pag.* 552. *num.* 1. Eſt ubique recipienda. *pag.* 554. *num.* 3. Damnat cambium ſiccum. *pag.* 553. *num.* 2. Prohibet ne initio contractus determinatum intereſſe deducatur in pactum. *pag.* 554. *num.* 5. Prohibet item ne cambia realia aliter fiant, niſi ad primas nundinas, ubi nundinæ ſunt. *pag.* 555. *num.* 7. In præfigendis terminis ſolutionis præſtandæ, ratio habeatur diſtantiæ aut propinquitatis locorum. *pag.* 555. *num.* 8. In Cambiis monopolia prohibet. *pag.* 556. *num.* 9. Non ſemper maior diſtantia eſt ratio pretii augendi; ſed circumſtantiæ attendendæ ſunt. *ibid. n.* 10.

Cambium civicum eſt uſurarium. *pag.* 557. *num.* 5. Alia cambii iniqui ſpecies. *pag.* 557. *num.* 6.

Cambium ad nundinas eſt fere ſemper uſurarium. *pag.* 556. *num.* 2.

Cambium obliquum reiicitur. *pag.* 561. *num.* 1.

Cambiis pacta diverſa adiici ſolent. Iniquum eſt initio cambii de lucro ceſſante damnove emergente a campſario ſolvendo paciſci. *pag.* 560. *num.* 4. Item pactum, quo campſarius loco & tempore conſtitutis non ſolverit cambium, teneatur eamdem ſummam accipere ad recambium ab eodem campſore. *pag.* 560. *num.* 5. Etſi ponatur hoc recambium licitum, non licet lucrum convertere in ſortem, & de lucro lucrum quærere. *pag.* 560. *num.* 6.

Pro cambiis, & proxenetis conſilia. *pag.* 564. *num.* 1.

Cauſſæ excuſantes a reſtitutione. *Vide* Reſtitutio.

Cenſus eſt ius exigendi penſionem ex re alterius frugifera. *pag.* 565. *num.* 1. Dividitur in reſervativum, & conſignativum. Primus eſt ille quem ſibi reſervat quis, dum rem ſuam alteri tradit hoc onere adiecto, ut quotannis, qui rem accipit, ſolvat penſionem præſcriptam. Conſignativus eſt quando, retento dominio rei tuæ, alteri vendis ius percipiendæ penſionis in annos ſingulos. *pag.* 565. *num.* 2.

Cenſus conſignativus dividitur varie. *pag.* 565. *num.* 3. Realis eſt qui conſtituitur ſuper fundo fructifero. *ibid. num.* 4. Perſonalis conſtituitur immediate in perſona. *ibid. num.* 5. Mixtus conſtituitur ſuper re & perſona. *pag.* 566. *num.* 6. Pecuniarius pecunia, fructuarius fructibus ſolvitur. *pag.* 566. *num.* 7. Temporalis vel ad certum tem-

tempus vel ad incertum vitæ (& tunc dicitur vitalitius) conſtituitur. *ibid.* *n.* 8. Perpetuus nullo præfinitur tempore. *ibid. num.* 9. Redimibilis, qui redimi poteſt arbitrio cenſualiſtæ aut cenſuarii, aut utriuſque. Irredimibilis numquam redimi poteſt. *pag.* 566. *num.* 10. Cui ſolvenda penſio eſt, dicitur cenſualiſta, & emere cenſum: qui ſolvere penſionem debet, dicitur vendere cenſum, & cenſuarius. *ibid. num.* 11.

Cenſus *A godere* uſurarius. *pag.* 596. *num.* 8.

Cenſus diſtinguitur a livello. *pag.* 597. *num.* 9.

Cenſus perſonalis licitus eſt, ſi ſumatur pro tributo. Vetitum eſt ſe tradere in ſervitutem, penſione non ſoluta. *pag.* 571. *num.* 1. Cenſus perſonalis licitus eſt, quando penſiones reddendæ æquant pretium pro eiſdem traditum. *pag.* 572. *num.* 2. Item cenſus qui reipſa eſt contractus aleæ. *ibid.* Item ſtante iuſto titulo licita eſt emptio cenſus minori pretio quam valeat totus cumulus. *pag.* 572. *num.* 3. Cenſus perſonalis, prætertim utrimque redimibilis, quando pretium non æquat cumulum penſionum ſolvendarum, ſublato quocumque alio iuſto titulo lucri ceſſantis, damni emergentis, periculo, aliave ratione, damnatur a Theologis, qui ſcripſerunt ante conſtitutionem Pii V. uno vel altero excepto. *pag.* 571. *a num.* 1. A Pio V. cuius conſtitutio deſcribitur. *pag.* 567. *num.* 3. Quid de eo Doctores ſentiant poſt Pium V. *pag.* 574. *a n.* 1. Rationes quibus probatur cenſus perſonalis licitus, ſolvuntur. *pag.* 576. *a num.* 1. Reiicitur multis argumentis talis cenſus. *pag.* 579. *a num.* 1. Conſtitutio Pii V. cenſum perſonalem damnans debet ab omnibus recipi. *pag.* 584. *a num.* 1. Ea deſcribitur. *pag.* 567. *num.* 3.

Cenſus realis eſt licitus certis conditionibus a S. Pio V. præſcriptis. *pag.* 567. *a num.* 3. Hæ conditiones recenſentur. *pag.* 588. *a num.* 1. Plures animadverſiones in harum conditionum commendationem. *pag.* 589. *a num.* 1.

Cenſuum diverſa pacta. Illicitum eſt pactum quo obſtringitur cenſuarius ut redimat cenſum ad arbitrium emptoris. *pag.* 593. *num.* 1. Iuſte venditor obligari poteſt ut redimat cenſum eadem moneta in ſpecie qua emptus eſt, ſi æquale ſit incrementi, & decrementi periculum. *pag.* 594. *num.* 2. Licitum eſt pactum quo obligetur venditor ut, ſi redimere cenſum velit, redimat totum ſimul, & non per partes. *pag.* 594. Pereunte fundo ſuppoſito cenſui, perit iure naturæ ipſe cenſus. *pag.* 594. *num.* 4. Iure naturæ neceſſe non eſt, ut tantum pars fundi cenſui ſubiiciatur. *pag.* 595. *num.* 5.

Cenſus vitalitius licitus eſt, etiamſi fundetur in prædio. *pag.* 595. *num.* 7.

Charta. *Vide* Ludus aleæ.

Chirographum quo pretio vendi poſſit. *pag.* 314. *num.* 12. *pag.* 315. *n.* 13. 14.

Clericis prohibita eſt venatio clamoſa. *pag.* 27. *num.* 4. *Vide* Negotiatio. Ludus. Piſcatio.

Codicillus eſt ſcriptura ultima aliquam diſpoſitionem continens, abſque directa heredis inſtitutione. *pag.* 644. *num.* 2.

Cognatus. *Vide* Agnatus.

Coitus damnatus qualis. *pag.* 652. *num.* 7.

Columbas alienas illecebris ad propria pertrahere columbaria peccatum eſt. Si damnum quod campis inferunt, publica conſuetudine toleretur, impediri nequeunt quin ad propria columbaria redeant. Si alienæ columbæ ſponte ſe tuis immiſceant, tuæ fiunt. *pag.* 24. *num.* 3.

Commixtio eſt cum res ita miſcentur, ut partes eædem permanentes conſlent unum tertium. Si ſeparari poſſunt, pertinent ad ſuos reſpective dominos: ſin, commiſcens pretium tantum rei alienæ admixtæ ſolvet. *pag.* 38. *num.* 6.

Commodatum eſt rei alicuius quoad uſum ſolum gratuita conceſſio ad tempus. *pag.* 624. *num.* 6.

Commutativa iuſtitia. *Vide* Iuſtitia.

Compenſatio occulta raro in praxi licita eſt. *pag.* 189. *a n.* 1. Cui negatur lega-

gatum e teſtamento minus ſolemni, nequit uti occulta compenſatione. *pag.* 190. *num.* 3. Non eſt licita hæc compenſatio quando debitum eſt tantum probabile. *pag.* 191. *a n.* 6. Nec quando utrimque eſt æqualis probabilitas. *pag.* 196. *n.* 18. Immo nec quando meum debitum probabilius iudico. *ibid. num.* 19. In compenſationem accipi nequit res a debitore dono alteri miſſa etiam ante acceptationem. *pag.* 197. *num.* 20. Nec pecunia quam Petrus mittit Paulo in debiti ſolutionem. *pag.* 197. *num.* 21. Nec uti compenſatione ei licet qui ſe obligavit ſub iuramento ad debiti ſolutionem. *pag.* 197. *num.* 22. Non licet uti compenſatione præſenti pro debito futuro. *pag.* 199. *num.* 24. Qui occulte ſibi compenſat, iurare nequit ſe nihil accepiſſe. *ibid. num.* 25. Famuli, & famulæ domeſticæ non poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant: & contrarium damnatum. *pag.* 199. *num.* 26. Nec proprio, nec Confeſſarii iudicio. *pag.* 200. *num.* 27. Famuli qui plus laboris impendunt quam conventum cum Dominis ſit, uti occulta compenſatione nequeunt. *ibid. num.* 28. Nec officiales qui minoris iuſto opera ſua locant. *pag.* 200. *num.* 29. Nec miniſtri &c. exiguo ſtipendio contenti, ut dominorum gratiam obtineant ad conſequenda beneficia, ſi domini negligant iiſdem patrocinari. *pag.* 201. *num.* 30. In debitis ex iuſtitia dari nequit compenſatio cum bonis, vel obſequiis gratuitis. *pag.* 202. *num.* 32. Compenſatio non valet in foro conſcientiæ, dum adſunt creditores anteriores. *ibid. num.* 33. Compenſatio locum non habet in celebratione Miſſarum. *pag.* 203. *num.* 34. Famulus Principis, cui ultra ſtipendium dabatur hordeum pro uno equo, nequit hordeum accipere, dum equum non habet. *pag.* 203. *num.* 35. Sartores magiſtri non valent retinere fragmenta veſtium in compenſationem maioris ſtipendii ſibi debiti: *pag.* 204. *num.* 37. Nec ſartorum famuli in compenſationem exiguæ mercedis. *pag.* 204. *num* 38. In reſtitutione famæ non eſt licita compenſatio. *pag.* 205. *num.* 40. Nec pro infamia retineri, aut ſurripi pecunia poteſt. *pag.* 207. *num.* 43.

Conductio. *Vide* Locatio.

Confeſſarius opinioni pœnitentis contra propriam ſe non conformet. *pag.* 83. *num.* 20. Quomodo cum moribundo reſtitutioni obnoxio procedere debeat. *pag.* 85. *num.* 26. Si mala fide pœnitentem non moneat ut reſtituat, ipſe reſtituere tenetur. *pag.* 87. *num.* 28. *Vide* Conſilium.

Confuſio eſt, quando ex duobus fit unum tertium: dominium huius tertii eſt commune. *pag.* 38. *num.* 6.

Conſanguineus. *Vide* Agnatus.

Conſilium malum quidem, ſed dubitanter dans non tenetur reſtituere; bene tamen inculpate ignorans, ſi ſe conſiliis dandis ingerit. *pag.* 95. *num.* 15. Qui conſulit animo nocendi, reſtituere tenetur; non qui innocenter, imprudenter, vel animi levitate. *pag.* 134. *num.* 21. Conſiliator, revocato conſilio quod falſæ narrationi innititur, non ligatur ad reſtitutionem, etſi ſequatur damnum. *pag.* 134. *num.* 22. Neque ſi conſilium perverſum impreſſerit dictamen, revocato conſilio. *pag.* 134. *num.* 23. Conſiliator non tenetur reſarcire damna obvenientia ei qui conſilium petiit. *pag.* 135. *num.* 24.

Conſumptibilis unico actu rei uſus actualis non diſtinguitur ab eius dominio, ſed uſus habitualis. *pag.* 18. *a num.* 7.

Contractus late ſumptus eſt duorum vel plurium conſenſus, atque conventio: preſſe, eſt ultro citroque obligatio. *pag.* 228. *num.* 2. In genere contractus eſt duplicis voluntatis, dantis, & recipientis, de re quapiam agenda, vel non agenda, ſigno aliquo exteriori manifeſtata, deliberata conſenſio. *pag.* 229. *n.* 6. Cauſſa finalis contractuum eſt civitatum, & humani generis bonum. *pag.* 228. *a num.* 3. Efficiens eſt humana voluntas, ut libera, & rei domina. *pag* 229. *num.* 5. Materia proxima ſunt actus humani ad iuſtitiam attinentes. *pag.* 230. *num.* 7.

Proprietates contractuum ſunt: neceſſi-

ceſſitas, utilitas, libertas, contraria pactio, bona fides, ſoliditas iuſtitiæ, honeſtas, benignitas, expreſſam, vel taciram habens donationem, obligatio, actio, dominii translatio. *pag.* 231. *num.* 9. Dividitur ex parte cauſſæ finalis in neceſſarium, utilem &c. Ex parte efficientis in liberum, coactum &c. *pag.* 232. *num.* 1. Ex parte materiæ proximæ in contractus innominatos: materiæ remotæ, in emptionem, venditionem &c. *pag.* 233. *num.* 2. In dividuos, & individuos: primus eſt, cuius materia dividi poteſt; alter, cuius materia dividi nequit. *pag.* 233. *num.* 3. Diviſiones contractuum e tertia, & quarta proprietate. *pag.* 234. *num.* 4. Diviſiones e quinta, ſexta, ſeptima, octava, & nona. *ibid. num.* 5. Ex decima, undecima, & duodecima. *pag.* 235. *n.* 6. Ex diverſitate iuris oritur & diverſitas contractuum: unde alius contractus eſt iuris naturalis, ut matrimonium. *ibid. num.* 7. Alius iuris divini, ut idem matrimonium. *pag.* 235. *n.* 8. Alius iuris gentium, ut emptiones, conductiones &c. Alii iuris civilis, ut contractus emphiteuticus. Alii iuris canonici, ſeu ab Eccleſia moderati. *pag.* 235. *num.* 9. Diviſiones contractuum atomæ. *pag.* 236. *num.* 10. Duplex contractuum perfectio, una ſubſtantialis, altera accidentaria: prima habetur, dum ponuntur quæ ad ſpeciem contractus neceſſaria ſunt: ad hanc autem ſubinde neceſſarius eſt conſenſus ſigno exteriori declaratus, verba, ſeu determinata verborum forma, ſcriptura, traditio rei. *pag.* 238. *num.* 1. Quomodo obligatio ad contractus ſequatur: potiſſimum autem conventio, intentio contrahentium, & conſuetudo ſpectandæ. *pag.* 238. *num.* 2. Contrahens verbis externis ſine animo contrahendi nullum ponit contractum: in foro tamen exteriori cogitur ad eumdem complendum. *pag.* 239. *num.* 3. Obligatio eſt vinculum quo quis ſe ſe obſtringit ad aliquid præſtandum: eſt multiplex. Obligatio ex iuſtitia manans parit obligationem reſtituendi. *pag.* 239. *n.* 4.

Contractus erigendi capaces ſunt omnes & ſoli uſu rationis, liberaque bonorum adminiſtratione præditi. *pag.* 252. *num.* 1. Pupilli, & minores in ætate ad pubertatem proxima contractus inire poſſunt. *pag.* 253. *num.* 2. Iidem ſine iudicis facultate bona mobilia, & immobilia, quæ ſervando ſervari poſſunt, diſtrahere nequeunt. *pag.* 253. *num.* 3. Contractus pupillorum, & minorum, ſine tutoris, & curatoris licentia celebratus, etiam in foro conſcientiæ eſt nullus. *pag.* 254 *a num.* 6. Pupilli pubertati proximi in proprium commodum ſine auctoritate tutoris cum maiori contrahere poſſunt; non autem in ſuum incommodum. *pag.* 255. *num.* 8.

Contractus ſub cauſſa factus nullus eſt, ſi cauſſa finalis non fuit vera: valet autem ſi cauſſa fuit impellens: in dubio præſumendum eſt fuiſſe impellentem. *pag.* 249. *num.* 1.

Quid circa varias contractuum conditiones ſentiendum. *pag.* 251. *n.* 8. Contractus conditionatus, adimpleta conditione, non evadit eo ipſo abſolutus, ſed novo opus eſt conſenſu. *pag.* 252. *num.* 9.

Contractus ex dolo. Dolus malus eſt omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum alterum adhibita. *pag.* 243. *num.* 1. Dolus, vel error, vel eſt circa ſubſtantiam, vel adventitia rei; vel concomitans, vel antecedens. *pag.* 244. *num.* 2. Tam antecedens, quam concomitans circa ſubſtantiam rei irritat contractum. *ibid. num.* 3. Uterque error circa rei qualitatem non irritat contractum; ſi tamen deceptio ſit infra, vel ultra dimidium, quid agendum. *pag.* 245. *num.* 4. Si tamen qualitas in ſubſtantiam contractus tranſeat, error circa eamdem irritat contractum. *ibid. n.* 6. Si dolus fuit cauſſa contractus, reſcindi poteſt a circumvento. *pag.* 246. *num.* 7. Quid ſit contractus bonæ fidei, & ſtricti iuris. *pag.* 246. *num.* 8. Omnes contractus ſunt bonæ fidei, eoſque error antecedens evertit. *pag.* 247

Digitized by Google

247. *num.* 9. Blanditiæ ſinceræ non intringunt contractum, ſed doloſæ. *pag.* 248. *num.* 11. Nec importunæ preces. *pag.* 249. *num.* 12.

Contractus cum retractu gentilitio, ſervatis ſervandis, eſt licitus. *pag.* 290. *num.* 7.

Contractus innominati ſunt quatuor: do, ut des: do, ut facias: facio, ut des: facio, ut facias. *pag.* 230. *n.* 7.

Contractus iuratus, ſive illum iuramentum confirmet, ſive non, validus eſt, quoties impleri ſine peccato, & damno alterius poteſt. *pag.* 259. *num.* 1. Renunciatio tamen Novitii, inconſulto Epiſcopo, firmata iuramento non obligat. *pag.* 260. *num.* 2. Promiſſio tamen iuramento firmata, etſi non acceptetur, impleri debet. *pag.* 261. *num.* 3. Contractus factus per errorem ſubſtantialem, etſi iuratus, eſt invalidus. *pag.* 260. *num.* 4. Metu tamen extortum iuramentum validum eſt. *pag.* 261. *num.* 5. Iuramentum non firmat contractus iure naturæ nullos, nec imitabiles per ius poſitivum in odium creditoris, aut cum vergit in damnum publicum; firmat tamen dum irritabiles ſunt in favorem contrahentis *pag.* 261. *n.* 6.

Contractus metu extortus. Metus gravis plures exigit conditiones. Quando incutitur a cauſa naturali v. g. a naufragio, dicitur provenire ab intrinſeco: quando a libera; ab extrinſeco. A cauſſa libera incuti poteſt vel iniuſte, vel iuſte; item ad directe, vel indirecte contractum extorquendum. *pag.* 239. *num.* 1. Metu gravi iniuſte, & directe extortus, eſt iure naturæ validus, ſed a Superiore reſcindendus. *pag.* 241. *a n.* 4. Contractus e metu levi facti reſcindi merentur. *pag.* 242. *num.* 8. Non tamen contractus matrimonii, & profeſſionis *ibid. num.* 9.

Contractus modalis. Modus diſtinguitur a conditione & ſupponit contractum perfectum. *pag.* 249. *num.* 1. Quid ſit demonſtratio. *pag.* 250. *num.* 3. Circumſtantiæ quæ cauſam non dant contractui, illum non vitiant. *pag.* 250. *num.* 4. Quomodo interpretandus contractus ad diem, vel ſub disiunctione. *pag.* 250. *num.* 5.

Contractus ſolemnitas. Solemnitas iuris alia ſubſtantialis, alia accidentaria. Prima eſt ſine qua contractus a lege irritatur; altera ſine qua ſolum prohibetur. *pag.* 256. *num.* 9. Matrimonium, & profeſſio ſine iuris ſolemnitate tam in foro externo, quam interno non ſubſiſtunt. *pag.* 256. *num.* 10. Nec reliqui contractus. *pag.* 257. *num.* 11.

Contractus trinus eſt qui comprehendit ſimul contractum ſocietatis, aſſecurationis, & venditionis. Quatuor conditiones ad contractum ſocietatis neceſſariæ. Contractus trini origo, & progreſſus. *pag.* 486. *num.* 1. Damnatur a iure civili, ſede Romana, & Epiſcopis. *pag.* 489. *a num.* 1. Benedictus XIV. dicit eum eſſe damnatum a Sixto V. *pag.* 492. *num.* 1. Confutatur ratione. *a pag.* 497. uſque *ad pag.* 524. Etſi tollatur contractus aſſecurationis, exigere tamen ultra ſortem aliquid non licet titulo lucri ceſſantis. *pag.* 524. *a num.* 1. Facto hoc contractu pignus recipi nequit. *pag.* 525. *num.* 5. Non iuſtificatur contractus recipiendi quinque in centum, quod ſit Reipublicæ utilis, nec validari poteſt a poteſtate dominii alti. *pag.* 526. *num.* 8. Nec ex eo quod viri docti & probi illum contractum approbent. *pag.* 521. *num.* 1. Nec excuſat intentio virtualis faciendi contractum omni meliori modo. *pag.* 514. *a num.* 1. *uſque ad pag.* 521. Etiam duplex ſocietatis contractus eſt illicitus. *pag.* 528. *num.* 1.

Cooperantes ad damnum. Novem ſunt modi quibus cooperari aliquis poteſt ad alterius damnum. *pag.* 126. *num.* 1. Qui parato ad malum inferendum annuit, liber eſt a reſtitutione. *pag.* 127. *num.* 3. Qui non paratum ad inferendum damnum movet ut illud inferat, tenetur ad reſtitutionem, etſi alius reipſa induxiſſet executorem ad tale malum

Digitized by Google

malum irrogandum. *pag.* 128. *num.* 4. Qui alium paratum ad malum committendum movet ut celerius illud exequatur, tenetur reſarcire totum damnum. *ibid. num.* 5. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati: propoſitio damnata *pag.* 129. *num.* 9. Qui dubitat an fuerit cooperatus, liber eſt a reſtitutione *pag.* 130. *num.* 11. Qui certus eſt de cooperatione, dubius autem de ſecuto damno, reſtituere debet pro gradu dubii. *pag.* 130. *num.* 12. Quando certus es & de conſilio, & de damno, dubitas vero an conſilium fuerit efficax, pro rata tantum dubii parte reſtitues. *pag.* 131. *num.* 15. Qui ſuo exemplo pravo cauſſa eſt ut alii malum perpetrent, non tenetur ad reſtitutionem, niſi intenderet iſto ſuo exemplo alios ad inferendum damnum inducere. *pag.* 131. *num.* 17. *Vide* Iuſſio. Conſilium. Suffragium. Palpo. Reverſus. Participans.

Cooperans ex metu gravi ad actionem pravam, graviter peccat. *pag.* 138. *a num.* 33.

Cooperantes negative tenentur reſtituere, quando ex iuſtitia tenebantur impedire damnum; ſecus, ſi ex ſola charitate. *pagin.* 140. *num.* 38. *& ſeq.* Tenentur tamen qui non impediunt, accepto pretio. *pag.* 141. *num.* 40. Quando ſervi non impedientes furta dominis illata, reſtituere debent. *pag.* 141. *num.* 41. Antequam cuſtodes publici conſtituti ne merces aut avehantur, aut importentur, obligentur ad reſtitutionem, ſpectandæ primo ſunt circumſtantiæ. *pag.* 141. *num.* 42.

Creditorum ordo. Leges ſtatuentes ordinem creditorum obligant in conſcientia. *pag.* 173. *num.* 4. Bona exiſtentia in ſe ipſis, vel in ſpecie, reſtituenda ſunt domino. *ibid. num.* 5. Dubium eſt, an debita certa, in propria ſpecie non extantia, præferenda ſint debitis incertis. *pag.* 173. *a num.* 6. Bona in ſpecie extantia reſtituenda ſunt dominis, poſt habitis etiam creditoribus privilegiatis. *pag.* 175. *num.* 10. Debita ex contractu oneroſo præferri debent debitis ex liberali promiſſione etiam acceptata. *pag.* 175. *num.* 11. Item debita ex delicto, & ex contractu priora, prius deleri debent: ſi non conſtat quale ſit antiquius, creditoribus ſatisfaciendum per ſortem. *pag.* 175. *num.* 12. Creditores hypothecarii præferendi aliis ſunt perſonalibus etiam privilegiatis. Inter hypothecarios qui priores? *pag.* 176. *num.* 13. Non exceptis privilegiatis. *ibid. num.* 14. Qui habent hypothecam ſpecialem præferendi ſunt habentibus generalem in certis caſibus. *pag.* 177. *num.* 15. Quis ordo inter creditores privilegiatos ſimplices, ſeu perſonales. *ibid. num.* 16. Inter non privilegiatos creditores qui prior eſt tempore, potior eſt iure. *pag.* 178. *num.* 18. Pauperes ratione paupertatis non ſunt præferendi. *pag.* 178. *num.* 19. Dum debitor cuncta debita ſolvere nequit, is creditor præferendus eſt qui primus in iudicio petit ſuum creditum, & in favorem illius eſt iudicatum *pag.* 179. *num.* 20. Debitor in hoc caſu pro rata omnibus reſtituat: & ſi uni reſtituiſſet integrum debitum, is retinere nequit. *pag.* 179. *num.* 22. Nequit debitor admonere amicum creditorem ut prior petat, neque eidem integrum debitum cum aliorum detrimento poteſt ſolvere. *pag.* 180. *num.* 23. Quomodo reliqui ſe habere debeant ad debitorem qui non eſt ſolvendo, maxime domeſtici *pag.* 180. *n.* 24.

Crimina ad exheredationem. Filii ob quatuordecim crimina exheredari poſſunt. *pag.* 660. *num.* 11. Viciſſim filii exheredare parentes ob ſeptem crimina poſſunt *ibid. num.* 12. *Vide.* Heredes inſtitui nequeunt.

Culpa ex qua oritur onus reſtitutionis, vel eſt theologica, vel iuridica: hæc vel eſt lata, vel levis, vel leviſſima. *Theologica* eſt peccatum vel mor-

Digitized by Google

mortale, vel veniale. *Iuridica* eſt omiſſio debitæ diligentiæ, non attendendo ad malitiam peccaminoſam. *Lata* eſt omiſſio diligentiæ, quam communiter eiuſdem ſtatus homines adhibere ſolent: *levis*, quam adhibere ſolent diligentiores: *leviſſima*, diligentiſſimi. Culpa lata eſt latior, & latiſſima. Prima eſt dolus præſumptus, altera manifeſtus. *pag.* 88. *num.* 2. Ubi nulla fuit culpa, ibi nulla eſt reſtitutio. *pag.* 88. *num.* 3. Excipiuntur aliqui caſus. *pag.* 88. *num.* 4. Si res aliena in domo tua fortuito periit, ad nihil teneris. *ibid.* Qui rei illicitæ dat operam, ſi ſit cauſa damni nec prævisi, nec intenti, nec ex illa actione derivati, ad nihil tenetur. *pag.* 89. *num.* 5. Si tamen adſit ignorantia concomitans, reſtituere debes; non vero ſi antecedens. *Ibid.* Si ſine culpa theologica damnum illatum eſt, vi iniuſtæ acceptionis ad nihil obligaris. *pag.* 92. *num.* 2. Si ex culpa levi, quæ veniale peccatum ſit, & oriatur ex imperfecta deliberatione, ſecurius eſt reſtituere, quando ingens damnum fuit ſecutum. *pag.* 92. *num.* 7. Culpa levis, aut leviſſima animo nocendi perpetrata inducit obligationem reſtituendi. *pag.* 93. *num.* 9. Qui perpetrat delictum, non intendens damnum inferre alteri, licet illud per accidens ſequatur, non tenetur compenſare. *pag.* 94. *num.* 12. Qui exercent artes aut profeſſiones, non tenentur ad reſtitutionem ex culpa levi, vel leviſſima. *pag.* 94. *num.* 13. Niſi maiorem ſolito diligentiam promiſerint. *pag.* 95. *num.* 14. Culpa quæ in privatis hominibus levis eſt, in profeſſoribus eſſe poteſt gravis; ſi profeſſores addiſcere negligant, errando culpam latam committunt, & reſtituere tenentur. *pag.* 95. *num.* 15. Ignorans male quidem, ſed dubitanter conſulens, non tenetur reſtituere; bene tamen inculpate ignorans, ſi ſe conſiliis dandis ingerit. *pag.* 95. *num.* 15.

Culpa iuridica. Si contractus cedit in ſolam recipientis utilitatem, excepto precario, teneris ad reſtitutionem ex culpa levi, vel leviſſima. Si contractus utrique parti utilis eſt, uterque ſubiectus eſt reſtitutioni ex culpa lata, & levi, ſed non leviſſima. *pag.* 96. *num.* 16. Si contractus cedat in utilitatem ſolius dantis, oritur reſtitutio ſolum ex culpa lata, & dolo, exceptis quatuor caſibus. *pag.* 96. *num.* 17. Damnum ſecutum ſolum ex culpa iuridica ſine theologica eſt in conſcientia reſarciendum. *pag.* 97. *num.* 19.

D

Damnatæ propoſitiones in materia iuſtitiæ. *pag.* 55.

Ad damnum cooperantes. *Vide* Cooperantes.

Damnum emergens in mutuo. Damnum emergens eſt detrimentum quod ſolius mutui cauſſa mutuator patitur in re iam poſſeſſa. *pag.* 405. *num.* 2. Differt a lucro ceſſante. *Ibid. num.* 2. Conditiones ad verum titulum damni emergentis. *pag.* 406. *num.* 1. Non eſt licitum pactum de certa quantitate ſolvenda initio contractus pro futuro damno emergente. *pag.* 407. *num.* 1. Monendus eſt in ipſo contractu mutuatarius de damno emerſuro ſolvendo. *pag.* 407. *num.* 2. Licitum eſt pactum ab initio initum de determinata acceſſione ſolvenda pro damno quod in certa, & determinata quantitate futurum prævidetur. *pag.* 407. *num.* 3. Non tamen in quantitate maiori quam ſit quantitas damni futuri. *pag.* 408. *num.* 4. Bene tamen in minori. Immo quando damnum certo prævidetur, & dubitatur de quantitate, poteſt conveniri de quantitate certa acceſſionis. *Ibid. num.* 5. Qui pecuniam paratam ad redimendum cenſum quinque in centum habet, poteſt eam amico tradere cum pacto ad reddendum quinque in centum. *pag.* 409. *num.* 6. Mutuator moneat de reparando damno mutuatorem. *Ibid. num.* 7. Non licet aliquid exigere ob periculum damni indefinite emerſuri, ſed de damni in individuo periculo. *pag.* 409. *num.* 8.

Digitized by Google

Quid ſi cogeretur quis ad mutuandum? *Ibid.*
Debita defuncti. *Vide* Heredis obligatio.
Defectus mercium. Defectus vel ſunt in ſubſtantia, vel quantitate, aut qualitate. Tenetur eos manifeſtare tam venditor, quam emptor. *pag.* 318. *num.* 1. Intellige de defectibus occultis, non manifeſtis. *pag.* 320. *num.* 3. Si non manifeſtentur defectus, nec minuatur pretium, reſtituendum eſt. *Ibid. num.* 4. Licet tacere defectum rei, qui emptori non nocet, diminuto pretio, ſi emptor non interrogat. *pag.* 320. *num.* 5. & *pag.* 324. *num.* 9. Si tamen non deſerviret ad uſum intentum emptoris, non licet. *pag.* 321. *num.* 6. Qui emit rem cuius pretium venditor ignorat, non eſt ſecurus, ſi dicat ſolum: Tu mihi donas, ſi plus merx valeat? *pag.* 323. *num.* 10. Qui vino aquam immiſcuit, etſi ſapidius fiat, vendere poteſt pretio diminuto. *pag.* 323. *num.* 11. Venditor poteſt vendere unam rem pro alia, ſi ſubſtituta habeat prorſus eumdem uſum. *Ibid. num.* 12. Qui vendit bona fide rem vitioſam, non peccat; ſed dum reſcit, damnum compenſet. *pag.* 324. *num.* 13. Licet aliquid de quantitate mercis detrahere, ſi evidenter conſtet pretium iniuſte taxatum; quod tamen facile præſumi nequit. *pag.* 324. *n.* 16.
Defunctus. *Vide* Heredis obligatio.
Demonſtratio in contractu quid ſit. *pag.* 250. *num.* 3.
Deperdita bona. *Vide* Inventio.
Depoſitum eſt contractus quo ſola rei cuſtodia alterius fidei committitur, ut integra reddatur. Ad hoc requiritur expreſſus depoſitarii conſenſus. *pag.* 625. *num.* 7. Depoſitarius nequit re depoſita uti, ſi uſu atteratur, ſine conſenſu deponentis; pecunia tamen uti poteſt, quaſi mutuo accepta. *pag.* 625. *num.* 8. Quando depoſitum pernicioſum eſt deponenti, reddi non debet, niſi ex retentione grave damnum immineat depoſitario. *pag.* 626. *num.* 9. Omnes ratione utentes capaces ſunt ſuſcipiendi depoſiti, non tamen Religioſi ſine Prælati licentia. *Ibid. n.* 10.
Diſtributiva iuſtitia. *Vide* Iuſtitia diſtribuens.
Diviſio rerum primum facta eſt occupatione rerum communium: nam iure naturali erant omnia communia. *pag.* 16. *num.* 6. Inducta ſolum eſt iure gentium. *Ibid. num.* 7.
Dolus malus eſt omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum alterum adhibita. *pag.* 243. *n.* 1. *Vide* Contractus ex dolo.
Dominium ample ſumptum eſt quæcumque facultas ſive proprietatis, ſive iuriſdictionis; quæ ſecunda reſidet in ſuperioribus. Dominium aliud ſacrum ſeu eccleſiaſticum, aliud civile. *pag.* 14. *num.* 1. Transfertur vel titulo, vel traditione rei. *pag.* 15. *num.* 5. Transfertur vel Dei, vel privati hominis, vel Principis voluntate: quæ voluntates ſunt principia translationis. *Ibid.*
Dominii capaces ſunt Deus, Angeli, homines. *pag.* 22. *num.* 1. Homines dominium habent in res corporales inferiores. *pag.* 23. *num.* 2. Ob peccatum mortale non amittitur dominium. *pag.* 23. *num.* 3. Pueri ante uſum rationis dominii capaces ſunt; ſed illud exercere nequeunt, & conſenſum illorum ſupplet conſenſus curatorum, & tutorum. *pag.* 23. *num.* 4. Bona dominio humano ſubiecta, ſunt omnes res ſublunares. *Ibid. num.* 5. Unus homo in alterum dominium acquirere poteſt iure gentium, & civili pluribus titulis. *pag.* 23. *num.* 6. Bonorum ſpiritualium homo eſt dominus. *pag.* 24. *num.* 7.
Dominium proprietatis eſt facultas utendi re tamquam propria in omnes uſus a lege permiſſos in ſuum commodum. *pag.* 14. *num.* 2. Dividitur in perfectum, vel plenum, vel in ſolidum; & in imperfectum, ſeu ſemiplenum. Primum eſt dominium in ſubſtantiam rei, & in commoda: ſecundum in alterutrum. Item dominium ſemiplenum aliud eſt directum, aliud utile. Directum eſt dominium rei ſine uſu, utile dominium eſt uſus ſine re. *pag.* 15. *num.* 3. Dominium dire-

re-

Digitized by Google

rectum ſine uſu rei habet nihilominus in ſuo genere aliquam utilitatem. *Ibid. num.* 4. Dominium aliud altum, ſeu Principum: aliud humile, ſeu privatorum.

Dominii translatio. *Vide* Dominium.

Dominium utile eſt ius utendi & fruendi aliena re, ſalva eiuſdem ſubſtantia. Qui illud habet, dicitur uſuarius, & diſtinguitur ab uſusfructuario. *pag.* 16. *num.* 1. *Vide* Uſuarius, & uſusfructuarius. In rebus unico actu conſumptibilibus dominium non diſtinguitur ab earum uſu actuali, ſed ab habituali. *pag.* 18. *num.* 7.

Donatio eſt liberalis alicuius rei traditio. Alia eſt ſtricte liberalis, alia remuneratoria, vel antidoralis. *pag.* 638 *num.* 1. Alia item eſt realis, alia verbalis, quæ potius eſt promiſſio. *pag.* 638. *num.* 2. Alia eſt abſoluta, alia conditionata. Alia inter vivos, alia mortis cauſſa. Utraque explicatur. *pag.* 638. *num.* 3. Quatuor conditiones donatio requirit. *Ibid. num.* 4. Prima conditio eſt, ut donans habeat poteſtatem donandi. Multi prohibiti ſunt donare. *pag.* 638. *num.* 5. Regulares donare nequeunt. *pag.* 639. *num.* 6. 7. Secunda conditio: donatarius aptus ſit ad recipiendam donationem. Quidam recipere prohibentur. *pag.* 640. *num.* 8. Tertia: res donata nemini ſit perniciosa; ideo donata in fraudem creditorum reſtituenda ſunt. *Ibid. num.* 9. Quarta: ſunt formulæ neceſſariæ ad donationis valorem, inter quas ſunt traditio vel realis, vel ficta, acceptatio expreſſa, inſinuatio. *pag.* 640. *num.* 10. Donationes inter coniuges quænam iure communi nullæ. *pag.* 641. *num.* 11. Quænam donationes patris factæ filio ſint invalidæ. *Ibid. num.* 12. Donatio revocari poteſt ob ingratitudinem donatarii, & ob prolem noviter ſuſceptam, ſi donatio fuerit inofficioſa. *pag.* 641. *num.* 13. Donatio mortis cauſſa eſt revocabilis. *pag.* 642. *num.* 14.

Dubium. Qui bona fide rem emit, ſi poſt emptionem dubitat rem eſſe alienam, ſive dominum requiſiverit, ſive non, totam ſibi retinere nequit. *pag.* 507. *num.* 29. Nec eam vendere poteſt, ſed pro rata dubii pauperibus diſtribuere. *pag.* 108. *num.* 30. Si vendidit, totum pretium reſtituere debet domino comparenti. *Ibid.* 31. Si poſt adhibitam diligentiam in inquirendo domino dubium perſeveret, ſintque validiores rationes rem eſſe alienam, quid reſtituendum? *pag.* 109. *num.* 33. *Vide* Adulterium. Contractus ſub cauſſa. Reſtitutio in fine. Cooperantes ad damnum.

E

Emphyteuſis eſt contractus quo rei immobilis dominium utile ad longum tempus transfertur, directo retento, onere impoſito annuæ penſionis ſolvendæ. *pag.* 623. *num.* 1. Longum tempus non debet eſſe minus decennio, nec ſolet ultra nonaginta novem annos protrahi. Differt a locatione. *pag.* 623. *num.* 2. Si emphyteuta per triennium domino laico, & per biennium Eccleſiæ non ſolvit, ipſo facto cadit in pœnam commiſſi. *pag.* 623. *num.* 3. Tranſit in heredes emphyteutæ, qui, inſcio domino, emphyteuſim locare poteſt alteri per decennium. *pag.* 17. *n.* 5. *Vide* Laudemium.

Emptio eſt pactio determinati pretii pro merce dandi. Venditio eſt pactio mercis dandæ pro determinato pretio. Contractus emptionis & venditionis eſt contractus oneroſus mutuo conſenſu peractus dandi mercem pro pretio determinato, & pretium determinatum pro merce determinata. *pag.* 266. *n.* 1. An liceat reſilire a contractu cum arrhæ iactura, pendet a conſuetudine. *pag.* 266. *num.* 2. Ante rei venditæ traditionem, & pretii ſolutionem non transfertur dominium lege poſitiva, niſi venditor fidat emptori, habeatque pretium pro ſoluto. *pag.* 267. *num.* 3. Merx vendita duobus emptoribus, cuinam tradenda? *pag.* 267. *num.* 4. Res vendita, ante traditionem perit venditori. *Ibid. num.* 5. Intellige, merx indeterminata, vel determina-

Digitized by Google

ta, ſed vendita ad menſuram. *pag.* 268. *num.* 7. Merx tamen determinata perit emptori. *Ibid. num.* 6. Fructus rei venditæ, antequam ſolvatur pretium, ſunt emptoris, ſi pretium habeatur pro ſoluto. *pag.* 268. *num.* 8. Univerſim quoties transfertur rei dominium, toties fructus pertinent ad emptorem. Venditor nequit exigere ut emptor fructus rei, aut eorumdem pretium reddat venditori, donec pretium ſolverit. *pag.* 269. *num.* 11. Cuius ſint fructus medio tempore percepti, quando venditionis contractum diſſolvi contingit. *pag.* 269. *num.* 12. Quicumque contractus celebrare poſſunt, & emere poſſunt & vendere, exceptis aliquibus, circa quos ius aliud diſpoſuit. *pag.* 271. *num.* 1. Nemo cogi poteſt ad vendendam rem ſuam, niſi tempore famis, aut ſi res ad commune civitatis decus conducat. *Ibid. num.* 2. Vendi, & emi licite valent, exceptis quæ ipſa natura, aut iure vendi nequeunt. *pag.* 271. *num.* 3. Quæ pecuniis alienis emuntur fiunt emptoris; exceptis quæ emuntur pecuniis Eccleſiæ, militum, minorum, pupillorum. *pag.* 272. *num.* 4. Valida eſt rei alienæ venditio, & venditor fit dominus pecuniæ; ſed emptori auferri res poteſt a domino. *pag.* 272. *num.* 5. Edentes libellos famoſos quas pœnas incurrant. *pag.* 272. *num.* 7. Venenum vendere ſecundum ſe licitum eſt, habito emptorum reſpectu. *pag.* 273. *num.* 8. Non licet fucos vendere qui ad fingendam ſolum pulchritudinem deſerviunt. *pag.* 273. *num.* 9. An aleas, & chartas vendere liceat, ac pro ludis domos locare? *pag.* 274. *num.* 10. & *pag.* 628. *num.* 9. Non licet res vendere, quibus prævidetur abuſurus emptor. *pag.* 274. *num.* 11. An Probabiliſmus vendi poſſit? *pag.* 275. *num.* 13. Qui merces alienas vendit ultra iuſtum pretium, exceſſum emptori reſtituat. Si propria induſtria ad meliorem ſtatum revocat, aliquid ultra pretium a domino præſcriptum retinere poteſt. *pag.* 293. *n.* 13. Ceterum totum incrementum domino dabunt, ſive mercede conducti, ſive ſponte rem alienam vendant. *Ibid. num.* 14. Etiam qui minoris emunt; quod ſupererit domino reſtituent. *Ibid. num.* 15. *Vide* Defectus mercium. Pretium.

Epiſcopi venationem abſolute prohibere ſuis Clericis poſſunt. *pag.* 27. *num.* 4. Sub qua pœna ipſis venatio eſt prohibita. *pag.* 28. *num.* 5.

Error. *Vide* Contractus ex dolo, & Contractus iuratus.

Eutrapelia eſt virtus quæ circa ludos iocoſque verſatur. *pag.* 598. *num.* 2.

Executor teſtamenti. *Vide* Teſtamenti executor.

Exheredari filii ob quatuordecim crimina poſſunt. *pag.* 660. *num.* 11. Viciſſim filii exheredare parentes poſſunt ob ſeptem crimina. *Ibid. num.* 12. Exheredatis tamen alimenta præſtari debent, ſi ea aliunde non habent. *pag.* 661. *num.* 13. Si pater non exheredet filium reum, tute poteſt hereditatem capere, maxime ſi ingreſſus Religionem fuerit. *pag.* 661. *num.* 14. De aliis *vide* Heredes.

Expenſæ aliæ neceſſariæ, aliæ utiles, aliæ voluntariæ. *pag.* 111. *num.* 6. Expenſas neceſſarias & utiles tam bonæ, quam malæ fidei poſſeſſor in reſtitutione detrahere poteſt, exceptis nonnullis caſibus. *pag.* 111. *num.* 7. Non tamen ordinarie voluntarias. *pag.* 112. *num.* 8.

F

Falcidia lex quando locum habeat. *pag.* 682. *num.* 20.

Pro famoſo libello quæ pœnæ. *pag.* 272. *num.* 7.

Famulus ſi per aliquod tempus ægrotaverit, ei a domino lege caritatis alimenta dabuntur, & modicæ expenſæ pro reparanda ſalute fient; an vero illi aliquid de ſtipendio detrahi poſſit, locorum conſuetudo conſulenda. *pag.* 630. *num.* 17. *Vide* Compenſatio. Cooperantes negative. Uſurarius.

Fenerator. *Vide* Uſurarius.

Feſtis diebus exercere venationem, præciſo.

ciſo ſcandalo, veniale eſt; piſcari vero ob neceſſitatem, nullum. *pag.* 28. *n.* 5.

Feudum eſt contractus quo rei immobilis dominium utile transfertur, retento dominio directo, ſub onere fidelitatis & obſequii perſonalis. Qui accipit feudum, vocatur feudatarius, ſeu vaſſallus. *pag.* 624. *num.* 4. Quomodo conveniant, & differant feudum, & emphyteuſis. *Ibid. num.* 5.

Fideicommiſſum eſt legatum ita a teſtatore heredis fidei commiſſum, ut illud alienare nequeat, ſed debeat reſtituere cui teſtator reſtituendum præſcripſit. Unum generale, alterum particulare. *pag.* 645. *num.* 3.

Fideiuſſio eſt alienæ obligationis in ſe ſusceptio, qua quis ſe ad eam implendam obſtringit, principali debitore deficiente. *pag.* 621. *num.* 1. Fideiubere poſſunt qui bonorum liberam adminiſtrationem, & dominium habent. *ibid. num.* 2.

Filius ſub patria poteſtate conſtitutus directum, & utile dominium habet in bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia; eaque etiam affecta pubertate poteſt adminiſtrare. In adventitia habet ſolum dominium directum, non utile; in profectitia vero neutrum. *pag.* 52. *num.* 4. Quænam donationes patris factæ filio ſint invalidæ. *pag.* 641. *n.* 12. *Vide* Exheredari.

Filiorum triplex genus: legitimi, naturales, & ſpurii. *pag.* 652. *num.* 7. Parentes iure naturæ tenentur præbere alimenta filiis etiam illegitimis, naturalibus, & ſpuriis. Quomodo illi tractandi. *pag.* 652. *num.* 8. Quomodo naturales ſuccedant patri, leges patriæ ſervandæ. *pag.* 653. *num.* 9. Spurio nihil præter alimenta debetur. *Ibid. num.* 10. Immo & in caſu quo pater in teſtamento dicat, bona ſua inter pauperes diſtribuenda, inter hos pauperes computari nequit ſpurius. *pag.* 654. *num.* 11. Quomodo filii illegitimi ſuccedant matri, *ibid. num.* 12. Peccat tam pater donans, & inſtituens amicum cum pacto expreſſo, vel tacito reddendi hereditatem filio ſpurio, quam amicus hereditatem acceptans cum tali onere; ſed ea pertinet ad fiſcum poſt iudicis ſententiam. *pag.* 654. *num.* 13. Amicus iſte non fit dominus hereditatis, nec eam reſtituere poteſt ſpurio; ſed eam ante iudicis ſententiam reſtituere debet heredibus patris ab inteſtato. *pag.* 657. *num.* 18.

Fortunæ ludus. *Vide* Ludus.

Fructus alii naturales, qui rem ſequuntur: alii innaturales: alii induſtriales, qui ſunt effectus ſolius humanæ induſtriæ: alii mixti, qui ex re, & induſtria naſcuntur. Si natura in mixtis prævalet, naturales cenſentur; ſi induſtria, induſtriales: in dubio ſtandum eſt iudicio prudentum. *pag.* 109. *num.* 1. Poſſeſſor bonæ & malæ fidei fructus naturales nondum præſcriptos, deductis expenſis, reſtituere debet; non induſtriales. *pag.* 109. *num.* 2. Qui bona fide rem alterius locavit, quæ locari non ſolet, tenetur locationis pretium, detractis expenſis, reddere. *pag.* 110. *num.* 3. Poſſeſſor malæ fidei fructus naturales, & mixtos, etſi ditior non evaſerit, reſtituet, ſicut & qui ex poſſeſſore bonæ fidei evaſit malæ fidei poſſeſſor, ſi rem reſtituere moratur. *pag.* 110. *num.* 4. Fur non percipiens fructus qui e re percipi poſſent, quid agere debeat. *pag.* 111. *n.* 5. *Vide* Emptio. *Vide* Locatio.

Fructus pignoris ſunt mutuatarii. *pag.* 466. *num.* 1. Gener licite percipit fructus pignoris antequam dotem uxoris percipiat. *pag.* 467. *num.* 6.

Fucos non licet vendere, qui ad fingendam ſolum pulchritudinem deſerviunt. *pag.* 273. *num.* 9.

Fur. Qui rem furtivam bona fide emit, reſtituere eam ſine pretio domino debet, & non furi, reſciſſo contractu. *pag.* 112. *num.* 9. Multo magis qui emit mala fide. *pag.* 114. *num.* 17. Qui bona fide rem emptam a latrone vendit alteri, tenetur pretium reddere domino. *pag.* 115. *num.* 18. Nihil tamen reſtituet, ſi eam rem donaſſet, conſumpſiſſet, perdidiſſet. *pag.* 116. *num.* 23. Qui monetam falſam accipit, & alteri eam expendendo in contra-

Digitized by Google

tractu ſive bona, ſive mala fide tradit, tenetur damnum compenſare. *pag.* 117. *num.* 24. Qui rem alienam maiori pretio vendit, non tenetur reſtituere incrementum puræ induſtriæ. *pag.* 117. *num.* 25. Si vendis tuam rem furi, a quo in pretium bona fide pecunias furtivas accipias, teneris ad reſtitutionem, etſi pecunias furtivas tuis commiſcueris. *pag.* 117. *num.* 27. *Vide* Fructus. Reſtitutio ex re accepta. Cooperantes negative.

G

A godere cenſus uſurarius eſt. *pag.* 596. *num.* 8.

H

Hereditas quotuplex, & quid heres ex aſſe. *pag.* 664. *num.* 8. Hereditas eſt iuridica ſucceſſio in bona, & iura defuncti ratione ſanguinis, vel legitimæ inſtitutionis. *pag.* 672. *num.* 1.

Heres ſuccedit in locum defuncti in locationibus, non in legatis, & donationibus. *pag.* 631. *num.* 20.

Heredes inſtitui nequeunt ſeptem perſonarum genera. *pag.* 651. *num.* 1. Præter hæc nec hereditatem, nec legatum accipere poſſunt occiſores teſtatoris, nec qui poſt legatum gravem ingratitudinem, vel inimicitiam erga eumdem exercuit. *pag.* 651. *num.* 2. Qui prohibent teſtatorem condere teſtamentum, aut conditum revocare. *ibid. num.* 3. Si heres acceſſit ad uxorem teſtatoris. *ibid. num.* 4. Si heres teſtatorem mente captum ſanare non curavit, aut eumdem e captivitate liberare. *pag.* 652. *num.* 5. Si heres teſtamentum ſuæ inſtitutionis accuſavit. *ibid. num.*6. *Vide* Filiorum triplex genus.

Heres ab inteſtato ille dicitur qui ſuccedit ratione propinquitatis, ſanguinis, non teſtamenti: ille vero dicitur mori ab inteſtato qui vel teſtamentum non condidit, vel illud eſt ob aliquem defectum nullum. *pag.* 662. *num.* 1. Mortuo ab inteſtato ſuccedunt deſcendentes propinquiores, & quidem filii, filiæque per capita, Nepotes vero per ſtirpem. *pag.* 662. *num.* 2. Dum deſunt deſcendentes, ſuccedunt aſcendentes, & cum illis fratres defuncti per capita. *ibid. num.* 3. Sublatis deſcendentibus, & aſcendentibus, ſuccedunt conſanguinei uſque ad decimum gradum civilem. *pag.* 663. *n.* 4. Quomodo fratri ſuccedant fratres. *ibid. num.* 5. Quando nullus frater eſt ſuperſtes, filii eorum ſuccedunt per capita. *pag.* 663. *num.*6. Fratribus, & filiis deficientibus, ſuccedunt conſanguinei propinquiores. Sed in his omnibus obſervandæ leges locorum ſunt. *pag.* 664. *num.* 7.

Heredes neceſſarii triplicis generis. *pag.* 657. *num.* 1. Filii legitimi ſunt heredes neceſſarii, & neceſſario a patribus inſtituendi, quibus ſuccedunt ſui deſcendentes, *ibid. num.* 2. Filiis debetur ſolum legitima. Quantitas legitimæ. *pag.* 657. *num.* 3. In hereditatis cumulum produci debent & donationes, & dotes filiis factæ. *pag.*658. *num.* 4. Ordo ſervandus in ſucceſſione; & viventibus propinquioribus non ſuccedunt remotiores. *pag.* 658. *num.* 5. Legitima nequit onere gravari, etiamſi pater filium omnium bonorum heredem faciat, adiecta conditione totam hereditatem reſtituendi alteri. *pag.* 658. *num.* 6. Deficientibus deſcendentibus, inſtituendi heredes in legitima ſunt viciniores aſcendentes. *pag.* 658. *num.* 7. Quantitas legitimæ huius taxata eſt legibus provinciarum. *pag.* 659. *n.* 8. Eædem leges marito non habenti unde decenter vivat, aliquid de bonis mulieris in hereditatem tribuunt. *ibid.* Fratres, & ſorores, etſi heredes neceſſarii non ſint, ſi tamen egeant, ex caritate etiam piis locis præferendi. *pag.* 659. *num.* 9. Egeſtatis gradus, aliæque circumſtantiæ iudicio prudentum expendendæ. *pag.*659. *num.*10 Vide crimen. Exheredari.

Heredis obligatio eſt ſolvere omnia debita teſtatoris, niſi ſuperent hereditatem; & ſi ſuperent, non tenetur eam acceptare. *pag.* 672. *num.* 1. Si heres in-

Digitized by Google

intra terminum a lege præſcriptum non conſtruit inventarium , & non repudiaverit hereditatem , tenetur omnia teſtatoris bona ſolvere , ſi aliquid bonorum occultaſſet . *pag.* 672. *num.* 2. Heres tenetur ſolum debita realia teſtatoris ſolvere , non perſonalia . Bona defuncti gravata aliquo vinculo non ſubiacent debitis ſolvendis. *pag.* 672. *num.* 3. Heres legata etiam , ſed poſt debita realia, ſolvere debet intra unum annum ; ad pias cauſſas vero ſtatim . *pag.* 673. *num.* 4. Sed in foro conſcientiæ etiam legata profana ſtatim cum poſſunt ſolvi debent ſub peccato gravi : & moroſus debitor compenſare creditoribus damna debet. *pag.* 673. *num.* 5. Per modicum tempus diſtributio eleemoſynæ differri poteſt, ut res defuncti melius vendantur. *pag.* 674. *num.* 7. Defunctus tamen detrimentum non patitur ex protracta debitorum ſolutione . *pag.* 675. *n.* 9.

Homicida , aut mutilator ultra damna vel læſo , vel heredibus aliquid reſtituere debet . *pag.* 208. *num.* 3. Quænam damna ab homicida , vel mutilatore compenſanda . *pag.* 211. *num.* 10. Dum nobiles ſe invicem occidunt , nulla ſequi ſolet reſtitutio ; unde & conſuetudinis ratio habenda . *pag.* 211. *num.* 12. Secundum eamdem , inflicta pœna mortis occiſori , ſeu talionis , nulla alia ſolet exigi reſtitutio. *pag.* 212. *num.* 13. Ceterum conſiderandæ omnes circumſtantiæ ſunt, & ſecundum eas reſtitutio metienda . *ibid.* Quid, & quando provocati reſtituere debent, occiſo provocante . *pag.* 212. *num.* 14. Quid & quando ex homicidio caſuali reſtituendum . *pag.* 213. *n.* 15. Reſtituet qui iniuria affectus alterum occidit. *ibid.* Reſtitutio facienda eſt occiſi heredibus neceſſariis, etiam divitibus, niſi occiſus debita realia propter necem contraxerit . *pag.* 213. *num.* 16. Homicida nihil tenetur reſtituere propinquis occiſi , quibus ipſe bona ex mera liberalitate conferebat. *pag.* 214. *num.* 18. Homicida non tenetur occiſi debita creditoribus ſolvere. *pag.* 214. *num.* 19. Nec tenetur reparare damna , ſi occiſus plene iniuriam remiſit, & condonavit reſtitutionem . *pag.* 215. *num.* 20.

Hypotheca eſt contractus quo res immobilis, nuda conventione, abſque traditione obligatur creditori in ſecuritatem debiti, ut ſi alter non ſatisfaciat, inde peti poſſit ſatisfactio . *pag.* 622. *num.* 4. Eſt duplex. Generalis una, qua omnia bona tam præſentia quam futura obligantur . Particularis altera , qua obligatur res particularis . Alia item eſt expreſſa , quæ conventione partium mutua celebratur , vel iudicis auctoritate . Alia eſt tacita , quæ iuris diſpoſitione in contractu mutuo includitur. *pag.* 622. *num.* 5. Plures tacitæ hypothecæ numerantur. *ibid. n.* 6.

I

Ignorantia. *Vide* Culpa. Præſcriptio.

Impediens efficaciter ne quis aſſequatur beneficium ad quod ius habet , ſive in re, ſive ad rem, reſtituere debet, habita ratione ſpei, vel certitudinis quam habuit . *pag.* 118. *num.* 2. Ad nihil tamen tenetur qui ſine fraude avertit candidatum ne petat. *pag.* 119. *num.* 5. Si collatori detegeres crimen occultum verum , vi cuius candidatus beneficio privatur, ad nihil teneris . *pag.* 120. *num.* 6. Qui impedit impleri promiſſionem acceptatam , vel fraude, & dolo non acceptatam , tenetur ad reſtitutionem. *pag.* 120. *num.* 7. 8. Qui abſque fraude , dolove alicui perſuadet ne bonum indebitum Petro conferat , animo pravo nocendi, reſtitutioni adſtringitur. *pag.* 121. *num.* 10. Qui impedit ne bona Fiſco applicentur , poſt ſententiam iudicis tenetur reſtituere, non ante. *pag.* 122. *num.* 11. Qui ſolis precibus impedit ne bona communia in quæ ſubditi aliquod ius habent , diſtribuantur, reſtituet . *pag.* 122. *num.* 12. Qui impedit collatorem ne beneficium eccleſiaſticum digniori conferat , tenetur reſtituere ſicut & ipſe collator. *pag.* 123. *num.* 14. Reſtitutio fiat Eccleſiæ, & digniori. *pag.* 126. *num.* 20.

In-

Digitized by Google

Iniuſtitia eſt vitium oppoſitum iuſtitiæ, committitur tantum per defectum. *pag.* 13. *num.* 12. Sicut diverſæ ſunt ſpecies iuſtitiæ, ita & iniuſtitiæ: oppoſita legali vocatur illegalis; diſtributivæ, acceptio perſonarum; commutativæ, furtum, rapina &c. *pag.* 14. *num.* 13.

Inſinuatio pertinet ad formulas neceſſarias donationis. *pag.* 640. *num.* 10.

Inſula. *Vide* Alluvio.

Inventio bonorum. Bona quæ nemo umquam poſſedit, ut margaritæ &c. ſunt primi occupantis. Poſſunt tamen Principes circa piſcationem margaritarum, & lapillorum leges condere, & tributa imponere. *pag.* 30. *num.* 2. Bona derelicta ſunt primi occupantis. *pag.* 31. *num.* 3. Bona naufragantium ſub pœna excommunicationis Bullæ Cœnæ reſtitui debent domino. *pag.* 31. *n.* 4. Salvata ab interitu domino ſunt reſtituenda, pretio pro labore & induſtria perſoluto. *Ibid.* Quæ ex inundatione colliguntur, & exigui ſunt pretii, aut induſtriam æquant, poterunt ſervari. *Ibid.* Bona deperdita, ſi inveniantur, inquiri debet dominus, nec poteſt aliquid pro inventione exigi. Si plures compareant qui ſe dominos dicant, quid tum agendum? *pag.* 32. *num.* 6. Si dominus non compareat, ſunt inter pauperes diſtribuenda, aut piis operibus applicanda. *pag.* 32. *num.* 7. Res inventæ ſervandæ ſunt, quamdiu ſpes adſit veri domini reperiendi; ſi diu ſervari nequeunt, vendendæ ſunt, & pretium ſervandum. Ad retinenda bona inventa, raro admodum Bulla compoſitionis accipienda. Si res in pauperes erogata, vel ab inventore conſumpta eſt, quid domino comparente agendum? *pag.* 33. *num.* 8. *Vide* Bona vacantia. Theſaurus.

Iocus verbis facetis, ludus factis peragitur. *pag.* 598. *num.* 3. Circa iocum, vel ludum datur virtus eutrapeliæ. *Ibid. num.* 4.

Iudex munus reſtituere tenetur pro ſententia lata in favorem unius partis, ſtante æquali probabilitate pro utraque: *pag.* 163. *num.* 11. & hoc etiamſi munus acceperit non ab ipſa parte litigante, ſed ab alio. *pag.* 163. *n.* 12. *Vide* Promiſſio ob rem turpem.

Ius unde dicatur *pag.* 1. *num.* 1. Dividitur tripliciter: in legem, facultatem, & æqualitatem inter creditum & debitum. *pag.* 1. *num.* 2. Lex eſt norma iuſtitiæ, facultas conditio, æqualitas obiectum. *pag.* 2. *num.* 3. Facultas eſt poteſtas legitima ad aliquid aſſequendum, vel ad aliquam functionem, vel quaſi functionem, cuius violatio iniuriam conſtituit. Hæc vel eſt activa, vel paſſiva, vel repugnans. *pag.* 2. *num.* 4. Facultas, vel ius poteſtativum dividitur in ius ad rem, vel ius in re: tribuitque actionem realem ſive in perſonam, ſive in rem. *pag.* 2. *num.* 5. Hoc iterum dividitur in ius iuriſdictionis, & in ius proprietatis. Primum eſt poteſtas, non eius cui ineſt, ſed eius qui illi ſubeſt, utilitati, ac felicitati promovendæ devincta. Alterum eſt ius, quo quis potitur in rem ſuam. *pag.* 2. *num.* 6. Ius, quod æqualitas eſt inter rem & rem, aliud eſt legale, aliud morale. Primum eſt, ad quod reddendum lex adſtringit; alterum, ad quod movet honeſtas virtutis. Legale vel eſt politicum, & ſimpliciter, vel ſolum ſecundum quid tale. Primum tres exigit conditiones, ut ſimpliciter debeatur ſecundum leges, ut ſervet omnino æquale, ut ſit ſimpliciter ad alterum, ſeu ad perſonam adæquate diſtinctam. Secundum, cui una ex iis deeſt conditio. *pag.* 3. *num* 7.

Iuſſio. Qui iubet ſive tacite, ſive expreſſe, reſtituere debet. *pag.* 132. *num.* 19. Si mandatum ante executionem revocetur, evaneſcit reſtitutionis debitum. Si mandatarius limites iuſſionis excedat, mandans ordinarie totum reſtituet. *pag.* 133. *num.* 22. Mandans ſubdito tenetur reſarcire damna mandatario provenientia; non vero ſi mandatarius ſit ſtipendio conductus. *pag.* 135. *num.* 24. Si ſine tuo influxu, ſed nomine tantum tuo quis occidat alterum, & tu poſtea ratum habeas, liber es a reſtitutione, niſi alter propterea

pterea reſtituere negligat. *pag.* 135. *num.* 25.

Iuſtitia, ut virtus generalis dicitur, eſt omnium virtutum collectio. *pag.* 4. *num.* 1. Legalis eſt perpetua & conſtans voluntas ius ſuum unicuique tribuendi. *pag.* 4. *num.* 2. Non eſt in parte ad partem eiuſdem hominis niſi metaphorice; ſed exigit diverſitatem ſuppoſitorum. *pag.* 4. *num.* 3. Iuſtitia reſidet in voluntate. Aliæ virtutes morales in appetitu ſenſitivo. *pag.* 5. *num.* 4. Iuſtitia conſiderat æqualitatem inter rem & rem: virtutes morales reliquæ æqualitatem inter rem & rationem. Unde aliud eſt medium rei, aliud rationis. *pag.* 5. *num.* 5. Eadem actio ſpectare poteſt ad diverſas virtutes ſub diverſa tamen ratione. *pag.* 5. *num.* 6. Hæc iuſtitia dividitur in commutantem, diſtribuentem, & legalem. Prima eſt inter partem, & partem. Altera totius, ideſt Communitatis, ad partem ſeu ſubditum. Tertia partis ad totum. *pag.* 6. *num.* 7.

Iuſtitia commutativa eſt, quæ reddit unicuique rem ſuam ſecundum ius quod habet illam exigendi. *pag.* 9. *num.* 3. Diſtinguitur a diſtributiva ſpecie. *pag.* 10. *num.* 8.

Iuſtitia diſtribuens eſt quæ bona communia diſtribuit inter partes Communitatis iuxta meritorum proportionem. *pag.* 9. *num.* 1. Reſpicit æqualitatem inter merita & præmium, non arithmeticam, ſed geometricam ſeu proportionis. *pag.* 9. *num.* 2. Eſt vera iuſtitiæ ſpecies. *pag.* 13. *num.* 11.

Iuſtitia legalis eſt iuſtitia qua partes Communitatis perfectæ ordinantur ad conſervationem boni communis. Iuſtitia ordinat homines ad commune bonum, ut ſunt membra, & partes componentes Communitatem: virtutes aliæ ſub alia ratione. Dicitur generalis, quia eiuſdem officium eſt in omnium legum obſervantiam incumbere. *pag.* 6. *n.* 1. Homines ſecundum unam rationem ſuſtinere poſſunt rationem partis, & ſecundum aliam rationem totius: Communitas vero ut homo privatus contractum cum alio inire poteſt. *pag.* 7. *num.* 2. Eſt probabilius rigoroſa iuſtitia. *pag.* 7. *num.* 3. Non differt tamen iuſtitia legalis, quæ in Principe eſt, a iuſtitia legali ſubditi, ſpecie; in Principe tamen dicitur reſidere architectonice, in ſubditis miniſterialiter. *pag.* 8. *num.* 6.

Iuſtitia vindicativa, ut eſt in iudice, non diſtinguitur a commutante: in perſona eamdem vindicativam petente non eſt vera iuſtitia, ſed pars potentialis eiuſdem. *pag.* 9. *num.* 4. Diſtinguitur tamen a diſtribuente vindicativa, nempe Principis. *pag.* 10. *n.* 7.

Iuſtitiæ oppoſitum vitium. *Vide* Iniuſtitia.

L

Lapilli pretioſi & margaritæ ſunt primi occupantis: poſſunt tamen Principes circa earum inventionem leges condere, & tributa imponere. *pag.* 30. *num.* 2.

Laudemium eſt honorarium datum domino directo, ab eo qui bona emphyteutica acquirit ab emphyteuta. *pag.* 623. *num.* 3.

Legatarius. *Vide* Heres. Legatum.

Legatum eſt donatio aliqua, quam teſtator præſtandam relinquit ab herede de eo quod foret heredis. Aliud eſt purum, nulli determinato tempori, vel conditioni alligatum: aliud in diem, quando dies vel tempus definitur, quo reddendum eſt: aliud conditionatum. *pag.* 676. *num.* 1. Si heres repudiavit hereditatem, an legata ceſſent, inſpiciendæ leges particulares. Si moriatur legatarius ante teſtatorem, vel ante acceptationem, tempus, & conditionem, evaneſcit legatum. *pag.* 676. *num.* 2. Legati fructus percepti ante mortem teſtatoris ſunt heredis, non legatarii: ſed fructus inſiti rei legatæ ſunt legatarii. *pag.* 677. *num.* 3. Legato fundo cenſentur legata ea quæ illum conſequuntur, & legato uſufructu fundi, legantur etiam omnia inſtrumenta ad fundum colendum. *pag.* 677. *num.* 4. Legatum ad pias cauſſas, ſi teſtator eli-

Digitized by Google

eligat talem pauperem, aut talem locum pium, mortuo paupere, aut loco pio ſublato, adhuc conſiſtit, & impleri debet pag. 677. num. 5. Conditio impoſſibilis, aut turpis pro non adjecta legato habetur. Ibid. num. 6. Conditio non nubendi invalida eſt, niſi in viduis. pag. 678. num. 7. Legatum relictum determinatæ puellæ, ut nubere valeat, tradendum ei eſt, etſi Religionem ingrediatur. pag. 678. num. 8. Si legatum relictum eſt puellis orphanis nubere volentibus, tradi nequit volentibus ingredi Religionem. pag. 679. num. 10. Niſi in illo loco puellæ orphanæ non darentur. pag. 680. num. 11. Legatum relictum puellis nubendis tradi nequit puellis pauperibus nuptis. pag. 680. num. 12. Legatum relictum puellæ determinatæ nubendæ dari nequit alteri: ſi relictum ſit puellis in genere, & hæ deficiant, tradendum videtur viduis. pag. 681. num. 13. Legatum deſtinatum pro naturalibus alicuius loci, tradi nequit extraneis, niſi in hunc locum venerint, cum animo ibidem perpetuo manendi. pag. 681. num. 14. Legatum relictum pro nubendis orphanis tradi nequit puellis habentibus parentes inutiles, & pauperes; bene tamen ſi illæ deficiant. pag. 681. num. 15. Legatum relictum virginibus tradi poteſt ſecreto corruptis, ſed in concurſu aliarum vere virginum exigere illud legatum nequeunt, niſi ſecretum violandum eſſet. pag. 681. num. 16. In legatis, quæ pro omnibus non ſufficiunt, ſolvendis, præferendi ſunt privilegiati, ſecus ſolvi pro rata debent. pag. 682. n. 17. Legatis, & teſtamentis derogari nequit, ſed ſi dubie loquantur, interpretanda ſunt. pag. 682. n. 18. Quando clara quidem ſunt, ſed impleri nequeunt, ſuntque ad cauſſas pias; commutari debent ad aliam piam cauſſam ab Epiſcopo, accedente conſenſu heredis. Si vero teſtamenta ſint ad profanas cauſſas, ſit caducum, & devolvitur ad heredem. pagin. 682. num. 19. Quando lex Falcidia locum habeat. Ibid. num. 20.

Legitima. Vide Heredes neceſſarii.

Lex Falcidia. Vide Legatum in fine.

Pro Libello famoſo quæ pœnæ. pag. 272. num. 7.

Lex Trebelliana. pag. 667. num. 9.

Lignatio. Ligna cædere licet in ſilvis vicinis, niſi adſit prohibitio. pag. 28. num. 1. Quæ Principes & Communitates circa lignationem prohibere poſſint. pag. 28. num. 2. Horum edictis contraire mortale non eſt, niſi ingens damnum inferatur. pag. 29. num. 3. In illatione damni ſæpe fit mutua compenſatio, dum & alii in tuis lignantur ſilvis. pag. 29. num. 4.

Locatio eſt contractus oneroſus, quo uſus vel fructus rei vel perſonæ traditur ad certum tempus pro pretio. Conductio vero eſt contractus quo uſus rei vel perſonæ emitur pro pretio. Idem contractus ex parte locantis dicitur locatio, ex parte locatarii, conductio. pag. 626. num. 1. & 2. Ad locatorem attinet rei locatæ vitium manifeſtare. Si ignorantur vitia, & res tradita fuit, locator non tenetur quidem ad damnum, ſed penſionem exigere nequit. pag. 627. num. 3. Locator rem locatam conſervare tenetur. ibid num. 4. Ordinarie locator ante præfixum tempus rem locatam nequit repetere. pag. 627. num. 5. Conductor uti re conducta poteſt in eum uſum ad quem accepit: eam ut ſuam ſervet, & tempore ſtatuto reddat. pag. 627. num. 6. Locator, & conductor mutuo ſeſe adſtringunt ex culpa lata, & levi. In hoc contractu non transfertur dominium. Poteſt locatarius rem locatam alteri locare. pag. 627. num. 7. Etiam perſonæ uſus locari poteſt; & quæcumque res, exceptis quibuſdam a iure. pag. 628. num. 8. Non licet locare rem qua alter prævidetur abuſurus ad mala officia exercenda. pag. 628. num. 9. Meretricibus domum locare non licet. ibid. num. 10. Nec etiam in ea civitatis parte in qua a Republica tolerantur. pag. 629. num. 12. Pauper nequit non pauperi ius quæſtuandi loca-

Digitized by Google

care. *pag.* 629. *num.* 13. in ſolvenda penſione dum conductor impeditur ab uſu, vel fructu rei conductæ, ſervanda eſt conſuetudo regionis. *pag.* 630. *num.* 15. Liber tamen eſt a penſione, ſi impedimentum uſus, vel fructus eveniat ex parte locatoris, vel ex re conducta. *pag.* 630. *num.* 16. Si vero ipſe conductor in cauſſa ſit cur non utatur, aut fruatur re conducta, ſolvere penſionem debet. *pag.* 630. *num.* 17. Si ſterilitas fundi frugiferi caſibus fortuitis accidat, ſolvi nihilominus integra penſio debet; ſi ita fert loci conſuetudo. *pag.* 631. *num.* 18. Locatio duobus modis deſinit, nempe conſenſu partium, & elapſo termino conſtituto. *ibid. num.* 19. Si locator præmoriatur, heres univerſalis ſtare debet locationi. *pag.* 631. *num.* 20. Nuntius conductus a Caio ut Romam pergat, poteſt, re diſſimulata, ſinere ſe conduci a Titio ad eamdem civitatem, ab utroque integra mercede accepta; tutius tamen eſt a ſecundo conductore pretium minus integro exigere. *pag.* 631. *num.* 21. Fructus rei locatæ, ſi ſint pendentes, attinent ad dominum fundi locati; ſi ſeparati, & collecti, ad conductorem. *pag.* 632. *num.* 22. *Vide* Famulus.

Lucrum ceſſans eſt quod mutuatori intercipitur ratione mutui. *pag.* 420. *n.* 1. Lucrum ceſſans propter culpabilem debitoris moram mutuator licite ſibi compenſari poſtulat. *pag.* 422. *num.* 1. Non tamen ob lucrum ceſſans ante moram, ſeu elapſum tempus præfinitum, vel tempore mutui, ut probabilius docet D. Thomas. *pag.* 422. *num.* 2. Multo minus ob tale damnum exigere aliquid poteſt qui ſponte ſua obtulit pecuniam mutuam. *pag.* 424. *num.* 1. Nec qui paratus ad mutuandum cuicumque petenti eſt. *pag.* 425. *num.* 1. Nec qui precibus rogatur. *pag.* 429. *n.* 1. Sed ob lucrum certum tam in genere quam in quantitate, quodque moraliter impedire nequit. *pag.* 432. *num.* 2. Qui tamen non ſui commodi, ſed debitoris iuvandi cauſſa dat mutuum, idem eſt ac ſi invitus daret: unde pro lucro ceſſante forte aliquid exigere poteſt. *pag.* 433. *num.* 5. 6. Conditiones ad hoc requiſitæ. *pag.* 434. *num.* 1. Prima eſt, lucrum ceſſans debet eſſe moraliter certum ſaltem in genere, licet incertum in quantitate. *pag.* 435. *num.* 1. 2. Non vero probabiliter futurum, & probabiliter non futurum. *ibid. num.* 3. Licet mutuatarius ſit moroſus, & leges talem ad pœnam ſolvendam damnare ſoleant, ſi tamen mutuator revera damnum non patiatur, nihil ab eo exigere poteſt. *pag.* 435. *num.* 4. Secunda conditio eſt, quod pecunia ſit deſtinata negotiationi, & ſint præſentes occaſiones eam expendendi; & nihilominus iis relictis mutuo tradatur. *pag.* 436. *num.* 2. Unde non ſufficit eam habere in emporiis. *pag.* 437. *num.* 4. Nec, ſi non adſint occaſiones actu negotiandi. *ibid. num.* 5. Nec, dum mercator dubitat ſe pecuniam negotiationi applicaturum. *pag.* 438. *num.* 6. Nec, dum probabiliter eſſet applicaturus. *ibid. num.* 7. Nec, ſi mutuator dicat: Vellem negotiari, niſi multi peterent mutuum. *pag.* 439. *num.* 8. Mutuator, ut aliquid præter ſortem ob lucrum ceſſans exigere poſſit, non debet habere aliam pecuniam otioſam præter mutuo traditam. *pag.* 441. *n.* 1. Quare qui expoſitus eſt ad mutuandam pecuniam multis probabiliter petituris, & ideo pecuniam non exponit negotiationi, non poteſt propterea aliquid exigere. *pag.* 442. *num.* 4. Moroſus mutuatarius refundere lucrum ceſſans debet, etſi nullum præceſſerit pactum; non tamen ad ſarciendum damnum illatum tempore mutui. *pag.* 444. *num.* 1. Hoc pactum fieri debet, etſi mutuo accipiatur a mercatore. *pag.* 445. *num.* 3. Non eſt licita exactio lucri ceſſantis in pecunia initio traditi mutui. *pag.* 445. *num.* 4. Nec in alia re. *ibid. num.* 5. & *pag.* 450. *num.* 16. Neque titulo venditionis ſperati lucri, aut incommoditatis lucri ceſſantis. *pag.* 447. *num.* 10. 11. Nec ſi intentio fiat mutuandi ſine intereſſe aliquam pecuniæ partem. *pag.* 457. *n.* 12.

12. Sexta conditio : ut ſecure pro lucro ceſſante aliquid exigatur, debet mutuator velle potius ex negotiatione quam mutuo lucrum quærere. *pag.* 450. *num.* 1. In determinanda compenſatione lucri ceſſantis diverſæ opiniones. *pag.* 451. *num.* 3. Hæ conditiones in praxi vix aliquando concurrunt; ideo in praxi non exigendam lucri ceſſantis compenſationem, conſulitur. *pag.* 454. *num.* 6.

Ludus eſt nonnumquam licitus. *pag.* 598. *num.* 2. Iocus verbis facetis, ludus factis peragitur : luſus quodammodo utrumque comprehendit. *ibid. num.* 3. Circa ludum, vel iocum datur virtus eutrapeliæ. *ibid. num.* 4. Conditiones in ludis iociſque ſervandæ. *pag.* 598. *num.* 5. Peccant ſaltem venialiter qui principaliter propter lucrum ludunt. *pag.* 601. *num.* 3. An liceat ſacras preces ludere. *pag.* 602. *num.* 4. Ludus lucratorius eſt contractus in quo victori certaminis res ab utroque expoſita tribuitur. Tres conditiones, ut ſit licitus, requirit. *pag.* 602. *num.* 5. Si principaliter ob lucrum fiat, eſt vitioſus; ſi præter conſuetudinem fiat, eſt vitioſus venialiter, mortaliter vero, ſi in conſuetudinem deducatur. *pag.* 603. *num.* 6. item *pag.* 610. *num.* 3. Peccant mortaliter qui ingentem ſummam pecuniæ ludunt. *pag.* 615. *n.* 12.

Ludus aleæ, ſeu fortunæ eſt prohibitus legibus civilibus. *pag.* 603. *num.* 7. Item canonicis. *pag.* 604. *num.* 10. Præſertim Clericis. *ibid. num.* 11. Clerici prædictis ludis operam dantes peccant mortaliter. *pag.* 604. *num.* 12. Immo nemo qui his ludis vacat, abſolvendus eſt. *ibid. num.* 13. & *pag.* 611. *n.* 5. Vitia e ludis oriri ſolita. *pag.* 606. *n.* 17. Peccant mortaliter exponentes publicas menſas ad ludendum, & qui in propriam domum volentes ludere recipiunt, qui eos adiuvant, aut non corrigunt. *pag.* 607. *num.* 18. Dehortandi ſunt artifices a conficiendis aleis, chartis, & taxillis. *pag.* 607. *num.* 19.

Lutherani primi damnant uſuras. *pag.* 356. *num.* 1.

Luſus. *Vide* Ludus.

M

Margarita. *Vide* Inventio bonorum.

Matrimonium ſine iuris ſolemnitate tam in foro externo, quam interno non ſubſiſtit. *pag.* 256. *num.* 10. Matrimonium contractum ex levi metu eſt validum. *pag.* 242. *num.* 8.

Medium aliud rei, aliud rationis. *Vide* Iuſtitia.

Meretrix. *Vide* Locatio. Promiſſio ob rem turpem.

Mercium defectus. *Vide* Defectus mercium. Locatio.

Metus. *Vide* Contractus ex metu.

Miles. *Vide* Teſtamentum ſolemne. Quæ pecuniis alienis emuntur fiunt emptoris, exceptis quæ emuntur pecuniis militum. *pag.* 279. *num.* 4. *Vide* Præſcriptio.

Miniſtri feneratorum. *Vide* Uſurarius.

Minores. Quæ pecuniis alienis emuntur, fiunt emptoris, exceptis quæ emuntur pecuniis minorum, & pupillorum. *pag.* 272. *num.* 4. *Vide* Contractus erigendi capaces. Præſcriptio.

Mohatra eſt contractus, cum quis indigens pecunia numerata, emit a mercatore merces, quibus non eget, pretio ſummo, adiecto pacto a vendente, ut illi retrovendantur ab emptore pretio infimo. Eſt damnatus. *pag.* 290. *num.* 8. Non eſt licitus, etſi tale pactum manifeſtetur ementi, & conſentiat. *pag.* 291. *num.* 9. Contractus iſte in praxi ſcandalo, periculo infamiæ, & pacto ſaltem implicito vix carebit. *pag.* 292. *num.* 11.

Monachis qualis venatio prohibita : canes venaticos intra Monaſteria tenere prohibeutur. *pag.* 27. *num.* 4. *Vide* Religioſus.

Monopolium eſt conſpiratio qua plures deliberant de tali merce non vendenda, niſi hoc aut illo pretio ab ipſis deſignato. Quatuor modi monopolii. *pag.* 284. *num.* 1. Primus illicitus eſt, quo unus aut plures merces conquirunt, & emunt, ut inducta inopia ceteri cogantur ab iiſdem emere cario-

Digitized by Google

riori pretio. Secundus modus licitus, quando nempe unus a Principe privilegium aſſequitur, vi cuius ipſe ſolus, ceteris excluſis, vendere tales merces poſſit. *pag.* 285. *num.* 2. Non eſt licita conſpiratio vendentium vendendi ſolum pretio ſummo merces; nec ementium, emendi tantum infimo. *pag.* 286. *num.* 4. Conſtituto monopolio vendendi ſummo pretio, etiam peccant eodem pretio vendendo qui ad conſtituendum monopolium non conſpirarunt. *pag.* 286. *num.* 5.

Mons pietatis eſt ſumma pecuniæ ex piorum fidelium eleemoſynis in pauperum levamen, & ſubſidium collata, ut iiſdem indigentibus mutuo tradatur, pignore depoſito, & acceſſionis contributione, qua miniſtri alantur. Quotuplex mons. *pag.* 480. *n.* 1. & 481. *num.* 3. Eſt licitus. *pag.* 481. *num.* 2. Tribus obſervatis conditionibus. *pag.* 481. *num.* 4. Mons pietatis ultra expenſas nihil lucrari poteſt, niſi ipſe depauperetur. *pag.* 481. *n.* 5. Peccant, & monti reſtituere tenentur qui pauperes non ſunt, & tamen a monte mutuo accipiunt; fructum tamen induſtriæ faciunt ſuum. *pag.* 482. *num.* 6. Non licet e pecunia otioſa in monte collocata aliquid recipere. *pag.* 482. *num.* 7. Licet tamen iis qui caritatis zelo adducti, non fenerandi animo, pecunias deponunt tempore illo quando merces paratas, ac prædia ad emendum prompta haberent, ex quorum reditu, quatuor aut ultra pro centenario percipere poſſent.

Montes. Quis eorum dominus. *pag.* 28. *num.* 1.

Mora in reddendo mutuo. Damnum emergens proprie vocatur quod ex mora debitoris creditor ſuſtinet. *pag.* 411. *num.* 1. Mora eſt ſolvendi debiti iniuſta & fruſtratoria dilatio. Eſt duplex, ex re ſeu irregularis, & ex perſona ſeu regularis. *pag.* 411. *n.* 2. Non licet abſente damno emergente & lucro ceſſante pœnam conventionalem ſtatuere pro mora mutuatarii. *pag.* 412. *a num.* 5. & *pag.* 415. *a num.* 1. Licet tamen, ſi prævideatur certum damnum emergens & lucrum ceſſans. *pag.* 414. *num.* 9. Ob moram debitor a iudice pœna iudiciali, ſed raro puniendus eſt. *Ibid. num.* 10. Idem dicendum & de pœna legali. *ibid. num.* 11. Qui elapſo tempore non ſolvit ſine culpa, non eſt ſubiiciendus pœnæ conventionali. *pag.* 418. *n.* 11. Uſura quæ ad coercendam moram refertur, dicitur pœna: ſi ad damni reparationem, id quod intereſt, dicitur: ſi ad lucrum, proprie uſura appellatur. *pag.* 420. *num.* 1. *Vide* Lucrum ceſſans.

Mutilator. *Vide* Homicida.

Mutuum eſt traditio rei conſumptibilis in conſumptionis uſum & dominium, ut aliquo tempore tantumdem reſtituatur. *pag.* 327. *num.* 1. Prima mutui proprietas eſt translatio dominii. *pag.* 328. *num.* 3. Altera, quod periculum ſit penes mutuatarium. *pag.* 329. *num.* 5. Differt a reliquis contractibus *pag.* 330. *num.* 7. *Vide* Uſura.

N

Negotiatio eſt qua merces emuntur, ut eædem immutatæ carius vendantur. *pag.* 276. *num.* 1. *ad* 5. Prohibetur Religioſis, & Clericis etiam in minoribus conſtitutis, ſi beneficiarii ſint, ſub pœna excommunicationis, & ſuſpenſionis ſententiæ ferendæ. *pag.* 279. *num.* 5. Unica etiam negotiatio peccatum mortale eſt. *pag.* 280. *num.* 6. Neceſſitate urgente Clericis negotiari licet. *pag.* 280. *num.* 7. Clerici nec per alium negotiari valent. *pag.* 281. *num.* 9. Licitum eſt iis animalia emere, ut ſaginata vendantur; non tamen conducere agros, ut fructus vendantur: nec conducere ſalinas, & greges, ut ſal, lac, caſeum, lanam vendant. *pag.* 282. *num.* 10. E propria vena ferrum conficere per miniſtros laicos, & vendere licet; non tamen talem venam emere. *pag.* 282. *n.* 11. An plus vini emi poſſit ad cautelam, ſi forte per æſtatem aliquod vas aceſcat, & ſimul cum ſpe illud carius vendendi? *pag.* 282. *num.* 12. Alius caſus

ſus examinatur. *pag.* 283. *num.* 13. Negotiatio illicita etiam laicis evadere poteſt. *pag.* 283. *num.* 14. Mercatores licite carius vendunt quam ii qui negotiationem non exercent. *pag.* 284. *num.* 15. Non licet frumentum emere, dum minus valet, ut carius poſtea vendatur. *pag.* 284. *num.* 16.

Novitii renuntiatio inconſulto Epiſcopo, etiam iuramento firmata, non obligat. *pag.* 260. *num.* 2.

O

Ordo inter creditores. *Vide* Creditorum ordo.

Ordo reſtitutionis. Ille primo reſtituere debet apud quem res ſive in ſe, ſive in æquivalenti extat. *pag.* 142. *n.* 43. Quando res non amplius extat, reſtituere primo debet principalis in damno inferendo, deinde executor, poſtea cooperantes poſitive, tandem cooperantes negative. *pag.* 142. *num.* 44. Quis ordo ſervandus in cauſſis minus principalibus? *pag.* 143. *num.* 45. *Vide* Participans.

Ordo in ſucceſſione. *Vide* Heredes neceſſarii.

P

Pacta in cambiis. *Vide*. Cambiis pacta.

Pacta cenſuum. *Vide* Cenſuum pacta.

Pactum retrovendendi. *Vide*. Retrovendendi pactum.

Pactum in uſuris. In pactum deduci poteſt amicitia, & iniuriarum privatarum condonatio. *pag.* 468. *num.* 1. Non tamen eius iniuriæ, ratione cuius mutuatarius ius habet ad ſatisfactionem exigendam. *pag.* 469. *num.* 4. In praxi in pactum deduci non debet remiſſio famæ læſionis. *Ibid.* Poſſunt tamen deduci in pactum ea quæ debita ſunt ex caritate, & religione, ſed non in utilitatem mutuatoris, ſed aliorum exercenda. *pag.* 468. *num.* 2. Sed non licet paciſci, ut mutuatori beneficium, vel officium detur. *pag.* 469. *num.* 5. In pactum deducere non licet munus ab obſequio, a lingua, a manu. *Ibid. num.* 6. Nec ut mulier copiam ſui corporis præbeat. *pag.* 470. *num.* 7. Quidquid oneris pretio æſtimabilis præter ſortem imponitur mutuatario uſura eſt; ut quod impoſterum ad mutuatoris molendinum, vel officinam accedat. *pag.* 470. *n.* 8. Uſura eſt exigere reciprocum mutuum; non tamen ſponte oblatum alterius rei. *pag.* 470. *num.* 9. In reddendo mutuo reſtitui debet eadem quantitas rei, etſi interea pretium varietur. *pag.* 471. *num.* 11. Non eſt tamen obligatio reddendi eamdem pecuniæ ſpeciem, ſed valorem. *pag.* 472. *num.* 12. Licet certis conditionibus mutuare pecuniam, ut eadem in ſpecie reſtituatur; non tamen, ut in diverſa. *pag.* 473. *num.* 14. Nulli perſonarum conditioni licita eſt uſura. *pag.* 474. *n.* 17.

Palpo, ſi eſt cauſſa efficax mali, reſtituere debet; etſi non intenderit ut alius malum inferat: difficulter datur caſus in quo illum inadvertentia excuſet. *pag.* 136. *num.* 28.

Participans iniuſtæ actionis tenetur reſtituere id totum in quod influxit, deficiente ipſo malefactore principali. *pag.* 137. *num.* 31. Participans rei acceptæ tantum reſtituat, quantum accepit. *pag.* 138. *num.* 32. Ex pluribus participantibus non tenentur ſinguli reſtituere in ſolidum, ſed quantum receperunt. *pag.* 143. *num.* 46. Inter plures ad idem damnum concurrentes primus in ſolidum reſtituere debet motor principalis. *pag.* 144. *num.* 47. Quando damnum eſt individuum omnes concurrentes in ſolidum reſtituere obligantur. *pag.* 144. *num.* 49. Qui prudenter dubitat, an ſocius reſtituerit, in ſolidum reſtituere debet. *pag.* 144. *num.* 51. 52.

Paſcua. Quis eorum dominus. *pag.* 28. *num.* 1.

Peregrini bona. *Vide* Bona vacantia.

Periculum damni. *Vide* Damnum emergens. Uſura.

Pignus eſt contractus quo res mobilis creditori traditur in ſecuritatem debiti. Communiter ſumitur pro ipſa re quæ creditori traditur. *pag.* 622. *n.* 4. Fru-

Fructus pignoris ſunt mutuatarii. *pag.* 466. *num.* 1. Pactum legis commiſſoriæ in pignoris traditione eſt illicitum; ideſt, non licet paciſci ut pignus, quod ſortem excedit, ſit mutuatoris, ſi alter mutuum tempore præfixo non reddiderit. *pag.* 466. *num.* 3. Uſuræ pupillares ſunt prohibitæ. *pag.* 467. *num.* 5. Gener licite percipit fructus pignoris antequam dotem uxoris percipiat. *pag.* 467. *num.* 6.

Piſcatio. *Vide* Aucupium. Quæ retia prohibita. *pag.* 26. *num.* 1. Piſcatio moderata nec Clericis, nec Regularibus abſolute prohibita eſt: licite etiam neceſſitatis cauſſa diebus feſtis exercetur. *pag.* 28. *num.* 5.

Pœna mutuatarii. *Vide* Mora in reddendo mutuo.

Pœna uſurarii. *Vide* Uſurarius.

Pollicitatio eſt promiſſio nondum acceptata. *pag.* 632. *num.* 1.

Poſſeſſionis etymon. Eſt detentio rei, corporis, & animi, iuriſque adminiculo. *pag.* 20. *num.* 1. Alia iuſta, ſeu iuris ſimul & facti, eſt inſiſtentia rei tamquam ſuæ cum iure detinendi. Alia iniuſta & facti tantum eſt detentio rei tamquam ſuæ, ſine iure detinendi. *pag.* 20. *num.* 2. Iterum poſſeſſio alia eſt naturalis tantum, quæ in corporali detentione rei quam alius civiliter poſſidet, ſita eſt: alia civilis tantum quæ ſolo animo rem detinet: alia naturalis, & civilis ſimul, quæ corpore & animo ſimul rei detentionem importat. *pag.* 21. *n.* 3. Quatuor ſunt poſſeſſionis privilegia. I. quod pariat præſcriptionem. II. quod in dubio melior ſit conditio poſſidentis. III. quod in iudicio actori incumbat probatio, non poſſeſſori. IV. quod poſſeſſori liceat rem poſſeſſam defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ; non tamen ea ad quæ ius inchoatum habetur. *pag.* 21. *num.* 4. Poſſeſſio tribus modis obtinetur: apprehenſione vera, ficta, civiliſſima. *pag.* 21. *num.* 5. Quot modis amittatur tam rei mobilis, quam immobilis poſſeſſio. *pag.* 21. *num.* 6.

Præſcriptio ex ipſo iure naturæ orta, fuit iure gentium in rerum partitione confirmata. *pag.* 40. *num.* 6. Etiam approbata a iure divino. *pag.* 40. *num.* 7. Virtute iſtorum trium iurium determinatum tempus non habet, ſed metiendum eſt prudentia. *ibid. n.* 8. Præſcriptio lege poſitiva introducta, eſt acquiſitio dominii, & iuris alieni peremptio, cum continuatione poſſeſſionis, bona fide, tempore a lege præſcripto. Ut legitima ſit, quatuor habeat conditiones oportet: poſſeſſionem, titulum probabiliter præſumptum, temporis quantitatem lege definitam, & bonam fidem. *pag.* 41. *num.* 9. Poſſeſſio debet eſſe civilis, aut mixta, & res præſcriptioni ſubiecta. Unde uſusfructuarius nequit præſcribere, nec res ſacra a laico præſcribi. *pag.* 41. *num.* 10. Titulus aut coloratus, aut præſumptus. Prior eſt qui probari poteſt, alter qui probari nequit. Poſt quadraginta & amplius annos ſufficit præſumptus. *pag.* 41. *num.* 11. Ad præſcriptionem rerum mobilium tres anni inter præſentes, & quatuor inter abſentes requiruntur, exceptis Eccleſiæ Romanæ rebus. Ad rerum immobilium ordinariam, decem anni inter præſentes, viginti inter abſentes. Ad piorum locorum extraordinariam triginta inter præſentes, quadraginta inter abſentes. *pag.* 42. *num.* 12. Præſentes vocantur qui domicilium in eadem provincia habent. *pag.* 43. *num.* 13. Adverſus pupillos nulla currit præſcriptio; adverſus minores currit extraordinaria. Bona civitatum aliqua nonniſi centum annis præſcribuntur. *pag.* 43. *num.* 13. Tempus debet eſſe continuum; continuatio vero deficit, vel dum dormit, vel dum per actus oppoſitos interrumpitur: dormit autem quoties bona legitimo defenſore carent. *pag.* 43. *num.* 14. Ad continuationem neceſſe non eſt ut poſſeſſio maneat penes unam eamdemque perſonam; ſed per plures de una in aliam continuari valet. *pag.* 43. *num.* 15. Interrumpitur naturaliter dum una ex quatuor conditionibus deficit; civiliter autem

Digitized by Google

tem interrumpitur iuris fictione, ſeu actu iuridico. *ibid.* Bona fides ad præſcriptionem neceſſaria eſt, quando poſſeſſor rei ignorat rem eſſe alienam: Ignorantia tamen craſſa, vel iuris non favet præſcriptioni. Bona fides ſit continua. Ei non obeſt venialis negligentia in rei poſſeſſione examinanda. *pag.* 44. *num.* 16. Præſcriptio in foro externo, & interno dominium affert. *pag.* 45. *num.* 18. Dubitatio levis non interrumpit præſcriptionem. *pag.* 47. *n.* 23. Interrumpit tamen dubitatio prudens, qua incepit poſſeſſio. *pag.* 47. *num.* 24. Etiam quæ ſupervenit. *pag.* 48. *num.* 26. Ignorantia invincibilis facti non impedit præſcriptionem. *pag.* 49. *n.* 29. At ignorantia invincibilis iuris clari impedit in foro interno, & externo, exceptis ruſticis, militibus, & feminis. *pag.* 50. *num.* 31. Mala fides anteceſſoris nocet ſucceſſori heredi immediato, ne præſcribat; non tamen ſi ſucceſſor alio titulo ab anteceſſore accepit. *pag.* 51. *num.* 32.

Precarium eſt rei alicuius, quoad uſum ſolum, gratuita conceſſio ad nutum concedentis revocabilis. Quomodo differat a commodato. *pag.* 624. *num.* 6.

Preces importunæ non infriugunt contractum. *pag.* 249. *num.* 12.

Pretium rei deſumitur ab eiuſdem utilitate, non natura. *pag.* 294. *num.* 1. Pretium aliud legitimum, aliud naturale vel vulgare; quod iterum tribuitur in pium vel infimum, moderatum vel medium, rigoroſum vel ſupremum. *pag.* 294. *num.* 2. Qui fraude pretium auget, peccat contra iuſtitiam; etiam qui ſine fraude pluris aut minoris iuſto vendit, aut emit. Licite tamen vendens plus aliquid ob damnum emergens accipit; ſed non ex eo quod res vendita in magnum ementis commodum cedat. *pag.* 295. *num.* 3. Peccat qui alterum intra latitudinem iuſti pretii decipit. *pag.* 296. *num.* 5. In foro exteriori non datur actio, niſi deceptio fiat ultra dimidium. *pag.* 296. *num.* 6. Qui mendaciis inducit alterum ad emendum maiori pretio quam emiſſet, intra latitudinem tamen iuſti pretii, tenetur ad reſtitutionem. *pag.* 296. *num.* 7. Pluris licet rem vendere ob lucrum ceſſans, & damnum emergens, dum emptor inſtanter petit. *pag.* 297. *num.* 8. Affectus peculiaris erga rem certis ornatam prærogativis eſt cauſſa augendi pretii. *ibid.* *num.* 9. Non tamen ſi ſit valde utilis, aut neceſſaria emptori. *pag.* 298. *num.* 10. Res raræ non neceſſariæ vendi nequeunt quocumque arbitrario pretio; ſed iuxta peritorum æſtimationem. *pag.* 298. *num.* 12. Res ſub haſta expoſitæ vendi poſſunt quocumque pretio, de quo conventum eſt; dummodo fraudes abſint. *pag.* 299. *n.* 13. 14. Pretium vulgare communi hominum æſtimatione conſtituitur ſecundum valorem quem merx habet tempore quo tradenda eſt. *pag.* 300. *num.* 15. Spectari debent locus in quo merx venditur, aut expenſæ alioſum aſportationis. *pag.* 300. *num.* 16. Et officium, ſeu conditio perſonæ mercaturam exercentis. *ibid.* *num.* 17. Circumſtantiæ in quibus rerum pretia decreſcunt. *pag.* 301. *num.* 18. Poſſunt mercatores pretio currenti merces vendere, dum ſciunt brevi mercium copiam ſuperventuram, atque adeo earum pretium diminuendum. *pag.* 302. *num.* 20. Qui monetæ pretium minuendum novit, poteſt ante promulgationem ſuam diſtrahere pecuniam. *pag.* 303. *num.* 21. Duo caſus exponuntur. *ibid.* & *num.* 22. Pretium a Principe definitum obſervandum. *pag.* 304. *num.* 23. Maxime expediens eſt, pretia rerum a Principe taxari. *pag.* 305. *num.* 25. Poſſunt tamen venditores ſua ſponte pretium licet taxatum minuere. Item quando cenſeatur lex taxati pretii abrogata. *pag.* 305. *num.* 26. An qui vendit triticum pretio taxato cogere emptorem poſſit ad vendendam ſibi aliam mercem? *pag.* 306. *num.* 27. Licet vendere ultra pretium taxatum merces exquiſitioris bonitatis. *pag.* 306. *num.* 29. Exquiſitioribus mercibus immiſcere viliores, & taxato pretio vendere, in praxi vix licet. *pag.* 307. *num.* 30.

Pre-

Digitized by Google

Pretii variatio ob dilatam, vel anticipatam ſolutionem. Non licet augere pretium ob ſolam dilationem ſolutionis. *pag.* 308. *num.* 1. Licet tamen titulo lucri ceſſantis, aut damni emergentis, expenſarum in recuperanda ſolutione faciendarum. *pag.* 38. *num.* 2. Licet carius vendere ob expectatam ſolutionem, ſi tempore ſolutionis merces pluris valituræ credantur, & e converſo: ſi mercator ſervaſſet merces in aliud tempus, de quo admoneat emptorem. *pag.* 39. *num.* 3. Licet in certis caſibus merces pluris vendere ob dilatam ſolutionem. *pag.* 311. *num.* 7. Non eſt licita emptio mercium pretio viliori ob anticipatam ſolutionem quam valeant tempore traditionis. *pag.* 314. *num.* 11. Licitum eſt minoris emere chirographa quam valeant, ſi debitum ſit ambiguum, & difficilis ſolutionis, ſi interveniat lucrum ceſſans, aut damnum emergens. *pag.* 314. *n.* 12. Debitor ipſe nequit minori pretio emere ſuum debitum. *pag.* 315. *num.* 13. Nec miniſtri Principis emere Principis debita. *ibid. num.* 14. Si debitum eſt certum, faciliſque ſolutionis, non licet illud minoris emere. *pag* 316. *num.* 16.

Princeps quando, & quibus conditionibus ſibi reſervare valeat aucupium, piſcationem, venationem. *pag.* 26. *n.* 1. 2. Non poteſt ordinarie ſibi adiudicare ſilvas, montes, & paſcua. *pag.* 28. *num.* 1. Poteſt adiectis pœnis prohibere ne certis temporibus ligna cædantur &c. *pag.* 28. *num.* 2. Tranſgreſſio harum legum raro eſt peccatum mortale. *pag.* 29. *num.* 3.

Probabiliſimus an vendi poſſit. *pag.* 275. *num.* 13.

Profeſſio. *Vide* Ars.

Promiſſio eſt libera & ſpontanea fidei datio de re licita poſſibili. Eſt triplex: perfecta, ſeu ab alio acceptata; pollicitatio, quæ nondum eſt acceptata; ſtipulatio, quæ fit de re danda interrogante uno, & altero reſpondente ſe daturum. *pag.* 632. *num.* 1. Ut promiſſio obligationem pariat, debet eſſe acceptata. *pag.* 633. *num.* 2. Si tamen ſit iuratum de ea non revocanda, iuramentum & promiſſio ſervari debent. *ibid. num.* 4. Promiſſio & donatio acceptari poſſunt ab altero vel per ſe, vel per alium præſentem; immo ſola taciturnitate eorum quæ in commodum & utilitatem donatarii cedunt. *pag.* 634. *num.* 5. Promiſſio item eſt triplex: ſimplex & privata; onerosa ex utraque parte inducens obligationem; & civilis, quæ fit cum ſolemnitate, nempe coram notario. & teſtibus, vel chirographo. *pag.* 634. *num.* 6. Promiſſio ſimplex inducit gravem obligationem in materia gravi, quando promiſſor intendit gravem ſibi imponere obligationem. *pag.* 637. *num.* 12. Ceterum omnis promiſſionis acceptatæ violatio peccatum eſt oppoſitum veracitati, & fidelitati. Si hæc violatio eſt noxia promiſſario, ex genere ſuo peccatum mortale eſt; ſi vero res promiſſa ſit inutilis, noxia, & impoſſibilis, violatio nullum eſt peccatum. *pag.* 635. *num.* 7.

Promiſſio ob rem turpem. Ante promiſſæ rei turpis impletionem contractus reſcindendus eſt. *pag.* 146. *num.* 2. Impleta re, vi contractus nihil ſolvendum. *a pag.* 147. *n.* 6. ad *pag.* 153. Sed ſolvendum eſt in pœnam patrati ſceleris a lege, & conſuetudine inductam. Hinc pretium tuto retineri poteſt. *pag.* 154 *num.* 3. Nec reſtituendum, niſi ſit immoderatum, aut fraude vel dolo acquiſitum, aut ab illo acceptum qui nequit alienare. *pag.* 154. *num.* 2. Virgines, & feminæ honeſtæ ob uſum ſui corporis plus exigere nequeunt quam publica ſcorta. *pag.* 155. *num.* 5. Tales feminæ a Confeſſariis obligandæ ad mercedem in pauperes erogandam. *pag.* 156. *num.* 6. Iſtæ pretium a Religioſis acceptum reſtituant. *pag.* 157. *num.* 7. 8. Pauperibus item, aut dominis reſtituant nuptæ, non maritis. *pag.* 158. *num.* 10. Sollicitata etſi non conſenſerit, ad ſcandalum vitandum dona reſtituat donatori. *ibid. n.* 11. Mulier retinere poteſt bona prodiga, data ab eo qui donare poteſt. *pag.* 158. *num.* 12. Promiſſio prodiga ſer-

ſervari non debet. *ibid. num.* 13. Recipiens ex donatione reprobata per legem poſitivam, etiam in foro conſcientiæ reſtituere tenetur. *pag.* 159. *num.* 3. Et quidem non donatoribus, ſed pauperibus. *pag.* 161. *num.* 7. Qui accipiunt ut actionem bonam ponant, quam exercere tenentur; aut abſtineant a malo, quod omittere debent, tenentur accepta reſtituere, niſi conſtet, fuiſſe liberaliter donata. *pag.* 162. *num.* 9. *Vide* Iudex.

Propoſitiones laxæ. *pag.* 55. *uſque ad* 73. & *pag.* 189. *ad* 208. & *alibi ſæpe.*

Pro proxeneta conſilia. *pag.* 564. *num.* 1.

Pupillares uſuræ. *Vide* Pignus.

Pupillus. Quæ pecuniis alienis emuntur, fiunt emptoris, exceptis quæ emuntur pecuniis pupillorum, aut Eccleſiæ. *Vide* Præſcriptio.

R

Recurſus. Qui recipit inferentes damna, ſecuritatem ipſis, atque commoditatem faciendi mala præbendo, reſtituere debet. *pag.* 137. *num.* 9. Non vero qui poſt delicta eos recipit, adiuvatque ad evadendam atrocem pœnam. *pag.* 137. *num.* 30.

Regularis. *Vide* Negotiatio. Depoſitum. Donatio. Piſcatio. Venatio.

Reſtitutio, ſolutio, & ſatisfactio differunt. Prima reparat damna fortunæ; ſecunda nullum damnum reparat, ſed ſolvit quod iure debetur; hæ tamen duæ frequenter pro eodem uſurpantur: tertia vero reparat damna honoris. *pag.* 73. *num.* 1. Radix vel principium reſtitutionis duplex, iniuſta acceptio, & res accepta. Ratione rei acceptæ & bona fide tamquam tuæ conſumptæ, id reſtituere teneris in quo factus es ditior. Ratione iniuſtæ acceptionis reſtitutio fieri debet illico; etſi inde factus non ſis ditior. *pag.* 73. *num.* 3. Reſtitutio eſt neceſſaria neceſſitate præcepti naturalis, divini, & humani. *pag.* 75. *num.* 2. Præceptum reſtitutionis eſt negativum. *pag.* 75. *num.* 4. Facienda eſt ſtatim reſtitutio, & dilata æquiparatur furto. *pag.* 77. *num.* 8. Dilator, qui oblatis pluribus occaſionibus non reſtituit, plura peccata numero moraliter diverſa committit. *pag.* 80. *num.* 15. Circumſtantia temporis prolongatæ reſtitutionis in confeſſione aperienda. *ibid.* Qui cum poſſit, ſtatim non reſtituit, non eſt abſolvendus. *pag.* 82. *num.* 19. Nec qui promittit ſe reſtituturum; ſed promiſſum, licet poſſit, non implet. *pag.* 84. *num.* 23. Qui tamen promittit ſe reſtituturum, licet reſtitutionem præmittere confeſſioni nequeat, eſt abſolvendus. *pag.* 85. *num.* 24. Quoties moraliter poſſibilis eſt reſtitutio, ante abſolutionem fieri debet. *pag.* 85. *num* 25. Quid cum moribundo reſtitutioni obnoxio agendum? *pag.* 85. *num.* 26. Onus reſtitutionis ex ſolius iuſtitiæ commutantis violatione oritur, non alterius virtutis, *v. g.* caritatis, pietatis &c. *pag.* 88. *num.* 1. Si fur eligit perſonam per quam reſtituat, & hæc non reſtituit domino, fur denuo reſtituere domino debet. *pag.* 165. *n.* 17. Sed poſſeſſor bonæ fidei ſine contractu, ſi mittat per virum probum, & hic fallat, reſtituere non tenetur. Si res ex contractu reſtituenda ſit in ſpecie, perit creditori; ſi in genere, debitori. *ibid. num.* 18. Poſſeſſor bonæ fidei ordinarie reſtituat rem ubi ea exiſtit. *pag.* 165. *num.* 19. Poſſeſſor malæ fidei proprio incommodo reſtituere rem domino debet eo loco ubi extaret, ſi ablata non fuiſſet; etſi expenſæ valorem rei ſuperent. *pag.* 166. *n.* 20. Reſtitutio ex contractu debita, ubi celebratus eſt contractus, fieri debet. *ibid. num.* 21.

Reſtitutio ex accepta re. Qui rem alienam bona fide conſumpſit, reſtituere tunc tenetur, quando e re conſumpta factus eſt ditior. *pag.* 100. *num.* 3. Qui rem a fure reſtituendi impotente acceptam conſumpſit mala fide, totam vel in ſe, vel in æquivalente reſtituet, etſi inde factus non ſit ditior. *pag.* 100. *num.* 4. Qui rem a fure non volente (etſi poſſit) reſtituere, accepit, reſtituet in praxi, ſive res extet in ſe ipſa, ſive fuerit aliis commixta. *pag.*

pag. 102. *num.* 9. 10. Qui rem alienam mala fide accepit, eam reſtituere debet, & omnia damna inde ſecuta compenſare. *pag.* 102. *num.* 11. Si accepiſti rem dubitans an permiſſet, vel ſciens perituram iniuſte, reſtituere debes. *pag.* 103. *n.* 12. Sicut etſi rapuiſti rem certo caſu perituram, etſi eodem tempore, & periculo rapienti pereat. *pag.* 103. *num.* 13. & *pag.* 104. *num.* 15. Quantum reſtituere debet qui abſtulit rem alienam quæ apud dominum melior evaſiſſet. *pag.* 105. *num.* 19. Res domino reſtituenda cum valore intrinſeco, vel extrinſeco interea acquiſito. *pag.* 105. *num.* 20. Si res in viliori ſtatu furto ſublata, & melior effecta, poſtea ad deteriorem ſtatum redigatur, quid reſtituendum? *pag.* 105. *n.* 21. *& ſeq.* Qui rem alienam eſſe dubitat, eamque emit, ut ſibi retineat, fur eſt. *pag.* 107. *num.* 28.

Reſtitutionis cauſſæ. *Vide* Adulterium. Culpa. Homicidium. Stuprum. Impediens.

Cauſſæ excuſantes a reſtitutione. Prima cauſſa omittendi, aut differendi reſtitutionem eſt impotentia. *pag.* 181. *num.* 1. Alia phyſica, alia moralis, quæ gravem aut graviſſimam difficultatem includit. *ibid. num.* 2. Differri reſtitutio poteſt, ſi creditor abuſurus re ſua eſſet in damnum boni communis, vel proximi. *ibid. num.* 3. Item quando prudenter prævidetur grave periculum ſpirituale. *pag.* 181. *num.* 4. Non ſunt vendenda ad victum neceſſaria, ut illico debita ſolvas; nec Nobilis ſe ad ſtatum infimum deiicere tenetur, niſi male ſibi nobilitatem comparaſſet. *ibid. num.* 5. Quid agendum, quando æquale damnum, non facta reſtitutione, creditorem, & debitorem premit? *pag.* 183. *num.* 6. Gravis neceſſitas non excuſat a reſtitutione, vel furtis. *ibid. num.* 7. Differre non licet reſtitutionem ob lucrum comparandum. *pag.* 183. *num.* 8. Non eſt publice prædicandum, differri poſſe reſtitutionem. *ibid. num.* 9. Debitor ex delicto tenetur compenſare lucrum ceſſans, & damnum emergens e dilata reſtitutione; non tamen debitor ex contractu. *pag.* 184. *num.* 10. A reſtitutione excuſat condonatio libera a lege permiſſa. *ibid. num.* 11. 12. Sufficit condonatio præſumpta. *pag.* 184. *num.* 13. Quando condonatur debitori principali, ut mandanti, condonatur & aliis cooperantibus. *ibid. num.* 14. Debitor non tenetur reſtituere bona inferioris ordinis cum detrimento bonorum ordinis ſuperioris. *pag.* 185. *n.* 15. Læſio tamen aliqualis bonæ famæ non excuſat: & plures viæ reſtituendi ſunt, conſervata fama. *pag.* 185. *num.* 16. Nemo, ut reſtituat, tenetur ſe in ſervum vendere: nec mulier adultera ſe prodere ad compenſanda damna legitimæ proli. *pag.* 186. *num.* 17. AEre alieno gravatus profiteri Religionem poteſt, niſi intra breve tempus ſe in ſæculo reſtituturum credat. *ibid. num.* 18. & *pag.* 187. *num.* 20. Qui aliis ſua bona promiſit, ceſſis bonis quæ adſunt, nec momento ab ingreſſu Religionis retardari debet. *pag.* 187. *num.* 19. Debitorem profeſſum non tenetur Prælatus permittere laborare, ut debita ſolvat. *ibid. num.* 24. Per conſtitutionem Siſti V. & Clementis VIII. ad Religionem admitti nequeunt qui dilapidatis bonis, nunc quidem reſtituere nequeunt, poterunt autem ſuo tempore. *pag.* 189. *num.* 25.

Reſtitutionis ordo. *Vide* Ordo.

Reſtituendum quibus ſit. Ordinarie reſtituenda res eſt cui fuit ablata, ſive dominus, ſive poſſeſſor, ſive cuſtos fuerit. *pag.* 167. *num.* 1. Poſſeſſor bonæ fidei ordinarie reſtituet domino, non poſſeſſori; niſi certus ſit hunc reſtituturum domino. *ibid. num.* 2. Si reſtitutio pernicioſa ſit domino, non eſt reſtituenda ei, quando, & ubi pernicies imminet. *pag.* 168. *num.* 3. Ex caritate differri reſtitutio poteſt, quando prævidetur dominus reſtituta re ad peccandum abuſurus. *ibid. num.* 4. Quando dominus ignotus eſt, bona diſtribuenda ſunt inter pauperes. *pag.* 168. *num.* 5. Et hoc ex iure naturæ. *pag.* 169. *num.* 7. Quibus pauperibus diſtribuenda, & quando communita-

Digitized by Google

ti? *pag.* 170. *num.* 10. 11. Non eſt valida ſolutio facta tui creditoris creditori. *pag.* 171. *num.* 13.
Reſtitutio in integrum eſt priſtini ſtatus redintegratio iudicis auctoritate facta. *pag.* 262. *num.* 1. Conceditur minoribus, dum læſi ſunt in notabili quantitate per iudicis ſententiam in diverſis caſibus per quatuor annos poſt contractum. *pag.* 262. *num.* 2. Si contractus celebratus fuit iuxta iuris formulas, & æquitatis regulas, aut ſi fuit iuratus, non datur minori hæc reſtitutio. *pag.* 263. *num.* 3. Quando reſtitutio in integrum comprehendat etiam fructus perceptos. *pag.* 263. *num.* 4. Minor, cui ſolutio illegitime facta eſt, uti privilegio reſtitutionis poteſt. *pag.* 264. *num.* 5. Hoc privilegium conceditur etiam Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, aliiſque piis locis. *ibid. num.* 6.
Retrovendendi, & retroemendi pactum adiici poteſt vel in favorem vendentis, vel emptoris, vel utriuſque. *pag.* 289. *num.* 1. Licitum eſt pactum in favorem ſolius venditoris, in favorem ſolius emptoris, vel utriuſque ſimul. In praxi vix aliquando ob tot conditiones iuſtum erit. *pag.* 289. *num.* 2. Prima conditio eſt, ut bona fide, exclusa omni palliata uſura, pactum adiiciatur. *ibid. num.* 3. Secunda, ut pretii quantitas minuatur iuxta gravamen. *ibid. num.* 4. Tertia, ut res vendantur pretio currenti tempore retrovenditionis. *pag.* 290. *num.* 5. Quarta, ut periculum rei venditæ, aut commodum reiiciatur in venditorem, & quod ſervetur identitas rei venditæ. *ibid. num.* 6. Licitus eſt retractus gentilitius ſervatis ſervandis. *ibid. num.* 7.

S

Servus fugiendo non recuperat libertatem, niſi in certis caſibus. *pag.* 23. *num.* 6. Nemo, ut reſtituat, tenetur ſe in ſervum vendere. *pag.* 186. *n.* 17.
Silvæ. Quis earum dominus. *pag.* 28. *num.* 1. *Vide* Lignatio.
Societas. *Vide* Contractus trinus. Animal.
Solemnitas teſtamenti. *Vide* Teſtamenti ſolemnitas.
Specificatio tunc eſt, quando ex alterius domini materia nova rei ſpecies coaleſcit. Si ea ſpecies ad priorem materiam reduci poteſt, pertinet ad dominum materiæ; ſecus, ad eum qui fecit. *pag.* 38. *num.* 6.
Sponſiones ſunt illicitæ. *pag.* 608. *num.* 21. Tanto magis qui ſciens rei eventum, cum altero ignorante ſpondere nequit. *pag.* 609. *num.* 22. Nec quæ cum damno proximi evenit ſponſio, eſt licita. *pag.* 609. *num.* 23. Nec quæ fit ſuper peccato committendo, vel non committendo. *ibid. num.* 24.
Spurius. *Vide* Filiorum triplex genus.
Stipulatio eſt promiſſio quæ fit ab uno de re danda interrogante, & altero reſpondente ſe daturum. *pag.* 632. *num.* 1.
Stuprum. Puellæ ſtupratæ libere conſentienti, ſpectato iuſtitiæ rigore, & in foro conſcientiæ, nihil reſtituendum. *pag.* 215. *num.* 1. In praxi tamen plerumque ſtupratores a Confeſſariis obligari debent ad illam vel dotandam, vel in uxorem ducendam. *pag.* 216. *num.* 2. Stuprator non tenetur integram dare dotem, ſed augere. *pag.* 216. *num.* 3. In dubio puella præſumenda eſt fuiſſe virgo; & tunc integra reſtitutio facienda: ſicut & in caſu defloratæ iam, ſed paſſim pro virgine habitæ, ſi tamen puella paſſa inde eſt infamiam, aut damnum. *pag.* 216. *num.* 4. Qui ſolis precibus repetitis, munuſculis, promiſſis virginem defloravit, in praxi plerumque a Confeſſariis condemnandus eſt ad dotem, vel matrimonium. *pag.* 217. *num.* 5. An quid teneatur qui ſub matrimonii ſpe virginem violavit. *pag.* 217. *num.* 6. Obſtrictus voto, ſi ſub matrimonii promiſſione violavit virginem, ordinarie eam ſolum dotare tenetur. *pag.* 219. *num.* 10. Si a muliere libere conſentiente naſcatur proles, eam tribus annis alet mater, deinceps pater. Si mulier vi aut fraude corru-

pta eſt, ſolus pater enutriet filium. *pag.* 219. *num.* 11.

Subſtitutio eſt unius vel plurium in alterius aut aliorum locum ad rem aliquam in ultima voluntate vocatio. *pag.* 664. *num.* 1. Dividitur in varias ſpecies. Prima eſt vulgaris, qua quis heredi a ſe inſtituto alium quemlibet ſubſtituit ſucceſſionis capacem. *pag.* 664. *num.* 2. Secunda pupillaris, qua pater filiis ſub patria poteſtate conſtitutis ſubſtituit heredem, in caſu quo filii decedant ante pubertatem. *pag.* 665. *num.* 3. Ad eam ſex conditiones requiruntur. *pag.* 665. *num.* 4. Si filius matrem habeat, & pater nihilominus ſubſtituat alium, excluditur mater. *pag.* 666. *num.* 5. Subſtitutio pupillaris extinguitur tribus modis. *ibid. num.* 6. Tertia ſubſtitutio eſt exemplaris, qua pater, & mater valent ſubſtituere filiis impotentibus facere teſtamentum, unum ex deſcendentibus. *pag.* 666. *num.* 7. Quarta eſt fideicommiſſaria, qua teſtator gravat heredem commiſſarium, ut reddat aut integram hereditatem, aut partem alteri, qui vocatur fideicommiſſarius. *ibid. num.* 8. Heres, dum hereditatem reſtituit fideicommiſſario, detrahere poteſt quartam partem, quæ vocatur Trebellianica, niſi leges particulares prohibeant. *pag.* 667. *num.* 9.

Suffragium. Si per hoc fuit efficaciter cooperatum, reſtitutio fieri debet; ſecus ſi alia iam præceſſerunt, tuumque ad inferendum malum non erat neceſſarium, nec tu damnum inferre volueris. *pag.* 136. *num.* 27.

T

Tempus. *Vide* Lucrum ceſſans. Mora. Præſcriptio.

Teſtamentum eſt ultima voluntatis humanæ iuſta ſententia de eo quod quis vult fieri poſt mortem, cum directa heredis inſtitutione. *pag.* 644. *num.* 2.

Teſtamentum condere poſſunt omnes uſu rationis præditi, exceptis aliquibus. *pag.* 649. *num.* 5. Filiifamilias puberes de bonis adventitiis teſtari nequeunt, ſed de aliis, exceptis Clericis. *ibid. num.* 6. Muti, & ſurdi a nativitate teſtari nequeunt. *pag.* 650. *num.* 7. Teſtari prohibentur certorum criminum patratores, poſtquam tales iudicis ſententia fuerint declarati. *pag.* 650. *num.* 8.

Teſtamenti executor univerſalis vendere omnia bona defuncti valet, non particularis. *pag.* 675. *num.* 10. Executor legata ſibi relicta propria auctoritate accipere non valet. *ibid. num.* 11. Quilibet in executorem eligi poteſt, etiam femina, & Clericus; nemo tamen cogi: ſi pauper ſit, poteſt aliquid eleemoſynæ pauperibus relictæ ſibi applicare. *pag.* 676. *num.* 12.

Teſtamentum imperfectum eſt, aut quia deeſt ſolemnitas a iure præſcripta, aut quia teſtator illud integrum non abſolvit, aut quia deeſt plena teſtatoris voluntas. *pag.* 648. *num.* 1. Imperfectum, quia non integrum, in foro externo nullum eſt: ſi dubitatur de integritate, in utroque foro validum eſt, ſicut & ſi ſit ad cauſſas pias. *pag.* 648. *num.* 2. Teſtamentum nuncupativum, ſi ſcribatur, etſi ante mortem teſtatori lectum non ſit, validum eſt, ſi ſufficienti numero teſtium conſtet de tali teſtatoris voluntate. *pag.* 648. *num.* 3. Teſtamentum fraude, vi, aut importunis precibus, metu etiam reverentiali extortum, nullum eſt: & ad tale teſtamentum inducens peccat. *pag.* 648. *num.* 4.

Teſtamentum revocare poteſt teſtator. *pag.* 668. *num.* 1. Non tamen ſi iuravit ſe non revocaturum. *ibid. num.* 2. & 5. Si tamen iuratum revocet, revocatio eſt valida. *pag.* 669. *num.* 4. Verumtamen in utroque foro impleri debet teſtamentum primum iuratum. *ibid. num.* 6. Secundum teſtamentum ſolemne revocat primum. Varii modi revocationis teſtamenti. *pag.* 670. *n.* 7. Etſi duo ſimul condant teſtamentum, nihiloſecius altero mortuo ſuperſtes revocare teſtamentum poteſt. *ibid. n.* 8. Qui per alterum non ut miniſtrum, ſed ut teſtatorem facit condi teſtamentum de rebus ſuis, mortuo hoc teſtatore,

Digitized by Google

tore, alter revocare teſtamentum nequit. *pag.* 671. *num.* 9.

Teſtamenti ſolemnitas. Teſtamentum aliud ſcriptum, aliud nuncupativum. Illud ſcriptura fit, iſtud voce. *pag.* 645. *num.* 4. Solemnitas nuncupativi conſiſtit iure communi in ſeptem teſtibus maſculis puberibus liberis rogatis. *pag.* 645. *num.* 5. Scripti ſimiliter ſeptem teſtes. *pag.* 645. *num.* 6. Sed ſinguli fere Principatus proprias ſolemnitates, & leges habent. *pag.* 646. *num.* 7. Si ipſe heres teſtamentum, ſeque heredem ſcribat, teſtamentum validum eſt in foro conſcientiæ abſente fraude. *pag.* 646. *num.* 8. Teſtamentum ad cauſas pias, etſi deficiant ſolemnitates, validum eſt, dummodo certo conſtet talem fuiſſe teſtatoris voluntatem. *pag.* 646. *num.* 9. Quæ ſolemnitas requiratur ad teſtamentum cæci, militis, & parentis inter liberos. *pag.* 647. *num.* 10. Solemnitas pro codicillis. *ibid. num.* 11. *Vide* Exheredari. Heres. Legatum.

Theſaurus eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria, ut iam dominum non habeat. *pag.* 34. *num.* 9. Iure naturæ eſt inventoris: circa quod tamen plures ſunt leges poſitivæ. Inventus arte magica, totus eſt Fiſci; in propria domo, vel fundo repertus, totus inventoris. Caſu in alieno ſolo repertus, medius eſt domini loci ante iudicis ſententiam: quæſitus vero induſtria, totus pertinet ad dominum loci; eumque inventor tradere tenetur ante iudicis ſententiam. Spectandæ tamen ſunt circumſtantiæ. *pag.* 34. *num.* 10. Inventus in loco publico totus eſt inventoris: circa repertum alibi, ſervandæ leges. Si inventus ſit in fundo habente dominum directum, & uſusfructuarium, ſi quid domino fundi debetur, inter utrumque eſt dividendum. *pag.* 35. *num.* 12. Inventus in re etiam ſtudio empta, debetur emptori. *pag.* 36. *n.* 13. Inventa mineralia Principes ſibi reſervant. *pag.* 36. *num.* 14.

Titulus. *Vide* Cambium.

Traditio. Ante traditionem, communiter non acquiritur dominium, etiam ſoluto pretio. Si hoc ſoluto res empta alteri vendatur, & tradatur; iſte qui rem apprehendit, præfertur alteri in utroque foro. Si tamen emptor iſte ſecundus mala fide proceſſit, tunc primo emptori competit actio rem vindicandi. *pag.* 22. *num.* 7. *Vide* Apprehenſio.

Trebellianica quid ſit. *pag.* 667. *num.* 9.

V

Vacantia bona. *Vide* Bona vacantia.

Venatio. Venatores vaſtantes agros &c. damna compenſare tenentur. *pag.* 27. *num.* 3. Venatio cum clamore prohibita eſt Clericis, & Monachis; non tamen moderata, & ſine clamore. *pag.* 27. *num.* 4. Quando Clerici peccent mortaliter venando clamoroſe, relinquitur prudentum iudicio. Venatio interdicta eſt diebus feſtis, & eſurialibus; ſed ſub peccato veniali tantum. *pag.* 28. *num.* 5. *Vide* Aucupium. Monachus. Epiſcopus.

Venditio. *Vide* Emptio.

Vindicativa iuſtitia. *Vide* Iuſtitia vindicativa.

Vitium oppoſitum iuſtitiæ. *Vide* Iniuſtitia.

Vitium, ſeu defectus. *Vide* Defectus mercium.

Ultima voluntas dividitur in teſtamentum, codicillum, legatum, fideicommiſſum. *pag.* 644. *num.* 1.

Uſuarius eſt qui re uti poteſt; uſum tamen in alterum transferre nequit. *pag.* 16. *num.* 1.

Uſucapio idem quod præſumptio. *Vide* Præſumptio.

Uſura eſt lucrum perceptum ex mutuo vi mutui. *pag.* 330. *num.* 1. Sive illud a paupere, ſive a divite, ſive parvum, ſive magnum ſit. Unde inſana eſt Calvini doctrina, a divitibus poſſe moderatam uſuram exigi. *pag.* 330. *n.* 2. Sicut & altera doctrina, ex mutuo negotiationis lucrum percipi poſſe, non mutuo conſumptionis. *pag.* 331. *num.* 4. Dividitur in propriam, & impropriam. Prima eſt quæ immediate ex mutui con-

Digitized by Google

contractu percipitur: altera eſt palliata, & in aliis contractibus incluſa. *pag.* 333. *num.* 9. Iterum propria alia eſt realis, alia mentalis. Dividitur etiam in lucratoriam, quae proprie uſura eſt, compenſatoriam, & punitoriam. *pag.* 333. *num.* 10. Lucratoria dicitur etiam conventionalis; punitoria vero etiam neceſſaria, & moratoria. Propria dicitur formalis; impropria virtualis. Eſt & uſura ſortis, & uſura uſuræ. *pag.* 333. *num.* 11. Apud Romanos in plures gradus diviſa. *pag.* 334. *num.* 12. Oſtenditur iure divino prohibita etiam moderata a divite accepta. *pag.* 334. *num.* 1. *& ſeq.* Idem oſtenditur ex SS. Patribus. *pag.* 338. *num.* 1. *& ſeq.* Etiam iure naturæ. *pag.* 344. *num.* 1. *& ſeq.* Eam aperte damnat Benedictus XIV. *pag.* 355. *num.* 27. Damnatur ab ipſis Lutheranæ ſectæ primipilis. *pag.* 356. *num.* 1. Datur in uſura parvitas materiæ. *pag.* 368. *n.* 3. Titulo numeratæ & præſentis pecuniæ nihil licet ultra ſortem accipere. *pag.* 369. *num.* 1. Nec ob moleſtiam ortam ex pecuniæ privatione. *pag.* 371. *n* 2. Nec ob privationem facultatis remotæ pecuniam ad lucrandum tradendi. *pag.* 374. *num.* 1. 2. Periculum eſt incertus eventus ſortis amittendæ vel recuperandæ. *pag.* 376. *num.* 1. Dividitur in periculum facti, quod apud debitorem eſt, quatenus debitor ex omnibus ſuis bonis tenetur in quocumque eventu, etiam amiſſæ ſortis, & lucri, tantumdem reddere creditori. Aliud iuris, quod creditor in ſe ſuſcipit; ita ut ſi ſors quocumque caſu etiam abſque culpa perierit, ipſi creditori pereat. *pag.* 382. *num.* 1. Ob hoc periculum debitorum exigere aliquid eſt uſura. *pag.* 377. *uſque ad pag.* 399. Item & ob laborem in numeranda, vel aſportanda pecunia, menſurando tritico &c. *pag.* 399. *num.* 2. Etiam pro voluntate mutuandi, vel obligandi ſe ad mutuandum. *pag.* 400. *num.* 1. Aut ad mutuum non repetendum infra præfinitum tempus. *Ibid. num.* 3. Nulli perſonarum conditioni licita eſt uſura. *pag.* 474. *num.* 17. Nec piis locis. *pag.* 475. *num.* 18. Uſura committitur, ſi mutuator agat fideiuſſorem mutuatarii, & ideo aliquid recipit. *pag.* 476. *num.* 20. Ab ea non excuſat fideiuſſio ficta. *pag.* 476. *num.* 21. *& ſeq.* Exigere nihil poteſt qui ut opificibus mutuare poſſit, maiori anni parte pecunias paratas habet. *pag.* 477. *num.* 24. *& ſeq.*

Uſura dotalis. *Vide* Pignus.

Uſura mentalis eſt duplex: prima intra mentem ſiſtit, omni actione exteriori excluſa; ſecunda cui adiungitur actio exterior, ſeu acceſſio actualis ultra ſortem. Diſtinguitur hæc a reali, quod illa nec implicitum, nec explicitum pactum habeat ſicut iſta. *pag.* 459. *num.* 2. Ex mentali, ſive actuali lucri acceſſione non oritur obligatio reſtitutionis. *ibid.* Sed, ſi re vera aliquid accedat, *pag.* 459. *num.* 1. Diverſi caſus circa intentionem tam mutuatoris, quam mutuatarii. *pag.* 459. *n.* 3. Licet ex mutuo ſperare amicitiam & benevolentiam. *pag.* 460. *num.* 6. Nec exigere, nec ſperare licet aliquid ex mutuo tamquam debitum ex benevolentia. *pag.* 460. *num.* 7. Licet tamen ſperare aliquod donum mere gratuitum, & liberale. *ibid.* Non tamen licebit hunc animum mutuatario manifeſtare; etſi nullum de hac gratitudine pactum ineatur. *pag.* 461. *num.* 8. Spes non ſit principalis cauſa dandi mutui. *pag.* 462. *num.* 11. Qui bona fide celebravit contractum uſurarium, qui poterat celebrare contractum iuſtum, non poteſt retinere quod acquiſivit, etiam cognito poſtea uſuræ crimine. *pag.* 464. *num.* 9.

Uſuræ pacta. *Vide* Pactum in uſuris.

Uſuræ pupillares. *Vide* Pignus.

Uſurarius non acquirit dominium fenoris. *pag.* 533. *num.* 1. Bona feneratitia fructifera fructificant mutuatariis. *ibid. num.* 2. & *pag.* 534. *num.* 4. Fenerator reſtituere accepta mutuatario debet, aut pauperibus diſtribuere. *pag.* 533. *num.* 3. Fructus induſtriæ ex re ſterili facit fenerator ſuos. *pag.* 534. *n.* 4. Fenerator reſtituere fructus debet quos collegiſſet mutuatarius. *pag.* 534. *n.* 5.

Qui

Digitized by Google

Qui pecuniam feneratori tradunt ut feneretur, tenentur ad reſtitutionem. *ibid. num. 6. & ſeq.* Qui cauſſa eſt ſtatuti de uſuris ſolvendis, tenetur ad reſtitutionem. *pag.* 535. *num.* 9. Miniſtri proxime cooperantes tenentur ad reſtitutionem, raro in praxi cooperantes remote. *pag.* 535. *num.* 10. Nequis accipere a feneratore in ſolutionem tui crediti quæ eidem ab alio debentur vi uſurarum. *pag* 536. *num.* 11. Licet ſublevandæ neceſſitatis cauſſa mutuum petere ſub uſuris. *pag.* 536. *num.* 12. Non tamen offerre uſuras feneratori. *pag.* 537. *num.* 14. Qui ſine gravi, & evidenti neceſſitate emit rem a venditore exigente pretium exorbitans, cooperatur iniuſtitiæ, & peccat. *pag.* 538. Peccant qui petunt mutuum ad ludos, vel pompas a feneratore parato. *pag.* 538. *num.* 17. Pœnæ feneratorum. *pag.* 539. Obſervationes quædam pro negotiatione exercenda, & pecunia applicanda abſque fenore. *pag.* 539. *num.* 1.

Uſusfructuarius poteſt uti re, & uſum in alium transferre, ſalva rei ſubſtantia. *pag.* 16. *num.* 1. Quos fructus ex fundo percipere poteſt. Eorum non acquirit dominium, donec eos collegerit. *pag.* 17. *num.* 2. Subſtantiam rei conſervare tenetur; non tamen ea fortuito ſublata, damnum reſarcire. *ibid. num.* 3 Uſum vendere non poteſt, niſi conſentiente proprietario; utilitatem tamen ſuo nomine percipiendam poteſt. *pag.* 17. *num.* 4.

Uſusfructus alius legalis, qui a lege; alius conventionalis, qui conventione præſcriptus eſt. *pag.* 16. *num.* 1.

Z

Zech (P. Franciſcus) refellitur. *pag.* 329. *num.* 6.

F I N I S.

Digitized by Google

005645712

Digitized by Google